Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
E
35
NAPOLI

Digitized by Google

XLVIII
E
35

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
E
35
NAPOLI

XLVIII
E
35

IOSEPHI RIPAMONTII

E COLLEGIO AMBROSIANO

HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

PARS ALTERA

Libri XVIII.

NAPOLI

MEDIOLANI,

Ex Collegij Ambroſiani Typographia.
M. DC. XXV.

Digitized by Google

Decem & octo Libros Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis à Ioſepho Ripamontio Doctore Collegij Ambroſiani conſcriptos legi, & approbaui ego Hieronymus Alſerius Canonicus Sancti Nazarij, iuſſu Illuſtriſs. & Reuerendiſs. DD. FEDERICI *Card.* BORROMAEI *Archiepiſcopi, & Collegij Fundatoris, qui mihi extra ordinem mandauit, vt Collegij nomine hoc Opus recognoſcerem. Mediolani vij. Idus Iulij M.DC.XXV.*

Alſerius.

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Carenus Lector Theol. Ordinis Prædicatorum Vicarius Sanctæ Inquiſitionis Mediolani.

Al. Bariola Auguſtinianus Conſultor S. Offitij pro Illuſtriſs. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Saccus pro Excellentiſs. Senatu.

FEDERICO
BORROMAEO
CARDINALI
ET ARCHIEPISCOPO

CVM alteram partem Hiſtoriç Mediolanenſis abſoluiſſem, eaq. Collegij Ambroſiani legibus in publicum emittenda eſſet, ſubſidium Operi petere ſum auſus, vt in tuo nomine appareret; neque aliter etiam fieri debere arbitrabar. Nam, & quicquid hoc in lucem exit, domi tuæ natum erat, & in eadem ipſe Domo crebris excelſæ tuæ ſapientiæ præceptis ad hanc ſcribendi mediocritatem ſuper cetera alimenta benigne enutritus. Quòd ſi mihi contigerit, vt ex hac diſciplina hoſpitioq. diuturno aliquam herilis prudentiæ partem ad tradendos Patriae caſus attulerim; nae ego iuſtius hac mea

Digitized by Google

ſorte gloriatus fuero, quàm contubernio Chironis apud *Euripidem* Achilles. Partem certè generoſi ſpiritus, & ſimplicem animi habitum, quem ex nutritia Domo ſumpſiſſe Heros ille ait, ex Penatibus me quoque hauſiſſe iſtis ſpero, atque in monumenta haec transfudiſſe, nihil falſi audendo ſcribere, & nihil veri non audendo, integreque & honeſte rem agendo hanc quam ſuſcepi. Ita, opus etiam ab hac imitatione tui profectum ad te redire debuit; ſpesque mihi vel ex eo magna erat, poſſe Cardinali Scriptorique tanto animum moueri, vt neque parua hæc adſpernaretur, & me offerentem placido lumine adſpiceret,

Digitized by Google

INDEX RERVM.

LIBER I.

CHryſolai Archiepiſcopi Mediol. nomen ab iniuria & errore vindicatum pag. 3.
Iniuriae erroriſq; eius origo ibidem.
Chryſolai litterae, & vſus rerum ibidem.
Legatus Conſtantinopolim mittitur. pag. 4.
Diſputat coram Imperatore conuellitq; prauum dogma Graecorum. pag. 5.
Dogmatis eius authores Chryſolaum libellis inſectantur. pag. 6.
Chryſolai culpa quaenam fuerit. ibidem
Chryſolao Archiep. Iordanes Cliuius opponitur; & certamen inter eos. pag. 7.
Iordanes à Chryſolao victus & exul Modoetiae ſubſiſtit. ibidem.
Mediolanenſes Hieroſol. expeditionẽ tentant. ibidem.
Hieroſolymitani ordinis opulentia apud Mediol. vnde initium ſumpſerit. pag. 8.
Natum eſſe Antichriſtum Epiſcopus Florentinus concionatur, & credunt Mediolanenſes pag. 8.
Ei opinioni confutandae concilium habetur. pag. 9.
Henrici Imperatoris exitus ob iniurias in Eccleſiam. ibidem.
Eius morte Mediolanenſes libertatem vſurpant. pag. 10.
Ea libertas damnoſa Eccl. Mediolanenſi. ibidem.
Mediolanenſes populo Derthonenſi ſuppetias ferunt aduerſus Ticinenſes pag. 11.
Ticinenſes ob eam rem arma in Metropolim vertunt duce Vidone Epiſcopo. ibid.
Captus is ad Vbertum Archiep. adducitur. ibidem.
Ceteri primores illius vrbis capti item & cum ignominia dimiſſi. ibidem.
Mediolanenſes parta de Cremonenſibus victoria, Ciuitati ei ignoſcunt. pag. 12.
Chryſolaus Archiep. Henricum Imperatorem coronat, eiq; comes

Romam proficiſcitur ibidem.
Periclitantem Romae Henricum Otho Mediolanenſis Chryſolai aſſecla ſeruat. pag. 13.
Suſpicio de Chryſolao Archiep. ibid.
Mediolanenſes Inſubriæ ſibi Imperium quaerunt, & contempto Caeſare ſub gunt laudem, Pomp. ibidem.
Duras ei ciuitati leges dicunt. 14.
Ardericum eius vrbis Epiſcop. ad ſedis Ap. authoritatem adiungunt. ibidem.
Diſſidium Eccl. Mediol. componitur Concilij Lateran. authoritate, Iordaneſq; reuocatur. pag. 16
Iordanes reuocatus Concilium prouinciale habet, adeſtq; Apoſtolicae ſedi contra Caeſarem. 17.
Iordanis mors, inſtituta, & iunctæ cum Matilde vires aduerſus Henr. pag. 17.
Mathildis, genus & pia facta pag. 18.
Paſchalis Pontif. de Monaſterio Cairatenſe decretum ibidem.
Incendia Mediolani crebra. ibidem.
Mediolanum vetus & Mediolanum nouum. pag. 19. & 20.
Mediolani lex lata de ignibus. pag. 19.
Ambroſius ex Templi max. Canonicis Chryſolao ſiue Iordani ſuccedit ſi vera ſunt Cronica Boſſij. pag. 21.
Chronographi eius dubia fides, & miracula ſuſpecta quæ narrat. pag. 22. , & 23.
Henricum Capitaneum Archiep. Iordani quidam ſufficiunt. pag. 23.
D. Bernardus repudiat Eccl. Mediol. Pontificatum. pag. 23.
Officia eius in Mediol. Eccl. pag. 24.
D. Bernardi Epiſtolae Mediolanenſem Hiſtoriam illuſtrant, & pleraq; inde petita. pag. 24.
Apoſtolicæ Sedis indulgentia erga Mediol. pag. 25.
Romana legatio Mediolanum miſſa. pag. 25.
Minæ, preces, exprobatio legatorum ibidem.
D. Bernardus Eccl. Mediol. gratulatur ſanas iam mentes pag. 28.
D. Bernardus à Clero populoq; Mediolanenſi ſeparatim inuitatus, & reſponſa Patris pag. 29.
D. Bernardi res geſtae. pag. 30.
D. Bernardus Mediol. venit pag. 31.
D. Bernardus Mediol. proficiſcens periculum vitat pag. 31.
D. Bernardus ſponte ſua, an Pont. iuſſu Mediolanum venerit, ambiguum pag. 32.
Cardinales duo cum D. Bernardo Mediolanum venere ibidem.

D.

D. Bernardus quomodo Medrolani acceptus. pag. 33.
D. Bernardi aduentu phanatici pleriq; ſanantur pag. 34.
D. Bernardi aduentum Mediolanenſes expetiuere, vt eius opera conſtituerent imperium. pag. 34.
Nouocomenſi populo poſt cladem illatam Mediolanenſes pacem dare vltro coucupierunt. pag. 35. & quàm varia ſorte cum ea ciuitate dimicatum. ibidem.
Ticinenſibus item poſt ancipites rerum euentus graui clade afflictis, ignoſcere volebant, & quomodo. pag. 37.
Cum Placentinis & Genuenſibus quaerebant eandem honeſtae pacis viam ibidem.
Genuenſes exempti Metropoli per Innocentium II. ibidem.
Artes et conſilia Mediolanenſium, queis D. Bernardum apud Ciuitates adhibuere pacificatorem pag. 38.
Quam aptus ei negotio Pater & quàm opportuna ea res ibidem.
Anſelmus Puſterula repudiatum à D. Bernardo Pontificatum geſſit. pag. 39.
Eius Archiepiſcopi nobilitas, factio ſuſq; animus, & inimititiae cum Pontif. Max. ibidem.
Diſſidium in Eccl. Mediolanenſem nouum inducit. pag. 40.
In eo diſſidio, qui ſtatus Vrbis.. pag. 41.
Archiepiſcopus Puſterula ob Pontificias diras à ſuis deſeritur, loco deijcitur. ibidem.
Ribaldus ei ſuffectus populi ſuffragijs ibidem.
Ob eam mutationem irritati animi, ciuitas inquieta, infenſi mutuis odijs omnes. pag. 42.
Mediolanenſium apud Cardinales Legatos ambitus & corruptelæ legationis pag. 43.
D. Bernardi ſimplicitas ab Cardinalium & Aulae ingenijs diuerſa. pag. 44.
D. Bernardi contio aduerſus Mediolanenſium artes omnemq, dominantium prudentiam. pag. 45. & ſeq.
Populi Mediolanenſis concurſus ad D. Bernardum. pag. 48.
Quae D. Bernardus miracula Mediolani interim patrarit. ibidem. & ſeq.
D. Bernardus peragrata Inſubria, ciuitates Metropoli conciliat, conſtituitq; Metropolin ipſam ſedis Ap. nomine, & quibus conditionibus. pag. 58.
Cremonenſes à D. Bernardo notati, quod eius publicae pacis exortes eſſe voluiſſent. pag. 57.

Mediolanēſes pace confirmata timēt Lotharij Imperatoris ob vetera iras eiſq; D. Bernardus per Richizam Aug. cauet. pag. 60.
Monaſterij Claraeuallis origo, nomen, opes. pag. 62.
Monaſterio ad Pontidam immunitas data per Mediolanenſes in D. Bernardi gratiam. ibidem.
Nomina nobilium qui ſcribendo affuerunt, cùm immunitas ea daretur. ibidem.
Ludibria rerum humanarum & nobilitatis inane nomen. 63. & 64.
De Monaſterio per D. Bernar. apud Mediol. inſtituto ambigua fama. pag. 65.
Anſelmi Puſterulę exilium Romæ tutius quàm meruerat ſuperioris vitae aſperitate in multos. pag. 66. & 67.
Secunda fama de fine eius pag. 67.
Ribaldi Archiepiſcopi Pontificatus, & ſub eo diſciplina Cleri Mediol. pag. 68.
Ribaldus Brolienſe xenodochium fundauit adiutore Gotifredo. pag. 69.
Lotharium Imperatorem coronauit, & de origine moris eius ceremoniaq; coronandi hic Caeſares. pag. 70.
Qui primi Coronam ferream hinc petierint. 71.
Mediolanenſes in centurias deſcripti nouo agmine ad vindicanda Hieroſolyma proficiſcuntur. pag. 72.
Martini Turriani virtus in ea expeditione,& martirium. ibidem.
Excidium vrbis Mediolani praeſagia anteceſſere. pag. 73.
Aenobarbi ira in Mediolanenſes accenſa duorum hominum querelis pag. 74.
Sicherius Aenobarbi legatus Mediol. ſpretus & prope violatus. p. 76.
Laudenſium pauor & fuga ob irritatos Aenobarbi denuntiatione Mediolanenſes. pag. 77.
Ciuitatum Inſubriæ nudata odia in Mediolanenſes ad famam Aenobarbi aduenientis ibidem.
Mediolanenſium aduerſus Aenobarbum ſimulatio. pag. 78. dolus, alius & obſequium rurſus, dein bellum. pag. 79.
Mediolanenſes excidium Laudensibus parant, eorum turba ſupplex ad Archiep. Pirouanum venit, & repudiatae preces. pag. 78.
Cardinales duo pro Laudenſibus irriti deprecatores. ibidem.
Aenobarbi quantus exercitus, & quomodo diſpoſitus ad vrbem. pag. 81.
Mediolanenſium viciſſim aduerſus hoſtem cum apparatus, & inclinatio rerum. pag. 82.

Pacem

Pacem ab victore Aenobarbo petunt impetrantq; & in quas leges data. pag. 83.
Aenobarbi in Mediolanenſes munera pag. 83.
Nouæ Mediolanenſium in eum iniuriae pag. 84. direpta gaza, violati legati. pag. 84.
Aenobarbi ira ob eas iniurias, diſſimulatio, & nouus ad vrbem impetus. pag. 85.
Aenobarbus Victori Pſeudopontifici contra Pontificem Alexandrum fautor. pag. 86.
Concilio ad Ticinum eius rei cauſa indicto Pirouanus Archiep. non adhibetur. pag. 87.

LIBER II.

CArchenum Eccl. Mediol. attributum à Carolo Magno. pag 89.
Eius arcis munimenta grande momentum, & abditi illuc Mediol. timebantur rebelles. pag. 90.
Archiepiſcopus ideo & primores cingunt obſidione caſtellum. p. 91.
Quia lente expugnabantur incluſi proſpereq; defendebantur Aenobarbi ſubſidio, ad anathemata deſcenſum. pag. 91.
Verba edicti, quo deuouit obſeſſos Archiepiſcopus. ibidem.
Spreto apud rebelles anathemate, ui tota ſuccedit illuc Archiepiſcopus, fugatq; Caeſarianos. pag. 93.
Caeſariani rurſus auxilio obſeſſis veniunt fuganturq; iterum, & rebelles abiere. ibidem.
Archiepiſcopus Herbę & Orſanico municipijs ob nauatam in eo diſcrimine operam praemio perſoluit. pag. 94.
Aenobarbus Epiſcoporum ope reparat bellum aduerſus Metropolit. pag. 94.
Germaniae proceres ad excidium Vrbis Mediolani relicta patria proficiſcuntur. pag. 95.
Germanicus exercitus quo circa vrbem ordine diſpoſitus. pag. 96.
Aenobarbus habito ad laudem Pomp. conuentu per ſuae Sectæ Epiſcopos Archiepiſcoporum & Mediolanenſes execratur. pag. 97.
Peſte ſimul, & fame, & hoſtium impetu ſubacti *Mediolanenſes* deditionem properauere. pag. 97.
Vido Blanderati Comes author eius deditionis. pag. 98.
Pax rurſus data Archiepiſcopo populoq; *Mediolanenſi*, & in quas leges, ibidem.

Medi-

Mediolanenſes cum Archiep. ſupplices ad Aenobarbum acceſſere. pag. 99.
Aenobarbus Modoetiae ab Archiep. coronatur. pag. 99.
Archiepiſcopi Pirouani in Aenobarbum adulatio. pag. 100.
Mediolanenſis Eccl. iura per eam adulationem oppreſſa. ibid.
Aenobarbi concio ad ſuos de Metropoli delenda. 102. & ſeq.
Mediolanenſes egrediuntur vrbe delendamq; eam Aenobarbo relinquunt. pag. 104.
Aenobarbus ſingulas vrbis partes ad excidium diuidit in ipſos Mediolanenſium hoſtes; & quanta ea clades. pag. 105.
Corpora trium Magorum, itemq; Geruaſij & Protaſij aſportata in Germaniam. pag. 106. ac de ea re, Corij teſtimonium. ibid.
De Vrbis excidio fama anceps. pag. 107.
Euerſa vrbe Aenobarbus agrum in ſex partes diuidit. pag. 108.
Alicus Caeſaris in Italia vicarius pag. 108.
Gaſpar Aliatenſis ab eodem datus, qui nouos in agro Mediolanenſi ſcribas inſtitueret. ibid.
Status rerum poſt excidium vrbis. pag. 109.
Vbertus Pirouanus Archiep. Moritur. pag. 110.
Galdinus Archidiaconus ei ſufficitur. ibid.
Pinamontes Vicomercatus diſſipatos per varia loca Mediolanenſes Pontidam cogit alloquiturq; ſuper reficienda vrbe. pag. 111.
Mediolanenſes conſentiunt ad inſtaurandas patriae ruinas pag. 113.
Galdinus Archiep. legatus Ap. ſedis apud Lombardos. pag. 114.
Laudenſes ad Romani Pontificis authoritatem adducit. pag. 115.
Brolienſe Xenodochium reſtituit. pag. 116
Manfredus Archintus Monaſt. clareuallis praedijs auget. ibidem.
Aenobardus vltro pacem Mediolanenſium expetiuit poſtquam vrbem refecerant pag. 117.
Secta Haereticorum Mediolani ex Manicheis, & Arianis mixta. ibid.
Eorum errores, & origo, & corruptelæ per vrbem. pag. 120.
Concio Galdini aduerſus eam ſectam, ibidem & ſeq;
Galdinus in medio concionis feruore cõcidit; inde moritur. pag. 125.
Galdino mortuo diſſidium in Eccl. Mediolanenſi. ibidem.
Algiſius Cimiliarcha fit Archiepiſcopus. ibidem.
Aenobarbus damnata quam exoptarat pace nouo impetu aggreditur Mediolanenſes infauſto fine. pag. 126.
Inde magna Mediolanenſium gloria; & Auardi temporum eorum Hiſtorici teſtimonium. ibidem.
Societates ſiue agmina armatorum Med. inſtituuntur aduerſus Aenobarbum. ibidem.

Algi-

Algiſiò mortuo Vbertus Cribellus fit Archiepiſcopus. pag. 127.
Legati Mediolanenſium ad Aenobarbum. ibidem.
Noua pax Reip. Mediolanenſis cum Caeſare pag. 128; & conditiones pacis. ibidem.
Aenobarbus & Henricus pater & filius pacato agmine Mediolanum veniunt, & quomodo ibidem accepti pag. 129.
Certamen liberalitatis & officij Aenobarbum inter & mediolanenſes. pag. 130.
Conſtitutâ ſic rep. nouum regimen Vrbis, & praecipua Archieiſcopo poteſtas pag. 130.
Vberto Cirbello ad Pontifi. Max. eue&o, Milo Cardanus Archiep. creatur. pag. 131.
Contentio ei magna de quatuor plebibus aduerſus Nouocomenſes, & ei contentioni qui finis fuerit. pag. 132.
Poſt Milonem Cardanum Philippus Lampugnanus fit Archiepiſcopus. pag. 132.
Sub eo mutatur forma regiminenque ciuitatis. ibid. & ſeq.
Societas Galiardorum aduerſus tumultuantem plebem inſtituta Mediolani. pag. 133.
Saccus ad componendum ſtatum vrbis ab Laude Pompeia excitus. pag. 134.
Treis praetores Mediolani tempore vno, & occaſione ea conſideratae varietates Vrbis. pag. 135.

LIBER III.

Hiſtoria de Alexandro Pontifice reſtituto apud Venetias ex Mediolanenſium foedere altius repetita. pag. 137.
Quae primae cauſae Caeſaribus vertendi arma in Pontif. Romanos; & inter eas fuiſſe rem Mediolanenſem. pag. 138. & ſequ.
Vnde initium injuriarum ſumpſerint, & quorum praecipua violentia pag. 141.
Cur Victorem oppoſuerit Alexandro Aenobarbus, & cur indicto ad Ticinum conuentu, recuſauerit eò ire Alexander. pag. 143.
Mediolanenſes & Veneti conſeruandae libertatis, & reſtituendi Pontificatus authores contra Aenobarbum. pag. 144.
Alexander cognita Mediolanẽſium clade timet ſibi atq; proficiſcens in Galliam ad Concilium caute vitat Aenobarbi arma. pag. 144.

Aeno-

Aenobarbus accenſa Regũ prouinciarumq; ſtudia in Alexandrum timens, ac praecipue Mediolanenſium vim poſt cladem ſuſpectans callide agit. pag. 145.

Regreſſo in Germaniam Aenobarbo, Pontifex Alexãder federatorum ope reſtituitur. pag. 146.

Victore Pſeudopontifice mortuo, Rauenn. Archiepiſcopum tamquam Archiep. Mediolanenſi aemulum excitat Aenobarbus opponitq; Alexandro. pag. 147.

Capta per Aenobarbum vrbe Roma fugit Alexander, & cur in eo periculo Mediolanum non venerit. pag. 149.

Veneti Reip. Mediolanenſis aliquando amici, ſaepe hoſtes, & cur in ea potiſſimum vrbe latitare voluerit Pontifex Alexander. pag. 150.

Pontifex Alexander Venetjis apud Canonicos Auguſtinianos latitans, & quomodo deprehenſus ibi, & quàm laeta res Senatui Veneto Mediolanenſibusq; federatis. pag. 152. 153. & ſeq;

Deprehenſo Venetjs Alexandro Pontifice ac producto, legati ab ſenatu Mediol. ſuper ea re veniunt. ibid.

Aenobarbus ſuper reſtitutione Pontificis Alexandri appellatus, cum atroci reſponſo dimittit legatos, indeq; focij Venetis Mediolanenſes exequi bello rem parant. pag. 157.

Dum veneti Aenobarbum premunt claſſe, Mediolanenſes terra eundem vrgent. pag. 158.

Naualis victoria Venetorum de Aenobarbo, & die eodem apud Mediolanenſes profligatus hoſtis. pag. 161.

Fractus ea victoria Aenobarbus optat pacem, & diuerſis ſuper ea re foederatorum ſententijs, Mediolanenſes dandam negant. 162.

Aenobarbus ad pacem accipiendam obſequiumq; Pontifici deferendum excitus Venetias proficiſcitur. pag. 163.

Defert Pontifici obſequium; premitur Apoſtolico pede; iurat inter cetera, pacem ſe cum populo Mediolanenſi conſeruaturum. pag. 169

Circa Hiſtoriam hanc varietates; & occaſione ea de ſcribentium corruptelis ac vitijs. pag. 166. & 167. & ſeq.

De Othone Aenobarbi f. & de Beatrice Othonis matre coniectura ex Bello Mediolanenſi. pag. 170 & ſeq;

Genuenſes Mediolanenſium odio ſuppeditaſſe Aenobarbo claſſem cũ qua rem gereret. pag. 172.

Otho Friſingenſis, & Radeuicus, & Abbas Vſpergenſis cur naualem de Aenobarbo victoriam, & Sedis Apoſtolicae triumpharum minime arti gerint. pag. 173. & ſeq.

Suſcepta nobis acrior defenſio Hiſtoriae huius ob communem cur

Hi-

Hiſtoria Mediolanenſi cauſam. pag. 174. & ſeq.
Bernardini Corij ſcribendi genus, & fides examinata. pag. 175.
L. Antonini teſtimonium de victoria nauali, & cur eo loco mentio nulla de Rep. Mediolanen. pag. 177.
D. Carolus Borromaeus Auunculi Pótificatu de Hiſtoria illa iudicium exercet, cùm in Vaticano pingenda eſſet; ac de ea re illuſtrium literatorum ſententias exquirit. pag. 179.
Summa ſententiarum cognitioniſq; eius edita per literatos illos. pag. 180. & 183. & ſeq.
Defenſione hac Hiſtoriae peracta, temporum ordo repetitus, ac de Othonis Aenobarbi filij animo erga Mediolanenſes. pag. 186.
Mediolanenſium legatio ad regnantem Othonum. Ibid.
Aquileię Patriarcha Othonis in Italia legatus Mediolanum venit. pag. 187.
Literae Othonis ad Archiep. Magiſtratuſq. Mediolanenſes. Ibid.
Albertus Fontana Prætor Vrbis, & ſublato iterum conſulatu, rerum ſumma penes Praetorem & Archiep. & legatum. pag. 188.
Otho Mediolanum venit, & eius in Remp. officia. pag. 189.
Coronatur in Baſilica Ambroſiana, & à primoribus vrbis deducitur Romam. ibid.
Sanctae Florae Comarchus ob fraudem in Othonẽ Mediolanenſesque tentatam ſecuri percuſſus, & eius praedia attributa Morimundi Monaſterio. Pag. 190.
Orto diſſidio Pontificem inter, & Caeſarem, Mediolanenſes Caeſarem antepoſuere, indeq; noua calamitas vrbi. Ibid.
Archiepiſcopus, & Praetor nihil veriti Romana anathemata conſtituũt diſciplinam Ciuitatis. pag. 191.
Mortuo Lampugnano Archiep. ſufficitur Gherardus Ep. Nouariae, & triceſimo poſt die moritur is quoq; ibid.
Diſſidio in Eccl. Mediolanenſi orto, cum partium certamine treis Archiepiſcopi fierent, Pont. Max. Henricum Septalium Archiepiſc. creat. pag. 192.
Ob id irritati Mediolanenſes Imperatorem Rogerium Pontif. Max. factionem bello perſequuntur. ibid.
Diſcordiae plebis aduerſus nobilitatem Mediolani nouae exortae. pag. 193.
Vbertus Vialta Praetor Vrbis. pag. 193.
Pontifex iratus euocat Romam primores vrbis, euntq.; & de ea profectione iudicium. ibid.
Pontificis verba ad legatos Mediolanenſium; ei data fides, dein deſerta. Pag. 194.

Archiepiſcopus Henricus pertæſus ſtatum vrbis, Ptolemaidem in Saracenos, facto ſuorũ agmine profectus eſſe dicitur, ac de ea re iudiciũ. pag. 195.
Abſente Archiep. renouatur ſeditio Mediolani. pag. 196.
Pontifex *Max.* abſoluit Mediolanenſes. ibid.
Vgo Cimiliarcha Baſilicam Euſtorgianam Dominicanis attribuit. ibid.
Ardighetus Marcellinus Princeps plebis pellit vrbe Mandellum Principem nobilitatis, atq. in abſentem Archiep. saeuit. ibid.
Ob ea Septalius in vrbem redit, paratuſq. ferro decernere non recuſat quo minus Aueno Praetore arbitro res ad aequitatem deducatur. pag. 197.
Auenus Praetor conditiones pacis edicit nobilitati plebiq. & quaenam eæ fuerint. pag. 198.
Forma iuſiurandi quo ſeſe praetor vrbis Auenus Archiepiſcopo, populoq. obſtrinxit. pag. 201. et ſacramenti eius ceremonia. ibid.
Conſules apud Archiepiſcopum iurauere ſeparatim, & nobilitatis pietas per id Sacramentum quomodo declarata. pag. 203.
Mediolanenſes ceteris rebus accurate conſtitutis, & prouiſis quae ad concordiam pertinebant, nihil de Caeſare cauerunt, ac de ea re iudicium. pag. 204.
Caeſar opportune ad Mediolanen. deſtinata à Pontifice alienatur. ibid.
Mediolanenſes cum Longobardis alijs ciuitatibus foedus ineunt conſeruandae libertatis cauſa. pag. 205.
Legati Mediolanenſium ei foederi ineundo quinam praefuerint ibid.
Mediolanenſium religio declarata foederis eius praefatione. pag. 206.
Eius foederis terrore Caeſar cum Pontif. max. reconciliatur, atq. ob id tranſlatae in Mediolanenſes irae. ibi.
Archiepiſcopus Septalius; ceterique Principes vrbis publicis operibus interea vrbem excoluere. pag. 207.
Prætorium, forumq. mercatorum extruxere empta in publicũ area ibid.
Nomina familiarum, quae operi ei faciendo ſuas aedes reip. vendidere. pag. 208.
Deſcriptio portarum Fori. ibid.
Tempore eodem conſtituta forenſis diſciplina, carcerq; & miniſterium omne, & ſtipendia definita quae publice darentur. pag. 210. & ſeq.

LIBER

LIBER IV.

ANathemate icti Mediolanenſes ob Imperij cauſam, & in ea Pontificia poena qui ſtatus habituſq; vrbis pag. 213. & ſeq.
Irritatus contumacia Caeſaris Pontifex Populu Mediolanenſem abſoluit. pag. 213.
Pontifex à Mediolanenſibus aduerſus Imperatorem auxilia petit per legatos, & mittuntur. pag. 214.
Cardinalis Giufredus eius negotij cauſa Mediolanum venit. ibid.
Cardinalis eius dum Mediolani ſederet, actio grauiſſima in Haereticos, & conſtitutum ab eo S. Officij tribunal. pag. 214. & ſeq.
Archipresbyter, & Archidiaconus Templi Max. participes eius actionis fuere. pag. 216.
Mediolani in Archiepiſcopi Palatio renouatur Longobardicum foedus, & in eo negotio quomodo affectae ciuitates. pag. 217.
Ictus eo foedere Caeſar, iungit ſibi Ticinenſes, & foedus ad Rauennam ſibi aliud quaerit. pag. 218. & 219.
Mediolanenſes Duce Vberto Ozino aduerſus Montisferrati Demarchum improſpere rem gerunt. pag. 219.
Henricus Septalius Archiepiſcopus moritur. ibid.
Eius inſtituta, & res geſtae. pag. 220.
Gulielmus Rozolius Archiepiſc. Septalio ſufficitur, & eius viri laus. pag. 221.
Mediolanenſes in Caeſarem reguloſq. acrius parant bellum pag. 233.
Romana legatio comprimendi motus eius cauſa. ibid.
Sedato paulisper armorum impetu, Mediolanenſes, ad publica Vrbis opera ſeſe auertunt. pag. 224. et quænam ea pag. 225.
Franciſcana Aedes per Corios exculta, & eius rei argumenta. ibidem.
Vis frigoris magna in vrbe agroq; Mediolanenſi. ibid.
D. Dominico celeſtis honor decernitur. pag. 226.
Nouae haereticorum ſectae Mediolani: artificia, & mores earum. pag. 227.
Petrus Veronenſis Mediolani Inquiſitor creatur pag. 228.
Archiepiſcopus, & Praetor Vrbis addunt praeſidia vimq. Inquiſitori pag. 229.
Petri Veronenſis edicta legeſq. aduerſus Haereticos. pag. 229. & ſeq.
Familiae potentes in agro Mediolanenſi corruptae ab haereticis, & certamine opinionum armatae. pag. 231.
Secta Credentum Petro Veronenſi necem machinatur. pag. 232.

Miniſtri necis quae parabatur Inquiſitori, & ſceleris eius ordo. pag. 233.
Dominicus Inquiſitoris ſocius vnà cũ eo interfectus, & Mar yr vterq. deportati Mediolanum. pag. 234.
Ob eam necem motus in vrbe & periculum praetoris. ibid.
Miracula ſecuta reliquias D. Petri Veronenſis. pag. 235.
Natales D. Petri Veronenſis, ſtudia, miracula diſputationum authoritatiſq. eius. pag. 237.
Miracula ſecuta necem. pag. 237.
Praedictio eius euentu comprobata. pag. 238.
D. Petrus Veronenſis primus Mediolani Inquiſitor in celeſtium numerum relatus efflagitatione Mediolanenſium. pag. 238.
Mediolanenſes Caeſarem laceſſunt armis. pag. 239.
Tumultus Mediolani cauſis incertis, & mox prodigia. ibid.
Rogerij Caeſaris victoria de Mediolanenſibus parta, Carrociumq; amiſſum. pag. 240.
Mediolanenſes ob eam cladem irritati, delicias Caeſaris ad Cremonam populantur. pag. 240. & nemoris eius deſcriptio. ibid.
Caeſar ob arbores ad Cremonam à Mediolanenſibus exciſas, Brixiam aggreditur, & ibi ludibrium eius in captiuos Mediolanenſes. pag. 241.
Ginfredus Capitaneus ex Eccl. Mediol. Cancellario Pontifex factus, & mors eius propera. pag. 242.
Caeſare minitante ſexcenti milites vrbano delectu conſcripti et attributi Lampugnano. ibid.
Gregorius Montelongus Pontif. legatus Mediolani. Ibid.
Sacerdotibus à Pont. Max. permiſſum arma capere in Caeſarem. pag. 243.
Othonis Mandelli pugna cum Saracenorum equitatu ad Campornia-cum. ibid. & ſeq.
Eius pugnae caſus varij. pag. 245.
Valuaſores, & Capitanei deſerta Rep. ad Caeſarẽ deficiunt. pag. 247.
Mediolanenſes tollere dolo Caeſarem parant, & irritae inſidiae fuerunt. ibid.
Rouolio Archiepiſcopo mortuo diſſidium inter Canonicos de ſucceſſore eligendo. pag. 248.
Leo Peregus poteſtate ei facta Archiepiſcopi eligendi, ſeipſum creat. pag. 249.
Conditio, & ſtudia, ambitioq. eius ibid.
Plebs irritata tribunum ſibi quaerit. ibid.
Pagani Turiani Tribunatus, & de origine familiae eius. pag. 250.

Diuiſa

Digitized by

Diuiſa ciuitas, pars Tribunum, pars Archiepiſc. ſequuntur. pag. 251.

Pagani Turriani mors, & tumulus, ac de nepote, & ſucceſſore ei⁹ Martino. pag. 252.

Res in Tribunatu Martini Turriani à Mediolanenſibus geſtæ; latæ leges, hoſpitia principum, & interim ſeditio. pag. 253.

Henricus Ripa Praetor Vrbis; edicta eius, laudes, finis. pag. 254.

Pontifex Innocentius Mediolanum venit: honores habiti ei, & quomodo Metropolim pacare fruſtra tentarit. pag. 255.

Gherardus Rangonus Praetor ab eo datus vrbi mox ad Franciſcanos ſe contulit. pag. 256.

Viſtarini opem à Mediolanenſibus petunt aduerſus Arſatios Cremonenſium ope fretos, & inde bellum calamitaſq. Laude Pomp. pag. 256.

Contentio inter Canonicos Templi maximi, atque de eo Collegio, inter Nobilitatem, & plebem. pag. 257.

Leo Peregus Archiep. & cum eo nobilitas pelluntur vrbe. pag. 258.

Ciuitates finitimae per legatos agunt de reconcilianda inter nobilitatem, & plebem pace, idq; per ſimulationem. pag. 259.

Tribunus, & plebeij pulſa nobilitate, circũferunt arma populanturq; Vigleuanenſem, & Ticinenſem agrum. pag. 260.

Orta inter nobilitatem, & plebem ea ſeditione, qui Magiſtratus Mediolani eſſent. pag. 261.

Praetoris eligendi arbitrium quatuor Eccleſiaſticis viris permiſſum. pag. 262.

Legati finitimarum ciuitatum rurſus cum Nobilitate plebeq; Mediolanenſi de pace agunt, & qui finis ei legationi. pag. 264.

Pax non duratura initur nobilitatem inter & plebem. pag. 265.

Archiepiſcopus Leo moritur. pag. 266.

Pace inita qui ſtatus nobilitatis. ibid.

Conditiones pacis inter nobilitatem, & plebem, & pleraque ibi ad ſtatum Vrbis. pag. 268.

In media ſpe pacis acerrime dimicatum. p. 270. Et vnde initia motus eius. ibid.

Philippus Archiep. Rauennae apud Mediol. Sedis Ap. legatus, motum eum componit. pag. 271.

Plebeij dominatus forma, & deſcriptio. pag. 272.

Diuiſa in duas partes multitudo, & in Templo maximo res ad gladios deducta. pag. 273.

Romanus legatus ſexcentos Mediolanenſium cum Gulielmo Soreſina in exilium pellit. pag. 274.

Exules Mediolanenſes Ezelinum tyrannum in vrbem inducere voluerunt.

runt. ibid. ac de Ezelini ſaeuitia ſeq.
Ezelini ad Caſſanum fuga. pag. 276. mors eius, & de morte reſponſum ac fallacia Daemonis. pag. 277.
Fuſo Ezelino, & periculo eo liberata vrbe noui motus inter nobilitatem, & plebem, pag. 277.
Martini Turriani artes vſurpandae dominationi. pag. 278.
Vbertus Palauicinus adiutor ei aſcitus inductusq. in Vrbem, & de hominis eius impietate in Deum. pag. 279.
Dominicanum Inquiſitorem eijcit vrbe, dein ipſe quoq. eiicitur, & reuocatur, pelliturq; rurſus. ibid.

LIBER V.

Diſſidium inter Canonicos de Archiepiſcopo eligendo, & in eo diſſidio, Sacer honos ad Raimondum Epiſcopum Comi delatus. pag. 281.
Romanus legatus idemq. Cardinalis theſauros inſpiciendo Ambroſianos, gemmam ſibi vnam deſtinat, & quæ inde orta. pag. 282.
Cardinalis legatuſq. ille imponere Mediolanen. Eccleſiae Othonem Vicecomitem Decij Canonicum parat, idq conſilium exſequitur pag. 284.
Eius cōſilij ratio anceps. ibid.
Exulum Mediolanenſium ob nouum Archiepiſcopum indignatio, conatuſq infelices in Bergomenſium Briantaeorumq. finibus. pag. 285. & ſeq.
Deditio exulum eorum ignominioſa, & de ſingulorum capite dubitatum in publico Vrbis conuentu. pag. 287.
Sententia Palauicini in eos atrox, & impia. Ibid. & ſeq.
Sententia Turriani mitis in deditos, & ſententiae eius commendatio. pag. 289. & ſeq.
Dimiſſi exules miſerabili agmine educuntur extra vrbem, & de alijs eorum miſerijs. pag. 291.
Laetitia inter plebeios ob partam de nobilitate victoriā. Ibid. & ſeq.
Regnantis plebis opera. pag. 292.
Vbertinus Palauicinus Prætor Vrbis. Ibid.
Ciauatarius ſtrada item praetor, & de Campana, quae nomen eius ſeruat. pag. 293.
Othonem Vicecomitem factum eſſe Archiepiſcopum audiunt plebeij nec credūt, & vbi certior fama de ea re accidit, quid fecerint. ibid. & ſeq.

Otho

Digitized by Google

Otho Archiepiſcopus venit, Aronaq; inceſſa terret plebem. pag. 295.
De arce illa, & de Othonis natalibus Maſſinoq. pago. ibid. & ſeq.
Turrianus, & plebeij ſuggreſſi illuc recepta arce fugere Othonē Archiepiſcopum cogunt. pag. 296.
Ob Archiepiſc. fugam imminentia mala; Martini Turriani mors, funus, & fama. pag. 297.
Philippi Turriani tribunatus, & quem ille plebeij imperij ſtatum acceperit. pag. 297. & ſeq.
Exules Mediolanenſes vndique reijciebantur metu plebis pag. 299.
Plebis inſtituta moribus emēdandis, & coercēdo ſatellitio. pag. 300.
Palauicinus cur pulſus vrbe: Mors Tribuni, & ſuffecto in eius locum Napo, Paganus ex eadem gente interfectus ad Vercellas; inde captiuorum exulum Mediolani caedes. pag. 302.
Napi filius iuuenis captiuorum eorum vnum ſeruat, cùm iam ad pegma traheretur. pag. 303.
Pont. Max. ob repudiatum Archiep. atq. ob captiuorum caedem anathema promulgat in Mediolanenſes pag. 304. Ob id anathema Siciliae Rex Carolus amicus antea populo Mediolanenſi alienatur: Legatio populi Mediolanen. ad eū quomodo accepta. ibid. & ſeq.
Legatio Mediolanenſium ad Pont. max, & quomodo repudiata Siciliae regem adierit. pag. 307.
Regij legati pro Mediolanenſibus apud Pont. max. oratio pag. 308. & ſeq.
Legati Mediolanenſis aduerſus Othonem Archiep. oratio. pag. 312. & ſeq.
Othonis Vicecomitis aduerſus Turrianos, & plebem oratio. Pag. 316. & ſeq.
Otho Vicecomes dum apud Pont. Max. peroraret, interpellatur. pag. 321.
Sententiae Patrum de Mediolanenſium poſtulatis. pag. 322.
Dum ea Romae aguntur, Mediolani non ceſſatum ab armis in finitimos. pag. 324.
Siccitas Mediolani & fames. ibid.
Carmelitae fratres in vrbem accepti ibid.
Caroli Siciliae Regis vxor Mediolanum venit, & plebis in eam adulatio. pag. 325.
Epulae in propatulo: obuiam effuſa ciuitas: equites creati. pag. 326. & cur ea fierent. ibid.
Mortuo interim Pontifice deſtituitur Otho; plebes ad arcendum Pontificatu eum confirmatur. ibid.
Exules Mediolanenſes ab Caſtellae Rege per legatum auxilium petunt,

tunt, idq; irritum fuit. pag. 327.
Tantò magis elata plebes firmat imperium: Laudenſes petiti armis: & afflicti: Religioni conſultum; & Rex Galliae Mediolanum venit, pag. 328.
Theobaldus Vicecomes Pontif. Max. creatur, & ex eo ſpes irrita Othoni exulibuſq; ceteris. pag. 329.
Napi Turriani compoſitus ad religionem Tribunatus; inſtituta, & iusiurandum. Ibid. & ſeq.
Legatio Mediol. ad Pont. max. Rex Angliae Mediolanum venit, & quomodo acceptus. pag. 332.
Mox, & Pontif. ipſe aderat, & honores in eum. pag. 333.
Quomodo Turrianorũ, & Plebis totus ille eſſet; atq. deſperatio inde Othonis Archiepiſcopi. pag. 334.
Raimondi Turriani Epiſcopi Nouocom. opes, & ſtudia in eum Tribuni, & quomodo Patriarcha Aquileiae factus. pag. 335.
Repentinus Mediolani tumultus prodigij loco fuit. pag. 336.
Pont. Max. iterum ex itinere Mediolanum diuertit, & mox eius morte ſpes eluſae Mediolanenſium. pag. 328.
Archiepiſcopus Otho aſcita ſibi Hiſpanorum manu inualeſcit, & plebis aduerſus eum apparatus. pag. 339.
Clades Vicecomitis ad Carratum, & detecta proditio ad vrbem. pag. 341.
Othonis Archiep. luctus ob Theobaldi necem: conatus varij dein fuga, & reparato exercitu Aronam capit. pag. 342. & ſeq.
Ibi concionatur ad milites ſuos. pag. 343.
Victoria ad Aronam quanti momenti fuerit ad res Turrianorum profligandas. pag. 346.
Otho Archiep. ad Serenium ducit, & quo conſilio. pag. 347.
Victoria Othonis ad Decium quomodo parta, & de Franciſci Turriani caſu. pag. 348.
Poſt eam victoriam deſerti ab omnibus Turriani, & fugientibus eis Otho victor vrbem inuadit. pag. 350.
De principatu eius quaenam expectatio, & ingrediente eo vrbem, qui habitus animorum. pag. 351. & ſeq.
Edictum Othonis mite, & forma deinde principatus. pag. 352. & ſeq.
Reliquiae Turrianorum ad Montorfanum profligatae. pag. 353.
Turriani bellum haud improſpere inſtaurant. pag. 354. & ſeq.
Napi Turriani finis, & laus. pag. 355.
Dynaſta Montisferrati ab Othone Archiepiſcopo belli dux aſcitus, pag. 356.
Is iniqua poſtulat ab Archiep. & quia non impetrabat, mala fide rem gerit.

Digitized b

gerit. pag. 357.
Archiepiſcopi Othonis ad Gorgonzolam clades. pag. 358.
Ea clade ſubactus Archiepiſcopus offenſum repulſa dynaſtam reconciliare ſtudet. pag. 359.
Permittit ei pacis arbitrium ob populi conuicia. pag. 362.
Recuſant Turiani pacem oblatam. pag. 363.
Ob id indignatus ſtrenue ſed improſpere bellũ gerit. pag. 364. & ſeq.

LIBER VI.

Bergomenſes ob authoritatem, quae tunc ei populo fuit, in Othoniana caſtra de pace legatos mittunt. pag. 366.
Induciis pactis Archiep. inter, & Turrianos quid acciderit. pag. 368.
Colloquij cauſa conueniunt ad Melnianum partis vtriuſq; principes, & qui nam ei colloquio adſuerint. pag. 369.
In eo colloquio pax impedita paucorum conſenſu. pag. 370.
Archiep. Otho Abduam Lambro flumini immitere parat. Ibid.
Pace facta, caput quod de captiuis erat ab Archiepiſcopo negligitur, indeq; nouum bellum. pag. 372.
Turrianorum clades ad Vaprium. pag. 374.
Et quæ ſpectacula morientium in flumine. pag. 375.
Archiepiſcopus Otho iras in Laudenſem populum exercet. pag. 376.
Data pax eidem populo. ibid.
Populo Cremonenſi item data pax in Placentinorum Brixianorumq. gratiam. pag. 377.
Montisferrati Demarcus ab Archiep. Othone deſciſcit, & cum eo bellum gerit, diuiſa etiam in partes Ciuitate pag. 378. & ſeq.
Rex Galliae petit a Mediolanenſibus vt ſecum inire foedus velint, & quia non impetrarat, fit hoſtis pag. 379.
Nouocomenſe bellum oritur: Captiui Turriani fugiunt ex Baradellano Carcere pag. 380.
Multis aduerſus Archiep. coniuratis hoſtibus Mattheum fratris filium is gerendo bello ducem creat. pag. 381.
Inter belli Nouocumenſis diſcrimina prodigium, & eius prodigij interpretatio. pag. 381. & ſeq.
Id Nouocomenſe bellum primores vrbis ſedare cupiunt, & de ea re Marcellini Oratio apud Archiep. Othonem. pag. 383.
Admittit Archiep. conſilia pacis ex quanti momenti ea rex fuerit pag. 385 & ſeq.
Difficultates etiam negotij eius, & mutuae ſuſpiciones partium pag. 387.

Conditiones pacis, & magnitudo conuentus ei firmandae; quomodo pars vtraque iurauerit pag. 388. & ſeq.

Laetitia in vrbe ob initam eam pacem pag. 389.

Nouae ſuſpiciones Archiepiſcopi: ſaeuitia eius in ſuſpectos detectae inſidiae pag. 390.

Archiep. Otho prouinciale concilium habet ibidem.

In eo concilio iurgium Epiſcopi Brixienſis aduerſus Vercellenſem. pag. 391.

Decreta concilij praecipua quaedam & minora alia pag. 392. & ſeq.

Nomina eorum qui pro Epiſcopis concilio interfuere pag. 393.

Archiep. Otho Mattheum ad ſpem ſucceſſionis producit pag. 394.

Artes ab Othone adhibitae vt Matthaeus Dux populi Med. crearetur ibidem.

Fortuna quàm fauerit imperij eius initiis pag. 395.

Nouae Othonis artes ad retinendum in Matthaei capite Ducis nomen pag. 396.

Henrici Modoetienſis in ſimplicitas in aſſerendo magiſtratu quem ſibi populo deſtinatum Matthæus obtinebat pag 397.

Coniuratio Abbatis D. Celſi cum Demarcho Montisferrati aduerſus Vicecomites, & quomodo detecta, & punita, ſerieſque eius pag. 397. & ſeq.

Forma Sacramenti, quo fidem ſuam Matthaeus patriae obſtrinxit, cum populi Mediolanenſis Dux in quinquenium eſſet creatus pag. 401.

Pont. Max. aduerſus Sulthanum auxilia a Mediolanenſibus petit, & ſuper ea re miſſa in vrbem legatio pag. 402.

Littera Pont. Max. ad pop. Mediolanenſem, Othonemq; & Mathaeum ſuper Hieroſolymitana expeditione. pag. 403.

Vicecomitum apparatus & conſilia ad Hieroſolymitanam expeditionem. pag. 404.

Vicecomites ab Imperatore impetrant Aquilas inſignia imperij. pag. 405.

Mathæus fit Nouocomenſium Dux. ibid.

Eundem imperij titulum ab ciuitatibus alijs eblanditur. pag. 406.

Vicarius Caeſaris fit apud Lombardos. pag. 407.

Othonis artes in eo negotio, & Caeſaris legatio cum litteris ad Mediolanenſes. ibid.

Guidi Stampae oratio ad Caeſaris legatos ad Archiep. Othonem, ad Cleri p. paliq; principes de Vicarij munere penes Matthaeum. pag. 411.

Mathaei iuſiurandum, & quomodo ciuitatis nomine Manfredus Cripa iura-

Digitized by Google

pa iurauerit in verba Caeſaris . ibid.
Celeſtini Pontificis ſimplicitas in deponendo Pontificatu, nec; Mediolano eum fuiſſe oriundum . pag. 412.
Othonis Archiepiſcopi mors, funus, legata, & ſtatus Eccleſiae poſt eum pag. 414. & ſeq.

LIBER VII.

POſt Othonis Archiep. mortem ciuitates infenſae nudant animos. pag. 416. & ſeq.
Matthaeus in magno rerum ſuarum diſcrimine, qua arte vſus apud populum. pag. 419.
Qua item arte ciuitates infenſas mitigare tentarit, pag. 420.
Coniuratio ciuitatum in caput eius facta . ibid.
Ciuitatem attonitam belli metu per artem inducit, vt bellum vltro poſcant. pag. 421.
Ducto ad Ticinum exercitu Matthaeus proſpero pugnarum aliquot euentu compellit coniuratos hoſtes ad conſilium petendae pacis. pag. 422.
Rufinus Friſetius, & Franciſcus Fontana, poſt alterum alter Archiepiſcopi Vrbis creantur, ac de eorum Pontificatu, pag. 423.
Matthaeus ſumitur arbiter pacis inter Venetos, & Genuenſes . pag. 423.
Gulielminae natales, fallaciae, ſcelus, & conſuetudo cum Saramita: Bacchanalia per eos inſtituta: Gulielminae mors, & circa eam error ciuitatis; deniq; vt patefacto flagitio vindicatum in turpitudinis eius participes. pag. 424. & inde per aliquot folia.
Ea occaſione conuicia in muliebre genus reperta . pag. 440.
Turriani ſociarum ciuitatum auxilio ad expellendum vrbe Vicecomitem repente coorti, & quanta ea manus fuerit. pag. 441.
Ciuitas etiam ab eo alienata, & dominatus exitij . pag. 442.
Matthaeus fugere maturat relicta Mediolani vxore. pag. 443.
Poſt Matthaei fugam vrbs diuiſa in partes duas. pag. 444.
Fiducia diſſidij eius, & Venetorum ope Vicecomes e latebris prodit antea occultus . pag. 445.
Turriani accepti in vrbem, dein pulſi, receptiq; rurſus . pag. 446.
Ciuitates eaedem, quae Turrianis ad recuperandam patriam auxilio fuerant, aduerſus eos pro Vicecomite armantur. pag. 448.
Franciſci Fontanae Archiepiſcopi ſegnis interim Pontificatus, & cur

profana ſacris, in hoc opere miſceantur. pag. 449. & ſeq.
Gulielmus Bruſatus ab Archiep. fit eques. ibid.
Mediolanenſium in Placentinos ira pag. 451.
Coniuratio in Turrianos facta Mediolani, & detecta. pag. 452.
Martinus, & Muſca Turrianorum principes moriuntur, & eorum funera pag. 453.
Dulcini Haeretici ſcelus, & fuga, & ſupplicium. pag. 453. & ſeq.
Franciſci Fontanae obitus, & de Angleria municipio. 454. & ſeq.
Caſſonus Turrianus ex Canonico Templi maximi fit Archiepiſcopus, & quomodo ad honorem eum peruenerit. pag. 455.
Guidonis Turriani artes in confirmando Caſſoni Archiepiſcopi Pontificatu. pag. 456.
Caſſoni Archiepiſcopi ſplendor in capeſsendo Pontificatu quantopere Turrianis profuerit ad confirmandum imperium. pag. 457.
Guido Turrianus Dux populi Mediolanenſis reficitur pag. 458.
Caſſonus Archiepiſcopus ab Epiſcopo Nouarienſi Pontificalib᷑ ſacris, initiatur. ibidem.
Turrianus exulanti Vicecomiti inſultat. pag. 459. & moderatio Vicecomitis aduerſus eam contumeliam. ibid.
Caſſonus Archiepiſcopus Bononienſe Concilium obit, atque ex eo ſimultas orta inter Turrianos, vnde excidium domus. pag. 460.
Caſſono Archiepiſcopo fratribuſque eius in Templo max. vincula inijciuntur. pag. 461.
Guidonis Turriani in capiendo Archiepiſcopo conſilia, & quas ille rei eius cauſas apud populum iactarit. pag. 462.
Principes nobilitatis Turriano ſuadent, vt Captiuum Archiepiſcopū fratreſq; dimittat. pag. 463.
Guidoni Turriano ob vim Archiepiſcopo illatam ſacris interdicitur. pag. 464. & ex eo qui Turrianorum ſtatus. pag. 465.
Paganus Turrianus ſuſcepta actione conciliandae pacis inter ſuos Mediolanum venit, ibid.
In idipſum ciuitates finitimae miſêre legatos, & eorum nomina. ibid.
Facta pax inter Turrianos, & quid pars vtraque iurauerit. pag. 466.
Caſſonus Archiepiſcopus euocato in Italiam Caeſare vlciſci iniurias parat. pag. 467.
Guidonis Turriani terror, & motus ad famam aduenientis Imperatoris. pag. 468.
Caſſonus Archiepiſcopus Caeſaris in Italiam aduentu reſtitutus Eccleſiae Mediolanenſi. pag. 469.
Caeſaris in Italiam aduentu Vicecomes ad ſpem priſtinae fortunae animum erigit; & de Franciſco Garbaniatenſe. pag. 470.

Franciſci

Franciſci Garbaniatenſis opera, & commendatione exuli Vicecomiti aditus ad Caeſarem datur. pag. 471. & Archiep. Caſſoni ex eo dolor. ſeq.

Pax inter Archiep. Caſſonum, & Mattheum Vicecomitem facta. pag. 472. & in quas conditiones. ibid.

Ob eas conditiones eamq. pacem ſolicitu do apud vtriuſq. aemulos orta. pag. 474. & quomodo rem diſiicere tentarint. ibid.

Henricus Imperator quomodo Mediolani acceptus: Pontifices quinam caeſarem aſſectati; & de Caſſono coniectura, & Guidonis Turriani caſiis. pag. 476.

Henrici ad Canonicos Modoetienſes epiſtola. ibid.

Henricus non modoetiae, vt deſtinarat, ſed Mediolani coronatur, pag. 477.

Quinam Pontifices ei coronationi adfuerint. ibid.

Caeſaris in Mediolanenſes munificentia, & quomodo populo Modoetienſi cautum. pag. 478.

LIBER VIII.

HEnricus Imperator conſtituit Vrbis regimen: infida pax inter Turrianum Archiep. & Matthaeum Vicecomitem. pag. 480.

Galeatij Vicecomitis, & Franciſchini Turriani coniuratio in Germanos; & quemadmodũ ipſi inter ſe repẽte hoſtes facti. ibid. & ſeq.

Ob eam coniurationem, & excitatum in vrbe tumultum, Vicecomites à caeſare in exilium aguntur. pag. 482.

Caeſaris artes in extollendo Vicecomite; Vicecomitis, & Archiepiſcopi diſſidium ab cauſis impenetrabilibus. pag. 484.

Turriani ad Robertum Siciliae Regem confugiunt; & poſitis inter ſe inimicitijs conſpirant aduerſus hoſtem Vicecomitem. pag. 484.

Irriti Turrianorum conatus, & tota Guelforum factio afflicta Vicecomite inualeſcente. pag. 485.

Vicecomes vt paulatim adhuc ſingulas imperij partes occuparit. ibid.

Turriani vt ſemel irrito Siculi Regis ſubſidio nouas ab eo ſuppetias impetrarint, & quomodo id quoq; conſilium infelix fuerit. pag. 486. & ſeq.

Vicecomes quomodo Ticinenſium armatos à Turrianis regijſq. abduxerit. pag. 487.

Balatronus Matthaei filius nocturno inſultu Archiepiſcopum Caſſonum exterret. pag. 489.

Caſſonus ab ea nocturna iniuria Caſſinum ſe recipit, inde quoq; pulſus abit Cremonam. pag. 490.

Nouae in abſentem Caſſonum iniuriae, vaſtitas, & direptio rerum ſacrarum. pag. 491.

Ob eas

Ob eas iniurias Caſſonus Archiepiſcopus Matthæo Vicecomiti aſſeclisq; eius anathema infligit, & ſeries Anathematis relata.pag.492. & ſeq.
Anathematis pœna quomodo permotus Vicecomes, & de ingenio religioneq; eius. 95.
Vicecomitis artes aduerſus imminentia; munimenta domus; vrbium obſequia.pag. 96.& ſeq.
Vicecomes monitus Pont. Max. de tyrannide omittenda ſpernit. pag. 497.
Bonifacius Farra, & Laurentius Gallina Vicecomitem Romae accuſant falſae religionis, & accuſationis eius capita pag.498.
Damnatur ob id crimen Apoſtolica authoritate Vicecomes, & ſtatus inde Vrbis.pag 500.
Vicecomes in Soncinate conuentu quid egerit aduerſus Pont. Max. & quomodo principes alios ad ſui defenſionem vocarit. pag. 501. & ſeq.
Paſſerini Mantuani in eo conuentu aduerſus Pont. Max. oratis.pag. 502.
Caſſonus Archiepiſcopus moritur, ac de conditione miſeriaq; eius pag.504.
Vicecomes Italiae dominatum affectat,& mox afflictus luctu ob mortem vxoris. pag.505.
Vis frigoris prodigioſa Mediolani.pag.506.
Vicecomes theſauros templi Modoetienſis redimit ſua pecunia, temploq. redonat ibid.& ſeq.
Pont.Max.fœdus pro Mediolanenſium ſalute aduerſus Vicecomitem. pag.507.
Fœderis terrore ſubactus Vicecomes cum Apoſtolico legato reuerenter agit.pag.508.& ſeq.
Legatus Apoſtolicus Abbates ad Valentiam quatuor ex vrbe euocat, & quid cum eis egerit Matthæus antequam irent. pag. 509.
Parmenſis Epiſcopus ab legato Apoſtolico Mediolanum mittitur, & congreſſus eius cum Matthaeo Vicecomite.pag.509.& ſeq.
Tentato aduerſus Vicecomitem bello,pacem optat. eiuſq; tentandae cauſa, duodecim principes Reip. Mediolanenſes exciri per legatum ad Valentiam iubet.pag.510.& ſeq.
Nomina eorum, & quomodo legatus Apoſtolicus eos allocutus fuerit. 5 .& ſeq.
Franciſcus Garbaniatenſis eorum vnus hortatur ſocios, vt Romani pont. authoritatem ſequantur,& in eam ſententiã oratio.pag. 515.
Vicecomitis conſternatio ob illorum ſuper ea re conſenſum.pag.516.

Vice

Digitized by Google

Vicecomes traditâ rerum ſumma Galeatio filio dedit animum ſacris. pag.517 & ſeq.
In Templo max.Catholicum ſeſe profitetur,& inde Modoetiam alienatę mente profectus in morbum incidit ex quo moritur.pag.519
De Matthaei Vicecomitis religione iudicium, & de ea re dictum aliquid in vtramq. partem.pag.519.& ſeq.
Matthaeo mortuo ſtatus vrbis,& Galeacij conatus ad fortunam inuadendam quę Patris fuiſſet.pag.521.
Archiepiſcopus Aicardus in eo rerum motu exul.pag.522.
Canonici Modoetienſes,theſauros ſuos defodiunt.ibid.
Modoetia ſedes belli quod ſedis Ap.nomine gerebatur aduerſus Vicecomites.p.523.
Archiep.Aicardi concio Modoetiae habita, qua Pontificios hortatur, vt ſtrenue rem gerant.pag.523.
Siculorum auxilia Modoetiam ad Pontificios peruenere.pag.524.
Turrianorum agmen paulo poſt acceſſit, eorumq; aduentu mota in caſtris ſeditio. ibid.
Pontificij aduerſus Vicecomitem proſpere pugnant ad Modoetiam, inde ad obſidendam vrbem pergunt,pag.525.
Obſidioniſmetu ſubactus Galeatius concionatur ad ciues de pio ſuo erga Romanam Eccleſiam ſenſu.pag.525.
Heluetij qui erant in Galeatij exercitu coniurant in ipſius caput. pag 526.
Eccleſiaſtici ſoluunt obſidionem vrbis ſeditione inter ipſos orta poſtquam legati frater in acie ceciderat.ibid.
Inde Galeatius ad obſidendam Modoetiam ducit.527.
Vulturum pugna ad Modoetiam accepta prodigij loco ob cladem, quam eadem hora Pontificij ad Vaprium accepere 527.& ſeq.
An prodigia ſint vlla, & an fides oſtentis.pag.528.& ſeq.
Prodigium aliud, per quod populo Modoetienſi ſalus promiſſa. pag. 531.
Galeatius ad pacem cum Romano Pontifice tentandam, qua arte vſus fuerit,& cur pax deinde non conuenerit. pag.532.& ſeq.
Aicardus Archiepiſcopus indicata ſibi per Aichinum Canonicum latebra, prodit legato theſauros Modoetienſes.pag.534.
Legatus effodi iubet theſauros effoſſoſq. mittit ad Pontif. Max. 535.
Pont.Max.increpat ob eam rem legatum, accitiſq; ab Modoetia Canonicis theſauros reſtituit.pag.536.
Galeatij conſultanti de Modoetia delenda, praeſes eius loci Diuus per quietem denuntiat ne facere auſit.pag.537
Populi Modoetienſis vaticinium, & execratio in arcem quam Gale-

leatius ibi aedificabat, & eius vatricinij euentus. pag.538.
Theſauri Modoetienſes e ſacrario Auenionenſi ſublati per furtum, & quomodo fur ille comprehenſus. pag.539.& ſeq.

LIBER. IX.

BAuarum anathemate damnatum, Galeatius accerſit aduerſus Pont.Romanum.gag.543.
Bauarus idem in Baſilica Ambroſiana coronatus à tribus Epiſcopis, & quaenam de illis fama. ibid.
Idem Galeatium & fratres repente comprehenſos in Modoetienſem arcem abſtrudit.pag.5 9.
Marci & Ludrisij Viceconutú in Galeatium odia, & criminatio apud Caeſarem.pag.545.
Bauari conſilium de tota Viceeomitum domo euertenda & delenda. pag.547.
Stephanum Viceeomitum e Fratribus minimum natu in familiā aſciſcit, iſq. ſtatim veneno ſublatus pag.547.
Flagitij eius ordo, iudicij artes vt Caeſaris in ea re dolus occultaretur. pag. 548. & ſeq.
Abſtruſis in carcerem Galeatio, Ioanne, & Azone, & firmata ſibi poſſeſſione vrbis Bauarus in Hetruriam diſcedit. pag.550. & ſeq.
Gulielmus Monfortius a Bauaro relictus Mediolani Vicarius; violentia eius in Mediolanenſem Eccleſiam. pag. 551
Diſsidium in Romanam Eccleſiam a Bauaro inductum, & exeo calamitas Eccl.Mediolanenſis ibid.
Caſtracanis miſſis terrore precib' à Bauaro impetrat, vt captiui Vicecomites e carcere dimittantur. pag. 552.
Galeatius Vicecomes dum ad Caeſarem in Hitruriam euocatus proficiſcitur, in itinere mortuus. ibid
Vicecomites fratres aliquandiu apud Caeſarem dure in Hetruria habiti.pactione pecuniae reſtituuntur in Patriam. ibid.
Ioan. Vicecomes perſoluto pretio Cardinalis fit Bauari ope. pag. 553
Idem a Pſeudo pontifice Nicolao legati proteſtate accepta ad Mediolanenſes ſcribit. pag.554.
Bauarus redire Mediolanum parat, & quomodo Vicecomites affecti erga eum. pag.556
Vicecomites odio in Bauarum, manſuete ac pie in populum Eccleſiamq; Mediolanenſem agunt.pag.557.
Modoetienſem populum hortantur, ne Bauarum oppido recipiant.

Digitized by Google

tur pag.557.
Bauarus ex Hetruria rediens, vbi Inſubriam attigit, ſenſit hoſtilia cũcta pag.558.
Ab oppido Modoetia excluditur, & tutelaris Diui miraculum ibi. pag.559
Ab oppido Modoaetia excluditur, & tutularis Diui miraculum ibi. pag.559.
Conſternatus animo reditum in Germaniam parat, & accepta pecunia Azonem Vicecomitem appellat Imperij Vicarium. pag. 559.
Vicecomites cum Pont. max. reconcilia ntur: ciuitas abſoluitur: Azo publicis operibus excolit vrbem. pag.560
Azo D. Gottardo Aedem poſuit & pretioſa ſupellectile eam ornauit. ibi. & ſeq.
Ioannes Vicecomes ex Epiſcopo Nouarienſe Mediolanenſis Archiepiſcopus creatur permutatione cum Aicardo exule facta. pag.562
Is proprias ſibi Aedes extruxit, & quænam eae ibid,
Mortuo Ioanne Pontifice max ſuffectoq; in eius locum Benedicto, Canonici Modoetienſes Auenionem iere petentes, vt theſauros ſuos referre inde domum poſsent. pag.563
Eius legationis conſilia, & apparatus & finis pag. 564
Archiepiſcopus Ioannes ad Parabiagum D. Ambroſio templum extruxit pag.565
Azonis mors, pietas, victoriae, bellumq. ſub eo aduerſus Boemiae Regem. pag.566
Domeſtici luctus eius, aetas, forma ibid.
Azone mortuo Mediolanenſes rerum ſummam ad Ioannem Archiep. detulere, & ille ſpecie recuſantis, accipit. pag.568
Ioannes ita & Luchinus regnant, & in eorum imperio ſecta exorta impura. pag.568.
Coniuratio in Ioannem & Luchinum facta, detecta, & punita. pag. 570. & ſeq.
Beltramoli Amici turpis impiusq. exitus. pag.572.
Legatio Mediolanenſium ad Pont. Max. miſſa pag.573
Populo Mediolanenſi pax a Pont. Max. in quas leges data, quaeue piacula iniuncta. pag.574
Benedictus Pont. Max. Mediolanum venit, & eius erga Vicecomites indulgentia. pag.575
Ioannes Archiepiſcopus ſuſcepta actione de Theſauro Modoetiẽſi recuperando, rem eam proſpere exequitur: vtq; relata cuncta Modoetiam fuerint, & Baſilicae redonata. pag. 577.
Fuſca Fliſca Luchini vxor & impudicitia mulieris eius. pag.577. & ſeq

Ea Luchinum virum ſuum veneno ſuſtulit. pag. 579.
Archiepiſcopo Ioanni poſt Luchini mortem, quæ vrbes ſubiectae fuerint; vbi domicilium ei, & quanta potentia Principi. ibid.
Fluſca Eliſea flagitia ſua, & inceſtus publice profitetur. pag. 580.
Ioannis Archiepiſcopi moeror inde, & ſolatium rurſus. Ibid.
Extruxit ad Garignanum D. Mariae Aedem. p. 581.
Bononiam inuadit, & Pontificis ob eam rem irae, anathemata, & denunciatio belli, ni ſacra, vel profana relinqueret; & quid ei denuntiationi reſponſum. ibid. & ſeq.
Accerſit Pont. Max. Archiep. Ioannem, & mox aduenientis apparatu turbatus ſuperſedere iubet. pag. 582.
Ioannes Archiep. municipale ius conſtituit; ac de iuris eius legumque origine apud Mediolanenſes, & quomodo res ſaepe variata. pag. 583. & ſeq.
Nomina ciuium, & Iureconſult. quos Archiep. ad eius rei conſultationem adhibuit, pag. 585.
Florentini Pont. Max. aduerſus Vicecomitem inſtigant rei Bononienſis cauſa, & cum res ad arma ſpectaret, pax facta per Gulielmum Griſantem. pag. 586.
Pacis eius conditiones. pag. 587.
Genuenſes a Venetis obſeſſi ſubſidium ab Archiep. Ioanne implorant, iſq; annuit, & pacta victoria imperium auget. pag. 588.
Archiepiſcopi Ioannis mors, pietas, fama, tumulus, ſucceſſor. pag. 589.
Imperij Mediolanenſis diuiſio inter Stefani Vicecomitis filios, & quomodo partes factae. pag. 590.
Matthaeus eorum vnus ſtatim moritur, & quomodo. pag. 591.
Galeatius, & Bernabos diuidunt etiam Vrbem ibid.
Leonardus Archiepiſcopi Ioannis filius inſenſus domui euertere patrueles conatur. pag. 593.
Per eum concitati hoſtes, defectiones vrbium, & alia in Metropolim damna. ibid.
Galeatius, & Bernabos ob pericula poſitis inter ſe odijs vno animo gerunt rem. pag. 595.
Ticinenſes aliquandiu obſeſſi deditionem faciunt, & in ea vrbe recipienda liberale certamen inter fratres. pag. 596.
Iacobus Buſſolarius Monachus, ſiue Frater in vincula conijcitur; ac de hominis eius ingenio, & tyrannide quam apud Ticinenſes vrbi ei fortè praefectus exercuerat. pag. 596. & ſeq.
Rei Bononienſis cauſa, noua certamina Vicecomitibus populoq; Mediolanenſi aduerſus Ap. Sedem, & quomodo fraudibus etiam de ea vrbe certatum. pag. 599. & ſeq.

Bernabos,

Bernabos,& Galeatius inter negotia haec auxere pijs operibus vrbē; & alia ad ſplendorem ſiue ſecuritatem addidere. pag. 601.

Ticinenſe Gymnaſium inſtituunt, ac de eius Academiae gloria, & incrementis. pag. 602. & ſeq.

LIBER X.

Viecomites ad firmandum imperium puerilia matrimonia tentant exitu vano. pag. 607.

Affinitatum earum compendia vt verſa in contrariū fuerint. pag. 608

Anglorum irruptio in Mediolanenſem agrum, quàm damnoſa Metropoli fuerit. pag. 609.

Mediolani interim moeſta cuncta; & mox ſupplicia eorum, per quos direpta vrbs fuerat. pag. 611.

Anglorum copiae relictis foederatis ad Vicecomites tranſiere. ibid.

Pax facta cum Pont. max. & in quas conditiones; & eius negotij cauſa legatum Apoſtolicum Mediolanum veniſſe. pag. 612.

Pax ea mox irrita fuit, incertum partis vtrius culpa. 613.

Vicecomites cum Auſtriaca domo ſanguinem per connubia ſociauere. pag. 614. Itemq; cum Bauaro, cum Anglo. ibid.

Rodulphus Auſtriacus Mediolani moritur. pag. 615.

Violanta Galeatij filia ad Templi max. valuas Lionello Angliae Regis f. iungitur, & eae nuptiae quanto luxu celebratae Mediolani fuerint. pag. 616.

Archiepiſcopo Roberto Gulielmus Puſterula ſucceſſit. pag. 617.

Nomina ciuium, quos Vicecomites ad conciliandas nuptias adhibuere. pag. 618.

Noui belli conſilia, & apparatus in ipſa nuptiarum gratulatione, mox cruenta omnia mediolanenſes inter, & foederatos. pag. 619. & ſeq.

Vicecomitum doli aduerſus Pont. max. & pleraq; interim proſpera, vel aduerſa; extructa paſſim in Mediolanenſi agro arces. pag. 622. & ſeq.

Bellum, quod paulisper conticuerat, infenſius erupit, & Clerum Mediolanenſem cum reliqua multitudine Vicecomites armauere. pag. 624. & ſeq.

Clades Mediolanenſium in Brixienſi agro pag. 626.

Ob crebra vtrinq; damna, pax optata rurſus, & pro ea induciae. pag. 628.

Bernabouis inhumana facta in Mediolanenſes, leges abſurdae, & saeuae eius, & ſtulta cura in venaticos canes. ibid. & ſeq.

Indignatio ob Vicecomitis huius Stolidam tyrannidem. pag. 629.
Bernabos nouis matrimonijs firmat Imperium, & domum. pag. 630.
Galeatius Bernaboue melior moritur relicto filio Ioanne Galeatio. pag. 631.
Ioannis Galeatij pietas erga Pont. Max. initio principatus quomodo ſtatim declarata. Ibid.
Archiepiſcopo Gulielmo ſucceſſit Antonius Salucienſis ibid.
Regina Scaligera Scalenſe Templum extruxit, addiditq, collegium. p. 632.
Archiep. Cleriq; Mediolanenſis in defunctum Galeatium cura. ibid.
Regina Scaligera Bernabouis vxor moritur, & ſuper eo caſu literae mariti ad ſubiectos. pag. 633.
Fama anceps de mulieris eius ingenio. pag. 634.
Ioánes Galeatius Galeatij F. inſidias in ſe patrui ſuſpectat, mox, & deprehendit. pag. 635.
In eo periculo, artes iuuenis, & mira diſſimulatio, vtq; ſimulatione inſaniae patruo illuſerit. pag. 635. & ſeq.
Bernaboui iniiciuntur vincula per Ioannis Galeatij ſtipatores, moxq; Io. Galeatius poſita larua, quam ſumpſerat, imperium ea petiit. pag. 637.
Io. Galeatius imperium ita adeptus onerat captiuum inuidia apud omnes criminibuſq; veris, & fictis. ibid. & ſeq.
Eundem veneno tollit; ac de morte tumuloq; eius. pag 639.
Prodigia quae Bernabouis exitum anteceſſere. pag. 640.
Templi maximi turris prolapſa cum aedificiorum hominumq; ſtrage. pag. 640.
Id initium nouo templo extruendo, ac de magnitudine eius, & quomodo Io. Galeatius princeps, & Antonius Archiepiſcopus communi conſilio id opus inchoauerint. pag. 641. & ſeq.
Angleriam, & loca alia quæ fuerant Eccleſiae Mediolanēſis Pont. max Io. Galeatij vxori donat. pag. 644.
Antonij Scaligeri fraudes in Ioannem Galeatium, & aperto dein bello victus ille adiunctaq. ad Metropolim Verona. pag. 646.
Dolus etiam in ea re adhibitus. pag. 647.
Res Patauina paulo poſt Vicecomiti deditur, & ob eam rem indictae ſupplicationes pag. 649.
Forma edicti quo Io. Galeatius populum ad ſupplicationes ob rem eam bene geſtam vocauit. ibid.
Mediolanenſes in verba Ioannis Galeatij iurant, & nomina ciuium, qui reip. nomine id dixere Sacramentum. ibid.
Clerum populumq; Mediolanenſem nouae calamitates ob Ioannis

Galeatijs

Galeatij proſpera infeſtant, p. 650.
Iubilaeum Mediolanenſi populo concedit Pont. Max. & forma eius Pōtificiae conceſsionis. pag. 651.
Foedus aduerſus Vicecomitem initur, & ſuſpicio de Pont. Max. pag. 652, & ſeq.
Gallici exercitus qui ſub Armeniacenſi Comite ad capeſsendā vrbem Mediolanum miſſus fuerat, exitus ignominioſus; ipſiuſq; Comitis error, & captiuitas. pag. 655. & ſeq.
Laetitia Mediolani ob ignominiam eam cladem q. Gallorum. pag. 657.
Ioannes Acutus Patriae deſertor a foederatis in Metropolim immiſſus, Gallica clade, & pauore ſuo, irritus diſcedit pag. 658.
Legatio Romana de pace Mediolanum venit. pax facta, ſed reditum ad arma ſtatim. pag. 659.
Vicecomes per dolum foedus cum Galliae Rege tentat, liliaq. ſtemmati Vicecomitum ab fraude illa inſeruntur, ibid.
Vicecomes & foederati aduerſus eum legatos ad Caeſarem mittunt inuicem criminantes pag. 660.
Petrus Philarghus Epiſcopus Nouariae princeps legationis fuit, quae a Vicecomite miſſa eſt. ibid.
Caeſar ſpretis quae aduerſus Vicecomitem afferebãtur, Mediolani Ducem eum appellat. ibid.
Nominis honor. ſque eius quanta momenta eſſent. pag. 661.
Caeſaris legatio Mediolanum venit coronando Vicecomiti. pag. 662.
Vicecomes ad valuas Baſilicae Ambroſianae coronatur; ceremonia coronationis: legati, Principes, ciues quomodo ſolenne id obierint p. 663. & ſeq.
Quae verba Caeſaris legatus dixerit. quid ei reſponſum ab Epiſcopo qui Caeſarem coronabat, pag. 664.
Coronato Vicecomite, bella & hoſtes impetu nouo coorti rem Mediolanenſem infeſtant pag. 666.
Balbiani fratres & Iacobus Vermus Metropolitani exercitus duces improſpere rem gerunt. ibid. & ſeq.
Legati Veneti de pace Mediolanum veniunt, & pactae induciae. pag. 668.
Paſquinus Capellus Cremonenſis intimus ſcriba Vicecomitis, prodit arcana Principis, detegiturq. & punitur. pag. 669.
Luchjni Nouelli mors. teſtamentum. & pietas eius in populum Eccleſiamq. Mediolanenſem. pag. 670.
Pia agmina prope verſa in ſuperſtitionem per Inſubriam inceſsere ib. & ſeq.
Prodigia & minae celeſtes. pag. 671.

Ioannis

Ioannis Galeatij propediem morituri gloria & res geſtae. pag. 267. & ſeq.

Mors eius, ſepultura, teſtamentum pag. 673. & ſeq.

LIBER XI.

IOanne Galeatio mortuo, Vicecomitum domui prona cuncta ad exitium fuere. pag. 677. & ſeq.

Conſpiratio principum & Rerump. ad euertendum id imperium pag. 678.

Archiep. Mediolani ad placandum Pontif. Romam profectus rogatu XII. virorum qui tutores a patre relicti filijs erant. pag. 678.

Coniuratio in Franciſcum Barbauariam e tutoribus, vnum; tumultus inde per vrbem, & Barbauariae fuga. pag. 680.

Abbas Monaſterij Ambroſiani in Barbauariae contumeliam occiditur. pag. 681. & foediora alia per vrbem. ibid.

Petrus Archiepiſcopus in parte turbarum, & eius in Catharinam viduam aſperitas. pag. 682.

Ciuitates a Metropoli defectionem parant. pag. 682.

Tutores Bononiam Pontif. Max. ad pericula auertenda reſtituunt. pag. 683.

Porri fratres cum Galeatio Aliprando foede interfecti. pag. 683.

Barbauaria reuocatur in vrbem. pag. 684.

Nouus in vrbem tumultus ob Moncini latrunculi ſupplicium. p. 685.

Ioannes Maria nouus Vrbis Princeps in eo tumultu periculum adijt. pag. 686

Familia Caſatorum ad rebellionem prolapſa concitat alios rebelles, pag. 687.

Inde diuiſa in duas parte vrbe dimicatum. pag. 688.

Nomina familiarum, quos Vicecomes ad ſui defenſionem armauit. ibidem.

Pugna atrox in rebelles, deinde fuſa eorum acie, ſupplicia ſumpta de captiuis. p. 690.

Abbas D. Ambroſij occiditur, & inſectatio Principis in Biliorum gentem. ibid.

Cur ille rebellium conatus irritus fuerit. pag. 691.

Defectiones vrbium, peſtilentia in vrbe, factiones interim & ſaeuitia principis. ibid.

Licentia Vicecomitis in res ſacras, & pacis nome nquantopere is abominaretur. pag. 693.

Puerorum ſenumq. gregem interfici iubet. ibid.

De Ioannis Puſterulae filio puerulo, & de Squarcia Ciramo, ibidem & ſeq.
Vt Sacerdotem ſepeliri viuum iuſſerit, quia pauperis corpus ob auaritiam ſepelire noluerat. pag. 695.
Archiepiſcopus Petrus fit Pont. *Max.* & ambigua fama de eo, pag. 697.
Ioannes Maria Vicecomes interficitur. ibid.
Squarcia Giramus interficitur. pag. 698.
Ordo coniurationis in Ioannem Mariam. ibid.
Nomina coniuratorum. pag. 699.
De Facino Cane potentiaq; & exitu eius pag. 701.
Poſt Io. *Mariae* necem, diuiſa vrbs in duas partes, ac de Hectore Vicecomite & Placentino Epiſcopo. pag. 703.
Philippus Maria Hectorem & coniuratos vincit pellitq; vrbe & imperium ipſe inuadit. pag. 704. & ſeq.
D. Donnini Parochus in eo tumultu ad necem quaeſitus. pag. 705.
Præpoſitus Creſcentiaci qui in parte coniurationis fuerat, e fuga retractus capite plectitur. pag. 706.
Coniuratorum aliorum exitus. ibid.
Vercellinus Vicecomes Archiepiſcopus quomodo factus, dein loco deiectus, poſtremo reſtitutus. pag. 707.
Bartholomeus Capra Archiep. & contentio ei cum priore Archiep. pag. 708.
Martinus Pont. Max. Mediolanum venit & quomodo acceptus p. 709.
Dedicatio Arae maximae per eum facta pag. 710.
Philippi Mariae mores & pietas, & occaſione ea de Vicecomitibus aliis pag. 711.
Legatio eius ad Conſtantienſe Concilium miſſa pag. 712.
Res proſperae eiuſdem, & receptae vrbes quae defecerant. pag. 714.
Genuenſes alienati errore quodam huius Ducis. pag. 715.
Foedus aduerſus eum initur ob potentiae metum pag. 716. & quae potiſsimum cauſae quoſq; ſtimularint. ibid.
Cremaniola ſub Vicecomite copiarum ductor repentino ad Venetos transfugio rem *Mediolanenſem* afflixit p. 717. Et quae cauſae tranſitionis ibid.
Franciſcus Sfortia in Crimanioiae locum a Vicecomite aſcitus, eiq; mox alienato Carolus Malateſta ſuccedit. pag. 717.
Brixienſes ad Senatum Venetum deficiunt, & quomodo pag. 720.
*Medio*lanenſes ad Pompilianum cladem accipiunt. pag. 721.
Caroli *Ma*lateſtae infantia in re militari, & quomodo ille Mediolanenſem exercitum hoſtibus trucidandum obtulerit. pag. ibid. & ſeq.
Naualis victoria Mediolanenſium parta de Venetis pag. 725. & ſeq.

Sigiſmun-

Sigiſmundus Imperator Mediolanum venit, & quomodo is ab Archiepiſcopo Capra coronatus.pag.728.
Duo Reges Aragonius & Nauarrus captiui Mediolani. pag.729.
Eius rei gloria & laetitia populo Mediolanenſi in malum vertit. p.730.
Pontifex Eugenius Vicecomiti Metropolique infenſius vt fuerit.p.731.
Franciſcus Sfortia Philippo Mariae gener deſtinatus ad Venetos tranſit, & cauſae tranſitionis eius.pag.732.& ſeq.
Varietates animorum & rerum quae per ea tempora ſpectatae ſunt. pag.734.
Euſebij Caimi caedes, & Nicolai Picinini mors,tumuluſq; .pag.736.
Brandae Caſtelleonei Cardinalis actio in Monachos Cartuſienſes & ritus Ambroſianos.pag.737.
Philippi Mariae Vicecomitis mors. p.738.

LIBER XII.

Mediolanenſis Imperij vices repetitae,& quomodo ſacra profanis iungantur. pag.740.& ſeq.
De Archiepiſcopis Capra & Vicecomite coniectura. pag.742.
Ioannes Vicecomes Archiepiſcopus, vt Sacerdotia inſtituerit ex Eugenij ſummi Pontificis authoritate pag. 743.& ſeq.ſumma Eugenij literarum. ibid.
Mediolanenſes poſt Philippi Mariae mortem, libertatem vſurpant;renouant aptas libertati leges. pag.745.& ſeq.
Sepultura Vicecomitis, ibid.
Principes Vrbis arcem Iouis demoliuntur; Raimondum Aragonenſem,qui eam inſederat pellunt.pag.747.
Franciſcum Sfortiam bello ducem aduerſus Venetos ſibi aſſumunt; ac de Sfortiae huius origine. pag.748.
Conſilia eius in adminiſtrando bello, & quomodo Cremonam Papiamq; vrbes initio ſibi ceperit ac firmarit.pag.749.
Ob eam rem offenſi Mediolanenſes quid tentarint, quidue Sfortiae ipſi denuntiarint.pag.751.
Sfortia denuntiatione ea perculſus diſiicere ſuſpiciones de ſe ortas conatur.pag.752.
Res eius ſecundae turbant animos Mediolanenſium, & efferentem ſeſe gloriam illius coercent.pa.754.
Mediolanenſes ad pacem cum Veneto Senatu faciendam inclinant; idq.conſilium per Sfortiae fautores turbatur. p.755.
Cur vellet Sfortia bellum,& occaſione ea de ingenio moribuſq. eius. p.756.

Diſ-

Diſſidium Sfortiae cum Senatu Mediolanenſi ſuper defenſione vrbiũ. pag. 758.

Repentina Venetorum impreſsione perculsi Mediolanenſes arbitriũ ſummae rei Sfortiae permittunt. p. 759.

Adiutores, & ſpeculatores ei apponunt, ac de Barptolomaeo Bergomenſe pag. 760.

Sfortia Venetorum claſſem expugnat incendioq; abſumit. pag. 761.

Ob naualem eam victoriam ſupplicationes habitae Mediolani & dona publice data Templo *Max.* pag. 762.

Decretum Mediolanenſium, quo poteſtatem ei permiſſam reuocauere. ibid.

Carauagij oppugnatio, pericula, & difficultates ibi exhauſtae, & quo caſu res Mediolanenſis in eo diſcrimine adiuta. pag. 766.

Aluyſius Boſſius, & Petrus Cotta, parta de Venetis victoria ouantes vrbem ingrediuntur, & honos D. Ambroſio ob eam rem habitus. pag. 767.

Initium abrumpẽdae diſſimulationis belloq; aperto Metropolim appetendi Sfortia vnde arripuerit. pag. 768. & ſeq.

Manifeſta iam defectione alienatum hoſtemq; Sfortiam miſſis in caſtra legatis Mediolanenſis fruſtra reconciliare ſtudent. pag. 772.

Id belli principium, quo victor metropolim capeſſierit, & occaſione ea de Sfortiaci dominatus infauſtis, exituq; miſero. pag. 773. & ſeq.

Belli eius initio, motus rerum, vrbium defectiones, & apparatus vtriuſq. partis. pag, 774. & ſeq.

Mediolanenſes noua legatione tentant Sfortiae animum, & viciſſim ille legatum ſuum in vrbem mittit, & qui legationis vtriuſq; exitus pag. 776. & ſeq.

Poſtquam ad arma itum, primae vtrinq; expeditiones, & quod Sfortia periculum adierit. pag. 778.

Carolus Gonzaga fit Mediolani Tribunus plebis, & dominatum vrbis ſibi quaerit. pag. 780. & quomodo ei obuiam itum. ibid.

Piccinini duo ad Sfortiam transfugiunt, & quo conſilio. pag. 781.

Sfortiae prope dedita vrbs proditione nobilium, & quo caſu res diſiecta fuerit. pag. 782.

Detecta proditione ſaeuitum in nobiles: Imperium plebis inualeſcit. pag. 783.

Sfortia amiſſa ſpe proditionis ad obſidendam vrbem venit, & quàm arcta ea obſidio. pag. 784.

Plebeij magiſtratus indignitas, & ſordes, & inde ſpes vana hoſti, vtq; ſucceſſerit ad portas irrito conatu. pag. 786.

Sfortia miſſo in vrbem caduceatore denuntiat Mediolanẽſibus extrema, ni ſe dedant; & quàm irrita ea denuntiatio. pag. 787.
Sfortiae clades ad Modoetiam & Piccinini duo refugiunt in vrbem. pag. 788. & ſeq.
Meliníanum recipit, & qua fraude Piccininus adhuc eum tẽtarit. pag. 791.
Plebeij Magiſtratus Mediolani in vincula conijciuntur, nobileſq; ſuſficiuntur. pag. 793.
Mediolanẽſes occulte cum Venetis agunt vt ſenatum eum ab Sfortiae ſocietate abducant, propeque ſuccedit. pag. 794.
Carolus Gonzaga relictis Mediolanenſium caſtris ad ſfortiam tranſfugit, quanto noſtro damno, & quam ob cauſam. pag. 795.
Veneti adhuc cunctati, vbi vincere Sfortiam ſenſere, ad corrumpendam ei victoriam, inito cum Mediolanenſibus foedere, copias ſuas reuocant, & quomodo eluſi. pag. 798.
Sfortia. & Veneti e ſocijs aperte hoſtes, vtque res inter eos circa Briãtiae colles geſtae; atq; de collium eorum ſitu. pag. 800. & ſeq.
Prohibet Sfortia vrbem Veneto ſubſidio; inde fames extrema Mediolani. pag. 804.
Ex fame tumultus: & ciuile prope bellum; victrixq; nobilitas in Scalenſi templo poſt varias ſententias, ad ſfortiam cuncta trahit. pag. 806. & ſeq.
Qua ille moderatione Vrbem ingreſſus fuerit. pag. 807. & ſeq.

LIBER XIII.

SFortia coronatur in Templo Max. pag. 809.
Oratio de laudibus eius habita per Guarnerium Caſtellionaeum pag. 811. vſque ad pag. 819.
Paroeciae ſingulae Vrbis deferunt Sfortiae obſequium, & Canonici Templi Max. ſeparatim eo munere funguntur. pag. 820.
Eorum oratio, & quid viciſſim ipſe reſponderit. ibid. & ſeq.
Sfortiae conſilium de reficienda & muniẽda Iouis arce, atque aduerſus eam rem oratio Georgij Platti in L. Georgij Aede habita pag. 823.
Carolus Sfortia Franciſci Ducis frater poſt Nicolaum Amidanum fit Archiepiſcopus. pag. 826.
Vt fratres ſacrum profanumq; imperium mutuae vtilitatis cauſa cõſociarent, famaq; & artes eius ſocietatis. ibid. & ſeq.

Peſtilentia

Digitized by Google

Peſtilentia Mediolani exorta, & quaenam interim cura Archiepiſcopo principiq; pag. 828.
Ex peſtae fames, & inde bellum cum rep. Senatuq; Veneto. pag. 820.
Pax facta cu Venetis interprete & cōciliatore fratre Leone pag. 830.
Fratris Leonis mores, & ambigua de eo fama interſcriptores, nomenque etiam ipſius incertum. pag. 830 & ſeq.
Solenne Transfigurationis, quando, & qua occaſione inſtitutum. pag. 834.
Iubilaeum Mediolani quanta hominum frequentia celebratum. pag. 834.
Xenodochium Mediolani à Sfortia inſtituitur, ac de veteribus Vrbis noſocomijs. pag. 835. & ſeq.
Xenodochia cuncta Vrbis in corpus vnum redacta. pag. 837. & quo iure, quibuſue Sedis Apoſtolicae priuilegijs. pag. 838.
Xenodochij opes liberalitate Pontificum collatae in pium opus. pag. 839.
Varia Xenodochij domicilia pro varijs hominum calamitatibus, diſciplina, regimenq; vniuerſum. pag. 840. & ſeq.
Praefecti, munera, & partes quaenam in Xenodochij adminiſtratione ſint. pag. 843.
Franciſcus Sfortia moritur. pag. 844.
Paulo poſt moritur etiam ipſius vxor; ac de pietate mulieris eius tēpliſq; ab ea extructis. ibid.
Archiepiſcopus Carolus Ducis frater moritur; ac de nomine eius duplici. pag. 845.
Stephanus Nardinus Cardinalis fit Mediolani Archiepiſcopus. pag. 845.
Eius munificentia erga Med. Eccl. inſtauratae ceremoniae; collegium Romae inſtitutum. pag. 846.
Galeatius Sforcia ſaeuus atq; effeminatus patri ſuccedit. ibid.
Saeuitiae eius exempla. pag. 847.
Coniuratio in eum; & praeſagia, quae caedem anteceſſere. pag. 848. & ſeq.
Interficitur in D. Stephani Aede. pag. 850.
Coniuratorum exitus. pag. 850. & ſeq.
Coniurationis ordo per Hier. Lamp. editus. pag. 851.
Literae Lampugnani, per quas ille negotij ſeriem fuſius explicauit. pag. 852. & ſeq.
Interiecto Duce & ſepulto Galeatius filius ſuccedit, & legationes ad eum vndique miſſae. pag. 857.

Cecus Simonetta vir optime de rep. meritus capite plectitur. pag. 859
Archiepiſcopus vt in Sabaudum exierit armatus. pag. 860.
Galeatij pupilli tutor Ludouicus Sfortia quomodo exerceret Imperium. pag. 861.
Iſabella Galeatij vxor per literas conqueritur apud patrem Regem de Ludouici iniurijs. pag. 862. & ſeq.
Alphonſi Regis legatio ad Ludouicum Sfortiam; quae dicta ab legatis, quid viciſſim ab Sfortia reſponſum. pag. 863. & ſeq.
Aſcanius Sfortia vt Pontificatum Max. ſperauerit, vtq; à Borgia ſuperatus. pag. 865. & ſeq.
Ludouicus Neapolitani belli metu, Gallorum arma in Italiam vocat; Blancam Mariam Caeſari in matrimonium offert, & Dux Mediolani ab eo appellatur. pag. 867.
Carolo Galliae Regi ad Ticinum mulierculas nobiles dono mittit, vt ſibi iuuenem conciliaret. pag. 864.
Galeatius moritur haud ſine ſuſpicione veneni; aduerſus eam ſuſpicionem Ludouici artes. pag. 869.
Ludouicus in Templo max. coronatus ad Baſilicam Ambroſianam, inde in Arcem procedit. pag. 870.
Ludouici vxor moritur; exſequiae eius, & ab ſuperſtite marito dona data templis aliaq; officia erga mortuam. pag. 871.
Aſcanius Sfortia Cardinalis trium Eccleſiarum vnam abdicare iuſſus Metropolim omittit. pag. 873.
Ambroſiani Monaſterij Commendatarius factus conſtituit eius ordinis diſciplinam. pag. 874.
Hieronymus Sauonarola vates habitus, ac de viri eius caſu. pag. 875. & ſeq.

LIBER XIV.

Lvdouicus Sfortia Gallorum perfidia in diſcrimen adductus conſultat cum primoribus vrbis pag. 879.
Laudrianus quidam Ludouico fidiſsimus interficitur, & poſt eum caſum Sfortia fugam parat. pag. 880.
Tamquam fugiturus diſponit imperij curas; cuncta IV. viris commendat. pa. 881.
In fugae apparatu, iuſtitiæ, ſiue clementiae famam apud ciues quaerit. pag. 882.
Vt trepidus moeſtuſq; abierit ex vrbe, & quae cum Dominicanis ad

Digitized by Google

D. Mariae Gratiarum Aedem acta. pag. 883. & ſeq.
Paratas ei inſidias Andrea Eccleſia Canonicus Mediolanenſis indicat. pag. 886.
Vitatis inſidijs Sfortia ad Belaſium quieſcit, alloquiturq; ibi principes vrbis qui aderant. pag. 887. & ſeq.
Cardinalis Aſcanius obiurgat fratrem ob res perditas. pag. 889.
Sfortia per deſperationem legatos mittit ad Turcam. pag. 891.
Mandata & literae, quas exul Sfortia ſuis ad Turcam legatis dedit. ibidem, & ſeq.
Dedecus, & miſeria legationis eius, & Mediolani qui ſermones ob eã rem. pag. 900. & ſeq.
Ioannes Arcimboldus fit Mediolani Archiep. pag. 903.
Studia eius; dein honores, & quomodo Cardinalis factus. pag. 902. & ſeq.
Legatio eius in Vmbriam Peruſiumq; & quibus artib' prouincias cõpoſuerit ac pacarit. pag. 904. & ſeq.
Mediolanenſem Eccleſiam triennio rexit abſens. pag. 909.
Guidus Antonius Arcimboldus Ioannis Archiepiſcopi frater, quãm ab omni parte ſimilis ei, ſtudijs, & fortuna. ibid. & ſeq.
Fit Archiepiſcopus, & offenſio Principis ex eo. pag. 911.
Vt Archiepiſcoporum domicilio dignitatem, & Metropolitanae Aedi cultum addiderit. Pag. 912.
Octauianus Arcimboldus ei ſuccedit. ibid.
Studia huius, & expectatio de ipſo, & mors. ibid. & ſeq.
Eccleſia Mediolanenſis ab Eſtenſibus per Vicarios adminiſtrari coepta. pag. 914.
Vrbis, & Eccleſiae ſtatus in Gallico dominatu. ibid.
Iacobi Triultij regimen triſte vrbi ob factiones, & infenſum Sfortiarũ domui animum. pag. 915.
Gallorum iniurijs offenſi Mediolanenſes, Sfortiam expoſcunt reuocantq; & ille redit. pag. 916.
Mediolani accipitur: minores vrbes in Gallum adhuc pronae: ſuſpẽſi principum Italorum animi, vel peregrino foedere illigati. pag. 917. & ſeq.
Inde bellum inſtaurante Gallo, Sfortia circumuentus & Heluetiorum proditione captiuus. pag. 919. & ſeq.
Aſcanius Sfortia Cardinalis à proditore placentino deditur hoſti, captiuusq; in Galliam aſportatur. pag. 921.
Ludouicus Sfortia carceris tabe abſumptus. pag. 921.
Maximilianus Ludouici filius à Caeſare reſtitutus, dein captus ab Gallo,

Gallo, & vices aliae *Mediolanenſium*. pag. 922.

Legati principum Mediolani congregati concilium Pontifici Iulio indicunt. pag. 924.

Cauſa tranferendi concilij Mediolauum ex Piſarum vrbe quaenam fuerit. pag. 925.

Quam infeſta conuenticulo ciuitas, & contumeliae Mediolanenſium in authores eius actionis. pag. 926.

Clerus Mediolanenſis à Gaſtone Gallo cogitur parere Concilio. pag. 927.

Concilij authores in Templo max. vrbis huius Card. Sanctae Crucis Pont. Max. falſo nomine appellant. pag. 928.

Cardinali huic vbi hoſpitium fuerit quamdiu Mediolani moratus. ibid.

Iulius *Pont. Max.* eiicere Mediolano Gallos aſcitis Heluetiorum auxilijs parat. pag. 930.

Mediolanenſes a Cardinale Medicaeo piacula petunt ob contractas labes contagione conuenticuli. pag. 932.

Galli pelluntur Mediolano; Cardinales capita conuenticuli ſugiunt; Medicaeus captiuus eripit ſe hoſti. pag. 933.

Maximilianus Sfortia *Mediolanum* reducitur; & comitas eius in Mediolanenſes. pag. 934.

Coniuratio in eum facta & detecta. pag. 935.

Rex Franciſcus in Italiam irrumpit, capitq; Sfortiam & potitur Vrbis. pag. 937.

LIBER XV.

INiti abelli inter Carolum Caeſarem & Regem Franciſcum. pag. 939.

Tenente vrbem Gallo, qui ſtatus rerum; ciuium miſeriae; fortia mulierum etiam facta aduerſus barbaros. pag. 941. & ſeq.

Fames dira in vrbe, & mulierculae vnius ſcelus. pag. 943.

Eccleſiæ calamitates in eo Gallico dominatu. pag. 944.

Pia opera tempore Gallorum inſtituta Mediolani. pag. 945.

De Iacobo Triultio & Gaſtone & Cardinale Sedunenſi, & Octauiano *Maria* Laudenſi Epiſcopo, qui Gallorum temporibus *Metropolim* obtinnere. pag. 947.

Monumentum Gaſtoni deſtinatum ad D. *Marthae* Aedem. ibid.

Iacobi Triultij pietas in exitu vitae, ac de Sacello per eum extructo. pag.

pag. 948.
De Monaſterio D. Marthae, ac de B. Veronica Nigrona Monaſterij eius virgine. pag. 948.
Miracula eius. pag. 949. & ſeq.
Prodigia, quae Gallorum eiectionem antecessere. pag. 953. cladeſq. publica & repentina ad Arcem Iouis ſeq.
Canobij prodigium aliud. pag. 955.
Quo iure rem Mediolanenſem Rex vterq; ſibi vindicarent. pag. 956. & ſeq.
Leo Pont. Max. inito prius cum Galliae Rege foedere mox Caeſari iungitur; & quanti momenti ea res. pag. 959. & ſeq.
Eiiciendorum Gallorum conſilia quomodo diſpoſita initio fuerint & quemadmodum ea irrita. pag. 961. & ſeq.
De Hieronymo Morono & Manfredo Palauicino. pag. 962.
Foedus Pontifici cum Caeſare aduerſus Gallos occulte initum promulgatur: apparatus vtrinque, & dolus, & quid etiam in vtraque parte peccatum. pag. 964. & ſeq.
Proſperus Columna vt traiecto ad Vaprium flumine in Gallos incubuerit. pag. 968.
Apud Claram Vallem ſedente Caeſariano Pontificioq. exercitu ſpecies mirifica ducibus obijcitur. ibid.
Fit repentina Gallorum eiectio, vel caedes: foederati Metropolim tenent; & quinam caſus ſubitam eam victoriam dederit. pag. 971.
Pontifex Leo moritur, & afflictis eo caſu Caeſaris rebus Galli animos erexere. pag. 971.
Obſidetur a Gallis oppugnaturq; vrbs; & ab Gallorum odio quanta conſtantia populo Mediolanenſi. pag. 974.
De Andrea Barbato Auguſtiniano fratre concionibuſq; eius ad populum, Med & quanti motus animorum per eum facti in Vrbe. pag. 975. & ſeq.
Franciſcus Sfortia adhuc Tridenti moratus reducitur Caeſaris ope, & quaenam cauſa iter eius diſtuliſſet. pag. 977.
Qua arte in vrbem ille introductus, & quatopere ea res affixerit Gallos. pag. 97[illegible]
Galli dedita Iouis arce in patriam redeunt. pag. 980.
Miſeriae vrbis poſtquam Hiſpani cum Sfortia ibi conſtitere. pag. 981.
Bonifacius Vicecomes vt occidere Sfortiam tentarit. pag. 984.
De caede Monſignorini per Iacobum Medicaeum patrata. pag. 985.
Quos in vrbe motus ea res conciuerit. pag. 988.
Noua pericula vrbi ex Gallorum aduentu, & quae res in magno diſcrimine

crimine fuerit ſaluti. pag. 989. & ſeq.
Proſperus Columna Mediolani moritur. pag. 993. Lanoia Succedit ei. ibid.
Boniuetana aduerſus Metropolin expeditio, exituſq; eius. pag. 995.
Peſtilentia Mediolani ingens ex contagione Gallorum. pag. 996. & ſeq.

LIBER XVI.

POſt peſtem forma Statuſq. vrbis. pag. 1002.
Irruente rurſus Gallo Moronus populũ hortatur vt ſeſe hoſti permittant. pag. 1004.
Sfortia, & Moronus ob deditam vrbem ſuſpecti Caeſarianis. pag. 1005
Rex Franciſcus ad Vrbis moenia ſuccedit abſceditq; conſilio infelici. pag. 1006.
Pontifex Clemens vt ſpem pacis tentarit primò, dein foedere illigatus fuerit. pag. 1008. & ſeq.
Regis Franciſci iuuenilis error apud Ticinum; initia cladis; & de Iacobi Medicari facinore, quo Caeſarianos demeruit. pag. 1011. & ſeq.
Vt apud Ticinum ſita fuerint vtraque caſtra. pag. 1013.
Vt captus nocturno praelio Rex Franciſcus atq. perductus in Hiſpaniam fuerit. pag. 1015. & ſeq.
Poſt eam victoriam nouae Mediolanenſium calamitates; vtq; Daualus Sfortiae, & Morono turpi fraude exitium pararit. pag. 1017. & ſeq.
Diſſimulatio Caeſaris aduerſus Sfortiam: Dauali fraudes nouae: captiuus Moronus: Sfortia intra arcem obſeſſus. pag. 1022. & ſeq.
Daualus Mediolani moritur, ac de eo homine quenam fama fuerit. pag. 1025.
Antonius Leua ſuccedit ei. & tenente eo exercitum, quae Mediolanenſium conditio. pag. 1028.
Tumultus in vrbe ob Leuae importunos mores, & incendium eius iuſſu excitatum, direpta cuncta hoſtiliter, & qui finis ei calamitati. pag. 1033.
Franciſci Guiciardini locus, quo deploratae Mediolanenſium calamitates & deſcriptae. pag. 1036.
Borbonius Regis ſui prod.tor & transfuga Mediolanum à Caeſare cum imperio miſſus ſtolide barbareq; in Mediolanenſes ſaeuit. pag. 1038.

Preces

Digitized by Goo

Preces & pacta Mediolanenſium, quibus eum placare fruſtra tentauerunt. pag. 1037.

Eius Borbonij ridicula mors. p. 1041.

Iacobi Medicaei ſolertia, qua paratam ſibi captiuitatem eluſit. pag. 1045.

Iacobus Medicaeus Venetos legatos capit: Montem acutum occupare ſtatuit, occupatq; excogitato ad id dolo. pag. 1047. & ſeq.

Exercet imperium in finitima loca ſubigitq; Briantaeos & Orobios. pag. 1050.

Antonius Leua dolo Medicaeum fruſtra aggreditur. pag. 1051.

Medicaeus cum Rhetorum legione prope capit vrbem, circũuentusq; ad Carratum aegre euadit. pag. 1052. & ſeq.

Villaterclus Hiſpanus adimere Medicaeo Muſſienſem arcem tentat, idq; conſilio infelici, & cum ſuorum pernicie. pag. 1054.

Medicaeus Leucũ obſidet, prohibetq; auxilia, quae illuc ex vrbe mittebantur. pag. 1056.

Antonius Leua Medicaeum per beneficia Caeſari conciliat; iſq; ab ea reconciliatione maiora animo agitat. pag. 1056. & ſeq.

Iacobi Medicaei fratres, ſorores; vtq; conſtituta domus ei ad Muſſium fuerit. pag. 1060.

Philippus Hiſpaniarum princeps Carolo Caeſari naſcitur, & ob eius rei gratulationem miſſa in Hiſpaniam legatio Mediolanenſium. pag. 1061.

Philippus Archintus Legationis eius princeps quae apud Caeſarem egerit. ibid. & ſeq.

Permotus legatione Caeſar benigne ad Mediolanenſes ſcribit anteà ſubiratus p. 1062.

Caeſar in Italiam venit: Archintus iterum ad eum legatur. p. 1065.

Collegium Iuriſc. Mediolani antiquitus fundatum priuilegijs ornat. ibidem.

Franciſcum Sfortiam, data praeteritorum venia, ducem eſſe Mediolani iubet. pag. 1066.

Inimicitiae inter Franciſcum Sfortiam & Antonium Leuam damnoſae vrbi. pag. 1068.

Sfortia ſuſpicionibus varijs irritatus, Philippum Archintum diſcedere Mediolano iubet. pag. 1069. & quem exitum ea res habuerit. pag. ſeq.

Iacobus Medicaeus cum Sfortia bellum gerit. pax inter eos agitata per Epiſcopum Vercellarũ, & quibus conditionibus p. 1071. & ſeq.

Liber

LIBER XVII.

Medicaeus Vallemthelinam inuadit; ac de regionis eius ſitu cõditioneq; vetere & noua. pag. 1076. & ſeq.
Conſilia Medicaei in Valle aggrediẽda pag. 1079.
Apparatus & vires in eam expeditionem. pag. 1080.
Euentus varij, & quomodo ob rem proſpere geſtam, legatos ad Principes miſerit, honoremq; etiam Deo habuerit. pag. 1082.
Quid duobus Parochis acciderit. ibid.
Quomodo Medicaeus expeditionem eam omittere coactus fuerit. pag. 1084.
De rebus eius ad Montemacutum, totoq; Briantaeorum tractu geſtis. pag. 1085.
Bernardini Petraſanctae, & Criminalis cuiuſdam fortia facta in exercitu Medicaei. pag. 1086
Gabriel Medicaeus Iacobi frater dimicans cadit; ac de iuuenis eius indole, honoreq; ei poſt mortem habito. pag. 1087.
De Templo D. Iacobi ſupra Leucum, vbi ſitus Gabriel. ibid.
Inuocata D. Barbarae Virginis ope Medicaeus proſpere gerit rem. pag. 1088.
De Gabriele Cerbellono Medicaei conſobrino. pag. 1089.
Pax inter Sfortiam, & Medicaeum olim tentata, quomodo per Vercellenſem Epiſcopum conciliata demum fuerit. pag. 1090. & ſeq.
Sfortia moritur & Caeſari legat imperium. pag. 1091.
Eo mortuo Mediolanenſes legationem ad Caeſarem mittunt. p. 1092.
Philippus Archintus legationis eius princeps apud Caeſarem manet. pag. 1093.
Depoſcit eum à Caeſare Pont. Max. vtq. ſummis Eccl. muneribus admotus fuerit. pag. 1094. & ſeq. & res eius geſtae. ſeq.
Rex Frãciſcus audita Sfortiae morte vrbem Mediolanum appetit rurſus, & nouum inde bellum. pag. 1098.
Antonius Leua moritur in eo Gallico bello. pag. 1099.
Alphonſus Daualus & Carraciolus Cardinalis ei ſuccedunt. pag. 1100. Res eius Cardinalis, & de monumento eius in Templo max. ibid.
Medicaei fratres à Vaſthio circumuenti & in vincula coniecti, & quẽ ea res exitum habuerit. pag. 1101 & ſeq.
De Vaſthij eius moribus, vltioneque Medicaei in eum. pag. 1104.

Seditio

Digitized by Go

Seditio Mediolani orta : calamitas inde vrbis, & legatio in Hiſpaniã miſſa. pag. 1105. & ſeq.
Carolus Caeſar Mediolanum venit, & qua populi Cleriq; totius gratulatione acceptus. pag. 1107. & ſeq.
Gallorum ſtrages ad Stradelam. pag. 1116.
Alphonſus Daualus moritur; ſucceditq; ei Ferdinandus Gonzaga. pag. 1118.
Gonzaga vt munierit excolueritq. vrbem. pag. 1118. & ſeq.
Philippus Caroli Caeſaris filius Mediolanum venit. pag. 1120. & ſeq.
Apparatus, & gratulatio vrbis in eius aduentu. pag. 1123. & ſeq.
Criminatio in Ferdinandum Gonzagam, & defenſio eius. pag. 1126. & ſeq.
Hyppolitus Eſtenſis Cardinalis Mediolanenſem Eccleſiam tradit Ioanni Angelo Arcimboldo. pag. 1130. vtq. Arcimboldi morte redierit res ad Eſtenſem. pag. 1131.
Iacobus Medicaeus moritur. ibid.

LIBER XVIII.

ORdo Sancti Franciſci de Paula, quando ad Vrbem collocatus fuerit. pag. 1133.
Franciſcani minores quando Sancti Angeli Aedem, quae nunc dicitur, aedificare coeperint. ibid.
Carolus Caeſar Philippo filio rem Mediolanenſem tradit. pag. 1135.
De altero Principis in vrbem aduentu. ibid.
Ferdinandus Toletanus Mediolanum cum Imperio venit. pag. 1136.
Eo Neapolim euocato Cardinalis Madrutius vt Prouinciam obtinuerit. pag. 1137.
Regendis Italiae rebus inſtitutus a Rege Triumuiratus vt infelix fuerit. ibid. & nouae Gallorum irruptiones. ſeq.
In eo metu viginti quinque millia Mediolanenſium armantur, eaeq; Ambroſianae cohortes dictae. pag. 1141
Cardinalis Eſtenſis abdicat ſe Pontificatu Ambroſiano tribus nominatis, quorum vnus à Pont. max. Archiep. fieret; vtq; is Archintum elegerit. pag. 1142.
Decuriones Vrbis ad Regem Philippum de Archinti Pontificatu ſcribunt, petunq; vt cum bona ipſius venia adire Eccleſiae poſſeſſionẽ poſſit. pag. 1143.
Alterae tertiaeq; literae ſuper ea re mittuntur; & earum exempla. pag.

pag. 1144.
Trinae Regis litterae Mediolanum allatae ſuper Archinti Pontificatu, & earum exempla. pag. 1145. & ſeq.
Quae impedimenta Archinto oblata ad poſſeſſionem Eccl. adeundam. pag. 1147.
Quomodo Regius Oeconomus praecipue ei obſtiterit, ac de hominis eius importunitate triſtiq; fama. pag. 1148. & ſeq.
Pontifex Paulus Pallium Archinto tranſmittit. pag. 1150.
Vicarius Archiep. prioris praecipue negotium Archinto facelſit, & qua occaſione, quoue inſtinctu. pag. 1151. & ſeq.
Archintus excedere Mediolanenſis agri finibus iubetur, vtq; Bergomi ſit mortuus. pag. 1153
Fama de ſanctitate eius quibus argumentis comprobata. pag. 1154. & ſeq.
Carolus Caeſar moritur, & celebrantur exſequiae Mediolani. & occaſione ea, res ipſius breui compendio repetitae. pag. 1158.
Io. Angelus Medicaeus Mediolanenſis fit Pont. Max. totaq. eius vita repetita ob merita in patriam. pag. 1161. & ſeq.
Carolum Borromaeum, qui poſtea ſanctus fuit, participem conſiliorum omnium is Pontifex ſibi aſſumit. pag. 1171.
Studia & mores eius in Auunculi Pontificatu. pag. 1173.
Mediolani Archiep. factus in Patriam venit. pag. 1174.
Eius Pontificatu noua facies data Clero populoq; Mediolanenſi; & occaſione ea repetitae vrbis antiquitates. pag. 1175.
Decora quoq; repetita vrbis; Pontifices; Cardinales; bello clari. pag. 1177. & ſeq.
Studia literarum antiquitus frequentata vrbi. pag. 1181.
Gymnaſia Vrbis vetera, & noua. pag. 1181. & ſeq.
Societatis Ieſu patres quando in vrbem inducti. pag. 1183.
De Seminario S. Ioannis, & Collegio Heluetico, & Seminario Canonicae. pag. 1184. & ſeq.
De veteribus Templis vrbis pag. 1186. & ſeq.
Publica opera pauperibus alendis. p. 1199. & ſeq. vſq; ad finem.

Digitized by Go

IOSEPHI RIPAMONTII EX COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

PARS ALTERA

Liber Primus.

Ille & centum annos æui prioris à D. Barnabæ aduentu ad vſque extrema Chryſolai decem libris amplexus, reliqua iam hinc peragam, auctâ diligentiâ propter magnitudinem rerum, & ipſa die, qua non curæ modò hominum, ſed animi quoque meliores fiunt. Etiam ipſe Collegij noſtri Parens Cardinaliſque Federicus, ſapientia & liberalitate ſua iuuit rem, Paſtorque populorum, & Orator ille, recognoſcere ac

monere pleraque non eſt dedignatus; olimque docuerat, quemadmodum ad ſacram Hiſtoriam ſermo nobis aliqua ex parte aptus fieret; quod memoraſſe volui, vt narratio noſtra, nonnihil hinc etiam dignitatis auctoritatiſq; aſſumat. Ac debueram id ipſum grato animo, profiteri propter illam quoque cauſam, vt inter cetera ſpectatae magnanimitatis exempla, quæ noſtris priſciſue temporibus ex Borromæa Domo prodiere, nouum etiam hoc, & nunquã fortaſſe poſtea redituium exemplum Eccleſiae Mediolanenſi repræſentaretur; quod nimirum Ambroſiani Collegij homines, diſciplina, & inſtitutione Cardinalis latine ſcribere aſlueſſemus. Monendo enim ſæpe multa, & dictãdo, & ſcribendo Parens idem Auctorque noſter, dedit Collegio toti politiora ſtudia, & cultum hunc humanitatis, antequam alimenta, & nomen, & leges, & mille villarum pretijs extructam Bibliothecæ ſedem daret. Et poſtquam in corpus redacti feliciter vnum fuimus grãdiorque iam aetas, aditus nobis ad Principem interiores frequentioreſue præbebat; nullus fere erat dies, quo non die, aut de noſtris ille ſcriptis aliquid emendaret, aut nos ex ipſius imitatione, & ſermone multa arriperemus. De innocentia & fide operis mei credi hoc amplius velim; petitam omnem eſſe narrationẽ ex veteribus Eccleſiae monumentis, partim quae ſuppeditauit, ſiue indicauit mihi Cardinalis idem Archiepiſcopuſq. Federicus; partim, quae reperi ego & abdite diſperſa collegi. Vtor vero Bernardini Corij teſtimonio locis aliquibus, quia ei quoq; in Sfortiarũ

do-

Digitized by Goo

domo annales olim componenti ſuos, & Principis nutu tabularia cūcta peruolutanti, ad manū fuere, nō ſolùm pleraq; eorū, quae obtigere nobis, ſed alia inſuper, quae rem hanc hiſtoricā apud ſacra Archiuia perueſtigādo & vrgēdo fruſtra perquiſiui, cùm alioqui tamen eiuſmodi monumentorum indicia non obſcura teneremus. E ſcriptoribus alijs, quicunque res Inſubrum attigere, olim, ſiue recens cogniti, noſtrates aut exteri prouinciam amplexi totam, ſiue proprij ſingularum dominationum, litera huc nulla translata reperietur, vel quia fons narrationis omnibus vnus fuit, vel quia, perueſtigatione ſua nequaquā illi poſteriorē hanc noſtrā in Patriae rebus æquare diligentiā potuerunt. Itaque, non Calchus, aut Iouius, non Sigonius, aut Merula, vel Simoneta, non quiſquis alius eximere plebeio ſermoni, & componere ad aliquam Romanae Hiſtoriæ ſimilitudinem Inſubriae æuum tentauit, cum narratione hac noſtra, tam fida & ſincera, quàm incompta & rudi, commune quicquam attulere præter locos & teſtimonia ipſa, quæ prolata vltro, & notata extabunt. Neque per iactantiam id ita profiteor, ſed ne in vlla operis parte, promptis nimium ad talia hominum linguis, actum egiſſe dictus fuerim; poſuiq; ſic authorum nomina, vt ſi in hoc mentior, notis eorum libris prompte conuincar. Atque hæc quidem ad fidem rerum, ad innocentiam vero & ſimplicitatem, quæ coniuncta fidei eſt, illud quoque pertinebat. Nullæ mihi aduerſus nationes & prouincias inimicitiæ fuerunt, quæ ſtimularent abſurde animum meum, vt ob-

trectare gentibus vellem. Nulla etiam obtrectatio, vel ſimultas, aut liuor aduerſus Reges Reguloſue, vel aduerſus illuſtres vrbis familias, vt maligne conquirerem proderemq. ſi quid vlla in domo triſte olim fuit. Sed in tot humanis caſibus nataque ad peccandum mortalitate, hominum vitia, calamitateſue familiarũ, quae tot antè ſæcula extitiſſent, nihil ad eos, qui nunc eſſent homines pertinere exiſtimaui, ſiquidem etiam Auorum fortitudo, vel continentia, falsò nepotum virtus diceretur. Et aliorum cuſtodita literis talia ſi comprimere ego & ſedulo occultare voluiſſem, non hiſtoriam texere, ſed laudationem venditare diceremur, meritoque deinde abeſſet fides quoties illuſtria & glorioſa memorarem. Et bella vaſtationeſq. narrando, ſi quem, aut exercitum, aut Imperatorem, barbarum fortè nuncupaui, appellatio fuit ea, nõ hominum, ſed rerum quae tunc fiebant. Adeò gentes poſt tot annorum ſpatia eaſdem non offendi poſſe arbitrabar, quas praeſertim humanitate & cultu nomen hodie aequare Italum viderem, ſicuti tunc armis aequauere. Ne patriae quidem peperci, quoties publica aliqua culpa accenderat indignatione animum, & collatae in eam laudes citra veri iniuriam ſtetere. Vtinam verò ſcriptitandi laboribus hiſce, & in Eccleſiae rebus induſtriâ poſſim in altera vita mereri diuinae clementiae partem, ſine qua ſpe omnis reliqua cura parum grata animo meo erat.

Initia

Digitized by Go

INitia, & finem Archiepiſcopi Chryſolai (nam id extremum decimi prioris libri fuit) retuli ego ſicut in vulgatis erat annalibus, ad eamque famam ipſæ Pontificum tabulæ congruebant. Ceterùm, huius noui Operis initio, id etiam debui proponere, quod inſpiciendo monumenta alia, conſtantiſſime traditum reperi; ac velut integra re, dę Pontifice hoc ſecundiora quædam memorabo: Neque tamen variatione & diuerſitate hac, litteris tabulisve vllis abrogatam eſſe in reliqna fidem oportebit, facili nimium inter famam vtramq; confinio, quod ſententiam, etiam vtramque ſuſtinere queat. Quia enim fuerat vtique certamen, Chryſolaum inter, & Iordanem Cliuium; quodq; de Pontificatu Ambroſiano magna contentione ambigentes eos ita compoſuerat Pontifex Maximus, vt Chryſolao amoto, Iordanem retineret: hinc potuit adhæreſcere labes, & nota priori, tamquam eum, impurum veluti, & infando ſacrarum rerum mercatu contaminatum Clerus populusque Mediolanenſis auerſaretur. Scilicet illud graue diſſidium, & ex diſſidio calamitas Eccleſiæ Mediolanenſis, & offenſio popularium, & æmulus Chryſolao Iordanes, & fautor illius Henricus, & qui pro altero hoc ſtabant, & nota licentia famæ, gliſcensque ſemper in rebus antiquis error, hæc omnia ſimul maculam fortaſſe impoſuere homini, quam neq; cætera eius vita, neque controuerſia tota, neque controuerſiæ finis meruerat, vt pro ſacrilego, & Simoniaco, fœdoque capite in annales iret. Erat litteratura viro plane

digna

digna Pontifice. Theologorum ea tempeſtate facile princeps: totius Eccleſiaſticæ antiquitatis peritus: Latine, & græce doctus idem, non ſicuti quotidianum, & commune verbum eſt, ſed re vera, quantum in illa quiſquam ætate eſſe poſſet. Recenſet Tritemius vtriuſque linguæ monumenta, quæ Chryſolaus hic reliquerit, additque ſeparatim, quod profanas literas tractaſſet ac noſſet nemo politius interiuſue. Ad quas optimarum artium diſciplinas, cùm vſus quoque rerum, & ſpectata pietas, & præclara naturæ adiumenta adiungerentur, dignus idoneuſq; viſus erat Pontifici Paſchali, quem ſibi Conſtantinopolim ad Alexium Imperatorem legaret, confutandæ hæreſi, quæ Spiritus Sancti diuinitatem in dubium vocabat. Miſſus autem eò eſt ferens alia in ſpeciem mandata ſuper ijs rebus, quæ palam agendæ erant, ne, ſi aliter fieret, Romanusq; repente diſputator in Græcia conſpiceretur, irritatio animorum potius ea, quàm remedium ſalubre eſſet. Ante omnia periculum fuiſſe tradunt, ne venienti aduerſus inſanam eam opinionem legationi minime aditus in Aulam daretur, fauentibus dogmati ijſdem, qui rerum illic potiebantur. Ob id, res aliæ ſumptæ obtentui, quæ res, conſilium ſimul, & conſilij ſimulatio erant: negotium altius maiuſque latebat illud, vt Græci homines Chryſolai diſputationibus, & auctoritate conuellerentur, Imperatorque ipſe de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio ſaniorem doctrinam acciperet. Ita Conſtantinopolim profectus, expoſitis, quæ habebat mandatis, conciliataque ſibi Aula, & quæſito apud

pro-

Digitized by Google

procerum animos fauore, inſerendo deinde leniter ſermones; & modeſte proponendo nonnulla, tenuerat vt certus diſputationi dies indiceretur. Controuerſum erat caput; an Spiritus Sanctus à Patre ſimul, & filio manaret, quod Sanctiſſimum Catholicæ fidei certiſſimumque decretum Græca leuitas trahebat varie, compungebatque ſuis acuminibus, & prouecti paulatim vti fit dubitandi temeritate, iam etiam negare audebant. Theologus enimuero, legatuſque Romanus, multa ſubtilitate, multis auctoritatibus, pondereque, & grauitate rationum, in celeberrimo conuentu haud dubie ſectam áfflixerat, & in vanitate pertinaces, id ipſum mœrebant, quod credere vera cogebantur. Intererat diſputationi Princeps ipſe, vultuque, & oculis, & fronte perplexitatem animi manifeſtam oſtendens, pudorem, & confuſionem addebat elati ſupercilij Magiſtris, qui proterue alias id caput in concionibus lacerare ſoliti, priuatimque etiam implere argumentis aures, nunc fere obmutuerant; & quamuis non deſinerent iactare ceruicem vagiſque ſermonibus extrahere certamen vellent, apparebat tamen eſſe deprehenſos. Eo pudore ac dulcedine erroris rebellantibus animis, phanatico agmine Chryſolaum adorti voluminum imbrem in eum effuderunt. Anteſignani agminis eius fuere, Ioannes Monachus, & Nicolaus Methones, & Euſtratius Nicænus, & Bleminides quidam: per hos tota Græcia libelli ſpargebantur auctoribus ipſis nequiores; neq. Chryſolaus tantùm, ſed vnà cum ipſo maieſtas illius ſupremi myſterij inceſſebatur probris. Ac tulit Græculorum

vecor-

væcordia fructum hunc, vt Chryſolai diſputatio conſeruaretur, quæ per latinas literas vniuerſa interciderat. Dum enim carpendi, & cauillandi cauſa arripiunt transferuntque ſententias, & locos omneis eius habitæ diſputationis, ſic cuſtodita memoria eſt, & eruditus ille ſermo literis aduerſariorum explicatus ad noſtram ætatem peruenit Legatio igitur Conſtantinopolitana hæc, & propugnatio Catholicæ veritatis ab Romano Pontifice mandata Chryſolao; tum artes, & literæ viri, & illuſtria teſtimonia, quæ extant, credere prohibent fuiſſe talem eum, qualem credidere nonnulli, pecuniaque, vti dictum eſt, interpoſita, ad Mediolanenſis Eccleſiæ Pontificatum obrepſiſſe. Peccatum vtique fuit eius, quòd cùm praue, & barbare diſcors Pontifici maximo Henricus Imperator, arbitrij cenſeret eſſe ſui, quem quæque Ciuitas Epiſcopum haberet, diuiſaque vrbs Mediolanum eſſet inter Pontificem, & Imperatorem, ipſe ab ea parte, quæ Cæſarem ſequebatur, in ſede collocari ſeſe Ambroſiana paſſus fuerit, ſicuti turbatis Italiæ rebus, Epiſcopi tunc plerique fauore Caeſarianorum fiebant. Et Chryſolaus quidem iſte, flagitioſus ſiue honeſtus homo, in ciuili certamine, ſecutus eorum impetum, & ſtudia, qui ſibi honorem detulerant, hoc iure Metropolim trahebat. Pars altera Cleri populiq; Mediolanenſis quæ magis pontificiarum partium erat, non tam vt faueret Pontifici ipſi Chryſolaumq; deijceret, quàm ne aduerſarij ſuperiores eſſent, ibat in Iordanem Cliuium, eique ſuffragij ſui prærogatiuam dabat, Ita Ar-

chie-

chiepiſcopus vterque pellere alterum conabatur, Gibellinique, & Guelfi, huic, aut illi aderant, non hominis vnius quem producerent, ſed ſuam omnium victoriam, & ſalutem in eius rei diſcrimine agi exiſtimantes. Vincebant haud dubie Gibellini, qui Cæſaris opibus, & violentia plus, iure cauſæ minus poterant; ac tenente ſedem Chryſolao, Iordanes exſul per Diœceſim extra vrbem vagabatur, ea quærens loca, in quibus aliquid pro ſe eſſe fauoris, & indignationis ſperaret. Per Seprienſes maxime ſaltus iuiſſe aiunt, quæ patria illi, multumque affinium, & amicorum, & opes auitæ erant. Modoetiæ quoque ſubſtitiſſe ipſum reperio, nactum ibi tutam exſilio ſedem, quia municipij illius homines Imperatorem adſpernati, obſequium erga Pontificem retinebant. Id poſtea meritum remunerando, ac teſtificando veteris domicilij caritatem, dedit priuatim ornamenta, & decora templo Modoetienſi, quæ adhuc manent. Diſtracta ſic Eccleſia Mediolanenſi inter duos, quorum vterque in illo diſſidio ad ſui capitis diſcrimina ſolicitus atque ſuſpenſus nihil admodum agere publicæ rei potuit, ipſi per ſe Mediolanenſes, turbata quamquam patria turbatiſque animis, Hieroſolymitanam expeditionem, quam Pontifex Paſchalis hoc tempore inſtaurabat, amplexi, frequentes iere illuc exemplo maiorum ſuorum, qui decus idem quaeſiuerant. Addebant ſtimulos recens memoria Pontificis Anſelmi, cuius mortem, mortiſque cauſas lugebant adhuc, nec excidere poterat ex animis, quod vir

tan-

tantus, & patriæ tam amans in tantarum rerum conatu barbara in terra ſic repente cecidiſſet. Ei viro parentari arbitrabantur quò plures irent, neque indecorum ſuper veſtigia ipſius mori. Nobilitas, & opes, & multitudo petentium id decus, fortaſſe hanc Ordini Hieroſolymitano, quæ in noſtra prouincia durat, opulentiam fecere. Neque enim vlla fere ex terra plures aut ditiores in eam Equitum Familiam nomen dedere cùm primũ inſtitueretur. Credibile eſt, eadem pietate, qua Chriſti cauſa in tam manifeſtum tam procul ab domo diſcrimen vitæ ibant, etiam fortunas, quæ multò minoris æſtimantur, in eandem Chriſti cauſam conferre voluiſſe. Qui iam ierant, quiue ire parabant, ipſi, parenteſue eorum, vel foris inter pericula, vel domi in procinctu hæc inſtituerunt. Sederat enim inſuper multorum animis opinio, quæ apud auaros etiam inuitamentum prodigentiæ eſſet, tamquam vniuerſæ mortalitati inſtaret finis, neq; vllus iam rerum humanarum vſus in pereuntis naturæ termino. Auctor eius proſeminandæ opinionis Epiſcopus Florentiæ, quem ſua vanitates impulit, vt falſum prophetam in fine Mundi paratum Chriſto æmulum, natum iam adultumq; eſſe concionaretur. Cupitores fere monſtrificarum rerum ſumus, & creduntur facilè quæ nimium timentur. Stolidi concionatoris dicta prompte accepta, nec ſeſe finibus continuere illis, & ex re tam inani fructus dedere non leues, inhorreſcentibus hominibus quacunque peruaſerat fama, & iungentibus horrori pia facta, quorum ſemper affatim eſt, vbi præſentis exitij metu-

metus venit. Sic Mediolani ad terribile Antichriſti nomen trepidabatur ſimul, & religiosè pièque multa agebantur, ita tamen vt partium factionumq; duces pertinaciæ ſuæ non obliuiſcerentur; Chryſolauſque, & Iordanes de priſtina contentione nihil remittebant. Scilicet, illa de Antichriſto credulitas popularem turbam attingebat magis; ſiue credebant potentiores etiam, & nihilominus potior certaminum quàm ſalutis cura erat. Tanti certe terrores Italicas vrbes inuaſere, vt Pontifex Paſchalis, indicto ad Guaſtallam aduerſus Henricum conuentu, cùm eò proficiſceretur, ea dilata actione Florentiae ſubſtiterit, interea dum confutata Epiſcopi leuitate dimiſſiſque per Italiam litteris, & edictis, attonita perculſaque omnia vltro ad ſecuritatem vocaret. Henricus interea, ſtimulantibus furijs, depoſito Imperio, cùm id repetere conaretur, à filio turpi certamine victus, hinc ad pudendam lapſus egeſtatem, inſigne documentum potuit eſſe, ne quis principũ Regumue, vmquam diuina iura contrectaſſe hoſtiliter velit. Ille Apoſtolicae poteſtatis inimicus, & raptor, qui Sacrarum dignitatum inſignia peti ab ſe vno aequum cenſebat, qui Mediolanenſi Eccleſiae dare Pontifices, dare ciuitatibus alijs voluerat, Epiſcoporum denique vni miſerrime ſupplex fuit, vt ſeſe inter Chori miniſtros a lere vellet; cumque non impetraſſet, extabuit dolore ſimul, & fame, iacuitque inſepultus. Huius Henrici morte res Mediolanenſium proxime libertatem venere contemptu ſucceſſoris, quem oderant, nec timebant; iam-

que deſtinantes ſibi non liberae modò Reipublicae formam, ſed Inſubriæ totius dominatum, conſenſe-rāt ad exuendum ipſum Imperij nomen, qua ſeditionum face diſcors ciuitas agitari ſolita erat. Magiſtratus, arma, leges, vitae neciſque poteſtas iam hinc coepere magis arbitrij eſſe publici; Collegiaque, & ordines varios inſtituerant, per quos cuncta adminiſtrarentur, eunte per ſingulos in orbem labore, & emolumēto, temporibus, aetatibus, vicibusque deſcriptis; & per omnia liberi iam hinc populi faciem videres. Cæterùm, ab hoc tempore, iura, & opes, & immunitates Eccleſiae Mediolanenſis conſtat valde eſſe diminutas. Nam, quae Reges, & imperatores, pietate vel imitatione pietatis indulſerant olim ac donarant, ea deinceps reſiduis in tam potenti Republica partium ſtudijs atque certaminibus, vel ciuium aduerſus Archiepiſcopos, vel Archiepiſcoporum etiam in ciues quotidie attenuabantur. Sed ferociam vrbis exultantis noua libertate, damnaque per eam illāta Pontificatui Ambroſiano, per temporum deinde gradus, vt quaeque res inciderit, cognoſcendi ac ſpectandi erit facultas. Hoc tempore, quod medium fuit inter Henrici patris finem, & filij in Italiam aduentum, circumferendo etiam arma Mediolanenſes, id ipſum teſtari voluere, quod ſine domino erant. Cùm enim duae minores finitimae Ciuitates, Derthona, & Ticinum, inter ſeſe digladiarentur magis quàm bellum gererent, atque in eo certamine Derthonenſes diffiſi viribus à Rep. Mediolanenſi perijſſent auxilium, haud

grauatim

Digitized by Google

grauatim inſeruere ſeſe dimicantibus, vincebatque ſine dubio aliena vi pars infirmior. Ideo Ticinenſes etiam ad opem confugere Cremonenſium, ſimulque ab Laude Pompeia ſuppetias acciuere. Hi trium Ciuitatum exercitus, cùm aequo Marte diſceſſiſſent, ſublati euentu Ticinenſes vltro poſtea Mediolanenſibus ipſis inferre bellum auſi ſunt duce Vidone vrbis illius Epiſcopo. Non erat indecorum ipſis tunc capeſſere pugnam Epiſcopis, quodque flagitium hodie haberetur, id turbulentia temporum igeniorumque illorum laudi inſuper apponebat. Glorioſa principio res exitum ignominiae dedecoriſque plenum habuit. Non victi ſolùm Ticinenſes, ſed quod longe calamitoſius fuit, capti ſine praelio nobiliſſimus quiſque eorum, ceu vaenalium grex Mediolanũ in victricem vrbem turpi agmine ducuntur. Epiſcopus ipſe Vido, pro Paſtore dux Imperatorque popularium ſuorum ibat in cathenis ſpectaculum miſerabile ſi quod aliud fuerat vmquam. In palatium inde ad ſedentem ibi Chryſolaum, inter multa tela, multaſque ducentium manus venit. Id ſacrae dignitati eſſe datum videbatur. Caetera nobilium turba infelix, acta cum clamoribus in forum, ibi aliquãdiu ſtetit oſtentui; deinde manipuli palearum circa baltheum vnicuique inſeruntur; his accenſis fumantem cum nidore tetro cateruam dimiſere vt domum irent. Non felicius Cremonenſes pro ſocijs Laudenſibus pugnauere quàm ipſi pro ſe Ticinenſes mouerant bellum. Capta vrbs Cremona mitiorem tamen haud paullo Mediola-

nenſis populi victoriam experta eſt, quàm cùm olim inter Veſpaſianum Vitelliumque data incendio, & ruinis, horribile ad caeteras etiam exemplum fieret, ne ſeſe partem alieni belli facere vellent. Mediolanenſes contenti victoria intactam coloniam reliquere. Mox aderat nouus Imperator Henricus mali parentis peſſima proles, & augendi per Eccleſiae iniurias imperij auidior penè, quamuis imitamenta religionis ad principia rerum adhiberet. Veniebat ſumpturus Mediolani, dein Romae coronas inſignia faſtigij Caeſarum; ac ne praeſidij parũ in ficta illa manſuetudine, & pietate eſſet, ducebat triginta armatorum millia quae ob ſtolidum gentis robur, multò maioris exercitus ſpeciem faciebant. Mediolanenſes, licet iam haud dubie in poſſeſſione libertatis eſſent, vltroque in finitimos imperium exercerent; tamen nihil cunctati accepere venientem, ſiue quia tanti terror exercitus obſtupefecerat repente animos, ſiue quia, vt coronatus abijſſet, nulla in re fore moleſtum credebant. Ab Archiepiſcopo Chryſolao eſt coronatus. Namque exſulem Iordanem longius etiam quàm antea ſummouerat ſtrepitus, & fama venientis Imperatoris, ex cuius factione ipſe non erat. Vadentem inde Romam Henricum Archiepiſcopus idem eſt aſſectatus, eſtque hoc inter acta, quemadmodum Pontifici Paſchali Chryſolaus Mediolanenſis Principem tradiderit de manu in manum, vt Imperator ab eo appellaretur. In ijſdem Romanae coronationis actis reperi; cùm exorto propter importuna Caeſaris poſtulata

tumultu

tumultu, captoq; Pontifice, Caeſar viciſſim ipſe ad necem appeteretur, euaſiſſe pernicitate equi, quem ei Otho quidam Mediolanenſis ex Chryſolai aſſeclis obtuliſſet. Othonem eum, quia Caeſari ſic effugium dediſſet, à populo Romano interfectum, multaque vulnera exanimi iam corpori addita in contumeliam: Pontifici Maximo, per pactionem dimittendi captiuos Cardinales, extortum à Caeſare priuilegium, vt liberum ſolutumque ipſi eſſet; Abbates, & Epiſcopos in poſſeſſionem Eccleſiarum inducere quos vellet; cuius honorem non haberet ipſe ratum, is vt ne conſecraretur. Haec Caeſaris in Pontificem violentia, cùm in illius comitatu Chryſolaus eſſet, nõ liberat ſuſpicione hominem, quem nos abſoluere crimine, conati ſumus. Caeterùm, Mediolani ſpes quotidie magis ea creſcebat, quam de nouo Imperatore conceperant animis; fore nimirum, vt auerſus in alias ille curas, vel longinquitate ipſa, vel ingenij mobilitate vrbem hanc ſineret eſſe ſui iuris, aſſueſceretque non magis quaerere quicquam eorum, quae hic fierent, quàm nos quid in media Germania fieret, quaereremus. Hac ſpe Conſules Principeſque vrbis, iam haud dubie imminentes Inſubriae totius imperio, Laudem Pompeiam aggreſſi in poteſtatem redegerunt. Omnia exempla ſeueritatis in captam eam vrbem edidere, ſiue ab vetere odio, ſiue ab recenti ira, quòd aliquandiu morata victoriam eſſet, ſiue ſpargendo in finitimos terrori, ſiue ne quid virium ad rebellandũ relinqueretur. Diruta moenia, dirutae aedes,

in

incapita quoq; ſaeuitum ; pauculi vici ſuperſtites fuere, cùm antea laxe ſpatium vrbis pateret. Sublati publici mercatus, non cum finitimis modò, ſed etiam inter ipſos; quodque priuati ſemper arbitrij fuerat, vt ex qua cuique viſum eſſet domo, vxorem duceret, id ſub durae legis vincula coniectum, edicto, ne qua mulier vlla ex domo enuberet, ne quis vir vlla ex domo duceret, niſi prius ad Conſules Mediolanenſes de eo connubio eſſet relatum. Denique religionis etiam habita cura, & populus ille Laudenſis, in verba Pontificis Romani ſolenni iureiurando adactus; Epiſcopumque vrbis eius Ardericum reperio, conceptis verbis pro concione eiuraſſe, & aboleſſe acta omnia Obizonis, Fredézonis, & Reginaldi, qui treis ante ipſum Epiſcopi, Caeſaris fauore praeter Pontificis auctoritatem, Eccleſiam illam adminiſtrarant. Id haud dubie factum eſſe debuit ab Arderico Conſulum Mediolanenſium impulſu, qui, occupatis quamquam animis ira, odio, victoriae aeſtu, & tanta rerum caligine, propugnationem eam pontificiae dignitatis ſuſceperunt. Namque vis illa per Imperatorem illata Chriſti Vicario, captiuitaſque eius, & Cardinalium, & expreſſa per vltimam neceſſitatem Apoſtolica iura, & factum illud indigniſſimum offenderat omnium animos; paſſimque auctorem iniuriae deteſtantes, partem alteram miſerabantur etiam qui antea infenſi fuerant. Et per offenſionem alienationemque eam reuocatus ab exilio fortaſſe Iordanes ad gerendam vnà cùm Conſulibus rem ad fuit, iſque in conſtituen-

do

do victæ vrbis ſtatu, rationem praecipuè habuit, vt ſimul Apoſtolicae ſedis dignitas, quæ tot modis erat violata reſtitueretur. Sed neque deerant, qui, cum aliqua in Pontificem ipſum indignatione fremerent, exprobrarentque quod viuidum olim illud, & vere Apoſtolicum ingenium humano metu debilitatum infractumque eſſet, ac pene ceſſiſſet poſſeſſione Pontificatus. Quas ille voces, & Eccleſiae querelas, cùm fidelium amicorum ſuſurris aſſidue verberarentur aures, ferre non poterat, multumque conteſtatus, factum eſſe captiuorum Cardinalium cauſa quicquid feciſſet; indicto Concilio, vocatiſque in Lateranum patribus, anathemate defixit Henricum, & priuilegium illud miſerabile abrogauit. In eo Lateranenſi conuentu, actionum omnium prima habita eſt, vt Mediolanenſis Eccleſia redigeretur in tranquillum, laetique patres eam relationem accepere. Adeò, publice diſplicebat, eſſe diſſidium illud in Metropoli, Chryſolauſque tanti nominis vir, & Iordanes ipſe, quò maiore per omnes terras fama erant, eò grauius diſcordia ipſorum, & Eccleſiae illius calamitas accipiebatur. Cùm tanta ſedis Apoſtolicae res ageretur, eiuſque negotij cauſa Concilium eſſet indictum, conuerterat tamen res Ambroſiana ſtatim omnium in ſe curas, & Romanae confirmandae maieſtatis initium fieri non poſſe arbitrabantur, niſi prius Ciuitas ea conquieuiſſet, cuius ſemper agitatione, & motu pleraque concuterentur. Pontifex maximus primo Concilij die, de ea Mediolanenſi controuerſia cognoſcere Cardinales

dinales iuſſit. Poſtero die, ſententijs dictis, decretum in hæc verba eſt factum. Quia neque neceſſarium, neque vtile eſt, Chryſolaum Epiſcopum, relicta Eccleſia, quam initio tenuerat, alteri Eccleſiae praeeſſe; ideo Chrysolaus ad priſtina gubernacula redito; Iordanes Metropolim Ambroſianam obtineto. Ita cum bona pace Chryſolaus ceſſit Iordani. Iordanes inde quiete ac pacate Mediolanenſem Eccleſiam regebat. Concilium ſtatim prouinciale habuit, agitando & quaerendo quanam ratione prouincia tota reuocaretur ad ſedis Apoſtolicae auctoritatem, aſſueſceretque populi nuſquam aliunde pendere. Prouinciales Epiſcopi conuenere decem, & octo, hique cernentes inclinata ad Pontificis nutum omnia, labantem Caeſaris cauſam, & Archiepiſcopi conſtantem animum, fuere in officio, etiam ſi quos obnoxius beneficijs animus, & diſpar occulte voluntas in partem alteram inclinaret. Ab hoc prouinciali conuentu, multa iam erant expeditiora Iordani, tollebaturq; paulatim re ipſa Caeſaris Regnum ex omni Eccleſiaſtica iuriſdictione Mediolanenſi, ſicut ex ciuili Imperio, ſpe ac deſtinatione ſublatum iam in eadem vrbe erat. Mouebantur loco profani homines adepti olim ſacra munera commendatione Caeſarianorum: acta reſciendebantur omnia, quaecunque nominis, & fauoris eius ſuſpicione aliqua tamquam tabe infecta eſſent. Ac veluti templa ſanguine humano violata expiantur, conduntur q; de integro caeremonijs, & ritibus, & adſpergine luſtralis aquae; ſic Mediolanenſis

Eccleſia

Digitized by Goo

Eccleſia per Iordanem Archiepiſcopum purgabatur hominibus & inſtitutis illis, alijque homines, & alia legitima inſtituta dabantur. Rurſus, auctoritas & robur, & momentum omne addebatur actis, quæ Romani Pontificis auctoritatem, & nomen præferebant, vidimuſque ipſi Modoetiae in templi illius tabulario patentes literas Archiepiſcopi huius, & diplomata firmandis priuilegijs, quae Anſelmus Valuaſor conſtantiſſimae, & incorruptae erga ſedem Apoſtolicam fidei templo eidem indulſiſſet. Haec, & alia praeclare agentem Iordanem mors abſtulit, non illa quidem plane immatura, cæterùm, vt exiſtimare licet, nonnihil etiam tot curis exilij, certaminumq; & totius vitae laboribus approperata. Obijt nonis Octobris anno octauo poſtquam aemulus Chryſolaus ex Pontificis decreto vacuam ei ſedem reliquerat. Inſtitutum ab eo eſt in Eccleſia Mediolanenſi, vt ad IV. nonas Nouembris, anniuerſario per omnia templa ſacro precibuſque, manes mortuorum expientur, addiditq; funebres ipſe ritus, & mortualis pōpae caeremonias; ex quo credere licet, hominem fuiſſe valde memorem mortalitatis, ac de futura vita ſolicite cogitantem. Sed & bella geſſiſſe eum tradunt, coniunctiſque cum Mathilde viribus Paſchali contra Henricum adfuiſſe. Mathilde fuit virgo, quae tempora illa ſexumque ſuum nobilitare potuit, ſi nihil aliud, vel in feminarum vnquam animis, vel in eo ſęculo memorabile extitiſſet. Regiae ſtirpis adoleſcentula, cùm innupſiſſet Lotharingiae Duci, diem ſuum

obierat maritus antequam iura vlla matrimonij vſurparet. Sic manſerat puellae decus illibatum. Patrium inde imperium vnà cum Beatrice matre per omnia regiarum virtutum exempla adminiſtrarat. Eius morte rem adepta paternam omnem, propugnando Pontifice, quicquid armorum, & opum habebat, occupauit; conſobrinuſq; ipſius Henricus illa clades Apoſtolicæ ſedis haud infeſtiora vlla quã Mathildis arma eſt expertus. Haec denique virgo ſuae ditionis oppida, & fines legauit Apoſtolicae Sedi, idque D. Petri patrimonium fuit. Et cùm ad incrementa Catholicae fidei magnopere pertineret nubere ipſam Vulfoni Bauaro, dedit in ſecundas ſeſe nuptias ea conditione, vt intacta relinqueretur. Fuerat propinquum ei genus cum Epiſcopo Chryſolao, nec valuere ſanguinis vincula, vt in Mediolanenſi controuerſia ſeſe illi adiutricem præberet. Quin etiam, Iordanem, vt dixi, fama eſt, aduerſus Henricum rem geſſiſſe vnà cum Mathilde, minime dubium argumentum, quin Iordani ipſi fauerit magis. Deceſſit Mathilde ad x. Cal. Sextilis anno ſalutis centeſimo quintodecimo ſupra milleſimum, hoc eſt, biennio ferè antequam Eccleſia Mediolanenſis à Paſchale Iordani adiudicaretur. Nec vltra biennium inde aliud Paſchalis ipſe ſuperſtes fuit. Is quinto ſui Pontificatus anno, cùm Epiſcopo Ticinenſi priuilegia quædam antiqua renouaret, id quoque adiecit, vt Monaſterij Cairatenſis adminiſtratio, quod eſt in Diœceſi Mediolanenſi ad Epiſcopum illum Ticinenſem pertineret. Eius Eccle-

ſiae

Digitized by

ſiae Clerique praedia & loca omnia, & fines auctoritate ſua Apoſtolica vetuit premi vllis militum hybernis aut aeſtiuis, niſi ſi incideret aliquod eiuſmodi tempus, vt Pont. Max. de ea immunitate aliter cenſeret, aſſentireturque temporum, & bellorum neceſſitati. Per eos annos ſiccitate valdo laboratum eſt, furentiumque ventorum tanta violentia, vt in prodigij locum acciperetur. Crebra incendia fuere Mediolani, lexque ideo de ignibus lata, ne accenderentur ſcilicet quandocunque ſaeuiret ventus. Ea lex, cùm forte violata vna in domo eſſet, indeque ortum incendium in vicina tecta traieciſſet, domum familiamque eam abſque vlla poſtliminij ſpe, perpetuo exilio fuiſſe damnatam tradunt. Multas ſacras ædes, & publicæ magnificentiæ opera incendio illo eſſe abſumpta cùm ex prioribus adhuc ignium damnis reficerentur. Cauſam fuiſſe calamitatis, præter arentia cuncta humi flatusque turbinum, etiam aedium tegmina ex paleis, aedesque ipſas ex tabulis cratibuſve ignium alimento. Bellator foris, domi ſeditioſus populus, Italiæ dominatum appetens, viciſſim ipſe finitimorum externorumque ſemper inuidia ſolicitatus, ſic tunc habitabat ob belli clades, ob tumultus inteſtinos, ob celeſtes deniquc iras. Nec mirum, ſi in tanta opulentia, tantaque ciuium nobilitate non potuerant inſtaurari veterum aedificiorum ruinae. Nam vbi quies ab hoſte contigerat, vel vbi ipſi quieſcere ſiuerant hoſtem, grauiora intus mala ſeditionum oriebantur. Et poſtquam hæc ipſa quieuerant, repen-

tinae aderant calamitates, quas conſuetudo quotidiani ſermonis, *fortunæ* nomine appellabat; re vera, Numinis irae erant in faſtum & violentiam vrbis. Ita, ferocis & inquieti populi maieſtas, velut ad ludibrium humanae ſuperbiae iacuit aliquandiu tegetibus, & aſſeribus inuoluta. Ingrati profectò ſumus erga Numinis eiuſdem indulgentiam, & ſine cura vel cogitatione vlla trãſmittimus hoc ipſum, quod priuati ciues in vrbe noſtra habitent hodie principum ritu; principum tecta ſufficere regibus poſſint. Excurrunt late vicorum ſpatia: ſpatiantur fora: fatigat oculos aedium altitudo: ſuburbia ſunt vrbium inſtar: vrbs ipſa, caminorum ſyluis, & immenſo tectorum campo domicilium eſſe humani generis videtur. Frontes, & faſtigia, & valuæ domiciliorum maiore ſunt pretio quàm alibi templa. Et templorum hîc ea Maieſtas, vt inter diuinæ & rara decora poſſit nobis hoc etiam exprobrari, quòd in nulla magnificentius, & auguſtius vrbe coli ſe patiatur Numen. Marmore & pictura, & architectorum ingenijs nitent etiam artificum aedes, & ſtamus adhuc in domorum limine, nec dum pretia ſupellectilis, & cumulata intus prodigia cuiquam exprobramus aequaturæ ſingulorum oppidorum praedam ſi Deus immittat hoſtẽ flammasve, quae exhauriant. Ab ſtoreis, & harundine peruenimus in has delicias, neque tamen meliores ſumus quàm cùm piacula illa diuinitus immitterentur. Sed me contemplatio veterum miſeriarum, & praeſentis felicitatis paene non ſentientem

tem

rem ab inſtituta narratione auertit. Cùm tam parata ad concipiendos ignes vrbs fere tota eſſet, & flabra ventorum perpetuo adiuuarent quandocunque parua vna ſcintilla materijs hæſiſſet, alio ſuper aliud oriente incendio, deſcenſum denique eò eſt, vt omiſſo ignium vſu, crudis potius veſcerentur, ne quotidie conflagrarent, quod Donatus Boſſius refert. Auctorem citare debui, quia durius paulò ad fidem videbatur, non potuiſſe tantae vrbis populum, quamuis raptim, excitare tecta & domos, quas non adeò facilè perrumperet flamma. Eiuſdem Boſſij chronica cùm inſpicerem ad hoſce incendiarios annos, in rem aliam incidi, quam cum aliquo tantarum variationum pudore referam tamen. Chryſolaum is, ab Imperatore Conrado, iuſto praelio victum, atque Pontificatu fuiſſe deiectum narrat. Succeſſorem ei, non Iordanem Cliuium adſcribit, ſed Ambroſium quendam ex Mediolanenſis Eccleſiae Cardinalibus, vt verbo ipſius vtar. Cardinales ſiquidem Canonici illi antiquitus fuere appellati, hodieque non abſimilem ei vocabulo in templa ornatum ferunt. Addit huic ſuae narrationi Boſſius omnia, quae rem accipi tamquam non ex vano hauſtam cogant, niſi potiores auctores iam diuerſam eius rei fidem occupaſſent. Pugnae locum notat circa Abduae fluminis ripas: obſeſſum ibi Chryſolaum aliquandiu, mox per intermiſſa cuſtodijs loca ſeſe eripuiſſe hoſti, Mediolanumque profugiſſe: ſic ad vrbem omni compulſo bello, varia fortuna dimicatum in ipſis prope portis, donec Imperator ferro

ignique

ignique ſuburbia tota perpopulatus, agro Mediolanenſi excedere ſtatuerit. Cùm inde excederet finibus, omnem in eo conſumpſiſſe iram, vti per praeconem ediceret, indignum eſſe Pontificatu Chryſolaum; pro eo meliorem honeſtioremque virum dari, Ambroſium ſcilicet illum ex Templi maximi Canonicis, qui Metropolim in poſterum regeret, atque tueretur. Addit verò fabulae auctor; cùm ſub mœnia pugnaretur, etiam inter infeſtas vtrinque acies ſpectaculo fuiſſe ſingulare certamen Eriprandi Vicecomitis, & Bauerij cuiuſdam, qui Conradi fratris filius praecipua ferocia pugnam cieret. Ex prouocatione dimicantes eos, vanis primò ictibus lanceas inuicem perfregiſſe: deinde rem ad gladios manuſque deductam. Eriprandum in eo conflictu cùm ſeſe propius inſinuaſſet, iniecta in caſſidis bucculam manu Bauerio iugulum hauſiſse. Subtexit inde nouas ipſorum inter ſe exercituum impreſſiones, inclinationes, & ſubmiſſis hinc inde ſubſidijs nō ſemel vtramque reſtitutam aciem, & omnia, quæ, vel ancipites praeliorum euentus, vel artes imperatorum oblectamenta legentibus parant. Nec ſanè miraculis, & prodigijs parcit, tamquam e celo quoque fidem, & auctoritatem petat. In templo D. Vincentij, cùm ille ſuffectus in Chryſolai locum Ambroſius à Brimone quodam Archiepiſcopo in conſpectu Germanici exercitus inauguraretur, prodigium viſu dictuque horribile extitiſſe; parentem atque tutelarem Vrbis Ambroſium ſtricto gladio minitantem Imperatori; ſpeciem hanc media templi regione ſublimem

blimem apparuiſſe praeterea duobus, quorum ille conſilijs vteretur. Exortum inde tetro cum fragore nimbum crebris intermicantibus fulgetris, quantos conturbatæ naturę motus numquam fuiſſe antea ſpectatos constaret. Haec ego inter chronica illa Boſſiana cùm reperiſsem, non eſse diſſimulanda putaui, vt hoc exemplo noſceretur Scriptoris illius ingenium, ad vana plerumque inclinantis, dummodo admirabilia ſint. Nihil enim inanius eſse poterat rerum iſtarum relatu, quo temporum ordinem inſane perturbat, imperij ſucceſſionem euertit, nomina Imperatorum miſcet; ac ne parum fuerit, humana negotia mouiſse ſic & labefactaſse, euocat inſuper e celo ſpectra, ſolicitatque naturam; neque Scriptorum alius talia ſomniarat. Iordani Cliuio Henricum Capitaneũ tabulæ quaedam ſubijciunt; eũ Gelaſij II. Summi Pontificis auctoritate ex Templi Maximi Archipresbytero Archiepiſcopum eſse factum; quinto anno mortuum eſse poſtquam honorem adeptus fuerat; neque res vlla quam in Pontificatu geſserit, affertur. Plures, omiſsa Henrici huius mentione, Iordani Bernardum ſuggerunt Clarae vallis Abbatẽ, qui repudiato Pontificatu, non minus famæ nominiſque & caritatis inter Mediolanenſes eſt aſsecutus, quàm quiſquam alius, ante, poſtue ipſum, ſanctiſſime gerendo Pontificatum eundem aſsequi potuerit. Erat mite ingenium illi; ſtudia plena ſanctitatis; mens tota diuinarum rerum; prorſus alieni mores ab rebus illis, quæ verſantur in hominum vita; ciuis Angelorum

rum, & Dei domeſticus eminebat illud; corpore tantùm inter mortales agebat. Cumque videret populum hunc, inter arma, & turbas, & imperiorum cupidines inſanientem, non eſse ſibi multorum capitum belluam attingendam putauit. Excuſata ſua tenuitate recuſauit modeſte honorē, ſpemque praecidit poſſe vllo modo flecti, & exorari. Cęterùm, omnia quae poterant eſſe officia boni paſtoris erga populum Eccleſiamque Mediolanenſem, cumulate praeſtitit, quantum quies illa patiebatur, in quam ſeſe abdidiſſet. Monendo, & adhortando, & pacificando, componere ſtatum Ciuitatis conabatur; extantque inter illius ingenij monumenta treis epiſtolae, quas ad Clerum hunc Eccleſiamq; & Ciues publice conſcripſit. Paterne loquuntur, & oſtendunt, nomen tantùm, & ſpeciem Archiepiſcopi vitaſse Bernardum; animi ſolicitudine, & cura ſpectaſse ſalutem ac dignitatem vrbis quomodo quilibet etiam alius prouidentiſsimus Archiepiſcopus ſpectaret. Epiſtolae illae fuere mihi annalium inſtar; aperuere rerum fores ac prætulere facem ad multa, quae quotidiana haec, & erroribus obnoxia ſcribentium cura non ſatis explicabat; & oracula illa ſummum hiſtoriae decus pandam. Rariſſime enim tale quiddàm in explicanda antiquitatis memoria contingit, vt ab ijſdem, qui res geſſere, petere teſtimonium poſſimus; vt verò ſit quaedam inſuper teſtimonio diuinitas, & ſanctimonia, rarius etiam vſu venit. Bernardus, primo literarum earum verbo, Mediolanenſes ſtatim appellat ſuos, quod

quidem

quidem ad cætera non pertinebat; ſed eſſe notatum oportuit, vt verbi eius coniectura ſatisfieret aliquo modo illis, quos videbam non eſſe contentos auctoritate tabularum, vt pontificatum Eccleſiæ huius Bernardo ipſi fuiſſe aliquando delatum aſſentirentur. Ab ea paſtorali inſcriptione tituloque paterno, vir ille Dei, conſilia, & preces, & minas, quicquid ſeuere, quicquid blande dici potuit in populi ſuperbiam miſcet. Memorat Apoſtolicae ſedis indulgentiam, & conceſſa vrbi Mediolano, quaecunque, vel ad nominis amplitudinem, & famam, vel ad ciuium ſalutem, vel ad omnium honeſtarum rerum arbitrium atque libertatem expetita fuerint. Miſſos ab Roma Mediolanum principes Eccleſiae viros, vt etiam ex dignitate ac ſplendore legationis cęterae Italicae vrbes intelligerent, quantum huic vrbi tribueretur. Si ſtudijs, & inclinatione populari, Paſtorem vnum potius quàm alium habere voluiſſent; annuiſſe ſacrorum principem, & factos eſſe compotes voti. Si quoſdam e ciuitate ſua iure belli detineri captiuos indignarétur, protinus datam eſſe operam, ne dolor ille animos Mediolanenſium inquietaret. Impermiſſa quoque, & vetita data eſſe populi huius magnitudini, ſolutaſque leges in eorum gratiam, vt alterius vrbis Epiſcopus ad Metropolim obtinendam aſciſceretur. Hactenus commemoratio Romanae liberalitatis erga Medionenſes in D. Bernardi literis erat. Caetera precibus, & monitis, & infima obteſtatione conſumebantur. Conquieſceret tandem nobilis populus, inclyta nobi-

litas, vrbs plena gloriae, & hominem cupidiſſimum ipſorum ſalutis audirent. Sedis Apoſtolicae clementiam ita reputarent animis, vt opes, & vim atque poteſtatem nihilo minorem eſſe recordarentur. Si pergerent abuti clementia, prompta in contumaces tela poteſtatis fore. Summum Imperium eſſe Romani Pontificis omnium Eccleſiae rerum; neque quicquam exceptum potentiae illi, quominus cuncta prout viſum fuerit, emendet ac mutet. Poſſe Chriſti Vicarium aequare ſumma infimis, & infima rurſus attollere in quantumcunque faſtigium ei placitum ſit. Epiſcopos inſtituere nouos, tollere veteres, exaugurare alios, alijs amplificare iura, & fines, redigere alios in anguſtum, pœnas etiam irrogare quibus velit, ad pedes denique ſuos compellere ex vltimis terrarum finibus omnes, qui intra Eccleſiae gremium viuant. Sequebatur hinc malorum exprobratio, quae mala perpeſſi Mediolanenſes fuiſſent miſerrimo illo receſſionis tempore, cùm ſcilicet rerum nouarum, & immodicae poteſtatis cupidine, de vetere etiam ſtatu euoluerentur. Quis tunc ferre potuiſſet opem? quaenam iactare poſſent rebellionis eius emolumẽta? Deformatam ſolitudine ac ſqualore Metropolim abruptis velut ab ſuo corpore membris, & amiſſo tot prouincialium Epiſcoporum decore, quò fuiſſet olim clara, & celebrata per gentes omnes. Nunc quoque pari culpa, ſimili fuiſſe deflagraturam incendio, niſi Romana Maieſtas ignoſcendo potius, & ſuſtinendo iras, quàm ſontes euertendo

maluiſſet

maluiſſet declarare quantum poſſet. Verùm iſta quidem iam eſſe tranſacta, & ſicuti temporum curſu tranſierint, ita ex partium animis voluntaria obliuione poſſe deleri. Cauerent in poſterum egregij viri Mediolanenſes, ne reciderent in eundem morbum; nam ſi recidiſſent, non eandem fore ſalutem. Scirent, conſilia eſſe perfidiae quaecunque ab ſuaſoribus alijs proponerentur; conſilium hoc totum eſſe beneuolae ſinceraeque mentis, quae nec ſit errore decepta, nec decipere alios tentet. Pergerent iam tandem agere manſuete atque amabiliter, & reconciliatam ſedis Apoſtolicæ gratiam retinerent. Sic, & conſeruaturos ornamenta, quae recepiſſent, & nouis poſtea beneficijs locum fore. Haec ſumma erat vnis D. Bernardi literis, quae literae rem hanc hiſtoricam magnopere illuſtrant, vel potius ſunt ipſae quarumdam huiuſmodi rerum hiſtoria. Indicant enim, Chryſolaum, cùm alteri cuipiam Eccleſiae praeſideret, ad huius Eccleſiae gubernacula ſtudijs populi fuiſſe aſcitum, idque Pontifice maximo, aliquandiu, vel concedente, vel non prohibente. Magnum Sedis Apoſtolicae tunc fuiſſe negotium, vt pacem cũ hac Eccleſia populoque haberet: quia nõ dabant ſeſe Mediolanenſes, eò eſſe deſcenſum, vt prouinciales Metropolitanae iuriſdictioni ac poteſtati eximerentur. Pacata deinde omnia cum illuſtri reconciliatione animorum, Metropolimque reſtitutam. Dubitatum eſſe tamen, ne parum diuturna pax foret, nimiumq; ſemper amica turbis ciuitas obſequium exſueret rurſus. Ea ſcili-

eet cura Bernardum angebat, paſtorali animo reſpicientem populi negotia, cuius eſſe paſtor recuſarat. Cumque vel litterarum illarum acres, & veri ſenſus, & tam viuidae cohortationis amabilitas, vel tot praeteritorum malorum taedium quotidie magis cuncta tranquillaret, eſſetque rerum, & animorum ea facies, quae perpetuam ex turbulentiſſima tempeſtate quietem ſpondere videretur; alterae mox eiuſdem Bernardi ſubſecutae literae gratulabantur Clero Mediolanenſi ſanas iam mentes ciuium, & compoſita omnia tam grauiter ac decore, quàm dignitas, & amplitudo Ambroſiani nominis poſtularet. Laudabant huius Cleri cum ſingulari pietate prudentiam, quae ſaeuientem diſcordijs, & contumacia populum adducere ſic ad aequitam potuiſſet. Tantæ rei famam late manaſſe per terras omneis, & hilaraſſe cuncta; vniuerſam Eccleſiam triumphaſſe numeroſae ſobolis ſalute, quam plane deplorarat. Deum ipſum laeto ac ſereno vultu accipere gratiſſimum id munus. Se quoque protinus vnà cum ijs qui nuncium ſibi optatiſſimum attuliſſent, venturum fuiſſe Mediolanum, tum debitae gratulationis officio, tum rerum earum cauſa, ſuper quibus rebus ſcriptas ad ſe literas ab ijſdem nuntijs accepiſſet; ſed inſtare Concilij diem, quae ſibi neceſſario eſſet obeunda, neque aliud poſſe praeuerti. Statim ab eius officij perfunctione daturum operam vt Mediolani eſſet. Haec ad Clerum ſcripta erant, qui, Patrem, ſicuti apparet, inuitarat, nimirum vt ipſius auctoritate ac nutu tollerentur ſi

quae

Digitized by Google

quae veterum certaminum fibrae, vel in praeſentia minuere apud aliquorum animos ſynceri gaudij fructum, vel in poſterum dare materiam ſegetemque diſcordijs poſſe viderentur. At inuitanti ſeparatim populo talia quaedam reſcripſit. Honorificum de ſe iudicium inſignis ingentiſque populi minime recuſare, tantoque promptius ac lubentius accipere munus oblatum, quia facto ſeditionum omnium fine cum Apoſtolica ſede redierint in gratiam, & ſumma generis humani gratulatione conſiſtant iam intra Eccleſiae ſinum. Caeterùm, ſicut ipſe gloriari debeat, quòd obſcurus humiliſque homo ab nobiliſſima, & maxima ciuitate pacificator adhibeatur, ita viciſſim ipſis etiam fore honori, ſi, cùm nullis vnquam armatis hoſtibus ceſſerint, multarumque vrbium coniunctos exercitus claris per terrarum orbem victorijs fregerint; ab eiuſmodi nunc homine flecti ſeſe patiantur, vt finitimis ciuitatibus dent pacem. In praeſentia ſibi opus eſſe properato, vt ad Concilij tempus occurrere mature poſſet; poſtquam ei neceſſario muneri ſatisfactum ſit, primum, & antiquiſſimum ſibi fore munus, vt Mediolanum ad ſocietatem pulcherrimi operis accurrat, & parte gloriae fruatur. Concilium erat Piſas indictum ab Innocentio II. conſtituendis Eccleſiae rebus, ſtabiliendae atque firmandae per Italiam paci, & ſuper omnia comprimendis Anacleti conatibus, qui ſacrorum principatum temere vſurpans, & iuſto ac legitimo Pontifici oppoſitus nouum id ſibi nomen ſumpſerat cùm antea Pe-

trus.

trus Leo vocitaretur. Ei concilio adeſſe Bernardum oportebat ob inclytam viri ſapientiam, & famam, quae iam in tantum egreſſa erat, vt nulla publica, & magna res ſatis commode adminiſtrata, ſatiſue recte conſultata eſſe videretur, ad quam adhibitus ipſe non foret. Volebat ille quidem vt dixi fugere ſtrepitum atque tumultus mortalium rerum, ab eratque procul ab hac humani animi leuitate, & morbo, qui nullam niſi cum pompa. & ſpecie plauſuque vitam amat. Sed authoritate Pontificum, Cardinalium precibus, ſtudijs, & concurſu clamoribuſque populorũ, principum voce depoſcebatur magnarum Eccleſiae controuerſiarum deſceptator, arbiter pacis, calamitas, & fulmen haereticorum, confutator, profligator; parens omnium ſalutis. Et vbi ſemel prodierat ex quiete & vmbra, in arenam, & ſolem, nullus pro Catholica fide dimicator acrior fuit. Ille Lotharium Imperatorem Henrici vtriuſque furore pontificia iura appetentem fregit. Gulielmum Pictauienſem aliam Eccleſiae furiam iniecto mirabiliter terrore ſanauit: improbae ſectae principem Abailardum, rationes, & argumenta illius in conuentu celeberrimo compeſcuere ne hiſcere vltra auderet. Ac creſcente ſucceſſibus rerum ardore animi, caſtra quoque, & acies id celeſte ingenium ſenſere. Indignatus enim, natale Chriſti ſolum, & ſalutis noſtrae monumenta tenere barbaros, concionibus primum effecit ſuis, vt indignatione eadem ardeſcerent principum Chriſtianorum animi, dein Carnotenſi conuentu, belli eius gerendi

Digitized by Go

rendi adminiſtrator eſt electus. In Piſano hoc conuentu, qui Patrem ab Mediolanenſi profectione tardabat, non alterius magis conſtantia, & robore ac lenitate perfectum eſt, vt Pontificatus maximus, domita importunitate cæterorum, in eo retineretur capite, cui diuinæ prouidentiæ faſtigium imperiumque id pararat. Et res ea quidem hunc exitum habuit, vt damnato Anacleto Romanam Eccleſiam Innocentius teneret. Bernardus verò ſtatim ab dimiſſo Concilio memor eius, quod de re Mediolanenſi inſpicienda, & ordinanda ſuſceptum habebat, nihil cunctatus eſt, quominus recta inde Mediolanum proficiſceretur. Tradunt alij, non voluntariam eam fuiſſe Bernardi profectionem, ſed iuſſam à Pontifice maximo, Concilijque totius auctoritate ſuſceptam ad confirmandum ſtatum vrbis, quae reconciliata tunc primùm Apoſtolicae ſedi, piacula veterum culparum, & remedia in poſterum vltro expoſcebat. Illud viſum eſt, factum fuiſſe diuinitus, quod cùm patres ab Piſarum vrbe redeuntes domum, circumuenti latronum indagine, ſpoliatique, & vulnerati, & abducti, miſeriarum omnium exemplum fuerint, iuit diuerſo Bernardus itinere, ſaeuumq; ludibrium effugit. Niſi peregrinatio, ſiue legatio illa Mediolanenſis alia regione dediſſet viam, ipſum quoque fuiſſe periturum autumant. Venere Mediolanum vnà cum Bernardo, Cardinales duo, Vido nempe Piſarum Epiſcopus, & Matthaeus Epiſcopus Albanenſis, quò plus momenti ad regendos ciuium animos coniuncta trium auctoritas, &

ſapientia.

ſapientia afferet. Quia tales Bernardo comites iere, adducor vt credam, iuiſſe legationem Pontificis, & Concilij iuſſu quamquam ipſius Bernardi literae aliò coniecturam trahant, & rem fuiſſe antea vltro agitatam teſtentur. Niſi ſi fortè fuit vtrumque ſimul; vt nimium, cùm Mediolanenſes, Bernardum, ſicuti literae iam prolatae demonſtrant accerſiuiſſent, ipſeque annuiſſet, acceſſerit ad ſtudia populi illius, Bernardique propenſionem, & officium, publica etiam Eccleſiae auctoritas, atque ita Cardinales miſſi. Fuit in eo comitatu Carnotēſis quoque Epiſcopus Gothifredus nomine, qui tempeſtate illa litteris, & dignitate vitae excellebat; inde fecerat ſibi magnum vbique nomen, & erat ei cum Bernardo familiaritas ea, quam ſimilitudo ſtudiorum & animorum facilè contrahit, credituſque eſt ipſius Bernardi rogatu ac deſiderio iter illud ſuſcepiſſe. Inclyta ea legatio Mediolanum ibat, miraculo gētibus ob virorum famam, quales numquam fortaſſe antea ſimul conſpecti erant, maximumque miraculum Bernardus ipſe incedebat; vnica ſpes Eccleſiae, ſimulacrum Apoſtolicae ſeueritatis, Regum quoque terror: in paupere lacerna ſqualido, & venerando ore maieſtatem ſplendoremque Cardinalium, qui ſimul ibant, obſcurabat. Conſtans fama eſt, idque inter caetera legationis eius euenta ſcriptores narrauere; cùm ad ſeptimum ab vrbe milliare perueniſſent, humillimo amictu Bernardus, & nitentes inſignibus ſuis Cardinales, reliquumque Romana opulentia graue agmen ſequeretur, obuios ibi maio-

re agmine Mediolanenſes ſpectaculum edidiſſe, quod, & tunc ſtupori intuentibus fuerit, & futuris deinde ſeculis admirationi eſſe poſſet. Nam quaſi ab vilibus ignotiſque capitibus auertentes ab caeteris ora oculoſque, vnum omnes circumſtetiſſe Bernardum, perinde ac ſi veniret ſolus. Quà conſpexerant Patrem, certatim accurrere illuc, ingruere mixta primoribus plebes, clamoribus celebrare altis inclitum nomen. Etiam ante clamores concurſusque eos, ſenſerant in itinere Cardinales, & quae ſimul ibat aula, intercidiſſe plauſus, adulationemque, & motus inanes erga fulgorem honorum, & ludibria fortunae; verſa omnia erectoſque animos in hominem diuinum, qui manſuete ſecum iret. Itaque locum dabant irruenti ad Bernardum populo, & illius alienae gloriae ſpectatores fiebant; haud paullo iucundius afficiebantur, quàm ſi plauſus ille daretur ſibi. Tunc Mediolanenſes accedere propius, vt ieiunum illud, & regale os vſurparent, dare oſcula pedibus, contingere tunicam, velle inde praecidere aliquid; ac fuerat ille in periculo, cùm aduerſus tantae multitudinis aeſtum minime ſufficeret attenuatum inedia corpus, & naturali etiam temperamento gracile ac delicatum. Cardinales ipſi iuſſerunt adſtare qui turbam ſummouerent. Singulis inde acceſſus dabatur, ſtabatque Bernardus inhibens manu, vt quiſque acceſſerat, & hortabatur adire potius legatos alios; horum inſignia ſacramq; dignitatem venerari; neque dicta ea quicquam proficiebant. Tantò magis appetebatur; & narrant, quibus interea ſignis

E Deus

Deus ipſe viri ſanctitatem, & populi conſenſum mirificè comprobarit. Multi, quos variae, & inueteratae, corporis calamitates infeſtabant, ab eo diuini hominis contactu, & adſpectu firmiores diſceſſere, quàm qui nullum eiuſmodi incommodum attuliſſent. Stratis inde per totum paſſim iter, ad vrbis vſque portas, adijſſe quos Bernardi nomen, & audita iam miracula ad ſpem eandem excitarant, ipſe tranſitus, & dexterae afflatus, nouae cuiuſdam vitae initium, depulſis, & abſterſis illico prioribus poenis dabat. Magna etiã Daemonum fuiſſe ſtrages fertur, qui cùm inſeſſa diu corpora, ceu caſtella quaedam tenerent, ibique per clamores horrendos, per infelicium cruciatus, & tormina, foedum imperium exercerent, Bernardi nutu ſedes relinquere illas cogebantur. Eiectionum earum varios caſus, & late profligatas Bernardi ſupercilio lemurum cohortes, ac tetra ſolutas obſidione animas illi cum ſua quamque pugna repraeſentauere quibus cordi fuit, eiuſmodi quoque triſtes memorias retinere inter maximarum Eccleſiae rerum conſilia, & acta. Nobis praeſtat hoc loco repetere negotia Metropolitana ſtatumq; Prouinciae, & vrbis, vt cognoſcantur, & cauſae quaenam fuerint eius legationis mittendae Mediolanum; & res ipſae, quarum rerum gratia Mediolanenſes vltro Bernardum accerſiuiſſent; & origo etiam bellorum cum ciuitatibus, quae legatorum auctoritate reconciliandae erant. Iam primùm igitur, Vrbem Nouocomum, praeter eam, quae ſuperius demonſtrata eſt, Inſubriae ſubigendae cupiditatem,

rateni, aggreſſi bello fuerant Mediolanenſes moti ira ob Landulphi Carcheni necem indignantes; indeq; armorum cauſam auidè arripuerant, inuenturi vtique aliam, niſi ea oblata eſſet. Ciuitate Mediolanenſis erat Landulphus. Comenſes cum ex praetura quam fortè ibi gerebat, ſuae vrbis Epiſcopum appellarant Henrici Imperatoris nutu, deindè translatis ab Caeſare ad Pontificem Romanum ſtudijs, accepto quem hic dabat Grimoaldo, eiecerant, & redire conantem interfecerant. Ea in ciuem ſuum iniuria Mediolanenſes armarat, ſua ſponte, ſicut dixi, quaerentes iam vnde bellum ordirentur. Initia belli, ſicuti ſaepe fit, penes eos fuere, quibus extrema, cladem, & luctum ferebant. Namque Comenſes, ad primos Mediolanenſiũ motus, translato in vicinum oppido collem quicquid roboris erat, collatiſque illuc armis, & inſeſſa ibi arce, cui Baratellum eſt nomen, nocturna inde impreſſione adorti Mediolanenſes ſolutius in capta vrbe agẽtes, & praedae intentos, magnum eorum numerum caecidere, caſtriſq; etiam hoſtilibus ditati, proſpera omnia, & incepto pares euentus ſibi augurabantur.

Aequis deinde manibus, & neutrò rem inclinante fortuna pugnabatur aliquandiu quod prope mirum videri poſſet, inter Metropolim, & paruam illam vrbem; hiſque aut illis aliena arma aderant, prout in partem vnam odijs, vel in alteram ſpe, metu officioque aliquo mouebantur populorum animi. Ac ne res vlla, ad magni belli ſpeciem deeſſet, Larius lacus nauium omnis generis patiens claſſem etiam vtrinque

laceſſebat; quam Comenſes paratam domi inſtructamque habebant, pars altera adornabat littoralium inſulariumue ope, quos poſt rem initio male geſtam, promiſſa, & minæ, & inſita erga veteres dominos odia illis adiunxiſſent. Cùm magnae vtrinque clades, & acceptae, & illatae eſſent, cladiumque omnium inſtar ducerent Mediolanenſes, ſi diutius id cum tantula vrbe, ſibi bellum maneret, vi denique tota coorti, dierú aliquot oppugnatione ſimul & obſidione, in eam neceſſitatem adduxere hoſtes, vt ipſorum arbitrio ſeſe permitterent, atque iure iurando obſtringerent, futuros quieturoſque ibi vbi populus Mediolanenſis iuſſiſſet. Diruta incenſaque vrbe, vix vt templis parceretur, in media montium conualle duro imperio collocati ſunt. Antiquiſſimi Oppidi calamitas ea ſaeuumque exemplum, miſericordiam ipſis apud omneis, populo Mediolanenſi inuidiam addebat. Nec laeta Metropolis erat ſeueritate ſua, velletque mitius egiſſe; ac remedia, quae nihil dedecoris haberent, ſi foret exorata, refouendis ex tanta clade Comenſibus vltro meditabatur. Haec vna erat earum opportunitatum, quae petebantur ex Bernardi legatorumque aliorum aduentu, ne Mediolanenſes ſuum ipſi leuitate aliqua damnaſſe factum, ſed in eo ipſo grauitate permoti legationis viderentur. In cauſa minime diſſimili Ticinenſes erant. Vrbem impatientem obſequij, ferociae nimiam, modicam viribus, conſilijs abſurdam, bello infelicem, inſtigantibus parata n, ac ſaepius rebellem ita afflixerat interne-

cione

cione Metropolis eadem, vt non pœniteret modò, ſed etiam puderet, Cupiebant eas quoque ruinas inſtaurare, ne carnifices vrbium dicerentur; ſed poſt tanta odia tantaſque iras, & exercitam ſaeuiſſime victoriam, deprecatore opus erat, vt cum dignitate aliqua ageretur res. Alioquin, & illis adeo mobilibus ingenijs creſceret audacia ad rebellandum, & perinicioſi res exempli foret ad conſtantiſſimas quoque, & fidiſſimas ciuitates; ſi deleri, deinde reſtitui ſtatim hoſtium vrbes viderent; nec imperij conſtituendi ars, & diſciplina, ſed quidam leuitatis, & ſęuitiae ludus ille haberetur. Pax dari Placentinis non poterat aliter quàm vt videretur potius ab ijſdem quodammodo peti ſubmittendis Imperij faſcibus coloniae illi, quae nobiles aliquot ex Mediolanenſium exercitu per ſuperiora bella captiuos intercepiſſet. Genuenſes inſtauerat recens Innocentij beneficium, qui vrbe in illa munificentiſſime habitus, remunerans deinde hoſpitalitatem, exemerat eam huic Metropoli atque vltro Metropolim ipſam fecerat, contributa Epiſcoporum parte, qui per Corſicam habentur. Et ciuitates denique caeterae omnes, quae afflictae, quaeue integrae, mutuo conſenſu animabantur aduerſus Mediolanenſes, &, aut ex ipſa ruinarum ſuarum ſtrage, vires, & opes, ac robora validiorum ſpectabant, aut viribus opibuſque ſuis, fractas, & acciſas aliorum res ad ſpem rebellandi minime dubiam vocabant. Magna, nec occulta rebus nouandis materies, vt nondum flagrans, & accenſa, ita incendium datura atrox,

ſi

ſi quid forte moueretur; & quamquam, aut ſqualle- rent recentibus damnis, aut fidem obſequiumque fin- gerent, minitantibus tamen erant propiores. Genus etiam erat ciuitatum aliud aperte detrectantium Im- perium, quibus, vel offerre vltro pacem, vel obla- tam ab ipſis vllam admittere pacis conditionem, in- choantes Inſubriae dominatum nullo modo debue- runt, ob exiſtimationem hominum, & famam, quae in principijs rerum cuncta peragit. Ad artem igitur aliam vertêre animos, quae nec tunc primùm inter dominantium arcana veniebat, & ſaepe poſtea aliâs venit, vt ſcilicet religioni, ac ſimplicitati totum illud conſtituendae pacis negotium permitterent, expecta- rent exitum, tamquam armorum & artium obliti, ſi quid in exitu non placeret, ad arma, & artes redirent. Ideo Bernardus tantopere erat expetitus, quo in ho- mine, vitae ſanctitatem, & multitudini aptos mores, gratamque principibus lenitatem, & modeſtiam, ſer- monis etiam auctoritas, & nulla in re diſpar animus aequabat. Ei viro cùm tanta eſſet apud omnes fi- des, & gratia, cumque ipſe ex Chriſti diſciplina, pacis omnium cupidiſſimus, odia, & turbas ipſorum inter ſe mortalium tantopere auerſaretur, fore exiſtima- bant, vt pro ſuaſore Euangelico, non pro pacis inter- prete acciperetur, componerenturque ita ciuitatum animi, tam quibus dare ipſi poſt illata damna fortu- nam aliquam meliorem ſpecie recuſantum volebant, quàm vnde aduerſus Imperij ſecuritatem, damni, & incommodi aliquid timebatur. Hæc Bernardo per

Inſu-

Inſubriam prouinciam cùm deſtinaretur, non minor Mediolani in ipſa Metropolis ſede, componendarum rerum moles deſtinabatur; quae res ad turbandum vrbis ſtatum acciderant, poſtquam ex veteribus illis capitalibusque diſſidijs, & malis aſſurgens, quieſcendi locum ipſa ſibi quaerere inſtiterat. Sicuti magno aliquo incendio ſedato, & reſtincto, leuior flamma exorta nonnunquam, reliquias abſumpſit; ita, poſtquam atrox illa veterum ſeceſſionum, & anathematum, bellorumque tempeſtas exſaeuierat, nouo hoc nimbo res Mediolanenſium inuoluebantur, hiſque domeſticis etiam malis remedia quaerebantur ex eadem legatione Bernardi. Poſt Henricum, qui Iordani ſucceſſerat, delato, ſicuti dictum eſt ad Bernardum Eccleſiae Mediolanenſis pontificatu, cùm is recuſaſſet, fuerat honos penes Anſelmum Puſterulam ex nobilitate Mediolanenſi, plus nimio factioſum hominem, qui clareſcere periculis, & agitare certaminibus vrbem, quàm deſidem inter ſacra vitam agere, nomini generique ſuo honeſtius duceret. Addebat animos ei, praeter vetuſtas opes, & multa maiorum decora, etiam ipſius acta vita inter ſummas Pontificum, & Caeſarum res, quarum cauſa legatus in Germaniam ierat, ſocijque legationis eius, Labertus, & Gregorius Pontificatum maximum vterque adepti erant. Honorius, & Innocentius fuere nominibus nouis, quorum hic fortaſſe certamine aliquo inter negotia legationis irritauerat Collegam Anſelmum, & ferox animus data deinde occaſione vltum ijt. Namque

que diuiſa circa ſacrorum principatum Eccleſia, cùm plures, & meliores Innocentium ſequerentur, pars deterior Anacletum ſeditioſe ac ſacrilege foueret; Puſterula noſter aemulum oppugnando, vrbem quam ad ſedis Apoſtolicae auctoritatem vocare debuiſſet, in veteris contumaciae culpas redegit. Sic Archiepiſcopo duce, Mediolanenſes, contra Pontificem quem Deus ipſe fecerat, pro eo, quem homines facere volebant, ſtetere. Et acceſſio ſceleris eius fuerat, quòd ſecuta Pontificatus diſſidium Imperij quoque diuiſione, dum Lotharius, & Conradus, ille iuſtus Caeſar iuſto Pontifici, hic adulterino non legitimus adhaereſcunt, vrbs noſtra Archiepiſcopi eiuſdem auſpicijs, & conſilijs, repudiato qui Pontificem amplectebatur Caeſare, coronabat Caeſarem, qui praeſidium, & factio Pſeudopontificis erat. Hinc anathemata, & interdicta rurſus, & quicquid minarum vicaria Numinis poteſtas in rebelles, & impios iacit. Poſt veteres inſanias recẽtemque pœnitentiam mereri voluerat ea populus, & poſtquam aderant, noua talium rerum deteſtatione angebatur. Pleroſque tamen pudebat tam crebrarum ſuae ciuitatis viciſſitudinum, & publicae leuitatis famam peruerſa verecundia timebant, ſi parum in malo pertinaces eſſent. Impliciti alij Puſterulae conſilijs atque neceſſitudinibus aegre deſerebant conſanguineum ſiue amicum, à quo beneficia etiam inpoſterum, vel ſi in tantarum rerũ conatu tantoque diſcrimine deſtitutus foret, aequi

poſtea

Digitized by

poſtea nihil exſpectabant. Hominem eſſe aſperum, domi foriſque potentem, principum, Regum fauore ſubnixum; rerum exitu victorem fore. vel ſi non viciſſet, gratiam certe, & opes, & nocendi facultatem manſura; ſibi nihil aliud quàm damna, & inimicitias quaeri. Ipſos inter ſe principes, & iraſci, & reconciliari quandocunque velint: ſe certaminibus eorum interiectos, partis vtriuſque indignationi obnoxios vtrinque habituros malum, & vnde ſcilicet ſtetiſſent ac poſtea deſciuiſſent, & vnde non ſtando laceſſiſſent iras Victi tamen ſinguli pluriũ conſenſu, Cleri hortamentis ſiue diffugijs, & ſqualore ſacrorum, petierant Apoſtolicae ſedis pacem, admiſerant Innocentij Pontificatum, ſpreuerant Anacleti temerarios conatus, fautorem huius Conradum abdicarant, receperantque Lotharium, qui fauebat Innocentio, quem viciſſim Innocentius tenere Imperium iubebat. Ac ſicuti fit, vbi flagrantiſſima pro aliquo ſtudia deferbuere, ſiue inclinauere in diuerſum, non contenti deſtituiſſe Puſterulam, deiecere inſuper, aliumque, Ribaldum nomine, ſuffragio ſuo Archiepiſcopum fecerunt, cui poſtea Pontifex Innocentius ex populi praerogatiua ratum honorem eſſe iuſſit. Huiuſmodi factis impetrata venia, diriſque, & pœnis exſoluti Mediolanenſes, non ideo quietam domi rem habebant, quia pro natura, & conſuetudine Ciuitatis, incluſa in potentiorum animis ſemina, nouas datura calamitates videbantur. Qui Puſterulam inuiti cunctantesq; reliquerant, quibus Ribaldus ipſe non placebat, queis

F grata

grata memoria Conradi, queis Lotharij nomen inuiſum, quos Innocentij principatus, quoſue Anacleti ignominia mœſtos habebat, hi omneis, quamquam in ea quæ publicae agerentur, nomen auctoritatemque commodaſſent, alte animis mœrebant, hique turbidos ſenſus, & aliorum alij tumultuantes tacite animos inuicem intelligebant. Sua quibuſque, & caeterorum contraria ſenſibus indignatio, tanto inſanabilior vniuerſae ciuitatis morbus, quanto grauiores, & caeteris occultae cauſae; ac indicto velut ſilentio, nec honeſte iam, nec ſine mutua irritatione animorum, victi cum victoribus, laeti cum triſtibus loqui poterant ea, de quibus paulo ante cum publicarum priuatarumque rerum diſcrimine contendiſſent. Vt nuper ex bello pacem, ex pace bellum habuerant, ſic pacatis nunc aegerrime rebus, vices rurſus eaſdem ipſa ſe intuēs nobilitas expectabat. Quiſquis autem ex longinquo intueretur audiretue conuerſos ad Romani Pontificis nutum, alienatos ab raptore Pontificatus, Imperij quoque iuſti fautores, & praeteritorum expoſcentes veniam, haud dubie ſana iam eſſe omnia diceret, neque quicquam intra animos latere veneni ſuſpicaretur. In eo ſtatu Mediolanenſes erant, cùm, ſiue meliorum conſilio, quales in omni republica ſemper incorrupti aliqui reperiuntur, ſiue communi ob tam infidas res conſenſu, Bernardum, & litteris, & nuntijs accerſiuere; iſque addita ſicuti dictum eſt, ad priuati officij perfunctionem, Apoſtolica etiam auctoritate, ad ita affectos venis.

nit. Titulus, & ſplendor ac pompa legationis penes Cardinales duos, Piſanum, & Albanēſem erat. His publicè paratae aedes, & lautia praebita, non ipſis modò, ſed, & familiaribus eorum, quorum intimus quiſque relicti apud dominos, turbam atque multitudinem aulicorum, vrbe tota per hoſpitia diuiſam apparatiſſime pro temporum eorum habitu Mediolanenſes accipiebant haud ſine manifeſto certamine opulentiae, quod animorum, & factionum latentia certamina peregrinis indicaret. Volebat vnaquaeque paulò nobilior honeſtiorque domus habere ſibi Romanos homines, vnde cognoſcere aliquid ex aulae arcanis, per quos aditum ad legatos facere ſibi aliquem poſſent; paulatimque deuincti caritate conuictus, & xenijs hoſpites, implebant Cardinalium aures, vel eorū qui proximi Cardinalibus erant, ſermonibus varijs, prout quaeque menſa, vota, & ſollicitudines, & iras proferret. Simul ijſdem internuntijs, hoſpitales menſae domuſque adſpergebantur rerum earum fama, quas legati ſecretis apud ſe colloquijs agitari credebant. Legatorum verò ipſorum aula per ſalutationis, & officij ſpeciem ab nobiliſſimis ditiſſimiſque ciuium obſidebatur; obſeruandoque egreſſus omneis, & deducendo, & aſſiſtendo, magnitudine nominis alij, quidam elegantia morum, & ſplendido cultu, non nemo etiam erudito ſermone peruenerant apud Cardinales Legatos in familiaris amicitiae iura. Conuiuijs adhibebantur, & in congreſſu ſaepe vno multum diuerſa

poſcentes ac molientes aderant eodem vultu, gaudebatque Romanus, & cùm ſuum quiſque negotium agere ſe ſe putaret, legati publicum agebãt. Cognitis enim omnium voluntatibus, & perſpecta partium animorumque tabe, facilior ad ſingulos, & vniuerſos quaſi medicina erat; ac decreta inde parabantur aptai tam aegre ciuitati. Diuerſa Bernardo ſanandis animis via confirmandiſque, ne in mala deinceps eadem reciderent. Namque orſus ab ijs, quæ narraui miraculis, & ſignis, electoque intra pauperrima clauſtra apud ſui ſimiles hoſpitio, tum ad eandem formam reliqua ſeueritate vitæ maior quotidie ſe ipſo, & diuinior quidam, non arte vtens calliditateve vlla, ſed ſimpliciter, Euangelij verbis, & ipſius Dei nomine, ſi ſalui eſſe, ſi cæleſtis Patriæ compotes fieri vellent, vti contentionibus abſtinerent admonebat. Ne ciuitatem quidem Rempublicamq; ipſorum poſſe ſtare moribus illis turbulentis, ac diuinæ eſſe clementiae quod tamdiu ſtetiſſet vrbs impatiens quietis, ſuperba in alios, immanis in ſe ipſam, ſedes, & domus,
„ & officina inimicitiarum. Apoſtolica quoque Iura
„ ſpreuiſtis, falſi Pontificatus auctores, pro Anacleto
„ obſtinati, ab Innocentio alieni, eiectores Archiepiſ-
„ coporum veſtrorum. Quid per hoſce annos inau-
„ ſum intemeratumue vobis? Quo vos nomine appel-
„ lem? Ambroſianos ne? qui ab Romana toties aucto-
„ ritate deſciuiſtis. At parens huius veſtri nominis
„ Ambroſius, vt natales, & genus inde, ſic animum ob-
„ ſequiumque attulerat. An vero Mediolanenſes di-

cam

„ ſcam; per quos Inſubria tota vaſtata bellorum cladi-
„ bus ingemiſcit? Metropolitanum etiam decus, ac
„ titulum iſtum, qui vos immane effert amiſeratis.
„ Nec vos aduerſae vllae res domant, nec ſecundae;
„ vnquam expleuerunt: nec veſtram, nec aliorum ferre
„ re pacem poteſtis. Et nunc, quamquam verbis ac
„ vultu, aequiores præfertis animos, noſque adeo con-
„ ciliatores adhibemur, ſenſu tamen interiore perſeue-
„ ratis iiſdem humanae prudentiae conſilijs, & arti-
„ bus, quae diuinae maieſtati non placent. Sapientia
„ iſta morbus eſt in conſpectu Dei, qui niſi adſit regat-
„ que cuncta numine ſuo, tumultuamini fruſtra cum
„ artificijs veſtris, machinatoreſq; & prouidi eſtis ne-
„ quicquam. Video ego Mediolanenſium meorum
„ animos curis aeſtuantes infelicibus fouenteſque ſe-
„ mina nouorum malorum, & in hoc ipſo veterum
„ certaminum exitu torue intuentes aliena emolumen-
„ ta; taciteq; inde certandi rurſus occaſionē deſtinatis,
„ hoc vno laeti. An falli poſſe Deum putatis, cum ho-
„ mines etiam haec videant? An forma ſanae ciui-
„ tatis haec videri cuiquam poteſt, etiam ſi vindex om-
„ nium malarum rerum Deus inulti aliquid ſinat? An
„ Rempublicam, populumque vllum, qui ſic regeretur,
„ veſtræ vobis profanæ memoriæ ac litterę fuiſſe diu-
„ turnum narrant? ſua cunctos implacabilitate ſuiſque
„ talibus victorijs profligatos euerſoſque reperietis.
„ Cùm proxima quæque victoria nouæ dimicationis
„ initium fieret, cùmq; parta foris pace, domi gererent
„ bella, cùm domeſticum otium ad perniciem extero-

rum

» rum verteretur, ac rurſus inter ciuilia negotia, victi
» felicioribus inuiderent; haec denique animorum
» portenta, & monſtra, ciuitates ipſas fecere monſtrum,
» fecere ſeruas. Arantur hodie magna veſtigia, ſuntue
» nemora, & ſaltus vbi excelſa domicilia, & turres inſa-
» nientium fuere. Paruulæ quondam vrbes ludibria ſu-
» perbis dominis, in quas omnes magnarum ciuitatum
» doli ſæuaeque imperitantium fraudes exercebantur,
» Metropoli deleta ſua, ruinis creuere illis, & imperium
» ſub quo ingemuerant, adeptae, exercent eadem vi.
» Rurſus deleri has ipſas excindique tandem oporte-
» bit, quia fraudibus, & moribus aſſueuere ijſdem, queis
» imperia illa ampliora periere. Vna, & tutiſſima eſt
» omnibus magnis paruiſque ciuitatibus ad libertatis
» quoque, & imperij perpetuitatem via, quam alta ſim-
» plicitas Euangelij, vel potius ipſa per Euangelium ve-
» ritas, hominibus ſingulis ad aeternam ſalutem mon-
» ſtrauit: pax animorum, & quies, & manſuetudo,
» candorque per omnia, qualem infinita illa ſapientia
» dixit eſſe columbarum. Euangelicus hic candor, &
» ſimpliciſſimi manſuetiſſimique mores, etiam gloriam
» dabunt; res veſtra melius ibit: amplas domi opes, fo-
» ris nomen imperiumque habebitis. Nam, & Deus
» ipſe regimen humanarum rerum volet eſſe penes
» huiuſmodi innocentes animos, & omnibus homini-
» bus natura optabile imperium facit, quod congruit
» maxime diuinis præceptis naturaeque ipſius ſimpli-
» citati. Deſinite viri Mediolanenſes, & abijcite quæ-
» ſo artes iſtas, quas, vos opum, & potentiae ſtatuſque

diſciplinam

„ diſciplinam appellatis, nos humanæ vitæ ludibrium „ atq; carnificinam eſſe cenſemus. An poteſt quicquam, vel crudelius, eſſe, vel inanius tali prudentia, „ quae otio inquietatur alieno, damniſque ſuis incommoda aliorum quaerit, & mentitur ſemper, & ancillatur, & nuſquam laeta eſt, niſi cum alibi luctum „ videt? Saeuiſſima res eſt ſemperque ſuccinta nocendi cupidinibus, & clementiae laruam induere „ amat: Ridet ipſa ſecum infame iam irritumque iuſtitiæ nomen, & titulo tamen glorioſa illo incedit; „ idemque titulus inſtrumentum ei eſt ad omnia iniuſta quae molitur. Suſtulit inſana haec prudentia diſcrimen omne recti, & iniqui, & in pudendam audaciam euecta, diuinas quoque leges ſocias facere ſui „ furoris tentat, importuna, temeraria, ſordida, fallax „ & plerumque ſacrilega. Sed nec minus abſurda infelixque, & cœca eſt, cùm ſuis ipſa technis, veluti magno arcano inuoluta, & tacite gloriabunda quod genus hominum impune ſic, & occultè eludat, eludatur „ ipſa multo magis, iaceatque oculis aperta omnium, „ ceu ſtolidum vnum animal, quod vbi partem ſui aliquam contexerit, contectum ſibi totum egregiè corpus putat, ridentque interea multi ſpeciem eam intuentes. Recidunt denique cuncta in iſtius praeclarae prudentiae caput, vel ſtatim, vel tempore interiecto, vel euidenti ruina, vel damnis occultis, quae ad „ perniciem deinde manifeſtam erumpunt. Pernicies „ vobis etiam exitiumque paratur, viri Mediolanenſes, non temporarium iſtud, et inane rerum humana-

rum,

„ rum, & fluxae etiam alioqui dominationis, ſed hor-
„ ribile atque ſempiternum, quod viritim omneis frau-
„ dibus moribuſque iſtis meremini. Talia Bernardus diſſerebat in quotidianis alloquijs, vt quique principum acceſſerant, talia concionabatur e ſuperiore loco, & grauiora, credo, alia, quae ſcriptoribus haud quaquam prompta relatu, præſens facies rerum, & eloquentia viri illius ſuggerebat. Porro, tanta ad eum vndique confluebat multitudo, vt ſcriptor vitae eius Gulielmus Abbas, qui ſpectata ſibi, vel de ſpectatoribus alijs audita refert, ita prodiderit. Cùm intra hoſpitium ea conſtipata & coarctata multitudo per omnia monaſterij diuerticula inuicem eliderettur, cumque debilitatum illud vigilijs, & inedia corpus, vndantibus circum latera pectuſque turbis magnopere laboraret; excogitatum fuiſſe hoc, vt Pater è feneſtra præberet populo ſeſe conſpiciendum ſingulique admitterentur. Satiari non poterant adſpectu beatiſſimo Mediolanenſes, ac ſicuti Gulielmus memorat ille, numerus quotidie magnus panis & vini conuehebatur in ſubiectum hoſpitio campum, vt ſanctus Abbas alimenta deſuper ea nota crucis radijſque ſui vultus contingeret atque afflaret. Perſonabant omnia vocibus expoſcentium ab eo cæleſtem opem, vt cuique aliquod remedijs humanis inſanabile malum erat, nouuſque inde miraculorum prouentus memoratur, qualia ſpectacula, primo aduentu, Dei ſeruus ediderat. Nec fore piorum animis iniucundum arbitramur, ſi poſt tot hodie ſecula litteris etiam

hiſce

Digitized b

hiſce renouentur. Nam fraudum & artium, & caſuũ humanorum nimium ſemper habet omnis ætas, nimiumque varietates & miſeriæ ſemper eaedem recurrunt. Diuina verò iſta, & egreſſa naturae terminos atque conſuetudinem, tam raro conſociant ſeſe mortalitati quàm nomen etiam ipſum teſtatur; ac ſicubi euenere, tamdiù celebrantur, donec gratia nouitatis exoleſcat, vel etiam obſcurantur ambigua multorum fide, quibus contumacia ſtoliditasq; eſt nihil amplius credendi, quàm quod oculis ſubiecere. Quae nunc ego referam, accidere omnia in huius maximae ciuitatis oculis, luceque publica, ac feruente adhuc admiratione, & horrore conſignata litteris, inter nobiles alios huius eccleſię caſus extra communem illã talium rerum conditionem habentur; omnisque circa antiquitatis memoriam vana eſſet cura, ſi qua politica toruitas, in hac pia narratione, teſtem, ſpectatricemque Metropolim adſpernari vellet. Cùm circa D. Bernardi hoſpitium, vndique conglobata multitudo, & parietibus implicita illis, praeſentiam opemq; Sancti Patris, vti dictum eſt, expoſceret, fuit inter eas cateruas agreſtis homo tenens vlnis puerum, cui dęmones implexi modis exemplisque horribilibus, obſcuram illam domum magnitudine ac nouitate calamitatis nobilitarant. Is puer, ad feneſtram prodeunte Bernardo, manumque ſuper turbas explicãte, paternis illico vlnis vi dęmonum eripitur, afflictoque ad parietem capite, exanimis, ita commouerat miſerατione animos, vt illo tam atroci exitu atrociora tor-

menta vitae non incommode effugiſſe diceretur. Exclamant tamen vna voce omneis, iubentq; tolli cadauer, & ferri ad Bernardi pedes intrò. Ea erat fama de celeſti illius potentia, & virtute, vt mortuis quoq; redonare poſſe vitam ſcirent. Diducunt ſe ſe turbae, atque ſubmouentur, & per confertos populos datur via illis, qui madentem cruore mortuum portabant; ſimul ibat caelo clamor vniuerſae concionis ingeminantis Bernardi nomen, & precantis, vt contra dæmonum iniurias innocenti aetati adeſſet. Ille, erecto leniter bacillo, quo ſuſtentabatur, tangit puero collum, innuitq; Gherardo Monacho, vt parte eadem in crucis formam diducat manum admoueatque. Confeſtim ad eos contactus redijt vita, ſed & dęmones ſimul rediere, vt duplex in vnius ſalute miraculum conſtaret. Ita vti erat perfuſus aterq; tabo aſſurgebat in circumſtantium ora, inijciebatq; vngues ac nouum iam miraculum fiebat, virorum robori terribilis puer. Arripi à pluribus iubet eum Abbas, & in lectulo collocari ſuo, quę paupertatis ac vigiliarũ effigies illic in angulo ſtrata erat. Scilicet, quaſi vniuerſa dęmonum Reſpublica, & regnum infelix, & omnes inferorum cateruae, duri illius virginaliſq; ſtrati contactu commotae eſſent, ita proripuit ſeſe inde puer, & Tartari totius rabie ſaeuiebat. Arripitur iterum, & luſtralis aquae guttae demittuntur in fauces, rurſuſque in lectulo collocatur, & ab ſancto Abbate delinitur exorciſmis, quorum vi pulſus Dæmon, & omnis deniq; furor conticuit. Laudabant ſine

fine

ſine Deum omneis, qui tantam homini vni virtutem tribuiſſet aduerſus communem hoſtem, ipſumq; Bernardum, ceu numen aliquod, quotidie magis intuebãtur. Illud verò ne cogitare quidem auſi fuiſſent, vt obtritum eliſumque, & diffluens caput, integre ac nitide reſtitueretur. Integrum, & abſque plagae vllius veſtigio nitentem abijſſe ferunt cuius fœdo hiatu patentia viſcera, concio tota miſerata eſſet. Poſtridie quam haec acta ſpectataque erant, cùm Abbas ad Epiſcopum Albanenſem iuiſſet rerũ earum cauſa, quae inter eos pro ſalute, & pace Mediolanenſium agitabãtur, offertur ei adoleſcens, contractis & emortuis fœdeque retortis brachijs. Huic vt ferret opem Epiſcopus ille obſecrabat; liberq; & agilis eſt dimiſſus. Eo die, quia ſecutus diuini hominis veſtigia populus obſederat aedium illarum limen, impetrauit Epiſcopus, vt ſecum cenaret, neque cœna illa caruit miraculo. Cùm enim paropſidem, quae appoſita hoſpiti fuerat, reponi ſeparatim Albanenſis ab reliquo menſae inſtrumento, & aſſeruari iuſſiſſet, ipſeque paullo poſt, flagrantiſſima febri vreretur, epota indidẽ aqua repente conualuit. Digrediens inde Bernardus, cùm frequentiam effugere nullo modo potuiſſet, adſpectu ipſo ſanabat ſupplices, & vnius præſertim adoleſcentulæ inſignis ac teſtata ſalus fuit, quæ, cùm lucem ferre non poſſet, ſolque, & dies ei grauius eſſet cæcitate malum, adeo quidem, vt ſibi prae dolore violẽtas inferret manus, eo protinus morbo liberata eſt. Sed maxima omniũ, & clariſſima res in Ambroſiana Aede

patrata eſt cum ibi res diuina fieret. Noſcitabatur ob calamitatem & genus Matrona vna Mediolanij neque noſcitabatur ſolùm, ſed fixa omnium fere animis haerebat eius miſerrimae mulieris imago cum publica ſolicitudine ac metu, & interdum querela, quòd humani generis hoſti tantum, in hominem vnã liceret. Nata erat honeſto loco, neque natales dedecorauerat ipſa ſuos probro vllo quod ſciretur. Media fere aetas: decorum corpus, & forma liberalis ante cladem: manſueti quoque mores & pij vicinitate tota celebrabantur priuſquam atrox iniuria cuncta deformaſſet; atque poſt iniuriam laus ea miſerationem augebat. Hanc inſidere feminam, & occupare potuerant impuri ſpiritus ſuperbiae monſtra, quiſquiliae cęli, inferorum incolae, qui per exitij ſui rabiem bona noſtra oderunt, & amiſſæ iam ſibi deſperatæque hereditatis aemulos accepta diuinitus poteſtate inſectantur. Mortalium luctus ſolatia illis fiunt, & inter ignium tormenta, queis aeternùm cinguntur, tormentum eſt ipſis aliud, quaerere ſemper aliquod ex hominum calamitate lenimen; gliſcitque tanta furijs licentia, vel ob Numinis iram erga ſucceſſores ingratos, vel arcano eiuſdem prouiſu, cauſisque occultis, quas neque ſcrutari altius debet humanae mentis coniectura, neque tamen aſſequetur. Arrepta ſic ab Daemone mulier, & obſeſſa, vexataque diù cum fuiſſet, tempore, quo Bernardus ipſe Mediolanũ venit; quoddam huiuſmodi ſpectaculum iam facta erat. Mutum in primis animal, & caecum, & ſurdum,

exertam immani longitudine linguam vibrabat, quã elephantis proboſcidi fuiſſe ſimillimam hoc ipſo verbo ſcriptores retulere. Capta deinde membris omnibus, & eluxata fractaque corpore toto per humum euoluebatur potius quàm repebat. Simul alienata mente, ne id quidem retinebat hominis, quo à cæteris animantibus diſtinguimur. Horrendus ei ſtridor pro voce erat, latrabatque & grunniebat, & mugiebat fœdius etiam, quàm pecudum illarum ritu. Vt aliquo ad pudorem tegmine velaretur, vtque cibi aliquid admitteret, vi doloque obtinendum erat; & alia triſtiora perhibentur, quæ nobis ſilentio inuoluiſſe honeſtius fuerit. Adeò laxatis diuinitus habenis debacchari potuerant in humanum vnum corpus odia Daemonum, qui cùm animas potiſſimum ipſas ſitiãt, eaque alantur praeda, domicilia haec etiam animarum lacerare amãt ibique auidiſſime ineſcantur. Nec venit fortaſſe cuiquam adhuc in mentem venerari diuinam in ſe clementiam hoc nomine, quòd ipſe tam diri venatus captura non fuerit, quodque fuſis per aëra tot latronum millibus, tam libero fœdis alitibus in præcordia noſtra meatu, inter tot emiſſariorum veneficia, tot quoque ſuas culpas, nõ acciderit etiam ſibi vt aliqua tali iniuria corriperetur. Die quodam igitur, cùm in D. Ambroſij Aede Bernardus rem diuinã faceret, monſtrum illud portentumque mulieris eò deportandum curauere propinqui, ſi fortè in re tam perdita, & deplorata miraculo foret locus. Hinc audita iam, & viſa ſpem dabant: hinc auertebatur à ſpe

animus,

animus, cùm tantum malorum ante oculos eſſet; adempti ſenſus; adempta mens; proſtratum humi corpus; membra, tum mutila, & trunca, tum redundantia & mota loco; Regnator intus Daemon. Miraculum expoſci, quo non ſananda eſset mulier, ſed creanda denuo. Tenebatur multorum ſimul manibus contra Aram in qua ſacrificabat Pater; ibique tum ſanctitate loci, tum magnitudine myſterij, tũ puritate ſacrificantis, in ſingula momenta creſcebat furor. Creſcere ſimul vincula, pluresque tenentium manus, & tanquam in praelio, integri feſſis ſuccedebant. Inhorruerat vniuerſa concio fremitu ac reboatu deprehenſi illic Orci: omneis immanium belluarum ſtridores ex humano illo ore edebantur templumque complebant. At, qui adſtiterant propius, magis etiam erant exterriti formis atrocibus, in quas ſeſe facies identidem illa commutabat. Spumas interdum egerere ingentes: vertigine aſſidua quatere caput: dodrantalem eam linguam contrahere modò, & adducere, rurſus eiaculari longiorem, eoque velut telo circumſtantes appetere, quantum adſtricta, & inhibita manibus vincliſque poſſet. Conabatur impetu capto proripere ſeſe detinentibus: concidebat exanimis; violentior aſſurgebat: & fuit aliquandiu cùm expiraſſe crederetur. Odorem etiam manaſſe teterrimum ſcribunt, qualem ſpargere tam ſpurcus hoſpes deberet. Sacerdos diuinus, recitato Euãgelio obuerſus ad populum, molli pauliſper oculo contemplatus infelicem illam, ſenſit, non eſſe ex Daemonum

plebe

plebeium; qui deſaeuiret vi tanta; profecto, vel in- „
ſignem aliquem vnum eſſe ex anteſignanis, quales „
multi, cùm fuiſſent in celo principes, & capita defe- „
ctionis, decidua etiam agmina poſt exilium, inter tormenta, & flammas regunt, vel certè gregales ſimul aliquot conſenſiſſe, vt in eam ſedem commigrarent. Præfatus inde pauca pro concione de ſpirituũ immundorum inſidijs ac poteſtate in genus humanũ; vt belluae illae, vrente inuidia, ſtimulantibus aſſiduè flammis conquieſcere nuſquam poſsint; vtque intactam ab omni peccati labe conſeruari mentem corpuſque oporteat, ne teterrimo hoſpiti vnquam opportuna ſedes fiat, haec praefatus,& miſerae illi etiam illacrymatus, iubet vnumquemque praecibus accuratiſsimis expoſcere à Deo, vt opus illud manuũ ſuarum, in quod tantopere hoſtis graſſaretur, reſpicere clementer velit. Peragit deinde ipſe rem diuinam,& in obſecrando ad caetera Numine precatus idipſum, mox in perlitatione,quoties Hoſtiam ſigno Crucis de more affecerat, toties eodem ſigno phanaticam inſequebatur. Ad eas verò intolerabiles Daemoni notas, quia quati,& nutare prae fragore ac tumultu templum videbatur, teneri à Clericis eam iubet. Hinc Sanctiſſimum Christi corpus in patella collocatum capiti lymphato ſuperponit, atque Daemonem ipſum imperiosè ciens, ſic infit. En ſpiritus impure Iudicem
„ tuum: En Deum rerum omnium potentem: iam
„ huic reſiſte ſi potes. Eſt hoc Ieſu Chriſti corpus,quod
„ Sanctiſsimæ Virginis aluo conceptum editumque,&

Cruci

„Cruci poſtea affixum, triumphata morte prodijt ab
„tumulo, & Regna aeterna in celeſti ſede nunc tenet.
„Haec te iubet infinita, & ſuprema poteſtas, ac maie-
ſtas procul faceſſere hinc, & ſedem exonerare iſtam,
quam temere occupaſti. Ad imperium protinus il-
lud libera relicta mulier eſt; ac referunt mirabile di-
ctu, quod quidem multò mirabilius videri debuit ijs
qui tunc erant hominibus, quique rem totam ſicuti
geſta eſt, ſpectauere. Mulierem, cui non ratio, non
ſermo, non ſenſus vllus, non denique vita conſtaret,
cui membra elapſa in prauum, aut fœde contracta
eſſent, ac verſa in monſtri faciem omnia, per quæ ab
cadauere aliquo dignoſceretur, eam pulſo Daemone
cunctis repente functam officijs, indoleque animi, &
corporis decore conſpicuā extitiſſe, qualis olim ſpec-
tata laudataque erat. Haec Mediolani acciderant. At
de quodā Ticinenſi caſu ita memoriæ proditum eſt.
Agreſtē ibi feminā ſiſtunt Bernardo, quā nihilo igno-
bilior faunus, ita exercebat, vt optimatē illam alterā
fama calamitatis prope anteiret. In D. Syri Aedem ea
prius inducta cùm fuiſſet, ſpreuerat Daemon id nomē
eamque religionem, & ſicuti poſtea creditum eſt; vi-
debatur ad hoc factus eſſe pertinacior, & importu-
nior; vt peregrino Patri palma illa reſeruaretur.
Poſtquam in Bernardi conſpectum ea quoque coacta
eſt furia, cœpit irridere ſacra carmina, queis adiura-
batur; contemptum ex eo ſperans viri, cui genus
humanum aſſurgebat, cumque vi carminis, & adſpe-
ctu Bernardi vrgeretur, in medio diſcrimine dicax,
abſit,

abſit, inquit, vt nos ceparum, & alliorum helluo mo- uerit ſede. Et rurſus, vbi vis maior inſtabat aderat- que proficiſcendi hora, ineptiſſimo facetiarum gene- re ludens in Sacerdotis nomine, idque diminuens, & flectens ad puſillum; nec me pellere potuit, inquit, an- tea Syrolus, nec hodie Bernardolus pellet. At Pater excelſo animo, vultuque, & voce imperturbatus;
„ non te Syrus eiecit, neque Bernardus eijciet, ſed eijcit
„ Chriſtus Dei filius, & humani generis liberator. Ea cùm dixiſſet, miraculum ſimile priori extitit, incolu- memq; feminam abduxere gratulantes; & ingens Bernardi nomen admiratæ per Inſubriam ciuitates ad nutum ſe ſe diuini hominis aggregabant. Nā Cre- monenſium contumacia, qua monita eius auctorita- temque ſpreuere, non ciuile conſilium, non ars aliqua retinendae libertatis, ſed furor, & vaecordia quaedam habita eſt, & inter vetera gentis exempla referebatur, queis irriſionem ſaepius, quàm miſericordiam mer- uere dum pertinaciae famam affectarent. Ne mens quidem illa tam grauis, & tranquilla Bernardi tempe rauit, quominus vęcordiam eam Apoſtolica qua- dam, & e ſacris petita literis irriſione notaret. Scri- bens enim ad Pontificem Innocentium de Cremonae Vrbis inſania, homines ait eos proſperis rerū ſucceſſi- bus elatos videlicet fretoſq; curribus, & equis reſtitiſſe ſibi, & omnem cum Mediolanenſi populo pacis con- ditionem recuſaſſe. Peragrata Inſubria Bernardus, & actis apud quamque ciuitatem quæ pacis, & concor- diae cauſa agenda erant, Mediolanum inde retulit ea-

rum ciuitatum poſtulata, ac rurſus nonnulla ad eas hinc perſcripſit, donec pars vtraque remittendo inuicem in ſingulis capitibus, & concedendo aliquid, ad pacis denique ſummam conſentiret. Ita Bernardi opera, legatis auctoribus, ſtatus omnis Reipublicae eccleſiaeque Mediolanenſis, ex turbido, & inquieto in tranquillum, & pacatum adducitur, ſummaque rerum, & vniuerſae actionis haec fuit: Mediolanenſes vt primum omnium Innocentio ſacrorum Principi conſtanter, & pie riteque obedirent; Pontificem maximum eum iuſtum legitimumque Reſpublica populuſque ille haberet. Nomen, & factionem, & partes Anacleti, ſiue Petri Leonis, exuerent penitus atque abdicarent. Par obſequium, & fides religioq; in Imperij cauſa praeſtaretur, vt repudiato Conrado, Lotharij principatum firmarent. Eadem fides religioque præſtaretur in Pontificatu ſedeque Ambroſiana, vt pro Anſelmo Puſterula damnato iam & deiecto, iuſtus legitimuſque Ribaldus publico conſenſu retineretur. Cum ſubiectis ciuitatibus obliuio præteritorum eſſet: pacem quam ijs dediſſent, colerent bona fide, & Chriſtianis potius quam callidis animis, ſicuti nobiliſsimam, antiquiſsimamque Metropolim deceret. Recipi hanc in Eccleſiae Catholicae gremium, placereque ita Sanctiſsimo Patri, & Pontifici Innocentio, vt omnis memoria ſuperioris temporis, & veterum offenſionum aboleretur. Prouinciā, & Epiſcopos, & inſignia Iuriſdictionis Imperijque Metropolitani reſtitui, ac manere ſicut olim

fuiſſent,

fuiſſent. Imperatorem quoque Lotharium nullius praeteritae rei memorem nihil acturum hoſtiliter, ipſosque Mediolanenſes habiturum in fidelium amicorum loco; Rempublicam vrbemque eorum defenſurum inſuper ſi qui armis laceſſant. Haec ab diuino Abbate Bernardo Cardinalibus q; duobus in frequentiſſimo Mediolanenſium conuentu pronunciata per intimum ſcribam legationis, editaque piacula nonnulla culparum erga ſedem Apoſtolicam adhibito temperamento, nequid ineſſet quo ferox, & ſuperba ciuitas irritaretur. Sed inflexerat etiam ipſa animos tum rerum earum admiratione quas praeſens numen per Abbatem in ipſorum oculis egiſſet, tum pudore, & verecundia contumaciae veteris erga Numinis ipſius Vicarium. Neque nimium ſatisfactionis vnquam eſſe poteſt vbi magnum religionis nomen, & alta diuinarum rerum Maieſtas procul a peruerſa dignitatis & exiſtimationis cura negotia animoſque abduxere. Tactis pie ac reuerenter Euangelijs principes vrbis Mediolani iurauere in verba Pontificis Innocentij, & Lotharij Caeſaris: pacem quam ſubiectis vrbibus dediſſent, ſtabilem fidamque ſeruaturos per carmina illa diuina, & ſacroſancta affirmauerunt. Cęterùm pacata ſic, & compoſita Metropoli principes vrbis magnopere angebantur ſolicitudine ac metu, ne lotharius Imperator ageret principum more, coctaſque in praeſentia iras atrocior infeſtiorque poſtea recolligeret opprimeretque incautos. Nihil ſibi profuturam in belli diſcrimine legatorum fidem aut in-

dignationem; & probabilem aliquam fortaſſe cauſam inuenturum eum, ne violaſſe fœdus videretur. Poſſe Bernardi ſanctimoniam inter militaria negotia bellicoſque tumultus eſſe contemptui; poſſe Romanos contemnere aliena pericula confirmareque animum vt ſecuritati magis quàm dignitati conſultum velint. Minas fortaſſe, & interdicta fore aduerſus ruptorem fœderis, certa ſecum excidia, & clades. Senſerat Bernardus eas iactari voces, nec ex vano totam eſſe ſuſpicionem ipſe quoque ſuſpicabatur. Itaque non minus anxius de promiſſionum ſuarum exitu ac fide, quàm ipſi de ſalute ſua Mediolanenſes erant, ſuper ea re litteras ad Richizam Auguſtam in hanc ſententiam dedit. Memorem ſe mandatorum quae ab Auguſta ipſa accepiſſet, memoremque ſuae conſuetudinis in tuenda Regia dignitate, dediſſe operam vt non alia conditione Mediolanenſes in Sedis Apoſtolicae gratiam reciperentur, quàm ſi repudiato prius Conrado Lotharium Caeſarem in Imperij ſede retinerent. Grates agendas eſſe diuinae benignitati, quae tam validam vrbem, tam graues hoſtes abſque armorum diſcrimine domuiſſet. Sed enim vero rationem quoque habendam, vt per quos tanta res adminiſtrata confectaque eſſet, eorum nomini ac dignitati ne qua fieret fraus, fraudem autẽ fore grauiſſimã, ſi cùm ipſe ceterique legati fidem Mediolanenſibus obſtrinxiſſent ſynceræ cum Caeſare pacis, ira deinceps aliqua apud eum reſideret. Homines eos Mediolanenſes, conſilijs, & auctoritate legatorum eſſe

H in-

inductos vt bonam Caeſaris amicitiam, & gratiam ante victoriae ſpem haberent: non eſſe committendum vt pœniteat acceptae conditionis, vtque conſilium illud mutare velint. Si deprecatore Pōtifice maximo, quemadmodum in animo habeant vſi fuerint adierintque principem, ipſius fore partes, vt mariti animum deliniat ac mitiget quò placabilius accipiantur. Haec ad Richizam Auguſtam ſcripta extant inter alias epiſtolas Abbatis, quibus ille Principes, Reges, Pontifices, amicoſque alios de ſummis Eccleſiæ rebus affatur. Erat deinde Bernardus ipſe Mediolani per aliquot dies, ac eo interim ſpatio, Ciuitatem, cui ſuis conſilijs parta erat ſalus pijs etiam operibus excolebat. Ante omnia conceperat animo magnum illud opus, vt ſui Ordinis Collegium Mediolani inſtitueret, quod nobile Claræuallis Monaſterium aequaret. Namque, ſicuti Mediolanenſium ingenia propter opes nimias immodicoſque ſpiritus prona in ſeditiones uiderat, ita inuento certaminum fine, ſpiritus opeſque eaſdem ad diuini cultus magnificentiā uidebat poſſe conuerti, pijſque ſtudijs domicilium fore quod ex inclita Ciſtertienſi diſciplina ſub nobili iam Clarae vallis nomine aperiretur. Locus qui nunc Clarauallis dicitur eſt in Langreſſiorum agro non procul ab ripa Albis fluuij latronum antea receptaculum, atque propter quotidianas ibi caedes, Abſynthij vallis dicebatur, indicāte amaritudinis titulo, quàm nihil iucundi, & laeti locum eum ingredientes reperturi eſſent; ſiue quia frequens her-

bae

hac illius ſilua eſſet. In eam conuallem Stephanus Abbas deducta Ciſtertienſium Monachorum colonia purgauerat infame latrocinijs nemus, & nouo Monaſterio praeſidem Bernardum dederat cum adhuc ille fugitans imperia, & celebritatem, corporeque etiam infirmo ſolitariam intra Ciſtertij clauſtra vitam praeoptaret. Effigiem atque imitamentum huius Monaſterij Claræuallis ponere Mediolani concupiuit, ac fauens piae eius voluntati Guido Capitaneus ſplendidus honoratuſque homo, ad quartum ab vrbe lapidem, aream aedificio, ſumptumque, & agros in alimenta Monachorum dedit. Claraeuallis id hodie Monaſterium apud Mediolanenſes ea frequentia cultuque eſt vt ex ipſius nobilitate, plus famae acceſſerit etiam priori illi vnde ductum huic nomen. Sed, & aliud par huic in Abduae fluminis ripa extructum Auctor parenſque idem ſub D. Iacobi nomine, Pontida in pago, cùm viris opibuſque, attolli nimium videret, à Conſulibus impetrauit Senatuque Mediolanenſi, vt eius collegij praedia, & villas immunes liberaſque eſſe iuberent, ac de ea re priuilegium tulere. Scribendo affuerunt. Heriprandus Rhaudenſis. Vbertus Landrianus. Heriprandus Puſterula. Marcheſius Vicecomes. Vbertus Oſius. Otho Curtius. Manfredus Septala. Ioannes Mantegatia. Hildeprandus Moneta. Rogerius Cribellus. Ioannes Tenebiagus. Ionnes Mainerius. Apoldus Paganus. Ardericus Palatius. Burri duo, Heriprandus pater, & Malaſtrena filius. Lanfrancus ſtampa. Aicardus

Ca-

Capellus. Guerentius Potheobonellus Arnulfus Adamus. Paſqualis, & Vngherus Cortedini. Petrus Carattus Paganus Burrus. Martiarius Gambarus Ambroſius Medicus. Petrus Concorretius. Manfredus Trottus Lanfrancus Gattaroſſa. Ioannes Lampugnanus. Henricus Rizolus. Paganus Incoardus. Grizus Litta. Quorum nomina retuli, vt Illuſtres familiae maiores ſuos agnoſcerēt, rectores olim patriae huius & veneranda antiquitate prope aequales vrbis origini, ingentes animas, opulenta capita, ex quorum ſanguine ac ſtirpe propagatae domus durant noſcunturque hodie poſt tantum aeui. Sed nec fortaſſe aliâs tam iuſte tamque impune arguere poteramus humani generis vanitatem, quae fumoſarum imaginum gloria tumet ſic atque inflatur. Vbi enim repereris hodie Gattaroſſas, & Tenebiagos, & Adamos, & Cortedinos, & Incoardos qui ante quingenteſimum hunc annum inter Principes vrbis fuere? Scilicet, cùm multa praeclara, & laudanda, multa turpia, & in honeſta feciſſent ipſi maioreſue eorum, vt colligerent ſplendoris aliquid traderentque poſteris ſuis, & in dilecto illo miſerabili capite retinerent, marcidus, & ſterilis denique nepos eluſit vota ſeriéque ſucceſſionis abrupit. Fortaſſe etiā non infœcunda ſalacitas potuit in ſæcula cōtinuare genus, ſed merito deteriore, quàm ſi nihil ipſa procreaſſet. Ganea enim, & alea, & quibus alijs abſumitur res patrimonio abligurito fœda paupertas inceſſit atque de honeſtauit inclytas olim domos, & purpuratorum auorum ſor-

dibus

dibus heres colit alienum agellum ſedetue implicitus artificio fœdiore, anuſue reliqua vna, lana, & colo tolerat vitam ignara cognominis ſui. Nec ſecus accidere oportebat, vt perpetuae rerum omnium humanarum vices atque varietates, etiam in hac glorioſae nobilitatis miſeria, interituque vel commutatione familiarum ſpectarentur. Cùm genus omne mortalium in aequo prius fuiſſet, rapuere multi nobilitatis nomen ex alienis iniurijs, & damnis, ac rurſus hos ipſos in priſtinum redegerunt alienae iniuriæ, & vindex Deus, viciſſitudoque ſemper iſta manebit donec homines manebunt. Parant hodie ſeſe principibus, & Regibus inferre, quorum maioribus, principum, & Regum ſerui miraculo erant, quoſue ſeruire cupientes aegre herus in familiam admiſit. Simul celeri paſſu, & prono itinere tendunt in agrum aut in tabernam, quorum ataui, ligonem, & ſordida artium inſtrumenta ſceptris mutarant, atque hoc totũ eſt quod nobilitatem, & opes appellamus, inuidemuſque nobilibus obſcuri, nobiles principibus ac ſi Deo placet, agricolæ nos, & ruſtici mercatorum vrbanorum ſtemmata malignis oculis intuemur, Bernardus ea quę dixi Monaſteria cùm fundaſſet atq; inſtituiſſet abijt. Sed magna mihi varietas hoc loco rerũ iſtarũ antiquarum oſtẽditur. Cùm enim in ipſo legationis tempore dicatur Abbas inſtituiſſe Monaſteria Mediolani, contraria famae huic reperitur Epiſtola ipſius, quam nondum ſuſcepta legatione ſcripſit ad tyrones nouitioſque Mediolanenſes gratulãdo ſimul, & excu-

ſando.

ſando. Gratulatur, quod nobilis,& florida iuuentus relicta Mundi nequitia ſanctiorem ſequi vitam decreuerint; conuerſionem eam tantis in cælo gaudijs eſſe celebratam, quanta nobilitas ipſorum ſplendorque eſſet. Excuſat verò, ſicuti prioribus ad populum Clerumque litteris, quòd eadem vrgente neceſſitate Concilij, Mediolanum in praeſentia venire non poſſit. Niſi ea neceſſitas,idque impedimentum teneret, protinus vnà cum fratribus Ambroſio, & Othone, quos ad ipſum illi miſiſſent, fuiſſe venturum. Neque enim velle ſic eos inuiſere, & alloqui tamquam rem aliam agat, ſed velle ſic inuiſere, & alloqui tamquam cariſſima ſibi pignora, ſpemque, & decus ordinis ſui, quorum deſiderio neceſſariam illam moram aegerrime patiatur. Cùm haec ante Concilij legationiſque tempus ita ſcripta extent, credere oportet, fuiſſe Mediolani Benedicti nos ante Bernardi aduentum, & Monnaſteria, quae ab illo fundata dicãtur, exculta potius auctaque eſſe promptis vt oſtendi Ciuium animis ad omnia, quae ipſe agitaret. Abeuntis inde Bernardi veſtigia ſecutus Anſelmus Romam iuiſſe dicitur, tum petendae à Pontifice maximo abſolutionis, quòd partes ſequendo alienas dux rebellium rebellis ipſe violaſſet Apoſtolicae ſedis maieſtatem, tum vt ſubduceret ſeſe oculis eorum inter quos digito monſtrabatur. Sed neque debuerat in ea priuatus vrbe morari quam ſummo Imperio rexerat, in qua grauis multorum animis multos ipſe oderat viciſſim, vbi denique praeterita-

rum rerum memoria, & conditio praeſentis ſtatus contemptum, iras, & ſeditioſum quoque fauorem cieret. Magna dignitate tranſegiſſe Romae, velut in altera patria reliquum vitae tempus ferunt, quieta cum modeſtia aſſiduum Pontifici Innocentio, qui ne illo rerum diuinarũ apice turbidos retinere humani animi mores videretur, tamquam offenſionũ cunctarũ oblitus amice hominem liberaliterque tractauit. Nec hoſtes alij, quos ſibi multos, & magnos illo Ambroſiani Pontificatus tempore foris quoque conciuerat, nouam eam deterioremque fortunam artibus odijſue vllis ſolicitauere, cũm facile vlciſci acceptas ab eo clades, & ſternere nutantem poſſent. Scilicet Eporediae Dynaſtam Arduinum, Domumque eius ob illata arma agro Mediolanenſi ad internecionem vſque perſecutus redegerat in eas miſerias, vt ille relictis quae defendere nequibat, ſuadente deſperatione Monachus fieret. Haſtenſem Epiſcopum etiam Arduini ſubnixum opibus, & ab origine ſua potentem hominem, propterea quod Metropolitana iura detrectaſſet, obſederat, vicerat, & grandi pecuniae ſumma mulctatum compulerat ſupplicem ad Ambroſianam Aram; Ibi oſtenderat populo, coegeratque fateri temeritatem, & veniam precari, ſuiſque ipſum manibus ſiſtere in ara multatitium aurum, vnde factam eximio opere crucem ad poſteros quoque voluit eſſe monumento. Eadem aſperitate ingenij cũm pleroſque alios exacerbaſſet, credebant maligne curioſi, vel beneuole ſoliciti homines, hoc illud eſſe

 tempus,

tempus,quo, vel occultae inſectationis, vel criminis manifeſti procellam ex tranſuerſo aliquam oriri in Puſterulã oporteret,quæ naufragũ inuolueret vltima clade,ac e ſcopulo deijceret eo, in quo,poſt amiſſam ſuae fortunae Sedem conſtitiſset . Noluiſſe cum quiſcere cùm licebat,nunc cùm vellet , non licitu-rum: iuſtum verumque eſſe , vt ab alijs turbaretur, qui ſemper alios turbaſſet . Haec ita diſſerebant, quos amor odiumue attentos ad Puſterulae exitum facie-bat . Sed ob magnam illius animi vitaeque com-mutationem, ob manſuetudinem modeſtiamque, & pietatem,quos repente mores in illo graui caſu indue rat, placati erant praepotentium inimicorum ani-mi, verſaque in admirationem ira,ſubitam ex calami tate virtutẽ laudabant . An vero durabãt aliquibus ſua in veterẽ inimicũ odia,& cupiebant aliquo modo nocere, ſed circumſpiciebant alij alios, neque Puſte-rulam in eo ſtatu res vlla magis iuuit, quàm laeſiſſe multos.Mortuus eſt Romae ſecunda admodum fama; ac vulgo ita aiebant,compotem aeternae vitae abijſ-ſe Puſterulam , quia Pontificatu patriaque abijſſet.

Meliore fama Ribaldus tenebat ſedem,ex qua ille di-reptus fuerat ; ac mite Archiepiſcopi huius ingenium ſequente temporum quoque tranquillitate, noua res Mediolani, pax otiumque apud ſacra ſimul,& profa-na habebatur ; occultum , & triſte praeſagium exci-dij quod imminebat . Albae Epiſcopus antea fuerat Ribaldus,cumque paruam illam Eccleſiam per om-nia laudabilia inſtituta ſanctus inturbiduſque admi-

 niſtraret,

niſtraret, magnum eius Eccleſiae nomen apud Metropolim quoque effecerat; & comparatione ea optimi Mediolanēſium magnopere angebantur. Quippe Clerus ibi per omnia ſimilis Epiſcopo ſuo, ſacris litteris excultus, modeſtus, pius inops, & pauperibus munditijs, omnique exteriore motu recte compoſitos intus animos præferens. Metropolitani, factioſi, diuites, ſplēdidi, armis potius quàm litteris aſſueti, vel ſi qui litterarum ſtudia ſequerentur, ad magnificas de republica vel natura, vel de honore ac dignitate quaeſtiones conferebant curam; diuini iuris, caeremoniarumque, & rituum mira erat inſcitia, & quotidie manifeſtior ea calamitas fiebat, vtique poſtquam calamitatum aliarum venerat finis. Itaque prima, & potiſſima cura nouo Pontifici dare Metropolitano huic Clero ſtudia, & mores, queis Albenſem illam Eccleſiam excolendo, ſeque, & vrbē ſuam clara per Italicas vrbes fama nobilitauerat etiam cùm nulla niſi culpis nobilitas eſſet. Peruincebat paulatim ſeueritate edictorum, & ſcholarum frequentia praemiorūq; hortamentis, & inprimis imitatione ſui, vt ſtudijs omiſſis inanibus diſciplinas, & artes eas colerēt, quibus diuini cultus dignitas, & ſalus animarū continetur. Sic ex ambitionis, & gladiaturae diſceptatoribus, ex politicis armigeriſq; clericis, diuinarū litterarum interpretes, & alienae conſcientiae arbitri diſceptatoreſque latentium animi culparum incedebant. Faſtus, & opes vltro abdicabantur, indexque paupertatis, & modeſtiae toga diſtinguebat Clerum, quod antea

Digitized b

tea diſcrimen exoleuerat. Magna, & repentina ſub Archiepiſcopo Ribaldo felicitas Eccleſiae Mediolanenſis, ſed ad breue duratura tempus, ceſſuraque omnis in luctum, aduentante tunc anno, quem Vrbs noſtra ſemper acerbum, ſemper luctuoſum habebit Aenobardi direptoris inſania, & furore. Quaſi materiam ei furori pararet Ribaldus Archiepiſcopus, & quaſi parum ſuffectura vrbs eſſet tam auido ruinarum hoſti, ita nouis Eccleſiam operibus ornabat, ac Brolienſe valetudinarium extruxit, aſſumpto ad eam curationem Gottifredo Cittadino, quem in priuata fortuna, paſtoralis animi virum, conſiliorum ſuorum adiutorem fortè nactus erat. Hoc illud hodie xenodochium eſt, quod vna cum caetera deinde vrbe refectum ex Aenobarbi ſulcis, & dira illa ſalis ſemente proſtat mortalium etiam inhoneſtati, quam inhoneſta pœna comes ſecuta eſt. Ab eodem Archepiſcopo Ribaldo conditore ſacrae diſciplinae, Magiſtro Cleri, parente Vrbis, Imperator quoque Lotharius ferreo diademate eſt coronatus, quem alij ab Puſterula inſigne id accepiſſe falſo retulerunt. Nam Puſterula Conradum coronarat, exſulque iacebat tempore, quo Lotharius petendo diademati Mediolanum venit. De origine moris eius, non veterum modò memoriam, ſed coniecturas etiam meas explicabo. Italicae vrbes aſſuetae olim Imperio, quod ab Longobardorum gente per Duces regeſque conſtitutum in ducenteſimum amplius annũ varia fortuna durarat, aduerſus barbarae dominationis

faſtidium

faſtidium hoc ſolatio deliniebantur, quòd Duces regeſue illi ſecum habitabant, eratque domi Iudiciorum ſedes, & ſumma rerum, ac ſeruitium vtique illud loco libertatis habebatur. Verùm, vbi Carolus Pipini filius pepulit eiecitque longobardos, ac Regnum, quod illi tenuerant, inuaſit, vltimi exitij ducebat inſtar Italia, quod ab Franco per mancipia regia gubernaretur, indeque necis, & vitae iudicia petenda eſſent. Hinc mutuae ſuſpiciones, dominantes inter, & ſeruientes, & ambigua ſubiectorum fide, iniquum imperium, ſemperque damna apud minores erant. Non illi in partem vllam publici muneris admittebantur, ac velut in ſua patria exſules ipſam in exilium agi patriam videbant indignabanturque. Rurſus animos Regum male fida ea per Italiam ancepſque rerum forma non parum angebat, ſi ſemper infenſos populos infenſi ipſi habituri eſſent, imperiumque odijs, & iniurijs defenſuri. Melius tutiuſque per beneficia, & comitatem acturos, ſero quidem, ſed tamen vtiliter intellexere. Ita mandare alijs munera, & magiſtratus, aliorum augere opes, alios in perpetuum ornare priuilegijs, omnia, quae ſuppreſſerant olim inter ſuos atque coarctarant, effundere largiſſime in homines Italos cœperunt. Ipſam Inſubriae Metropolim vrbemque Mediolanum volebant praecipue demereri; ac ne quid in noua illa liberalitate omitteretur, quod irritatos priore acerbitate animos delinire poſſet, ſummum ei vrbi decus tribuerunt, hancque Caeſares vltro ſibi dixere legem, vt Mediolani ferreo diadema-

re coronarentur. Primus eum morem vſurpauit Conradus, ſiue Carolus Magnus vt alijs placet, ſiue vt alijs, Otho, indeque per quingentos annos vſque ad noſtram aetatem inſtituto honos fuit. Sed auctorem etiam habeo, primos Caeſarum inſtituiſſe eius ferreae coronationis morem, ipſique Iulio Caeſari ſic ferro cuinctum caput argumento fortitudinis qua terrarum orbem ſubegiſſet. Diocletianum inde, & Maximianũ, petito ex antiquitate more, ita ſeruaſſe ipſos, atque ita in poſterũ cõparaſſe, vt Romanũ imperium inchoantibus, coronae peterentur duae; quarum aurea Romae, ferrea Mediolani ſumeretur. Coronato Lothario Ribaldus Archiepiſcopus etiam fauore Caeſaris expeditiora habebat cuncta, quae agere vellet, memorq; ipſe ſuperiorũ Eccleſiae temporũ, ac futura ſuſpectans, attente præſentibus inſiſtebat, & nullam Eccleſiæ conſtituendæ præteruolare occaſionem patiebatur. Sed ipſe, Lothariusque ſimul ad finem vergebant, vt poſt interiectum breue Conradi Regnum, Aenobarbus Caeſar, & Pirouanus Archiepiſcopus, ille Vrbis euerſor, hic ſpectator excidij, alter ſaeuitiae regalis, alter miſeriæ Paſtoralis Exemplum, ſuum vterque nomen cruenta inuſtum nota vnà cum huius Eccleſiæ ruinis proferrent in memoriã hominum ſempiternam. Ribaldus mortuus eſt decimo Pontificatus anno. Lotharius biennio ante quàm hic moreretur, exceſſerat. Et extincto cùm nondum coronam accepiſſet, Cõrado, dirus Caeſar, & Archiepiſcopus infelix inchoauere Imperium, quod niſi geſ-

ſiſſen t,

ſiſſent, caruerat alter deteſtatione poſteritatis, alter Patriae funus non paterni animi tormentis ſpectaſſet. Dum ab Lotharij deceſſu ad initia Federici breue ſub Conrado ſpatium circumagitur, noua e ſacris ordinibus agmina vindicãdae Hieroſolymae ſub Crucis ſigno centuriabantur, partemque decoris hereditario iure quaeſitum illuc iere Mediolanenſes ignari quanta domi clades ipſos maneret. Sed in exercitu, qui hinc mittebatur, fuit Martinus Turrianus, princeps auctorque familiae Turrianorũ, quæ domus, occultũ aliud, euerſae, dein refectæ vrbi poſt aliquot ſaecula malum, & ſuffectura voluminibus ſeges bellorum parabatur. Ei Martino propter corporis magnitudinem ſupergreſſam alte communis ſtaturae modum, Gyganti cognomentum fuit. Neque iners erat moles ſtolidumve robur; manu conſilioque bonus, columen haud dubie Mediolanenſium barbara in terra habebatur, nec plures alterius artes eludendo hoſti, pluraue fortia facta militaris fama celebrabat. Hunc apud Damaſcum Syriae ſub eius vrbis mœnia ſtrenuè dimicantem, & vulnere fortè debilitatum cepere Saraceni, pollicitique, & minati ſumma, vel extrema, ſi deſerta Catholica religione ſequi ſectam eam vellet, poſtquam excelſo animo ſpernebat barbaros, enimuero illi tormentis omnibus in captiuum deſaeuiere donec expiraret, Gygasque Turrianus, adhibita ad confirmandum animum ſuum virtute, quam in hoſtes ſaepe exercuerat, beatis Chriſti Martyribus acceſſit. Poſt infelices Hieroſolymitanae expeditionis etiã

in ſumma rerum euentus, nihilo felicior alia in rebelles Cremonenſes expeditio à Mediolanenſibus ſuſcepta eſt, amiſſo inter praeliandum Carrocio; qua clade, non machinamenti modò illius, ſed prope vniuerſae militaris exiſtimationis iactura continebatur. Sicut in tragica aliqua ſcena, qua Regiae vel Regni alicuius ab ſummo fortunae culmine deiectum ad ima ſtatum repreſentare actor velit, triſtiora in ſingulos actus, & funeſtiora nectuntur, neque quicquam vnquam niſi lugubre venit, & paratam in extremo calamitatem variae per gradus calamitoſae rerum inclinationes antecedunt: ita ſtragem, & excidium vrbis veluti praeludia haec anteceſſere, neque laeti quicquam poterat euenire quicquid moliremur, & ipſa quodammodo fortuna belli ſtruebat quotidianis caſibus illud ipſum, quod, ſiue Numinis ira, ſiue mortalium ſaeuitia futurum erat. Excidium autem, & ſtrages ruinaeque vltimae ſic parabantur. Federicus erat Sueuiae Dux Conradi fratris filius ardentis animi iuuenis, & ob alia naturae bona dignus habitus, cui mitior etiam animus obtingere debuiſſet. Ob rubrum capiti mentoque crinem, Aenobarbum dixere, idque ſaeuo Imperatori cognomentum manſit. Poſtquam is mortuo patruo Conrado in fortunam locumque eius, vi ſua, & ſuffragio procerum venit, cœperat ſtatim nullam priorem agitare curam, quàm vt hoſce Mediolanenſes Imperij aemulos, imperiumque ſibi quoddam inſtituentes vltum domitumque iret. Cùm ea penitus indignatione, co-

que conſilio ſua ſponte accenſus animus flagraret, quaedam etiam huiuſmodi faces additae ſunt, quo maturius atque impetu vehementiore rem ipſam aggrederetur. Conſtantiam fortè, vel ſicut alij tradidere, Vormaciam venerat, acturus ibi, & paraturus ea, quae noui principatus initio, quaeue rerum ſuſceptarũ cauſa parari agique oporteret. Sedentẽ ibi auguſta in ſede, & vacantẽ ſupplicum alloquijs, die quodã, homines duo, ciues Laudẽſes, Aberardus, & Magiſter quidã Homobonus accedũt, nullo publico mandato vel conſilio, ſed priuatim audaces abſurdique, & inquieti, vagi inter negotia, negotiorumue cupidines. Sumpſerant iſti Homobonus, & Aberardus ex aliquo fortè templo duas maioris formae Cruces, & cum eo vterque geſtamine prouoluti ad Caeſaris pedes, ac praefati, qui nam mortalium eſſent, vnde, quidue petitum veniſſent, tanto eiulatu, Mediolanenſium in patriam ſuam iniurias atque violentiam deplorare inſtiterunt, vt, & Caeſar ipſe, & qui aderant proceres magnopere commouerentur. Nihil deinde cunctatur Caeſar, Sicherio familiarium ſuorum vni negotium dat, vt ſine mora Mediolanum proficiſcatur, edicatque ſuo nomine Mediolanenſibus, vt Laudenſi populo ſatisfaciant de iniurijs quas ſibi eſſe factas ciuitas ea queratur, neue in poſterum vllam eius populi rem attingant. Si qua deinceps querimonia Laudenſium, exiſtat, acriorem ſe vindicem fore pro innoxia, & afflicta ciuitate, quàm Mediolanenſes ipſos importuniores ad vim ſocijs inferendam. Sicherius,

haec

haec ferens Caeſaris mandata Mediolanum, cùm ad Laudem Pompejam ex itinere ſubſtitiſſet, Concilioque vrbis aduocato, expoſuiſſet ſuſceptam pro ipſorum ſalute legationem, ac iuberet dicere ſi quid praeterea nuntiari agique cum Mediolanenſibus vellent, admiratio primò, deinde metus ingens omnium animos inceſsit. Mirabantur, quid ita Caeſari in mentem veniſſet eam pro ciuitate ſua legationem mittere; timebant, ne ſic irritata Mediolanẽſium violentia infeſtior fieret, atque ipſi vltima iam paterentur. Vbi verò Magiſtri Homoboni, & ſocij Aberaldi phanaticam deplorationem, eorumque precibus motam Caeſari curam cognouerunt, exarſere omnes ira aduerſus notam duorum illorum hominum vanitatem, quae rem mouere tantam eſſet auſa; ac pro ſe quiſque Regium legatum obſecrabant, vt illa denuntiatione ſuperſederet. Homines inſanos, egenos, impatientes fortunæ conditioniſque ſuae, neque quid dicerent, neque quid agerent penſi quicquam habentes, perueniſſe errabundos ad Caeſarem atque tragœdias illas in Patriae perniciem excitaſſe. Si legatio Mediolanum iret, nihil aliud fore, quàm vt renouarentur irae ſuperbis dominis in miſerae ciuitatis reliquias, ac duorum ciuium furore periret vniuerſa cùm poſſet eſſe contenta præſenti ſtatu ac meliora vtique in poſterum ſperarent. Mox etiam ipſi ex Germania Magiſter Homobonus, & collega inſaniae Aberaldus aderant tamquam inſigni erga Patriam merito geſtientes ac iactabundi, vltro-

que Concilium adiere. Vix temperatum eſt, quominus iuuenum ibi manibus concerperentur: Adeò memores veterum calamitatum exarſerant animis aduerſus eos, per quos in acerbiores ſeſe redigi cala-calamitates videbant. Stoliditas, & vaecordia homines defendit, quam contemptu, non ſupplicio dignam eſſe ſeniores aiebant. Itaque hos quidem eiecere ſeruilibus probris oneratos, nebulones, errones meritoſque fuſtuarium: in Sicherium veró rurſus auerſi, ne Mediolanum iret, obteſtabantur pro eo ſcilicet quanti faceret ſalutem Vrbis, cuius cauſa miſſus eſſet. Donis etiam, & pactione pecuniae tentauerunt, ſi fortè retinere legatum poſſent. Ille tamen excuſando ſui Principis indignationem, & redimendas quolibet auri pondere iras niſi exhauriret mandata, Mediolanum ad Conſules venit. Dato Senatu, cùm Regias litteras deprompſiſſet, Epiſtola quidem recitata eſt, ſed protinus abiecta conculcataque pedibus, non ſine iuuentutis fremitu, & irriſu, ipſeque Legatus, cùm irruentes in ſe quoſdam vidiſſet, elapſus aula, parum tutus iure gentium erat, niſi turpem ibi in vicino, eoque tutam latebram inueniſſet. Proripuit ſe ſe inde Laudem Pompeiam, atque inde per deuia, & transuerſa in Germaniam euaſit trepidus anhelusque periculi magnitudine quod adierat. Nec minus ipſi trepidabant Laudenſes, vbi acceptam adeò contumelioſe legationem, Legatique periculum, & vitatam latebra necem audiuere. Quàm vilis, & proiecta Cæſaris auctoritas apud Mediolanenſes eſſet,

cunctaq;

cunctaq; in perniciem reditura eſſe ſuam reputabãt. Et publicus ille pauor extorres patria ſingulos voluntarijs paulatim exilijs agebat, ſcilicet, vt diripiendas potius fortunas relinquerent adfuturo mox, ſicuti rebantur, Mediolanenſium exercitui, quàm vt vnà cũ dilapidatione fortunarum, corporum quoque ſtrages irae exercendae materiem præberet. Cauas plerumq; valles, ſiue montium cacumina dies totos inſideũdo, multi quos cara ſuorum pignora detinebant, ſpeculabantur, captabantue auribus ſi quid hoſtile ad vrbẽ fieret; noctu liberos coniugesque inuiſebant. Adeò conſternati animi erant terrore irarum, quas Legatio illa infauſta in Mediolanenſi Senatu commouiſſet. At Federicus, audito Sicherio, cognitaque Mediolanenſium aduerſus Imperij, Legationisque maieſtatem contumelia, ſuper conceptam iam antea indignationem, facto etiam eo, pro negotij indignitate accenſus, vi atque impetu maiore parabat bellum, ac totas Regni vires ciebat, vt contumacem ſuperbamque vrbem deleret. Strepitus apparatusque ille per Inſubriam auditus, turbauerat motu non minore animos, & ſuam vnaquaeque vicem ſolicitae Ciuitates variè excitabantur. Laudenſes, rabiem odiumque Caeſaris in Metropolim, occaſionem rati ſuam, penitus in fidem clientelamque illius conceſſere, pignusque deditionis, & fidei clauem ſuæ vrbis aureã ad eum tranſmiſerunt. Ticinenſis populi ſimile tranſfugium fuit. Et Cremonenſes, non ipſi modò ad nouae fortunae ſpem erexerant animos, ſed alios quoque

que concitabant, ne tempus tam opportunum excutiendæ ſeruitutis elabi ſinerent. Ita Mediolanenſibus vndique vis parabatur, aduerſus quam arte vſi illi, obſequij repente ſpeciem erga Caeſarem induerũt, & auri pondus, quò magis fallerent, tributi nomine daturos pepigere. In praeſentia craterem auro ſolidum ad eum miſerunt. Per haec, delinito nonnihil Caeſare, occulte parabant ea, quae ad reſiſtendum pertinerent ſi belli moles ingrueret, quae differri non poterat, imperitare volẽtibus ijſdem, quos imperium vrgebat alienum, atque tot interiectis, qui ferre pacẽ non poterant. Ad x. Cal. Decembris anno ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimoquarto Aenobarbus cum exercitu, proceribuſq; Ronchalias in Italiam venit. Ibi Concilio Principum habito, inter caetera ſtatuerat quam expeditiſſimo itinere Ticinũ proficiſci, vt flumine demitteret exercitum, cùmque primi Mediolanenſium adeſſent, petit, vt ſecum vnà duces itineris eant, compendiaque viarum monſtrent. Duxere per aſpera, & deſerta, & ſuperioribus euaſtata bellis, ac breue illud iter in dies aliquot extenderunt; neque fraus ea Caeſarem fefellit. Quippe conflictabatur etiam fame peregrinus exercitus, ſatiſque cauſae id viſum Caeſari, cur abruptis omnibus inter iram, atque diſſimulationem, pareret id quod iamdiu parturiebat, perdomandiſque rebellibus, totam imperij vim admoueret. Abire protinus iuſſi qui Mediolanenſium aderant, bellumque cœptum repentina Caſtellorum aliquot oppugnatione, quae capta

ſtatim, & inſeſſa Germanorum praeſidijs ac terror illatus vrbi tamquam cuncta mox hoſtium forent. Terrore autem eo ſubacti Mediolanenſes, cum infimis adiere precibus Caeſarem, & tributum, quod polliciti eſſent, offerebant. Ea legatione nihil eſt actum: pars iam hinc vtraque ſpem omnem in armis habebat; & ſociarum ciuitatum viribus, Imperator Federicus, & aemuli Imperij Mediolanenſes gerebant bellum, quod ciuitatibus interim ipſis exitio erat. Euerſa per Caeſarianos Derthona, Caeſariani Ticinenſes à Mediolanenſibus caeſi, rurſus Verona, dum Mediolanenſes ipſos Caeſari anteponit, relicta crudelius habitanda, quàm ſi deleta foret, truncatis nobiliſſimo cuique auribus, naribusque deciſis; & per vias extra vrbem arboribus longo ordine pependerunt. Laudenſes verò, cùm in verba Caeſaris iuraſſent, infeſti ob id Mediolanenſes penitus delere oppidum ſtatuerunt, vt ne nomen quidem, & veſtigia vlla eius miſerrimae vrbis relinquerentur. Deſtinata diuinitus, & iam excidio vicina Metropolis, funeſte ludebat in ſubiectas vrbes luctuoſam diem, quae ipſi aderat. Sententiam in ſe atrocem vbi accepere infelices, omni alia deſperata ope, velamenta ſupplicum ſumunt, atque vno omnes agmine, Mediolanũ, ad hoſtilis clementiae perfugium, miſerabili conſilio proficiſcuntur. Ducebant agmen, Lafrancus Epiſcopus eius vrbis, & Lafrancus templi maximi antiſtes, Abbateſque, & antiſtites alij, & primores vrbis

ad

ad ſexaginta; caetera turba ignobilior ſequebatur; sacri ſimul, & profani, vterque ſexus, & omnis aetas illuc ibant ad ſpem ſalutis, vbi ſaeua infeſtaque cunctaque erant. Ad Pirouanum Archiepiſcopum ea ſupplex turba cùm acceſſiſſet in ſacram aulam, in qua tunc fortè conſilium habebatur, abiecere ſeſe humi, flentesque precabantur, vt ignoſcerent vrbi toties afflictae, toties punitae cùm nihil vmquam in Metropolim niſi coacta deliquiſſet. Perterrefaciente totam Inſubriam Caeſare, cùm ipſa quoque Metropolis trepidaret, dixiſſe Sacramentum in illius verba: petere, ne ob eam neceſſitatem delerentur. In caſſum miſſae preces, omniſque illa multitudo profuga, & deſperata, ne patriae funus ſpectaret, quà quemque caſus tulit, in loca circumiecta diſſipatur, Aenobarbus hoc tempore diſceſſerat in Germaniam, vnde ſub finem Quinctilis cum exercitu maiore reuerſus, audita, & inſpecta Laudenſium ſuorum clade, locũ eis aſſignauit, in quo nouam vrbem conderent, ac infeſtis illico ſignis in direptores Mediolanenſes cum ipſorum ſaeuitia parta facturus vadit. Augebat Caeſaris iras in Metropolim, quod praeter repudiatas tam ſuperbe preces illius populi infelicis, ne Romanae quidem Legationi ceſſerant, cùm Cardinales duo, Otho Brixianus, & Ardicius Riuoltella deprecatores acceſſiſſent. Namque donec adfuerat ea legatio, fatigaueratque precibus, & auctoritate ſaeuitiam implacabilem, velut exorati annuerant, mox deſtinata peregerant, idque ſuperbiae intolerabilis videretur etiamſi Laudenſium

clades

clades nihil animum moueret. Sic ad mœnia vrbis Mediolani, tanquã aduerſus intolerandum humano generi hoſtem exercitus ductuspar magnitudini vrbis, par etiam odijs, cum quibus in eam ibatur. In eo exercitu, Boemiae Rex erat, ſua ſigna ſuumque militem ſeparato ducens agmine, Marteque ſuo ſuffecturus, cùm prae caetera multitudine, pars minima ipſe eſſet. Et Germaniæ procerum alia cohors, officio, vel neceſsitate aſſectata Caeſarem, cum ſua quiſque manu exercitum alium faciebant. Iam Cremonenſes, & Papienſes, & Laudenſes, quò maiore ardebant odio, pluraque, & grauiora paſſi erant, eò validiorum exercituum animos ferentes ibant; Caeſaris ipſius vexilla late occupabant campos. Haec variarum gentium coniuncta multitudo poſtquam ad mœnia vrbis ſtetit, ita inter ſe ſtationes campumque partiuntur. Caeſar ſibi ſuiſque ſpatium ſumpſit, quà Brolium hodie dicitur, eaque regione fixit tẽtoria ſecutus omen loci, propterea quod ab ea parte bis olim etiam capta vrbs fuiſſet. Boemus ab extremo Brolij fine ad D Dionyſij aedem tetendit. Reliqua permiſti manipulatim diuerſarum nationum milites tenuere, prout arte ac prouiſu ducum diſpoſiti erant. Mediolanenſes, ad primos earum rerum motus, primaſque animorum irritationes, vbi adeſſe bellum ſenſerant, auxerant vetera vrbis munimenta nouisque alia ingenijs ſtruxerant, nondum ad ſummum euecta arte, quae rudimenta iam ſua, & ſe ipſam in operibus iam ijſdem irridet, quæ tunc admira-

batur. Præcipuum erexerant obiecerantque munimentum, quà nunc Romana turris dicitur cum quadrifore arcu, quod opus ab D. Clementis Aede ad D. Lazari valetudinarium pertinebat; inſtarque tremendae rei prodidere temporum eorum ſcriptores, quòd tanta eſſet altitudo turris, vt telum in pinnas adigi non poſſet. Per octo continuos dies oppugnata ea turris nono die perforata hoſtem intro accepit. Capta arce, iam ſalus haud dubie tota, nondum tamen ſpes ipſa deſeruerat ciues, & crebrae ex vrbe fiebant eruptiones in barbaros magnis vtrinque cladibus, donec euaſtato omni circa vrbem agro, Theutonicae manus connixae vi tota, inuenere ab incuſtodita fortè parte aditum, & reliquam intra mœnia multitudinem accepere. Tunc Mediolanenſes ab innumera repente barbarie circumuenti, & oppreſſi, ferrum caedemque ante oculos habentes permiſere ſe hoſti, & quacunque vellet conditione Caeſar, veniam ſalutemque vrbi expoſcebant. Malebat adhuc ille hominum quàm tectorum capere ciuitatem, & tecta, caeterùmque cultum vrbis ante nudam inanemque aream ponebat; necdum occupauerat mentem rabies, quae poſtea Metropolim ad informe ſolum redegit. Omiſſa ſtatim caede, ac paulò poſt obſidione etiam ſoluta, captae vrbi leges de Concilij ſententia dictæ in hunc modum. Archiepiſcopus Conſulesque Mediolanenſes annuum Caeſari tributum ferunto, ex pecuniæ ſumma, quam ipſi maioresque ipſorum pepigere. Quod eius pecuniae

cuniae antea non perſoluerunt, aequis penſionibus repraeſentanto, prout compoſita deſcriptaque ratio edetur. Caeſarum nomen, atque maieſtatem Imperij poſthac obedienter colunto. Aquilas inſigne maieſtatis obſequijque eius ad templi maximi faſtigium erigunto. Ciuitates alias ne attingunto, neue turbanto, quominus auguſtiſſima ibi & ſumma Imperij vis ſiet. Captiuos omnes dimittunto atque reſtituunto ciuitatibus ſuis, ex qua quemque ciuitate captum habebunt. *I*urauere Pirouanus Archiepiſcopus Conſulesque Mediolanenſes, haec ita vt eſſent edita, & iniuncta ſeruaturos, pignuſque fidei ducenti obſides fuere. Addidit viciſſim beneficia Caeſar, quò mitius nouum imperium ſperaretur, ſuſceptumque ſeruitium, & amiſſa libertas, non vt mala haererent animis. Ornauit Equeſtri multos dignitate; Comarchos, Demarchos Duceſque alios appellauit ſpecioſis nominibus, quò magis haec etiam ludibria excidium imminens, & actum ruinoſae Scenaę extremum fœdarent. Iam enim poſt impetratam hanc veniam, & pacem, & congeſta ſuper ſalutem ornamenta, ad immanem ipſi Mediolanenſes iniuriã, immaneq; factum ruebant, quod factum quaeue iniuria cum alijs deinde factis, & iniurijs ſpectaculi etiã fœditatem augeret, tamquam non ſaeuitia, & immanitate hoſtis, ſed ob ſuum ipſius facinus ea vrbs periret. Abibat Aenobarbus, velut pacata Metropoli, conſtitutoque per Italiam Imperio, nihil iam aliunde, niſi ab Mediolanenſibus hoſtile ſuſpectans, nihil fortaſſe etiam parans, & mitem fuiſſe victoriam

plerique admirantes aiebant. Ibat victor diſponens in ipſo itinere conſilia firmando principatui, regendis ciuitatibus, tuendae paci; & fortè ſtatuerat commodiora omnia Mediolani fore, ſi ſublato Conſulũ regimine Praetores inſtituerentur. Eius negotij cauſa Reginaldus Scriba Caeſaris, & Otho quidam venere. Qui cùm expoſuiſſent apud Concilium mandata quae attulerant, non fuit haeſitatio fremituſve qualis eſſe in re aliqua odioſa indignantium ambigentiumue ſolet; ſed quaſi vox illa de mutando vrbis regimine tollendoque conſulatu, necem ſingulis, omnibus ignominiam propudiumque ineuitabile denuntiaſſet; ità reliqui nihil ſibi, neque ad ſpem veniae, neque ad legatorum violationem fecere. Ingruunt acerrimus quiſque patrum in duos illos Reginaldum, & Othonem, ingerunt probra, manus intentant, ac dato vix effugio ſupellectilem eorum apparatumque legationis immiſſo ſatellite diripuere hoſtiliter, & cuncta diuiſere in plebem, vt contacti Regia praeda homines, ſpe pacis amiſſa, acriores ad nouum bellum forent. Tritium inde itur agmine infeſto (id pago nomen in Abduae fluminis Ripa) regiamque pecuniam, quae ibi in arcem cõdita erat, caeſo Germanorum praeſidio rapuere vniuerſam, & cum ea funeſta praeda reuertere domum. Mox verſa in Laudenſes infeliciter arma, ſtatimque repentino illo Mediolanenſium motu turbata rurſus, & ex breuiſſimi temporis pace concita in veteres factiones Inſubria, dum ciuitates aliae rebellem Metropolim

futurae

futurae etiam exitij comites ſequuntur, aliae ſequi Caeſarem malunt. Caeſar hoc tempore Boniae erat, audita Mediolanenſium rebellione fremēs in eam vrbem, & profundo voluens pectore ludū immanem, quem parabat. Ferunt incredibili diſſimulatione vſum, neque aperuiſſe cuiquam id conſilij, neque verbis aut vultu ſigna dediſſe vlla hominibus, queis impudens, & plerumque vana ſolertia eſt, per eiuſmodi conjecturas obrepere principum animis, & introſpicere ſi quid occultius parant. Semper autem ille conſiderans inſolentem pacis, & obſequij ciuitatem, conferensque vetera, & recentia, expectauerat id quod fuit, crediderat q; in praeſentia cohibitos neceſſitate, vbi metus deceſſiſſet, ad priſtina eſſe redituros. Ideo, nec procul abſcedens, & ſpeciem tamen praebens abeuntis, inceſſerat itineri ſimul, & praelio, vt & retro conuerteret ad ſubita exercitum, & ab ſua parte, ſecura pacataque omnia, verſumq; in alia animum praeferret. Vbi violati fœderis nuntium inſanum accepit, prima in Inſubres tendere ſigna Ticinenſium iubet, quem militem, vt Metropoli infenſiſſimum, eoque praecipuū apud ſeſe retinuerat. Dein ipſe cum toto exercitu ſubſequitur, tacita deſtinatione minitans finem vrbi, qua ſtante ſaluum Imperij nomen eſſe non poſſe arbitraretur, idque conſilium vagis etiam inter intimos ſermonibus, & multiplici itinerum flexu declinans regionem ambiensue tegebat. Fortè aduerſus antegreſſos vti dictum eſt Ticinenſes, egreſſæ Mediolanē-

ſium

ſium turmae proſpere geſſerãt rẽ. Mox haſce victrices turmas aſſecuti Theutones, & numero plures, & fortuna belli velut aequa Iudice ſtante pro barbaris contra ruptores fœderũ Mediolanenſes, trucidauere nobileſque captiuos abduxere Ticinum, nec ab irato Caeſare quicquam actum aſperiùs, quàm vt eos cuſtodiri diligenter iuberet. Adeò condiderat iram, & in parua re leuis vltor ſaeuum ſe ad vltima vindicem ſeruabat. Et erat interim intentus grauiſsimae áctioni, quam per eos dies de componenda Romana Eccleſia ſuſceptam habebat, diuulſa tunc fortè inter Octauianum, & Rinaldum, quorum vterque Pontificatum Maximum vindicabat ſibi, mutatiſque nominibus, ille Victor, hic Alexander dicebantur. Magna res ampluſque titulus, & dignum Romano Imperatore negotium, obuiam ire publicis Eccleſiae malis, tollere diſſidia, tueri ſedem Apoſtolicam, ad certi legitimique Pontificis auctoritatem vocare genus humanum. Haec igitur, & incluſum illud animo conſilium aduerſus Mediolanenſes, tantumque in Metropoli euertenda diſcrimen, & agendae rei magnum inſtrumentum aſſumpta diſſimulatio dandũque meditato facinori ſpatium, Caeſarem, quo propius id ſibi negotium aſciſceret, impulere. Sedes eſt electa Concilio Vrbs Ticinum: eò vocati Patres conuenere: Octauianus adfuit: ab Rinaldo recuſatum. Pirouanum Archiepiſcopum, in tanta vicinitate, tantoque ſuo, & vrbis nomine, ne appellatum quidem eſſe conſtat, cùm minores, & longinqui ambitioſe

bitioſe vndique excirentur. Noluerat, credo, Caeſar in tam commotis iam & infenſis vtrinque animis, aut praebere populo Mediolanenſi ſuſpicionẽ, tamquam ſpecie Concilij captaret Archiepiſcopum, aut tribuere autoritatem inimicae vrbi, tamquam ipſa quoque iudex, & arbitra Pontificatus fieret. Id nobile iudicium Ticini exercebatur ceu in contumeliam nominis Metropolitani, cui nulla vrbium infeſtior. Ea res habuit exitum ſuum, pontificesque duo, Victor & Alexander, ille nomen Sedemque tenuit, hic exuto quod ſumpſerat nomine ad fortunam appellationemque priſtinam eſt deiectus, & ingens fama Caeſarem habebat, qui ſapientia, & vi ſua ſtatum Eccleſiae componere ſic potuiſſet. Conditus iam hinc in altitudinem quandam deſtinata cunctabundus exſequebatur, ſuſpicante nemine rem tantam, & ex rebus quas agi tractarique videbant, quidlibet potius aliud autumante Italia. Priſtinas adhuc peccandi, & ignoſcendi vices ac ſolitos inter bella fortunae alternantis caſus expectabant, quam ciuilium ingeniorum opinionem ea quae ſunt inſecuta comprobauere, tamquam ad nobilitandam cladem haec etiam irrita varietas, & vanae reſiſtentium ſpes, & ſimulacra ſalutis, & in pernicie ineuitabili victoriarum imagines deeſſent. Nam quamquam obfirmato ſicuti poſtea cognitum eſt ad complanandam protinus vrbem animo venerat Rex, incidit tamen in difficultates inopinatas, & reperit impedimenta quae non cogitarat,

bel-

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

PARS ALTERA

Liber Secundus

CARCHENVM eſt in agro Mediolanenſi non obſcuri nominis pagus, ob arcem, quę ibi par magnarum vrbium arcibus & valido munita praeſidio, per horum temporũ tumultus fuerat praecipua ſędes belli, cùm, aut appeteret ſemper eam ſtationem hoſtis, aut noſtri inde in barbaros excurrerent, ideoque creuerant munimenta loco, partis vtriusque cura, prout ſcilicet hi, vel illi, variante fortunam marte, potirentur. Erat Eccleſiae Mediolanenſi beneficiario iure nominatim attributa iam inde ab eo tempore, cùm Carolus Magnus rara liberalitate res Italas in Archiepiſcopum exoneraret. Nunc bello inter Federicũ, & Mediolanē-

ſes renouato, cùm nobiles aliquot, vt in magna Ciuitate, ſeſe à caeteris abrupiſſent, atque fauentes hoſti, vnà cum eo ad patriae excidium conſpiraſſent, Carchenienſem hanc arcem occuparant, ſiue dolo, cùm adhuc eſſent in parte Reipublicæ, ſiue poſt defectionem, armis; nam vtrunque credi poteſt, neutrũ tamen ſcriptoribus affirmatur. Certè ibi grande momentum erant, ob gratiam, & opes, & animos deſperatos, vnde præceps audacia ipſis, & varijs eorum artibus quotidie ſolicitati complures in flagitium trahebantur, iamque deſertores iniecerant curam Archiepiſcopo, Conſulibusque, ne gliſcente in dies potentia, validior ea pro Caeſare manus foret, quàm cõſenſus vniuerſae Ciuitatis, & publica in hoſtẽ arma. Iam ipſis quoque miles, & imperium, & ſigna prope faciem exercitus; pecuniaſque belli neruos tum ipſi cumularant, diu fortaſſe meditato conſilio, tum in dies accipiebant à Caeſare, qui praeſidium hoc in hoſtium habere terra iuxta victoriam rebatur. Angebat Archiepiſcopum, caeteroſque Ciuitatis principes indignitas, ſi patriae proditores inualeſcerent, ſi dedecus illud imponéretur vrbi, quae ciuium virtute, magnum ſibi nomen, magnumque imperium feciſſet, atque ob egregiã olim ſuorum fidẽ clara foris, domi potens haberetur. Ita demere ſibi ignominiam, idque Caeſari auferre ſubſidium parant, auctique Cenomanorum auxilijs, Carchenum ſuccedunt, niſi pugnae poteſtas fieret, quamuis diuturna obſidione parati rem gerere. Detrectatur praelium: incluſi intra

arcem

arcem deſertores obſidione cinguntur. Sed nimis lentae ſpei negotium erat; vel ſubigere fame obſeſſos, vel perrumpere munimenta, vel animorum inclinationem expectare, quippe cùm prouiſa intus omnia, & obſtinata inter ipſos fides eſſet, ac finitimi quoque iam talibus aſſueti dominis imperium vrbanum auerſarentur. Nec tam validus erat in agreſtium animis Archiepiſcopus, quàm Caeſar, & nomen amabile libertatis, quae promptiſſima in bellis eſt eorum illecebra, qui iure, ac viribus inferiores conciliare ſibi ſtudia multitudinis volunt. Cùm igitur ob eas difficultates, obſidionis mora diſpliceret Archiepiſcopo, quod vnicum remedium habebat, id ipſum ſtatuit experiri. Defigit diris incluſos, & execrationis eius horribile carmen proponi iubet omnibus de more locis, ſimul priuat eos omni iure quod vſurpaſſent, inſignia, titulos, dominatus omnes, quaeue alia ſuperbam faciunt nobilitatẽ, abrogat ipſis adimitque. Carchenum verò nominatim repetit in Eccleſiaſticũ imperium, vnde hominum illorum ſcelere excidiſſet. Verba edicti in hunc modum fuere. Quia
„ conſtat, arcem ad Carchenum, ipſumque locum,
„ & circumiecta loco, pagos, agros, nemora, vineas,
„ aquas eſſe iuris Ambroſiani, eamque arcem, & lo-
„ cum, & eos pagos, agros, nemora, vineas, aquas,
„ impuri homines rebelles Eccleſiae, patriae ſuae hoſtes
„ occupauere; nos, authoritate qua pollemus, ipſos
„ quidem ferimus anathemate, Carchenum verò, ſicuti
„ antea fuit, ita in poſterũ eſſe Eccleſiae Mediolanẽſis de-

claramus. Haec forma fuit edicti, quo rebelles Eccleſiae, ſatellites Caeſaris deuouit Archiepiſcopus, ſperabatque poſſe illos, vel ignominia, & damno rerum ſuarum, vel diuino ſaltem terrore commoueri. Sed in animis imbutis odio patriae, atque per proditionē exſolutis, religioſi, ac ſancti nihil erat, & ſpernebant praeſentia, qui ſpes in poſterum immenſas agitabāt. At Caeſar, vbi premi ſuos obſidione, inſuperque caeleſteis à Pontifice diras eſſe intētatas cognouit, coacto quanto maximo poſſet exercitu, ferre ſuppetias maturat. Conciuerat in eam expeditionem multarum auxilia gentium, quæ debuerant ex antecondicto militem Caeſari, quaeue vltro in id diſcrimen contulere, neque difficile fuit à tam valido iam hoſte ſuperari Mediolanenſes, & frangi. Carrocium quoque, vt ignominia cladem augeret, amiſere; quo caſu magnus animus Archiepiſcopi vehementer eſt perturbatus, indeque flagrantior in rebelles ira. Illos tot malorum eſſe concitores reputabat; & quamquam ne principio quidem omiſiſſet, quae prudentia militaris, quaeue tempus, & praeſens conditio rerum admonerent, tamen maiore aliquo, vel conſilio, vel conatu rem eſſe gerendam ratus, accitis ab Orſenico, & Herba copijs (ea tunc valida erant municipia, nunc ignobiles pagi) ſecuros ab re feliciter geſta victores aggreditur. Sic exercitus imperatoris caeſus, fugatusque eſt, & amiſſi Carocij dedecus pari hoſtium dedecore, & clade compenſatum, fugientique Caeſari receptaculum fuit Baradellum (id nomen arci ad No-

nocomum in ſuburbani montis vertice) reliqui per tractus eius auia diſſipati. Vna res tamé Archiepiſcopum,& Conſules, quominus ſincero inſidae illius victoriae gaudio fruerentur, angebat, quòd ſcilicet rebelles intra Carchenum incluſi perſeuerarent immutabilibus in Caeſarem animis, & pertinaci erga illum fide. Non cœleſtes apud eos valere minas, quae flectere quamuis impios deberent, non clades, & improſpera belli, quibus etiam indomita virorum pectora frangerentur. Caeſarem, ex diuerſo, ſubſidium illud reliquum, & in afflictis rebus, ea reſidua ſpes, ne retro cum ignominia, vnde victoriae certus venerat abiret tenebant. Et Cremonenſes perpetui Mediolanenſium hoſtes, facta cum Laudenſibus coniuratione, miſsisq; peditũ, & equitũ auxilijs conati ſunt alere bellum, atque trepidantem inter conſilia manendi, vel abeundi Imperatorem confirmare. Verum, fruſtra ipſis, nec ſine magna clade id incoeptum fuit. Cùm enim auxiliares copiae Marlianum vſque perueniſſent cataphractus eques, qui fortè illac iter habebat, ratus id quod erat, hoſtes eſſe, & ad hoſté pergere, quanta maxima potuit feſtinatione ſe ſe proripit in Mediolanenſiũ caſtra, conſulibusq; nuntiat rem. Itur obuiam; pugnatur acriter; accurrit quoque ſerum auxilijs ſuis auxilium Caeſar ipſe, finisque pugnae fuit Cremonenſium ſtrages, Caeſarianorum iterum fuga, victoria noſtris, quo nuntio rebelles ad Carchenum intremuere, ſublatisque rebus, & incenſo Caſtello turpi agmine diſceſſerunt. Id accidit ad viij. Cal. Septembris.

tembris.

tembris, anno ſalutis humanæ milleſimo centeſimo ſexageſimo primo, qui dies quodammodo natalis Vrbis eſt viſus, ob recuperatã arcẽ ademptumque Caeſari praeſidiũ, cuius præcipue fiducia toties in arma coortus fuerat. Archiepiſcopus inde, & Conſules, vt honoribus eorum, qui ſtrenuam in eo bello Reipub. operam nauaſſent, ceteri quoque in poſterum incitarentur, cùm alijs alia praemia perſoluêre, tũ Orſenigo, & Herbae municipijs, conceſſere onerum immunitatem, quae antea pari cum caeteris iure ſuſtinebant. Carcheno recepto, dilapſa rebellium manu, Caeſare etiam ſuperato reſpirabat Eccleſia Mediolanenſis, Archiepiſcopusque Pirouanus, quod ad rem conſilio gerendam vnà cum Conſulibus adfuiſſet, haud dubie parens, & liberator Vrbis habebatur. Sed Federicus animi ferox, atque ardens in deſtinata circumibat inimicas Mediolanenſibus Vrbes, cladéque ſuam eleuãdo verbis, & onerando vrbem noſtram inuidia, quòd ſuperba, quòd impotens foret, appeteretque dominatum in omneis, facile contraxit auxilia, queis bellum repararet. Iurauere in illius verba praeter caeteros, treis Inſubrum Epiſcopi, qui Nouariam, Vercellas, & Haſtam nomine ſacrorum obtinentes, premebant imperio; ciues, & arma penes ipſos, & aemulatione Metropolitae prompta in Caeſarem ſtudia. Hi numerũ militum, quem imperaſſet Caeſar, cùm ad certam diem miſiſſent, leuibus certaminibus ille per aeſtatem exercuit Placentinos ſocios, & amicos populi Mediolanenſis, viciſsimque Placentini fœderatos Caeſaris

exer-

exercuere paribus ab vtraque parte damnis; ſatiſque conſtabat, militũ, adhuc non fortunae acceſſionẽ eſſe factam Imperatori. Peruenerat in Germaniam harum fama rerum, & paſſim fremebant in omnibus concilijs, dedecus eſſe tum Germaniae totius, tum proprium eorum, qui forent annexi Caeſaris domui, ſi ille tamdiu conflictaretur in rebellium terra, ſique vnius ſuperbae vrbis violentia, tam felix aduerſus aeternam, Imperij maieſtatem foret. Itaque flagrantes, & properi ſuo more, pronunciant, quantum quiſque militum dare in eam expeditionem poſſent, & die cõſtituta proficiſcuntur in Italiam, minitantes malum Vrbi Mediolano, quæ quia non vinceretur, vinci poſſe Caeſarem doceret, exemploque ſuo caeteras incitaret gentes ad rebellandum. Rediere Principes gentis, qui iam fuerant in Caeſaris exercitu, compluresque alij ſui quiſque ductores agminis, millia in vniuerſum quinquaginta; praeterea ex alijs gentibus infinita propemodum multitudo, cuius adſpectu laetus Federicus, diſſeruit apud Principes tanto ſpiritu, quantum erat odium in Mediolanenſes, & quanta ſpes victoriæ de Vrbe, quę nominis ſui famam ad eum diem veluti duceret in triumphum. Illos Archiepiſcopo concitore detrectare imperium auſos, quod Orbis terrarum accepiſſet, inuidiſſeq; Germanorum gloriæ, dedecoraſſe ſacra, & nomen Imperij. Subigendos eſſe, delendos ad internecionem, vt ne nomen quidem, & memoria tã

in-

ingratae Vrbis ad poſteros perueniret. Proinde accingerentur in iuſtum, piumque bellum, ingentemque gloriam, & cum gloria praedam capeſſerent. Haec Barbarus, & alia, quae vana non fuere, haud perinde virtute ipſius, quàm ſuperûm erga res noſtras ira, ob turbidos animos, certamina potentum, atque diſcordem nuper, & auulſam Eccleſiam ab Romani Pontificis authoritate. Sic accenſi proceres accendunt deinde ſuos varijs incitamentis, prout in illa gentium, & nationum varietate, diuerſi etiam animorum habitus erant. Ad x Cal. Iunias ingreſſa Mediolanenſium fines hoſtilis efferata multitudo, tectorum, & agrorum vaſtatione rabiem exercuit; nihil herbidi, nihil frugiferi relictum, & tēpla, quoque quae pagatim ſacrata erant, aequata ſolo, vt pauidi intra mœnia Ciues, ex rerum inanimatum ſtrage futuram ſtragem excidiumque coniectârent. Vrbem deinde ipſam aggreſſi barbari validiora omnia, quàm vt primo impetu irrumpere poſſent, repperere. Id obſidioni principium fuit, cuius veſtigia, & ſtationes monſtrantur in annalibus, ad D. Calimeri: ad D. Barnabae: ad D. Stephani: ad D. Dionyſij. Circum ea loca fixa fuiſſe tentoria principum tradunt; pugnae interim erant inter obſidentes, & obſeſſos, quales ex occaſione partis vtriuſque conſeri ſolent. Sed Federicus, non armis tantùm, & omni obſidentium arte bellum gerere ſatis habuit, niſi gereret etiā edictis, & litteris, Archiepiſcopoque Mediolanenſi ſacros terrores vltro

inten-

intentaret. Cùm enim ad laudem fortè Pompeiam de maximis Imperij, & Eccleſiae rebus, Cardinales, Proceres, Epiſcopi conueniſſent, ibiq; concilium haberetur, ipſe profectus eò petijt à patribus, & impetrauit, vt Vbertus Archiepiſcopus, Conſulesq; Mediolanenſes anathemate ferirentur, idque carmen, & ea execratio in Placentinum item Epiſcopum, & omnes alios, qui cum Mediolanēſibus arma conſociaſſent eſt promulgata. Redijt inde Mediolanum Imperator, antegreſſa iam fama minacis edicti, quae non fregit animos obſeſſorum, ſed irritauit. Nam, & Archiepiſcopus, acrior contumeliae ſuae vindex factus, quàm antea fuerat libertatis, tanto magis hortari, confirmare ſuos, nulli rei deeſſe, quae ad ſuſtinendam in tali tempore ciuitatem pertineret; & ciues ipſi, Pontificis notam dedecus eſſe ſuum rati, facti erãt ob iram audaciores ad reſiſtendum. Ita manibus aequis pugnabatur, & erant paria damna, ſiue noſtri, vt fit erupiſſent, ſiue hoſtes mœnia, & portas aggrederentur. Mox peſtis, & fames validiora ferro, deditionem approperauere, bellicoſique Conſules, & ille antea impauidus animus Archiepiſcopi, ſiue turbæ pereuntis miſeratione, ſiue proprio quoque metu, ad pacem quibuſcumq; conditionibus rurſus accipiendã inclinant. Vido Blanderati Comes erat in Vrbe continuus Archiepiſcopi, particepsq; conſiliorum ipſius, & ad omnia, quæ agenda forent, promptus fide, prudentia, manu, nec ſpes alibi maior Pontifici. Hic vbi neceſſitatem vidit vltimam, Archiepiſcopumque

N fractum

fractum cupidine pacis, auidus ipſe quoque vitae, quam in tantis calamitatibus minime eſſe tutam videret, vltro iam ſatis commotos animos impulit authoritate ſua, & ſi qui malebant gloriam, & exitium, quam dedecus, & ſalutem, hos de inutilis pertinaciae gradu dimouit, ac deduxit. Ipſe quoque Cæſar fatigato tot inexpectatis viciſſitudinibus animo, mitigabatur interdum, vt in tempore poſtea funeſtior exurgeret. Igitur petita deintegro pax, & in has leges data. Populus, Conſules, Archiepiſcopusque Mediolanenſis vti iurarent in Caeſaris verba: caeterum eſſent in libertate, viuerentque legibus ſuis: Sacramentum omnes dicerent à vigeſimo quarto ad ſeptuageſimum annum: caeteri, qui minores, quiue maiores, perinde haberentur, ac ſi iuraſſent. Comum, & Laudem ſinerent ipſi viciſſim eſſe in libertate legibusque ſuis, neque quicquam in eas vrbes authoritatis, & iuris eſſet Mediolanenſi praeter authoritatem, & iura, qua Metropolites Eccleſiam vtranque ſubiectam haberet. Caeterae igitur immunes, & liberae parerent Archiepiſcopo in omnibus rebus, quas imperare Archiepiſcopus poſſet. Praeterea reſtituerent Regiam; captiui dimitterentur; haec, & alia donec fierent, darentur obſides, quos idoneos eſſe iuratus Archiepiſcopus affirmaret. Scriptis, & acceptis vtrinque conditionibus, Mediolanenſes ad Imperatorē acceſsere ſupplices, & venerabundi; fuitq; fœda ſpecies eius diei, cùm bellicoſus antea populus, impauidi Conſules, & Pontifex ipſe vir clariſſimus ad

ho-

hoſtium pedes abiecti, pacem, & veniam implorarent. Inceſsere autem hoc ordine. Praeibat Archiepiſcopus, non iam ſuo more trabeatus auguſtiſſime, neque ſacros inter honores micans gladio, ſed ſimplici corporis tegmine, vultu, qui dolorem fateretur. Hunc ſequebatur pari ſqualore turba clericorum, qui nudis pedibus maioris formæ cruces praeferebant. Alterum fuit agmen vniuerſae nobilitatis, quae tanto mœſtior incedebat, quanto ſunt molliores in calamitate principum animi. Fertur Federicus ad eum adſpectum, velut ex barbaro, & infenſo, mitis, piusque repente factus, gratias egiſſe Numini, quòd cōſeruandae ſcilicet tantae Vrbis ſibi facultatem dediſſet. In Archiepiſcopū deinde Conſulesq; obuerſus, de ſua erga Vrbem toties irrita clementia, & eorum inpoſterū officio magnifice diſſeruit, viciſſimq; illi ita reſponderunt, vt quae grata rebus videbātur, gratiora verbis facerent. Facta in hūc modum pace reconciliataque gratia cum Archiepiſcopo, Caeſar Modoetiam eſt profectus, ibique ferreo diademate de more cingitur caput, mira populorum ob id ſpectaculum iucunditate, cùm infenſi nuper hoſtes, Caeſar, Archiepiſcopus, Conſules, inter ſe certarent officijs, caeremonijs, ritibusque miſcerentur, & ſumeret Federicus Imperij ſolennia ex illius manu, cum quo ad internecionem fere dimicaſſet. Ab eo reconciliatae gratiae principio pene in fœdam adulationem Archiepiſcopus eſt delapſus, ſiue tot mala fregerant virum, ſiue fœda hæc praeſagia, ſiue ineuitabilis exitij diuinitus accidebant, eaque adulatio in hunc

modum fuit. Poſt res bello feliciter geſtas, ſuſceperat Federicus illam actionem, vt noua quoque populis iura, & leges daret; Sed ne principum ſtudia contra ſtarent, verebatur. Itaque concilio ad Roncalias indicto, cùm ſuperiorum temporum licentiam, turbatamque iuris deſcriptionem inter tot bella, tot tumultus demonſtraſſet, expoſuiſſetque conſilium ſuum, rogare ſententias inſtitit. Mediolanenſis Archiepiſcopus, ob ſuam, & Eccleſiae dignitatem primum in conſeſsu locum obtinebat.
" Is orditur in hunc modum. Si Deus nobis poteſtatem
" feciſſet, quem rerum exitum, quemue finem armis op-
" taremus, alium profecto voluiſset inſita mortalium
" animis vincendi cupîdo, neque bonis ipſi noſtris aſ-
" ſentiremur, quae nobis ob id ipſum obrigêre, quia vi-
" cti ſumus. Nunc cenſeo tot bonorum, & huius inſpe-
" ratae felicitatis auctorem, ita colendum eſſe, vt eius nu-
" tus, & voluntatem vice legis obſeruemus. Antequam
" huic vrbi ſol exoriretur, fuerãt tenebræ rebus noſtris,
" & ſeruire tyrannis erat libertas, quia tantùm non ſpi-
" ritum, & vitam eripiebant. Iam legitimum, atque iu-
" ſtum imperium habemus in quo viuere ea demum eſt
" vita. Proinde cenſeo leges accipiendas eſſe, quaſcun-
" que Caeſari perferre viſum fuerit, eumque qui ſecus
" fecerit, aut dixerit, nequaquam pro bono Reipub. fa-
" cturum eſse. Cùm hanc ſententiam dixiſset Archiepiſcopus Mediolanenſis, ea fuit omnibus pro lege, quid reſponderent. Ordine deinceps interrogati pronunciauere, non poſſe Rempublicam ijs ſtare legibus,

& in-

& inſtitutis, quae perturbatione temporum inualuiſſent; opus eſſe noua rerum forma, nouaque iuris deſcriptione. Ita Caeſar adhibitiis in concilium principibus ſapientiae viris ordinare deintegro Rempub. eſt aggreſſus, deditque leges, quae manſere donec nomen, & imperium ipſius aboleretur. Ea Mediolanēſis Archiepiſcopi in Caeſarē adulatio, & ipsū, & Ambroſianā hanc Eccleſiā, vrbemq; antea latè dominantē in ordinē penitus redegit. Cùm.n.illi quos ad ea negotia conſultanda Caeſar adhibuiſſet, ita pronūciaſſent; Regalia deberi Caeſari per vniuerſam Italiam, euertit ea res veterem Eccleſiæ Mediolanenſis fortunam, quae magnorū principū adhuc ęquabat opes, deſiuimuſq; viuere more Regum. Non capitum, et oſtiorum exactio, non flandi feriundi aeris poteſtas, non portoria, non vectigalia ex eo tempore fuere iuris Eccleſiaſtici, magnaque nomina, queis Archiepiſcopus, et Dux, et Demarchus, et Comes appellabatur, ceſſere. Fremitus inde caeterarum Vrbium eſt ortus in Mediolanenſē Archiepiſcopum, quod inueteratam et communem Eccleſiarum dominationem prodidiſſe vnus videretur. Sed aderat clades vrbi toties vitata cùm timeretur, nunc ſubeunda cùm ciues minime eam expectarent. Namque cum Federicus vrbem Mediolanum in poteſtate haberet, exilijt quidē tanto gaudio, quantū nomen erat Vrbis, quantaue circa eam varietate dimicatum fuerat; ſed ex parte altera, tot clades vel acceptae, vel illatae, tanta principum expectatio, tantumque momentum ex vno certamine in reliqua

dein-

deinceps bella victoris animum agitabant varijs curis, neq; in victoriæ termino quid ageret, explicabat. Daretne vrbem excidio ſicut antea decreuerat idque ſtatueret exemplũ frenandis in poſterum animis, qui detrectare imperiũ, et vſurpare libertatem auderẽt, an verò magnitudine animi, et clemẽtia in victos, augeret gloriam, alliceret rebelles, anxiusque & ſolicitus erat. Ad haec, Ambroſiani nominis fama, Barnabas Eccleſiae parens, templa religionum auguſtiſſimarum diſtraxerant curam, ne hoſtes puniendo, gerere cum ſuperis etiam bella videretur. Vicit ira tamen, eaque pernicioſa dulcedine deceptus animus, perdere, quàm ignoſcere victis, delere, quàm ſeruare Vrbem, ad magnitudinem nominis illuſtrius, ad Imperij ſecuritatem vtilius duxit. Die Lunae captae vrbis nuntium ad Laudem Pompeiam acceperat; die Martis proximo Ticinum venit. Ibi, frequenti ſuorum cœtu ſic eſſe
,, locutus fertur. Octauus hic annus agitur, commili-
,, tones, ex quo relicta patria, rebusque cariſſimis in
,, terram Italiam deſcendimus, vt ferream, aureamque
,, coronas more maiorum Imperij Romani ſollemnia
,, ſumeremus, & vt compoſito rerum Italicarum ſtatu,
,, deletisque Mediolanenſibus hoſtibus noſtris, aeterno
,, monumento teſtatum faceremus, gentium nulli felicẽ
,, aduerſus nos, atque diuturnam eſſe rebellandi temeri-
,, tatem poſſe. Haec ſuperba Ciuitas, cùm datis obſi-
,, dibus in noſtra iuraſſet verba, cùmque pacis conditio-
,, nes accepiſſet, quibus aequiores, ne ipſa quidem po-
,, tuiſſet optare; cùm etiam indicta ſuperiorum tempo-

rum

„rum obliuione polliciti eſſemus, futuram apud nos eo
„loco, vt nullius liberae gentis conditionem, cum ſuo
„ſtatu mutatam vellet; haec inquam rebellis, & infida
„ſemper Ciuitas, duce ſacrificulo, qui, ne deſidem intra
„ſacella vitam ageret, belli fuit inſtigator, detrectando
„imperium, & ſolicitando quietas vrbes, conſilia, co-
„natusque noſtros, & curſum rerum impediuit, cumq;
„arte circūſpexiſſet peſsima, quicquid vſquā nobis infi-
„dum, aut hoſtile, ſociauit odia, miſcuit vires, & quan-
„tum in Mediolanenſibus fuit, nullum nomen impera-
„toris, nulla Imperij maieſtas erat. Alexandrum adul-
„terinum Pontificem, irreligioſa tractantem ſacra, &
„Apoſtolicae Sedis opes ab Eccleſiae defenſione in no-
„ſtra damna conuertentem iunxere ſibi; Derthonenſes
„in nos armauere, ferreamque coronam negare ſunt
„auſi, cùm nos id Imperij myſterium vſurpando, ma-
„gnum, & Vrbi decus, & coronae ſplendorem afferre-
„mus; & quamquam aduerſae pugnae, clades grauiſ-
„ſimae potuerant hos homines admonere, vt quieta
„turbidis antehaberent, tamen inſurrexit caeca ſemper
„rabies, & meminiſtis, quae Mars communis interea
„pati nos coegit. Ad Cremam, ad Carchenum, ad Ve-
„ronam, omnia quae dura, & ſaeua bellum habet, ex-
„perti ſumus, famem, laſſitudinem deſperationem; &
„pęne Imperatorem amiſiſtis. Donec ſtabit haec Vrbs,
„nuſquam tuta nobis erit Italia; cui tanquam theſauro
„praeſtantiſſimarum rerum illa validiſſima turris im-
„minet, quam oportet excindi, ac deleri, vt theſaurum
„ipſum aſſequamur. Opulenta, bellicoſa, ſuperba, ſitu

„ ac rebus omnibus, quas requirit vita, toties reparare
„ bellum, ac velut ex ruinis reſurgere potuit, cùm cae-
„ terae Vrbes ab eius contagione ſe ſe diremiſſent. Si
„ ſocios furoris inuenerit, ipſum, mihi credite Romanũ
„ Imperium expugnabit ſibi, quod ne accidat vtamur
„ indulgentia fortunae, quae nobis tantae rei facul-
„ tatem dedit, & hunc noſtrae gloriae obicem excinda-
„ mus, itaut ne nomen quidem eius, & memoria apud
„ poſteros relinquatur. En expoſui vobis animi mei ſen-
„ ſum, nunc, quid vobis item videatur, antequam ex
„ concilio diſcedatis, expecto. Poſtquam Imperator dicendi finem fecit acclamauere omnes delendam eſſe vrbem, ęquandam ſolo, nudamque aream relinquendam eſſe monumentum inuictae gloriae, rebellionis infelicis. Mandatum inde conſulibus, vt multitudinẽ vniuerſam extra vrbem educerẽt; quod cùm fieret, ac ſublatis, proſequiſque rebus abirent, non erant virorũ clamores, mulierum eiulatus, neque in vltimo patrię ſedis adſpectu, ſtupor, & oculorum animique confuſio, ſed feſtinatio, & fuga, necum patria vitam amitterẽt, quod hoſtile beneficium admirabantur, ac ne funeſtiora ſuperuenirent mandata timebant. Abiere quoquemque caſus tulit, infelix turba, Ticinum alij. Bergomum quidam, nonnulli Comum, in alias alij Ciuitates, vbi, ſicut hoſpites, & amicos, affinesve pauci priuatim inueniebant, ita communiter omnes ob vetera odia, & ſimultates irridebantur. Pars etiam, nullum vlla in parte receptaculum inuenientes, palati per agros fixere tentoria, paruo iam necis, & vitae diſcri-

mine,

mine, quando nec haberent ſubſidia viuendi, nec honeſtae mortis exitum reperirent. Sed erat maxime miſerabile agmen Sacerdotum, virginumque ſacrarum, quae iam inde ab Ambroſij temporibus ad eam aetatem, varijs, vt in opulenta, & magna vrbe collegijs propagatae, turpi cum ceteris fuga miſcebantur. Inſubriae Metropolis, & Ambroſiana maieſtas, & illa poſt Romanum faſtigium inclyta ſedes agebatur in exilium relinquens ſua templa excidio, & captiuitati, quae rerum olim domina dare, vel adimere alijs poterat vrbes, regna, libertatem. Federicus diro, & inhumano aeſtuans facinore, quod agitabat, ſeptimo poſt ſententiam die ad delendam vrbem Mediolanum venit, & quo magis exſatiaret iras, addidit ſuperbiã, excidiumque delegauit illis, quos Mediolanenſibus ob ſuperiora, vel recentia bella maxime infenſos ſequi agmen iuſſerat. Laudenſes, tota quantum Orientalis, & Tonſa Porta patebant regione, extendere ruinas iuſſi: Romana Cremonenſibus data: Papienſibus Ticinẽſis: Vercellina Nouarienſibus: in Cumanã, & Nouam ſaeuiere Nouocomenſes, & Martheſani, praeter Caeſaris mandatum, indulgentes etiam odijs ſuis, quibus potius ciuium corpora, quàm Vrbis tecta laceraſſent. Tanto magis in res mutas, & inanimas dolorem effudere, fuitque rabies ea vt quatuor dierum opere, ſtragem ediderint, quae menſes cõplures occupare poſſe videretur. Non templis, & monaſterijs, non publicis alijs operibus ira pepercit, quae fuerant ſuperiorum Caeſarum monumenta, & ſaltem hoc ipſo potuerant

ſiſtere furorem, vitae cladem; Capitolium, Hippodromus, Amphiteatrum, Arena, & alia propter, quae Metropolis viſebatur. Ac tanta fuit dulcedo ſaeuiendi, vt, cùm ſacra Turris Templi, quod Mariæ Virgini dicatum imminebat foro olitorio, vitaſſet iniuriam altitu dine ſua, hanc quoque excindi iuberet imperator, & multorum illico petita conatu, ſacrilegium, & ruinas augeret. Neque ſolum in ſacras aedes, & publica omnia priuataq; aedificia, ſed in ſanctorum reliquias, qui maior fuit vrbi luctus, barbarorum licentia debacchata eſt, ita, ut auro, vel argento, quo tegebantur abrepto, ſternerentur humi, ruinis accumularentur celitum oſſa, & quantum ex diuina illa mortalitate per tot ſaecula ſeruare potuerat vrbs auida talium, & fœcunda. Corpora trium Magorum, itemque corpora Geruaſij, & Prothaſij, Naboris, & Felicis extra communem iniuriam fuere; ſed vt auferret ſibi nō vt relinqueret nobis ea ſubſidia Barbarus, quaſi tam ſaeuum animum reſpicere poſſent ſuperi, vel ipſe ſuperos iam agnoſceret. Profert ſane Bernardinus Corius ad ſe miſſam ex Germania monumentum huiuſmodi. Federicus Romanorum Imperator primus filius Hermani generoſi Ducis Sueuiae, imperauit triginta ſex annos. Anno Imperij ſui decimo Mediolanum deleuit, quo tempore ſoror Vicecomitis, qui erat in poteſtate Federici, vt redimeret fratrem, iuit ad Archiepiſcopum Colonienſem, & indicauit ei corpora trium Magorum; Gaſparis nimirum, Balthaſſaris, & Melchioris; corpora Sanctorum Geruaſij, & Pro-

,, & Protaſij;corpora Sanctorum Naboris,& Felicis,quę
,, Briſachij in Baſilica D. Stephani collocatae quotidie
,, miraculis clarent. Haec fuit illa tantopere celebrata vrbis direptio, quae nomen Ænobarbi ſecutis poſtea temporibus inuiſum fecit etiam apud eos, qui ſolitis inter accolas certaminibus inuidentes Metropoli,poſtquam odium expleuerant,miſericordia tantae cladis angebantur. Sed ambigunt aliqui tantane fuerit, ſiue clades vrbis,ſiue Caeſaris ſaeuitia, an verò minor aliquanto, ſicuti pleraque rerum antiquarum,creuerit hiſtoriae licentia, quae ſępe parua pro magnis extollendo, ſaeculis, & hominibus illudit. Quippe Gibellini plerique erant in Caeſaris comitatu, ac ſuas facile ſeruare domos potuere, vt Guelforum excindēdo tecta, quae aduerſa factio erat, expleret odium Caeſar; caeteris intactae res manerent. Praeterea, vetuſtiſſima templorum, aediumque priuatarum facies,& ante Ænobarbi ætatem poſita monumenta, quæ manent adhuc, reliqui paſſim fuiſſe nonnihil affirmant. Etiam prolatum illud à Corio teſtimonium, quo ſanctorum Corpora detecta, & prodita Caeſari mulieris indicio, demonſtrauimus, ambiguam habet, obſcuramque fidem. Quis enim credat, aut potuiſſe mulierculam ſcire quod populus ignoraret vniuerſus, aut, cùm ea conſenſu paucorum occultarentur, tantam fuiſſe vecordiam, vt muliebri ingenio rem permitterent. Id,ſicuti tunc in ipſo diſcrimine videretur anceps, & infidum, ita deinceps in temporum illorum annalibus prudētia no-

ſtrorum hominum eſſe mendoſum putauit. Direpta Vrbe Federicus Mediolanenſem agrum in ſex partes diuiſit, vt ſinguli Comarchi ſingulas obtinerent, quae antea locorum præfecturae, ſiue dominatus, fuerant Eccleſiaſtici iuris vnà cum caetero imperio, quod Caroli Magni liberalitate in hunc diem Ambroſiana res gerebat. Nomina Comitum fuere Amphortius Mairaghi, Abradienſius Leuci: Henricus Parazani, Arſella Brugariae: Nicolaus Seprij: Alicus Mediolani. Nam vrbem ipſam, quod ad informe redacta ſolum, & inane ſine re nomen eſſet, afflixit hac extrema contumelia, vt pari cum ignobilibus pagis iure cenſeretur. Hunc Alicum Caeſar in Italia poteſtatis ſuae Vicarium reliquit, & omni veterum ſcribarum authoritate ſuppreſſa ac damnata, Gaſparemquendam Aliatenſem iuſſit nouos inſtituere ſcribas, addita pœna, ſi quis hoc munus temere vſurpaſſet, vt ei radicitus lingua excinderetur. Simul imperatæ decumae Valuaſſoribus, & Capitaneis, atque caetera omnia, quæ fuerant Archiepiſcopi decus aut poſſeſsio, nouis adempta legibus, & redacta in fiſcum, abolita, deleta. Sed omnem acerbitatem illa ſuperauit acerbitas, quod noui dynaſtæ, tamquam Caeſari gratificarentur inuiſae terrae luctũ, atque deſperationem, premebant iniurijs reliquias hominum & rerum, neque reſurgere Vrbem patiebantur. In publicum erant exactiones, & tributa, priuatim ſeruitus & mancipia, quaeue alia tyrannorũ

inge-

ingenijs reperta delendis vrbibus, & vexandae communitati, in tãtum euecta ſæuitia, vt quos terrâ fructus quoſue piſciũ, & alitũ greges aqua caeloque Deus ad hominum vitã ſpargit, attigiſſe capitale eſſet, niſi pręcipua pars, & tota fere captura deferretur ad Magiſtratum. Status inceſſus, vigilia, quies, ſol, vmbrae, & ea quae iure naturae cõmunia sũt omnibus, emebantur; cuius modo rei nomẽ erat, ea ſtabat tributo, ſicque diuexatis hominum animis, & oppreſſis vltima neceſſitate, minima erat cura rerum earum, quae ad ipſius animi ſalutem pertinebant. Religio, Templa, Deus, infera pariter, & ſupera tradebantur obliuioni, fœdumque dictu; cùm fame perirent, deuoluebantur in ſempiternos ignes, impietate, deſperatione, vecordia, neque leuamen ſperabatur ex Caeſare, cui placere talem Inſubriae ſtatum, publicus rumor ferebat. Cùm res ita ſe haberent, Aenobarbus, compoſito rerum Germanicarum ſtatu redijt in Italiam, indictoque ad laudem Pompeiam conuentu, ſpem de ſe fecit, quaſi tactus aliqua miſericordia, & cura, res erigere, ac refouere feſſas vellet. Itaque, tamquam ſepultae Metropoli noua lux affulxiſſet, agmine facto quibus praecipua caritas in patriam, præcipuuſque ſenſus erat calamitatis, eunt imploratum opem; & quo magis flecterent immitem animum ipſo etiam adſpectu, ſinguli crucem humeris baiulabant. Mouerat ea ſpecies nonnihil Imperatorem, auditoque quid expoſtulantes veniſſent, pauca dixit obducto vultu, quibus præfectos incuſare ſuos videretur; ac ſane crediderant mœſta cohors,

ſtrorum hominum eſſe mendoſum putauit. Direpta Vrbe Federicus Mediolanenſem agrum in ſex partes diuiſit, vt ſinguli Comarchi ſingulas obtinerent, quae antea locorum præfecturae, ſiue dominatus, fuerant Eccleſiaſtici iuris vnà cum caetero imperio, quod Caroli Magni liberalitate in hunc diem Ambroſiana res Magerebat. Nomina Comitum fuere Amphortius Mairaghi, Abradienſius Leuci: Henricus Parazani, Arſella Brugariae: Nicolaus Seprij: Alicus Mediolani. Nam vrbem ipſam, quod ad informe redacta ſolum, & inane ſine re nomen eſſet, afflixit hac extrema contumelia, vt pari cum ignobilibus pagis iure cenſeretur. Hunc Alicum Caeſar in Italia poteſtatis ſuae Vicarium reliquit, & omni veterum ſcribarum authoritate ſuppreſſa ac damnata, Gaſparemquendam Aliatenſem iuſſit nouos inſtituere ſcribas, addita pœna, ſi quis hoc munus temere vſurpaſſet, vt ei radicitus lingua excinderetur. Simul imperatæ decumae Valuaſſoribus, & Capitaneis, atque caetera omnia, quæ fuerant Archiepiſcopi decus aut poſſeſsio, nouis adempta legibus, & redacta in fiſcum, abolita, deleta. Sed omnem acerbitatem illa ſuperauit acerbitas, quod noui dynaſtæ, tamquam Caeſari gratificarentur inuiſae terrae luctũ, atque deſperationem, premebant iniurijs reliquias hominum & rerum, neque reſurgere Vrbem patiebantur. In publicum erant exactiones, & tributa, priuatim ſeruitus & mancipia, quaeue alia tyrannorũ

inge-

ingenijs reperta delendis vrbibus, & vexandae communitati, in tãtum euecta ſæuitia, vt quos terrã fructus quoſue piſciũ, & alitũ greges aqua caeloque Deus ad hominum vitã ſpargit, attigiſſe capitale eſſet, niſi pręcipua pars, & tota fere captura deferretur ad Magiſtratum. Status inceſſus, vigilia, quies, ſol, vmbrae, & ea quae iure naturae cõmunia sũt omnibus, emebantur; cuius modo rei nomẽ erat, ea ſtabat tributo, ſicque diuexatis hominum animis, & oppreſſis vltima neceſſitate, minima erat cura rerum earum, quae ad ipſius animi ſalutem pertinebant. Religio, Templa, Deus, infera pariter, & ſupera tradebantur obliuioni, fœdumque dictu; cùm fame perirent, deuoluebantur in ſempiternos ignes, impietate, deſperatione, vecordia, neque leuamen ſperabatur ex Caeſare, cui placere talem Inſubriae ſtatum, publicus rumor ferebat. Cùm res ita ſe haberent, Aenobarbus, compoſito rerum Germanicarum ſtatu redijt in Italiam, indictoque ad laudem Pompeiam conuentu, ſpem de ſe fecit, quaſi tactus aliqua miſericordia, & cura, res erigere, ac refouere feſſas vellet. Itaque, tamquam ſepultae Metropoli noua lux affulxiſſet, agmine facto quibus praecipua caritas in patriam, præcipuuſque ſenſus erat calamitatis, eunt imploratum opem; & quo magis flecterent immitem animum ipſo etiam adſpectu, ſinguli crucem humeris baiulabant. Mouerat ea ſpecies nonnihil Imperatorem, auditoque quid expoſtulantes veniſſent, pauca dixit obducto vultu, quibus præfectos accuſare ſuos videretur; ac ſane crediderant mœſta cohors,

hors, vel iam ſatis expleſſe hoſtem iras, vel ſi qua reſidua maneret ira, poſſe leniri eam, & mitigari. Mox apparuit implacabilem eſſe animum, exituq; comprobatum eſt antiquum illud, & vulgare; principes viros, quamuis hodie coxiſſe videantur indignationem, & venenum, craſtina die tamen ad priſtina eſſe redituros. Nulla ſubleuatis ope Mediolanenſium rebus, abijt Caeſar, Metropolimque ſuae reliquit calamitati; & offenſa Magiſtratuum ſuperbia nouas in accuſatores ſuos iniurias excogitauit. Vbertus Archiepiſcopus interea moritur ad Beneuentum, cùm poſt patriae caſum illuc ſeſe contuliſſet. Ei ſufficitur Galdinus, qui antea ſplendidum, in Eccleſia Mediolanenſi munus obtinuerat, Archidiaconus appellatus, eiusq; viri nomine audito diſperſi per varia loca ciues animũ ad aliquam nouae ſpei partem erexere Pinamontis Vicomercati præſertim inſtinctu. Magna huic inter ſuos authoritas erat, ingensq; nomen ob multa militaria facinora, & pacis artes, quæ animi ornamenta coniuncta cum opibus, & ſplendore familiae, tanto magis pollebant. Hic exulantis patriae reliquias, & ignominiam ciuili miſeratus animo, poſtquam Pontificem eſſe Galdinum vidit, eiusmodi ſcilicet virum, qui mallet vitam amittere, quàm ferre tantam Eccleſiae ſuae deformitatem, tali fretus adiutore, conſilium reſtituendae Vrbis agitare cœpit, & re cum ciuibus communicata, ſegnes primo ad eius rei conatum animos reperiebat. Namque obſtabant plura; & ſicuti praeclarum foret, reſtituiſſe

Vrbem

Digitized by Google

Vrbem; & ab interitu patriam reuocaſſe, ita difficultates occurrebant, quae praeclaros impetus tardarent, metus ex Caeſare, vel abſente, praeſentes Magiſtratus, aemulae Ciuitates, & quòd velut in hoſtico aedificandum eſſet. At Pinamontes, vbi languere ſtudia, nec ſatis impigre mouere ſe ſe quenquam animaduertit, vrgendo ſuos acrius, & circumeundo ſociorũ oppida, perpulit demum, vt tanti conatus gloriam, etiam ſi res ipſa non ſuccederet ſatis magnum omnium periculorum, omniſque laboris eſſe praetium arbitrarentur. Pontida pagus eſt in Abduae fluminis ripa: nobilem aedem habet D. Iacobo Sacram, quae manet in hunc diem: tunc etiam turrim habebat aduerſus hoſtilia perfugium. In eam aedem Pinamõtes, cùm exciuiſſet eos, quorum authoritate reliquam exulum moueri poſſe multitudinem intelligebat, ſic eſſe locutus fertur. „Viri Mediolanenſes „& ſociarum ciuitatum legati, qui hic adeſtis. Si ſtaret „adhuc vrbs noſtra, iamque Metropolis in ſua ſede, „quamquam labefactata belli cladibus, maneret tamen; ſi patriam haberemus, ſi templa ſaltem iniuriam effugiſſent; vterer ea deploratione, quam poſt „tot funera, vltimamque vaſtationem in meſerrimo rerum ſtatu iuſtus excogitare dolor poſſet. Sed vrbe „deleta, conuulſa Metropoli, domicilio religionis euerſo, ſepulta quoque patria, pudet ſegnibus vti querelis, „ne ad caetera Mediolanenſium dedecora hoc etiam „vltimum accedat, vt patrijs emoti ſedibus, mulierculārum agamus ritu, quarum eſt, in magna calamitate

ſcindere

,, ſcindere capillos, laniare genas, & celum eiulatibus
,, ferire. Quin potius agimus quod viros, quod Medio-
,, lanenſes decet, omiſſaque muliebri querimonia, quae
,, nihil ad extremum prodeſt, conamur in vltimis rebus
,, aliquid, & experimur? Dedere Barbari noſtram vr-
,, bem excidio, noſque in has coniecere calamitates,
,, non virtute ſua, non ſuis armis, ſed fatali noſtra qua-
,, dam inertia, & haud dubie ſuperum nutu, ne magnum
,, hoc Imperium ab omni parte beatum foret, vtque in
,, continua tot annorum felicitate, Metropolis haberet
,, ſuos luctus, non paruos, & obſcuros, ſed pro vrbis
,, magnitudine duraturos in memoriam hominum ſem-
,, piternam. Vrbs Mediolanum antequam hoc pro-
,, ſtrata caſu rerum humanarum exemplum praeberet,
,, fuerat Inſubriae totius gubernatrix; Italicas Ciuita-
,, tes, dominatus externos, Regna, Regesque defen-
,, derat, & Hieroſolymam usque uim extenderat ſuã,
,, cùm Othonem Vicecomitem ad inclita Chriſti veſti-
,, gijs loca liberanda deſtinaret. Ac ſi repetamus vlte-
,, riora, iam inde ſcilicet ab Romanae Reipub. tempo-
,, ribus, cùm principes Vrbis, nomine Senatus Orbem
,, vniuerſum tenerent, noſtra arma, ciuesque noſtri vnà
,, cum rerum dominis in rebelles pugnauere. Non
,, Brennus capta Roma, non Hannibal tot illatis Italiae
,, cladibus, non cum ſuo exercitu Pirrus pedem inferre
,, potuit illuc, vnde nos barbarus nunc deiecit, vt ne nu-
,, dũ quidem ſolũ vlli mortales incolerent. Proinde me-
,, mores auitae virtutis, & accenſi in barbarum odio, in
,, ſegnitiem, calamitatemque noſtram ira, conſpiremus

ad

Digitized by Google

„ ad reſtituendam Metropolim, qua reſtituta breui col-
„ labetur iniuſtus dominatus, & vos patriae liberatores
„ nuncupabimini. Timebunt Caeſariani conſenſum
„ noſtrum, & opere inchoato ſtabunt pro nobis, etiam
„ ſi qui memoria veterum certaminum infenſi, nunc ex-
„ torres, & vagos inſectantur. Iam nouus Archiepi-
„ ſcopus, & Summi Pontificis authoritate reſtitutum
„ Eccleſiae nomen, diuina ſimul, & humana adiumen-
„ ta nos vocant, ac ſi ceſſare velimus, ignauiam noſtrã
„ apud Deum, & homines accuſare videntur. Poſtquam
ea Pinamontes dixit, nemini omnium dubium fuit, quin aperiẽdas foſsas, ducenda mœnia, ſtruendum aggerem, & excitandam à fundamentis Vrbem cẽſerent, addendasque moles, & turres, & templa, quae non priſtinam modò referrent imaginem, & faciem Vrbis, ſed facerent etiam, vel in ſpeciem illuſtriora, vel ad firmitatem validiora omnia, quàm antea vnquam fuiſſent. Iurauere ſociarum Ciuitatum legati, qui erant in eo conuentu, non defuturos vlla in re ſe ſe Metropoli, daturos operam, vt Mediolanenſes quamtutiſsime patriam aedificarent. Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo Pridie kal. Martias, qui dies erat D.D. Vitali, & Valeriae ſacer, precati Deũ, vt ea res bene atque feliciter eueniret, praeferentes vexilla duce Pinamonte patrium ſolum attigere, poſitisque cuſtodibus, aedificare Vrbem inſiſtunt, & citius, atque felicius omnino, quàm credi poſſet, opus eſt abſolutum; ſtetitque Metropolis cum priſtina maieſtate, & cultu. Non templa, & caeremoniae, non antiſtites earum,

primis illis renaſcentis Eccleſiae temporibus defecere, ſicut conſtat ex Galdini Pōtificatu, quē rerū aliquarū, actionūque fœcundum reperi tāquam in media pace, florentique Repub. Fecerat Lombardiae Legatum eū Pontifex Alexander, quae magna erat poteſtas, & ſupremum pene regimen, ac ſimilis fortuna veterum Pontificum opulentiae, tunc ſcilicet cū datam ab Carolo Magno fortunam obtinerent. Itaque primum, & antiquiſſimum omnium habuit, ſubiectas Imperio ſuo Ciuitates ad Pontificis Maximi obſequiū traducere, diſsidiumque tollere quo rebelles oppoſitum Alexandro Paſchalem fouebant. Laudenſis Eccleſia præcipue laborabat hoc malo, magnusque numerus ibi præpotentium Sacerdotum fauebat adulterino Pōtifici; iuſtū, & legitimū adſpernabātur, inſtigante praeſertim Vberto Caritiano, qui ſacrae dignitatis vocabulo tēpli maximi Præpoſitus in ea vrbe erat. Magna ibi rerum perturbatio, & ſicut in rebelli Ciuitate deprauata omnia, & confuſa. Nam, & Albericum, Merlinum ex Paſchalis factione ſeditioſum hominem, neq; rite ſacris initiatum, Epiſcopū appellarant, & cùm in Federici verba iuraſſent, quotidianis flagitijs ea ſtabat fides, neq; aut abdicare Paſchalem, aut relinquere Merlinum poterāt. Galdinus Archiepiſcopus miſit nuntios ad Conſules cum mandatis huiuſmodi. Facere Ciuitatē illam, neque pro veteri ſua religione, ac pietate, neq; pro Vrbis ſalute, quòd à Romani Pontificis obſequio maneant abrupti, quod ſequantur irreligioſa ſacra, quod Federicum hoſtem Italiae, penitus amplexi, ex

illius

illius libidine Ciuitatem adminiſtrent. Reſipiſcerent porro, & pro Paſchale Alexandrum, pro Merlino iuſſũ alium, legitimumque Pontificem ſequerentur. Turbatori rerum Cantiano, caeteriſque Praepoſitis, Abbatibus, Parochis, qui ſeſe nefariae factionis duces praeberent, conuentus indiceretur; in eo conuentu Paſchalem eiurarent, exuerent Merlinum. Ni facerent; longe ipſis, & Imperatoris nomen, & vim atque poteſtatem falſi Pontificis abfuturam. Laudenſes, accepto mandato, trepidant verius, quàm conſultant, & in magna ſententiarum animorumque varietate omnes conflictabantur eodem metu, ne Federicum, neue Galdinum irritarent, quandoquidem res eſſet in illud adducta diſcrimen, vt eorum alterum contemnere neceſſe haberent. Si manerent in ſuſcepta ſemel ſententia, pergerentque fouere Paſchalem, retinere Merlinũ Galdini pauebant iras; ac ne refecta iam vrbe, moueret ille arma tanquã in rebelles, verebantur. Sin autem obedientes Archiepiſcopo, ex illius authoritate rem componerent Eccleſiaſticam, Federicus, & Paſchalis ipſe, & anceps fortuna negotij, minitabantur obſequio triſtem exitum, eoque metu ſuſpenſos animos gerebant. Tandem Legati Mediolanenſes, & veluti praeſens maieſtas Archiepiſcopi, pluris fuere, ſtudijsq; protinus in Alexandrum auerſis, eiurauere Paſchalẽ; conſultantesque inde, quemnam facerẽt Epiſcopum, haud multum haeſitauere. Albertus quidam erat Ripae altae Praepoſitus, vir, ſi quiſquam alius ea aetate conſultiſſimus omnis humani, diuinique iuris, & no-

tus innocentia vitæ. Hunc in ſuo illo ſeceſſu quiduis aliud agitantem, populus, clerusque Laudenſis Epiſcopum creant, creatusq; rem Laudenſem ſancte, ac laudabiliter, & Galdino concors adminiſtrauit. Id prouinciale negotium inciderat Archiepiſcopo, cùm Vrbe reſtituta, ipſius quoque authoritas calamitate temporum imminuta paulatim inualeſceret. Mediolani ſub idem fere tempus eiuſdem authoritate Galdini Xenodochium, ſiue valetudinarium Brolienſe reſtituitur, quod egenae turbae ſubſidium in vetera Vrbis ſtrage diſſolutum, amiſſumque iacebat. Otho Carſenzaghi praepoſitus, Ioannes Parochus Eccleſiae S. Syluestri, Petrus D. Sixti vnà cum Anſelmo Horto Conſule, praefuere actioni, cuius monumentum Creſſentiacenſis Antiſtes ibi poſuit, rei geſtae ſeriem amplexus marmorea tabula, quam ſe vidiſſe Bernardinus Corius refert. At Ciues ipſi, quaſi poſt tantam cladem, munificentiae certamen animis imbibiſſent, & quaſi recepta patria, vota, grateſque perſoluerent, pro ſe quiſque partem opum in ſacrarum aedium cultum, in pauperum ſubſidia, ſicuti tunc res erant, contulere. Manfredus Archintus ea liberalitate ante ceteros fuit, ditato Claræuallis Monaſterio Latifundijs, & agris, quae Monachis vltra ſolitariae vitae neceſſitates ſuffecere, donec Romana poteſtas partem aſſumeret ſibi. Papienſes, ab mutuis olim odijs, in nouae vrbis admirationem conuerſi, vltro pecuniae ſummam attulere reficiendae Marianae aedis turri, quod nobile opus praecipua inuidia excindi Federi-

cus

Digitized by

eus iuſſerat. Haec nunciata Federico, ſuperbum illum animum grauiter perculere, vt varijs vno tempore motibus agitaretur. Dolebat tã cito ſurrexiſſem Vrbem ex ruinis, nec aedificia modò, ſed ciuilem quoque cultum, & religionem creſcere miris incrementis. Iraſcebatur Ciuitatibus, quae ſpreto fœdere communem hoſtem adiuuiſſent. Timebat, ne tot irritati cladibus contumelijsque Mediolanenſes ingens aliquod aduerſus Imperij Maieſtatem facinus auderent. Ob ea, legatos miſit ad pacem cum Archiepiſcopo Republicaque Mediolanenſi faciendam. Breui duratura pax adhuc facta eſt in eas leges; ne ſe Federicus in poſterũ Mediolanenſium rebus immiſceret; Mediolanenſes Federico tributum penderent, quod olim conueniſſet. Neq; Archiepiſcopus inita pace diu ſuperſtes fuit, de cuius inſigni fine tradam, quae tempeſtatis illius homines admirati litteris conſignauere. Inualuerat ea tempeſtate per Italiam noua Haereticorum ſecta, qui ex Manicheis, & Arianis flagitioſe coniuncti genus vtrumque repraeſentabant Eccleſiae calamitatibus; ac ſi pergerent vti cęperant, Eccleſiam facturi propriã videbantur, monſtrumque id daturi infame, & atrox. Mixtum, vt dixi genus erant ex importunitate Manichæorum, & Arianorũ vaecordia; ſed haec eminebat magis, ac nominis vtriuſque vitantes infamiam, homines ſeſe bonos appellabant, tituloque in vulgus eo celebrabantur. Mendacia in Chriſti fidem inuexerant haec, queis corrupti ipſi volebant corrumpere quamplurimos, & maiore ad perniciem vi quàm commu-

nes

nes Magiſtri veritatis ad ſalutem, dogmata talia quaedam ſerebant. Veteris teſtamenti tabulas rem eſſe fictitiam, & inanem; nihil vſquam syncerae ſanctaeq; doctrinae, niſi quod recentioribus Euangelij litteris, nouoque Teſtamento contineretur. Fidem hinc & authoritatem Sacris Eccleſiae Doctoribus abrogabãt vniuerſam, teſtimonia proterue explodentes omnia, quae inde, vel ad monſtrandum ſalutis iter, vel ad ſenſa explicanda diuinarum litterarum petuntur. Geminũ illis erat Numen, quorum alteri frugi & probo cultus eximius, alteri improbo & nequam reuerentia minor. Ab illo celeſtium choros, & à concretione mortali ſeiuncta caetera impenetrabiliaque hominum oculis eſſe creata; conditorem hunc celi terraeque, & vniuerſitatis huius quae malorum, & nequitiae ſedes. Pretium ac religionem eſſe nullam luſtralibus aquis, vnde Sanctis Eccleſiae ritibus initia vitae, & ſpes ſalutis inchoentur. Aditum patere vnum ad ſalutem congredientibus procreationis cauſa viris feminisque, & diuinum id ingensque meritum fingentes, Magiſtri libidinis erant. Negabant iuſta ſacra iuſtosque Sacerdotes eſſe eos, quibus ex D. Paulli forma, & deſcriptione ſancta puraque omnia non eſſent. Si quis, vel Epiſcopus, vel Sacerdos, non ad eam formam ageret, huic, neque obſequium deberi, neque decumas, neque quicquam aliud ad vitae ſubſidium, & dignitatem. Templa & aras ponere Deo ſuperisue irreligioſum; profanos qui celeſtium imagines mortalibus materijs in vllam humani oris ſimilitudinem effingant. Poenitentiae

nitentiae quoque Sacramentum ſpem & portum, aramque naufragae mortalitatis ſpoliabant vi ſua, cûm ita dicerent; ſolà confeſſione peccatorum id peragi myſterium; nihil opus eſſe doloris ſenſu ſine quo res ipſa vana & irrita ex diuinis oraculis habetur. Haec, & abſurdiora pleraque alia concionantes niti ſe aiebant Euangelij teſtimonijs; & ignari fere litterarum omnium, litteras, & auctoritates, quae contra afferri poſſent, omneis irridebant. Initium & origo ſectae per prouinciam Toloſanam fuerat, ſordidiſque, & obſcuris exordijs in magnam auctoritatem, & famam euecta illa hominum, & errorum colluuies latius qootidie diffundebatur, & Mediolanum vſque progreſſa, pro magnitudine Vrbis ad inficiendos ibi tabe animos inualeſcebat. Galdinus Archiepiſcopus, cùm per viros idoneos capita ſectae rationibus, & argumentis confutare conatus eſſet, poſteaqnam ſenſit peſtem inſuper ſerpere per populum, & multos ciuium ſuorum eo veneno iam eſſe contactos, aduerſus nefaria dogmata vi tota coortus, & ſcriptis, & verbo, ſicut in partem vtramque pollebat, ſanare corruptas ſuorum mentes, & ſceleſtum illud inſanumque genus ab ſtirpe conuellere nitebatur. Aderat cineralium ieiuniorum initium, quo die frequens populus in Templum maximum congregari ſolet, ac ferme ſigna pietatis, & ex praeteritorum dierum luxu collectae ad modeſtiam officiumque mentes, & inter mœſtos Eccleſiae ritus etiam attonita mortalium pectora ſpectantur. Eo die cernens Galdinus infrequentiorem

tiorem ſolito concionem, ratuſque deprauatos Haereticorum illorum opinionibus ciues refugere à ſacris, vitare templa, non tulit dolorem, qui cœperat etiam antea ſollicitare paſtoralem animum cernentis aliquandiu iam iu vrbe ſua ſolitudinem cõtemptumque ſacrorum. Agebat Archiepiſcopus octogeſimum annum, idque ſatis graue pondus labores inſuper quotidiani vigiliaeque degrauabant, aegreque ſubſiſtens, ad id deſcenderat tantùm, vt intereſſet rei diuinae, quae die fortè illo per Algiſium Cimiliarchá fiebat. Sed cernens vt dixi ſqualorem ac deformitatem Eccleſiae ſuae, victuſque dolore, poſtquam Euangelio recitato, Concionatori de more ſuggeſtus ad ornabatur, iuſſit adornari ſibi, moxque conſcendit, & „ orditur in hunc modum. Afflicta iamdudum aetas „ nobis, & emortua haec lingua caducumque corpus, „ poſt tot habitas ex hoc ipſo loco conciones ſilentij „ prope legem vnà cum reliqui laboris vacatione impo„ nebant; & alijs potius hoc concionale tribunal relin„ querе tempus erat. Nunc, tremulum ſenem, & haec „ languentia membra prouexit in hunc locum faedus „ adſpectus Metropolitanae meae Sedis, & olim augu„ ſtiſſimi Templi, vnde tranſalpina ſecta, patriae ſuae „ finibus exul, profuga & damnata mihi populum ab„ ducit. Tu ne igitur Ambroſiana proles, Inſubriae „ caput, domina, & magiſtra tot populorum, exculta „ praeclariſſimarum artium diſciplinis, litterarum, & „ prudentiae ſedes, ludibrio eris inquilinis, teque men„ dacia delirantis impietatis in exitium trahent? Video

ego

Digitized by Google

,, ego video, quae cauſa ſpoliatum hodie frequentia, &
,, decore ſuo Templum dederit; cur adſint rari quos tá-
,, tae molis ſinus antea non capiebat; cur etiam vultus
,, & ora murmurque tam diſſipatae concionis, & cor-
,, porum inquietatio, & proteruè diuagantes in omnem
,, partem oculi, & profectò ſimiliora cuncta tranſactis
,, proxime Bacchantibus, quàm hodiernae luci, diſpa-
,, rem animorum habitum praeferant ab eo, quem in-
,, ter huius religioſiſſimi diei caeremonias nos quoque
,, cum laetis lacrymis ac tenero gaudio contemplari ſo-
,, liti eramus. Nimirum corrupta mea ciuitas eſt, & in-
,, fatuata portentis Haereticorum iſtorum, qui ex Ma-
,, nicheis, & Arianis impure conflati, maieſtatem ſa-
,, crorum, & diuinos honores, & fundamenta ſalutis
,, euertunt. O noſtros irritos labores, ò miſera ſtudia,
,, infelicesque conatus, ſiquidem huc caſura res erat, vt
,, in externam cuncta vanitatem, externumque ſcelus
,, abirent. Sed miſeriores etiam & vaniores ipſi, ſiue
,, dogmata abſurda, & pernicioſa iam in animum demi-
,, ſiſtis, ſiue flagitij nondum eſt tantum, & veſter tamen
,, ad dedecora illa paulatim inclinat animus, ſiue non
,, inclinat; & proximi nihilominus eſtis alijs qui flagi-
,, tium ſuſcepere; ſcilicet vt contaminari ſimul & pro-
,, pediem contaminandi, veſtrae ſimul alienaeque cul-
,, pae ſontes; per manifeſta itinera, per tramites inex-
,, cogitatos, & qua minime creditis via trahamini in
,, ſempiternas pœnas. Non enim hic mihi primus dies
,, intuendi pereuntem meum gregem; aliquandiu iam
,, eſt, cùm eos etiam ingemiſco perire, quos integros

» atque innocentes neceſſaria colloquia cum ſuis, con-
» uictusque quotidianus, & profecto halitus ipſe tamquã
» in morboſa domo adſpergit ſenſim tabe atque inficit.
» Quodque inprimis eſſe lugendum cenſemus, ne ſoli-
» tum quidem in tali clade remedium eſt relictum di-
» ſputandi contra, & arguendi, & caſtigandi monen-
» dique. Nam rationes & argumenta diſputantum,
» authoritatesq; & momẽta ſuadẽtis apud ſanos valẽt.
» Quid autem facias hominibus, qui mentem primò, &
» rationem penitus abdicauere ipſam, deinde litteras
» etiam & doctrinas lumina & adiumenta rationis pro-
» pter amentiam ſuam ſuſtulerunt? Diſputare cum ta-
» libus, inſanire eſſet; nec minor inſania, ſi quis aduer-
» ſus dogmata diſputator incedat, quae ſua confutan-
» tur vanitate, & cadunt. Caeterae ſectae, quas varijs
» Eccleſiae temporibus ad furiarum inſtar contra Ca-
» tholicam fidem Daemon obarmauit, quamuis inania
» & falſa afferrent, ſpeciem tamen eiuſmodi aliquam
» inter mendacia ſua cuſtodiebant, ne contemnere ge-
» nus humanum, neue agere tamquam apud ſtultos vi-
» derentur. Erant inter impios errores ſimulacra ali-
» qua veri & ſancti, & apud quos ea dicerentur, falli, &
» tentari ſe ſe, credere poterant, non ſperni, & irri-
» deri. Noua haec ſecta exorta eſt, quae contume-
» lioſe illuderet hominum generi, perniciemque ex lu-
» do ſibi & alijs quaereret ſic atque inueniret. Quid
» enim eſt aliud niſi ludus erga genus hominum & con-
» tumelia, negare ac tollere veteris Teſtamenti ſacro-
» ſanctam maieſtatem, repudiare teſtimonia Patrum,
mul-

„ multiplicate Numina, Baptiſmum adſpernari, conuel-
„ lere ſacros ordines, conuellere templa? Pœnitentiae
„ Sacramentum etiam infirmare itaut magna illa res ni-
„ hil aliud quàm audax & inuerecunda narratio culpa-
„ tum fiat? Infandas iſtas & funeſtas ineptias ſi prӕto-
„ re iam condidiſtis veſtro Mediolanenſes, aut ſi proſe-
„ minatores earum intra mœnia vobiſcum eadem vi-
„ uunt; neque mirum eſt deſeri per infrequentiam ac
„ ſquallere templa, paucoſque qui conuenere, ſimiles
„ eſſe abſentibus; & labor inanis ſuſcipitur ei, qui ſanare
„ ſic affectos tentat. Quae vnquam impietas repudia-
„ uit diuina monumenta ſacrae antiquitatis reliquias,
„ Oracula celi, & cum humano genere commercium
„ Diuinitatis, & omnis noſtrae ſpei fontem, & vitae
„ diſciplinam, & veritatis lucem, & ſeriem miracu-
„ lorum, queis primordia Mundi, conditaeque morta-
„ litatis opus, & primorum parentum veneranda ſaecla
„ continentur? Ite nunc vos, & contemnite celeſteis
„ libros, quorum carmina, & ſingularum litterarum
„ apices ipſae Dæmonum cateruae perhorreſcunt.
„ Amplectimini ſectam, quae vobis aufert elementa il-
„ la, primum omnium, ne quid honeſti vſpiam animis
„ occurrat, deinde vt contemptu diuinarum tabularum
„ ipſum contemnere Deum cogat. Amplectimini ſe-
„ ctam, quae fatetur vltro ſuſceptum ſibi bellum inimi-
„ citiaſque capitales cum omni ſanctimonia & virtute,
„ ſacroſque Doctores, ne coarguantur eorum litteris,
„ abominatur. Infelix & ſordida natio litteras omneis,
„ ceu lucem odit, & quia non capit eorum impuritas rē

ſanctam & liberalem, ex Eccleſiae totius inſtitutis atq; conſuetudine hanc vult eſſe ſublatam. Amplectimini Mediolanenſes praeclara iſthaec dogmata nouoſq; doctores potius quàm vt ſequamini communem Eccleſiae conſenſum, & inueteratos per tot ſaecula ritus & vocem ac documenta Sanctorum Patrum, qui vigilias inter & ieiunia, meditando, & ſcribendo, aetatem conſumpſerunt; queis diuina ſapientia vltro ſeſe propter vitae innocentiam inſinuauit, quorum ingenij acumen, profundumque iudicium, & altitudo animi in ſingulis eorum verbis diffuſa & expreſſa cernitur. Agite, ferte, perturbate cuncta, refugite à concionibus hiſce; refugite à Templis, in luſtra, & popinas, & Baptiſmum ipſum, quo aditu huc ingreſſi ad ſalutẽ eſtis, exuite, liberoſque veſtros, ſimul atque ſuſcepti erunt, aditu poſthac eodem prohibete ac praecipitate vltro in ſempiternos ignes. Deuoluimini vnà cum Doctoribus iſtis ad barbariem inſanam, quae plures ſibi Deos fingit, & Dijs iſtis veſtris illudentes gloriabundo ore fatemini peccata, vt ſtatim ab Sacro Tribunali ad culpas redeatis eaſdem, quas iactando potius quàm confitendo, myſteria diuina deformaritis. Incaluerat dicendo talia ſenex Archiepiſcopus, cumque ex nimia contentione latus ei condoluiſſet, ſudorque eſſet inſecutus, paulatim voce ſpirituque deficiebatur, & iam eluctantibus aegre verbis concidit inter manus Sacerdotum, qui latera cingentes adſtabant. Fit toto Templo clamor atque comploratio commotis ad eum caſum omnium animis, etiam ſi qui aderant,

rant, vel corrupti malis illis opinionibus, vel corruptis alijs affines, & parati ad peſtem introrſus accipiendam. Pontifex plurimo cum luctu circa ſacrificij finem expirauit, & qui concionantem audierant, paſſim deinde admonendo caſtigandoque ceteros, ſectā magnopere afflixere, quae latitans & dilapſa paulatim, nihil iam ex hoc tempore Mediolani niſi per furta & occaſiones aduerſus Catholicam fidem audebat. Ferunt neminem vmquam in hac Vrbe Archiepiſcopum tam flagranti poſt mortem deſiderio eſſè celebratum; & cùm eiuſmodi lacrimis nihil citiùs areſcat, ad Galdini nomen in aliquot dies piorum hominū gemitus renouari ſolitos fuiſſe. Galdino mortuo ſcinduntur Eccleſiae principes in contraria ſtudia; turbatiſque diſſidio rebus, Archidiaconum alij, plures Archipresbyterum volebant. Demum ita res conuenit, vt neutra pars voti compos fieret, Algiſiumque Cimiliarcham elegêre. Id accidit anno ſupra milleſimum centeſimum ſeptuageſimo quinto, qui poſt reſtauratā Vrbem octauus erat. Inſequenti anno, Federicus barbara leuitate peroſus, quam paullo antea pacem expetiuerat, iterum delere Vrbem Mediolanum agitauit, eaque deſtinatione Caratum vſque progreſſus populabatur agros, pecudum hominumque praedas agebat. Archiepiſcopus, Conſuleſque Mediolanenſes ea re perculſi, vocant ſtatim ad arma iuuentutem, omnique ſuo conatu ire obuiam parant. Iere ſub uexillis per ſex Vrbis portas regioneſue deſcriptis; vexillumque Reipublicae fuit crux rubra cādicante

te

te campo. Agmen ingens, horribile, nec numero tantùm, ſed ira in hoſtem violatorem omnis humani, diuinique iuris, ruptorem fœderum à quo deleti iam fuiſſent, qui delere iterum pararet. Sed maxime inſignis ac tremenda ſpecies fuit cohortis vnius, quae ſe pro patria deuouerat, & ex eo ſocietas Mortis appellabatur. Nongenti erant homines praecipuo corporis animique robore; arma illis, thorax aeneus, & ſecurricula cum pugione: ducem habebant Albertum Gluſſianum enormi ſtatura, qui gygantis ex eo cognomentum obtinebat. Secunda ſocietas erat eorum, qui Carrocio circũfuſi, non die, non nocte ſtationem illam relinquebãt. Tertia currus armatos ſequebatur. Sic aduerſus hoſtem egreſſi diu manibus aequis pugnauere, donec ſtrato ſignifero quidam è noſtris Germanicam Aquilam adipiſceretur. Mox Federicus ſuffoſſo equo delabitur, eoque caſu Germanorum acies attonita, cùm mortuum Imperatorem crediſſet, dedit terga, nec tamen Mediolanenſium effugit iras. Caſi complures: Imperator ipſe aegre euaſit. Victoriae dies fuit ad iv. Cal. Iun. quo die Martirium, Siſinium, & Alexandrum anniuerſaria celebritate recolit Eccleſia, eumque diem, Archiepiſcopus, Conſulesque Mediolanenſes populo Mediolanenſi ſacrum, & ſolennem eſſe iuſſerunt, vt monumento eſſet ad poſteros tam nobili victoriae, & quia prope natalis ille Reip. dies videri potuit, quo tantum hoſtem fudiſſent. Auardus quidam erat ea tempeſtate, cui cura

con-

conſignare litterarum monumentis quotidianos Reip. caſus, & cuſtodire memoriam rerum. Is de ea re ita
„ ſcriptum reliquit. Fortuna quae permiſcens omnia
„ more ſuo, pene ad imum redegerat Mediolanenſes,
„ nunc verſo malorum orbe, tollit eoſdem ad ſydera;
„ quamquam non fortunae, ſed ipſius Dei fuit opus, af-
„ fligere Metropolim, dein extollere, barbarumque im-
„ potentem euoluere ſummo rerum, culmine. Federico pulſo, quiete poſt ſaeuos tumultus parta, compoſitis etiam Eccleſiae rebus, Archiepiſcopus moritur. Ei ſufficitur Vbertus Cribellus Archidiaconus Templi Maximi, qui poſtea fuit Vrbanus III. & Bernatenſe Monaſterium inſtituit, datis opibus, quae manent in hunc diem, & conceſſo priuilegio Cribellæ genti, ex qua ipſe erat, vt Praepoſiti, ſiue Antiſtitis eligendi ius penes eam foret. Algiſio hoc Mediolanenſem Eccleſiam obtinente, Conſtantienſe Concilium à Federico indicitur ob res tamdiu turbatas, & conciliandis Principum, & Rerump. animis, qui propter damna, vel accepta, vel illata manebant infenſi. Itaque Conſules, Archiepiſcopusque Mediolanenſis, cupidine pacis, & bellorum taedio, legatos misêre cum eiuſmodi mandatis, vt quamcunque poſſent honeſtae pacis viam tentarent; ſi pax aequis conditionibus facta eſſet, ſe poſtea authores fore. Legati ſunt miſſi, quos amore patriae, rerum vſu, generis claritudine maxime inſignes, tanti moliminis negotium poſtulabat. Fuere autem, Guidus Landrianus, Pinamontes Vicomercatus, Adobatus Bultraphius, Giuliemus Burrus, Gueccius

cius, hoſtilius Ardericus Bonates, Rogerius Marcellinus, Lotharius Medices, qui agendo varie, praenſandoque Caeſaris familiares, honeſtam vrbi, Caeſari non indecoram pacem retulere. Erat in eo conuentu Henricus Federici filius ob egregium animum ab illo in Imperij partem aſſumptus; amico idem in Mediolanenſes animo patris deteſtabatur iras, oderat ſaeuitiam, & regni ſui meliorem eſſe famam cupiebat. Is cùm oſtendiſſet patri, quantas ea pax opportunitates habitura eſſet, cumque preces accuratiſſimas addidiſſet, perpulit ipſum quoque feſſum aduerſis caſibus Imperatorem, vt obliuione praeteritorũ indicta, fidam in poſterum cum Eccleſia Rep que Mediolanenſi pacem ſanciret. Conſenſu legatorum cõuenit poſt ancipitem deliberationem in has denique conditiones. Mediolanenſes vti Federicum agnoſcerent Italiae Regem, eiuſque nominis honorem intactum eſſe paterentur. Federicus viciſſim ipſe non laceſſeret inpoſterum bello rem Mediolanenſem, ac ſi quod Reip. bellum incideret, caperet pro nobis arma, noſtrorumque inimicorum eſſet inimicus. Liberum eſſet Imperatori, Mediolanum venire quotieſcunque vellet, venientem, Archiepiſcopus, Conſulesque pro iure, ac maieſtate nominis eius acciperent. Quatuor viros nominaret Imperator vſu rerum peritos, ex quibus Ciuitas eligeret Praetorem; Praetori Seprium, & Marthesana parerent. Nominauit Federicus è quorum numero fieri Praetorem vellet, agrumque Mediolanenſem certis limitibus, et terminis finiuit, & om-

nia, quę Pontifices Caeſaresue indulſerant Eccleſiae Mediolanenſi firmauit aurato diplomate in quo adſcripta dies fuit iii. Non. Feb. annus verò ſupra milleſimum centeſimum octogeſimus quartus à ſalutifero Virginis partu. Sic apud Bernardinum Corium erat, cuius fidem, & in patriae rebus diligentiam libenter ſequimur. Sed annales alij diuerſam aliquãto negotij ſeriem habent; nec priuatum id Reipub. Mediolanenſis, ſed Italiae totius conſilium fuiſſe petendae pacis tradunt: miſſos quoque prius à Federico legatos in Italiam, & pacis conditiones alias exequuntur, ſicuti legatio communis fuerat, ita communes ipſas Italiae toti. Propria illa Mediolanenſium fuit. Laudenſem Eccleſiam, vt ſinerent vti legibus ſuis, neque nouare quicquam tentarent, quo Eccleſiae illius libertas minueretur. Ordinatis in hunc modum rebus, paceque facta, Federicus cum magno procerum comitatu Mediolanũ venit, & Mediolanenſes accepere quaeſitiſſimis honoribus, ac fuit rurſus vtrinq; certamen humanitatis, quale ſolet eſſe, cùm poſt magnas veteres iniurias reconciliatae voluntates beneficijs, & obſequijs anteſtare inuicem conantur. Henricus Federici filius haud multò poſt venit ſupra patrem etiã cultus Eccleſiae, populoque Mediolanenſi effuſa in ſenem adulatione, qui laetos in filium animos, gloriam, & felicitatem eſſe ſuam arbitrabatur. Coronauit eum Archiepiſcopus, idque ſolenne in Ambroſiana Baſilica de more eſt celebratum. Mox, & nuptiale ſacrum celebratur data Principi in matri-

monium Conſtantia Rugerij Siciliae Regis ſorore, quae, cùm ad quinquageſimum aetatis annum fuiſſet in ſacrarum Virginum cœtu, verſa poſt fratris mortē, domo deſeruerat clauſtra, quaſi corpore iam effœto reſtituere ipſa penates poſſet. Diſceſſit poſtea Mediolano Federicus, & cùm Rhegij cōſtitiſſet, noua illuc miſſa legatione Mediolanenſes, obſequium ei detulere largius quàm quod priore legatione detuliſſent, vltroque ſeſe nouis conditionibus obligauere, quas remunerās Imperator haud minore magnificentia remiſit Eccleſiae Mediolanenſi iura, quae perturbatione temporum vſurparant Caeſares Archiepiſcopo creando, liberumque deinceps eſſe vrbi eligendi Pontificis arbitriū, & poteſtatem iuſſit. Multa inde alia Princeps vterq; pater, & filius in eo reconciliatae gratiae calore dedere populo Eccleſiaeque Mediolanenſi; ac nequid obſtaret libertati, Praetorem quoque vt facerent arbitratu ſuo, quod antea iuris Imperatorij fuerat, permiſsū. Ita res vniuerſa Medlolanenſis hoc tempore libertate fruebatur intacta, tenebantque Remp. Archiepiſcopus, Conſules, Praetor, diuiſo inter ipſos, imperio, & iuriſdictione tripartita. Nam Archiepiſcopus, praeter ſummam in ſacra, & ſacros authoritatem princeps atque arbiter erat vniuerſae nobilitatis; auri, argenti, aeris, flandi, feriundi ius habebat; in ea quae importantur, & exportantur, vectigal exigebat, recognoſcebat quoque pondera, & ſtateras, & ne qua in mercimonijs, in contrahendo fieret fraus illius erat cura. Nudus ei gladius praeferebatur ſummae po-

teſtatis

teſtatis argumentum. Sed ne praeditus auguſtiſſimo ſacerdotio, ſanguinarijs decretis contaminaretur, capitis iudicia penes Praetorem erant. Reliqua Conſulum erat adminiſtratio, quorum vnus Reip. Iudex nuncupabatur, nec aliud, quàm in damna ciuium ius habebat; ſi quis alterum pulſaſſet, aut aliquo modo affeciſſet iniuria, ad Iudicem hunc ibatur, ſi tamen iniuria citra ſanguinem ſtetiſſet. Alioqui, neque cognoſcere ille, neque plectere poterat. Si faceret illico magiſtratu abdicabatur. Cum id regimen, haec Reipub. forma eſſet Mediolani, pars gloriae fuit, quod Vbertum Cribellum Archiepiſcopum congregati de more patres Pontificem Maximum creauere. Suffectus in eius locum Milo Cardanus, non Ciuili, non Eccleſiaſtica prudentia diſpar, bellica virtute maior fuit. Incidit huic Pontifici ſtatim grauiſſima cum Nouocomenſibus contentio, quatuor ob Plebes, ſiue regiones, quas pars vtraque ſibi vindicabat; nec aberant alterutris iura, ſiue iuris imagines, praeiudicia, tabulę, quaeue alia pernicioſam alere litem poſſent, & augebant diſſidium ipſa paganorum ingenia prona in hos, aut illos, vt beneficijs, aut animorum inclinatione ducebantur. Plebes autem ipſae, ſiue Pagi de quibus ambigebatur, fuere, Mandellum, Liciniforum, Oſatum, & Finum, obſcura nunc nomina, tunc, & priuatim opibus, & publice armis ad eam formam, vt grande momentum haberentur, quamcunque in partem ſe dediſſent. Poſtquam aliquandiu dimicatum eſt, demum Archiepiſcopi moderatione, partium aſſenſu, res

ita conuenit, vt Mandellum, & Finum eſſent in Mediolanenſium Imperio, caetera Nouocomẽſes obtinerẽt, eaque manſit diuiſio donec nouis temporum, & rerũ caſibus immutaretur. Pacis conditiones fuere, ne quod faedus, quamue ſocietatem eæ gentes inirent cum Eccleſia populoque Nouocomenſi, abſque Mediolanenſium authoritate; ſi qua foret inita, reſcinderetur. Si quod bellum incideret, praeſto viciſſim eſſent uiris, & armis, omni demum ope, alteri alteros adiuuarent. Et opportune ad experiendam nouae amicitiae fidem Cremenſes à Cremonenſibus laceſſiti bello Metropolim implorauere, ſtatimque cùm Archiepiſcopus, & Conſules ad arma fœderatos vocaſſent, ab illis haec impigre ſuſcepta eſt militia, caeſique hoſtes, & fuſi. Pax ea deinde, Nouocomenſes inter, & Mediolanenſes, quò firmior foret, primo poſt victoriam anno renouatur, ad priores conditiones hac adiecta conditione, vt ſi quis Mediolanenſis Ciuis Nouocomenſi ciui damnum aliquod intuliſſet, aut viciſſim inde noſtris aliqua facta eſſet iniuria, iudicia de rebus illis exercerentur. Per eos dies, Philippo Lampugnano ſedente (nam Milo deceſſerat) mutatur Mediolani regimen, & forma Ciuitatis. Nam opulenta plebes, & illa ſuarum rerum anxia multitudo, quae fere negotiatorum erat, proprios ſibi Duces optauit in quorum tutela perfugium aduerſus opulentiorum iniurias haberet. Alia Claſſis inſtitorum, atque ſellulariorum ſub praeſidio latebat Sancti Pontificis Ambroſij vetuſque Credentiae nomen inter ipſos fidei vinculum erat.

erat. Tribunum ſibi fecerant è Marcellina gente nomine Dordum, eique ſtipendium, & domicilium attribuere, quod Credentiae turris dicebatur. His inſigne erat alba lacinia nigro intexto, ſeparatimque regebãtur. Tertius ordo conſtabat ex Mottarum familijs, quae quondam ex eo quod patrijs emotae ſedibus fuiſſent, id nobile cognomentum habuere. Quartus erat dominatus Capitaneorum, & Valuaſorum, quae præcipuae nobilitatis, & magnae potentiae nomina parebant Archiepiſcopo, eaque pars Reipub. cuncta ſub Imperium habebat, & quamquam caeteri ſpeciem libertatis vſurparent, in ſua quique claſſe, tamen omnia huc vergebant, Archiepiſcopusque, ſuis, & factionis opibus ſacra ſimul & profana moderabatur. Sed in tanta Imperitantium varietate, ſecutum eſt id quod neceſſe erat, vt nimirum ardeſcerent mutuis odijs, factionesque viciſſim ſeſe exturbare conarentur. Ac ſuperba in primis, & delicata nobilitas infimae plebis pertaeſa ſeceſſionem, vrbisque dedecus rata, ſi artifices, & operarij ſtarent in aequa libertatis parte, propriumque dominatum haberent, eam diſſoluere factionem inſtiterunt, Archiepiſcopo non repugnante, qui diuiſum in tot partes Eccleſiae Mediolanenſis Imperium aegre concoquebat. Itaque ad euertendas plebis opes ſocietas inſtituta Galiardorum, quod apud Italos præcipui roboris eſt nomen. Sed domi, quamquam inter infenſos, inuicemque ſuſpectantes, otium manebat, magisque iacta erant ſemina ciuilis belli, quàm vllo modo bellum ipſum gerebatur. In Placen-

centinos, & Ticinenſes aeternos hoſtes Reipub. ductus exercitus feliciter pugnauit, domitique cladibus, & ſub iugum miſſi, Mediolanum misêre Cõſules ſuos, ad petendam pacem, & iuraturos in verba Pontificis Lampugnani. Data pax eſt, accepitque Sacramentũ Archiepiſcopus, eaque res publicis tabulis teſtato cõſignata. Mox domeſtici tumultus exarſere, praetiumque fuit partibus, & Archiepiſcopo remittere de ſuo iure non nihil, potiusquam experiri furorem, & potentiam plebis. Saccus erat quidam Laudenſis conſultiſſimus vir, vt in illa quiſquam eſſe poterat aetate iuris omnis humani, diues idem, & celebratae nobilitatis, quodque in tantis opibus debuit eſſe, rariſſimum, acceptus infimis, & ſummis, ac fidus vtrique parti. Hunc excitum ab domo faciũt arbitrum rerum, quicquid ille ſtatuiſſet, ratum id fixumque habituri; tanta inerat authoritas viro, ſtudiaque tam effuſa in illum. Saccus igitur hic, Mediolanum profectus, & accepta ſumma poteſtate, primum omnium nouos magiſtratus aboleuit, reuocauitq; Conſulatum, vtile id regimẽ exiſtimans, & ſalutare Reipub. nec alia de cauſa ſublatũ nuper, quàm quia turbatis rebus vetera ſemper faſtidiuntur. Cõpoſito deinde vniuerſo alio ciuilium rerum ſtatu, Reipub. moderator, ad externa curam vertit, inter quae, vetera cum Ticinenſibus diſſidia, nova & infida pax, præcipue animum ſolicitabant. Quippe damno, malisque in praeſentia quieti, data rurſus occaſione redituri eſſe ad ingenium videbãtur, & turbaturi vrbis ſtatum. Itaque placuit renouare

cum

cum illis fœdus, & adcontinendos in fide animos, iuſſit excindi partem eam mœnium, quae obuerſa in Metropolim eſſet. Simul monuit, vt ſiſterent Mediolani Carrocium, & equeſtrem Antonini Caeſaris ſtatuam, quod remiſit Archiepiſcopus magnifica moderatione contentus obſequio, cùm ſe facturos oſtendiſſent. Ipſum poſtea Saccum, nobiles ob merita praetorem creauere, nec diuturnum id tantae virtuti praemium fuit ob inuidiam plebis, quae minui ſibi libertatem arbitrabatur, ſi rerum ſumma penes cũ Magiſtratum foret, qui patrum fauore ſubniteretur. Ita reditum ad vetera, treſque Praetores creati, Tatius Mandellus, Dominicus Burrus, & Manfredus Oſſa, non ſine mutuis caedibus, & magna totius Eccleſiae perturbatione, donec Lanſelmus Landrianus violentos animos compoſuit authoritate ſua, & poſtquam acquieuere, Conſules creauit. Nulla fortaſſe ciuitas, prouinciaue nulla, & Imperium fortaſſe nullum vmquam fuit in quo tot caſuum humanorum ſpectacula, totq; rerum viciſſitudines atque commutationes exhibuerint ciues ipſi, vel hoſtes, regeſque, aut pontifices, aut tyrãni, bella, pax, nobilitas aut plebes, Clerus aut populus, negotia, tũ domeſtica, tũ externa, triſtis aut ſecũda fortuna Vrbis, in tantum euecta, hic vel depreſſa, vt fieret vrbs ipſa ager, & ſolitudo, reſurgeretque rurſus, & celebritate maiore frequentaretur, ac ſtatim antiquae varietatis cãpus rediret. Aenobarbus profecto ipſe, qui ſtragẽ, & ruinas dedit, quo inuito priſtinae moles ſtetere, varietate ac diſſimilitudine ſua mon-

ſtrum

ſtrum fuit, ſaeuus idem & aliquando mitis, victor ſub mœnia iſta & victus, & poſt mutuas clades amicus nobis; religione clarus interdum, & delens vrbes, vt Pontificatum deleret, exitu quoque vitae tam dirus Imperator meritus apud pios lacrymarum partem. Namque reconciliatus Vrbi ſimul huic, & Pontifici Maximo, cùm extremo vitae actu veteris ſuae fabulae delere culpas agitaret, atque ad vindicanda *Hieroſolyma*, profectus, Sultanum ibi profligaſſet, in traiectu fluminis ob equi lapſum periit.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

PARS ALTERA

Liber Tertius.

AEnobarbi vim aduerſus Romana Sacra, diuulſum eius importunitate Pontificatum, profugamque Petri Sedem, & eo certamine concitas in arma gentes, atque ab Senatu demũ Populoq; Veneto Italici fœderis lege reſtitutum Alexandrum, implicita & annexa omnia rebus Ambroſianis; originemque, & finem trahentia ſuum ex ijs, quae hactenus memorata ſunt, ab cetera narratione ſepoſui fere & reieci, ne externa iſthaec & aliena turbarent calamitatum noſtrarum ordinem, neue tam magnae res iiſdem turbatae calamitatibus haud perinde ad ſui memoriam valerent. Ceterùm haec peragi ſingula cum cauſis euentiſque

S ſuis

ſuis, adeo noſtra intererat, vt etiam ſuperiora illa relicta in obſcuro videri poſſint, ſi hæc ipſa prætermitteremus. Nam, & initia belli, cuius exitu noſtram vrbem ſolo æquauit Aenobarbus, haud aliunde, quàm ex Romanis illis negotijs fluxerant, primaeq; illae cupiditatum humanarum irritationes externa arma in Italiá acciuere; & magni iſti Romanarum rerum exitus, qui totum concuſſere terrarum orbem, ab Mediolanẽſium haud dubie cladibus extitere, ſicuti Metropolim hanc inuadendi Romæ barbaro viciſſim initium fuerat. Illæ porro, quas retuli Conſulum noſtrorum in Regem iniuriæ, direpti Laudenſes, violata legationum iura, quaeſitum in pace bellum, & reſumpta per pacẽ arma, cõmotis iam acceſſere rebus, non primae fuere malorum cauſae, ſed potius ea quae memorabo; ſcilicet, vt poſt mœſta ſpectacula, dirutae prius, dein reficiendae vrbis, paulíſper, dum peregrina illa repetũtur requieſcat animus à conſpectu miſeriarum, quas pertulerat adhuc noſtra ciuitas, quasue deinde paſſa eſt. Poſtquàm Conſtantinus, & Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, & alijs alij temporibus pari pietate principes, ad amplificandum Apoſtolicae Sedis imperium, certatim opes, & regna prouinciaſque contulerunt, facile Romani Pontifices in id etiam humanae potentiae faſtigium euecti erant, vt cuilibet maximorum Regum aequiparari poſſent. Ea potentia ipſis aliquandiu quieta felixque fuerat, deinde in atrocem inuidiam vertit. Nam vbi diſſimilibus animis Caeſares, Pontificum Maieſtatem, armaque penes illos,

& mi-

& militem, & ſpatia terrarum ac maris, & opes alias ſupra ſuam ipſorum fortunam conſpexere, ſolicitudines primo, variae, deinde odia ſunt exorta, & ex odio conſilium infringendi vim tantam. Accedebat, quò magis id deſtinarent, maturarentque, paſſim vſurpata libertas reliquis Italiae Ciuitatibus, vt, cùm alia Pontifici Max. parerent, alia vellent eſſe ſui iuris, nihil admodum in florentiſſima orbis parte Cæſarum dominatui reliquũ fieret, præter inanes titulos, & nudum Imperij nomen. Pleraeque inſuper Germanicae prouinciae obſequium exuerant, aliae parum aberãt ab eo, vt Imperium detrectarent. Et vrbs ipſa Mediolanum Inſubriae caput, poſt Romanarum opum inuidiam, praecipue angebat Caeſares coaſpernandi dominatus exemplum late, & apud exteros etiam inſtigatrix. Ad haec, proceres vrbis Romae nimium ſibi fauentes in meritis ſuis interpretandis, & aliorum commoda inopiamque ſuam eadem ęſtimatione metientes, male contenti, peſſime affecti erga domeſticũ imperium, & erga cunctos eius Imperij participes, nuncijs, litteris, transfugijs denique ſolicitabant aegra iam pectora, & ſatis ſua ſponte irritatos animos Caeſarum. Venirent: extinguerent vel modico latice flammam orientem: ne exſpectarent incẽdium: poſſe opprimi ſecordem felicitatem incautosque Clericos ad belli opera. Iam ipſis quoque Pontificijs hominibus ſua bona ſuumque otium nimium videri, mirarique quod ab nemine laceſſerentur: nihil contemptius eſſe ſi ſint qui contemnant. His alijsque male

cōtĕrorū procerū impijs abſurdisq; vocibus quatiebātur exulcerati iam Imperatorum animi; nec diu rem ipſam diſtulere, quo minus omnibus carpere, & attenuare modis Pontificatum Maximum aggrederentur. Eo debilitato faciliorem ad Mediolanenſes quoque ſubigendos fore ſibi aditum ſperabant. Nam quamuis crebra diſſidia ſpectarentur inter Sedem Apoſtolicam, & Metropolitas illos, publiceque etiam interdum tota Ciuitas ob defectionem notata interdictis iaceret, mox reſurgere tamen & reconciliari, cunctaque fluere mutuis officijs cernebant, donec offenderent reconciliarenturque rurſus; eaque facilitas inter ipſos, & ad ſuſcipiendam, & ad deponendam offenſionem, ſpei nihil ad exſequendum, niſi prius acciſo Pontificatu Imperatoribus dabat. Initium autem tentandi, & affligendi res Romanas fecere ab ea re, quae totam fere Sedis Apoſtolicae Maieſtatem continebat. Sacerdotia omnia, ſacraſque præfecturas, & vrbium ipſarū Pontificatus diſpenſare quibus vellent, & primum omnium, eam, vel demerendi quamplurimos, vel aerarij augendi facultatem auferre Chriſti Vicario. Si quid ipſe cuipiam indulſiſſet, aut contuliſſet, aut ſi quid etiam publice decreſſet, id omne intercipere, abrogare, prorſus hoc agere, ne vlla Romani Pontificis authoritas honosue vllus apud ſuos ſubiectos eſſet. Diuinos quoque theſauros, & celeſtia munera, queis ſumma illa poteſtas, mortalium animos eripit Orco celoque conſeruat, contrectare auſi. Simul ad arma eſt deuentum, ſine quibus agi iſta obtinerique non poterant,

rant;& irata Pontificum anathemata ferro propulſabantur, aſſueuerantque militares irreligioſi homines abſque metu excipere fulmina, quae corpori non nocerent. Stragem animarum, quia non cernebatur iſta oculis, contemnebant. Sic Italiae terris Germania ſuperfuſa paulatim, & inſolētia victoriae progreſſa eò, vt Pontificatus Maximi arbitram atque largitricem ſeſe ſuperbia Caeſarum faceret. Oppugnando & inſectando quos Patrum consensus recte atque ordine in id faſtigium extuliſſet, perperam ac temerè producere illuc factionum ſuarum homines conabātur, praecipuaque violentia Henricus Quartus, & Henricus Quintus egerunt. Vt verò Conrado mortuo, Aenobarbus in patrui locum ſedemque ſucceſſerat; vaſtus ille animus torue intuens reliquias veteris fortunae Pontificum, ita ſe geſſit, vt amentia, & furore priores longe ſuperaret. Is, non publicè modò capitaliſsimus Apoſtolicae Sedis hoſtis fuit, ſed Pontifices etiam priuatim ipſos, quomodo inimicitiae geruntur inter mortales oderat, perſequebaturque, & rem illam ſanctam, per ſtudia praua, per turbas & partes, per omneis humanae temeritatis, & impotentiae machinas trahebat. Par animus ei paresque conatus in ciuitates, quas ſibi ad Pontificatum euertendum impedimento eſſe poſſe arbitraretur; nec alia tam intima cauſa, cur arma iam inde à principio in Mediolanenſes pararet. Ceterùm, orſus ab Hadriani Pontificis inſectatione bellum, cùm eo extincto, Cardinalium ſuffragia Reginaldum Senensem Pontificem Maximū

iuſte

iuſte ſancteque renuntiaſſent, iſque Alexandri III. nomine aſſumpto, ſumma bonorum omnium gratulatione ſacrorum Imperium accepiſſet; excitauit ipſe ab altera parte Octauianum, & nouo huic Pontifici cũ cetero Regio paratu, Victoris Quarti nomen circumdedit. Inde lacerata partibus Eccleſia, fœdumque certamen, cùm hinc Alexander, & praecipua pars Patrum, & populus ferme Romanus; hinc cum Pſeudopontifice ſuo Caeſar armatus, & barbarorum agmina, paucique factioſi Cardinales Romana ſacra vindicarent. Tunc Pontifex Alexander indigne ferens talem Eccleſiae ſuae ſtatum, & contumeliam Apoſtolicae Sedis, atque cernẽs animo, non alia poſſe conditione rem componi, quàm ſi aliquo modo pertinacia Caeſaris infringeretur; ſtatuit idipſum tentare delinimentis, quandoquidem immitem animum, contra obnitendo potius aſperaret. Itaque per litteras, & nuntios rogat eum, vt quoniam Eccleſiaſtica res, & Sedes Apoſtolica diſtrahatur inter duos, quorum vterque ſeſe Pontificatu dignum putet, nec ei certamini finis inueniri poſſit, velit inire Caeſar aliquam rationem, qua vter Eccleſiam regat, decernatur. Quicquid ipſius iuſſu congregati Patres ſtatuerint, id ſibi ratum fore, & abiturum loco potius quàm vt publicae paci ambitio ſua obſtet. Egregio temperamento vſus fuerat Alexander, ſi quid aequi in eo negotio agitaret Ænobarbus. Sed occupatus huic erat animus, in Alexandrum odio, in Victorem fauore ab cauſis iiſdem, ob quas, repudiato altero alterum praeoptabat;

optabat. Ab illo remiſſum & ſegne nihil, ab hoc aptã
ſibi & ſecunda omnia exſpectans, habebat ſecretaſta-
tim deſtinatione prouiſum, quem controuerſiae finem
imponeret; neque id ipſum potuit occultare, quin illi-
co deprehenderetur. Namque, cùm eius rei cauſa
conuentus Ticinum eſſet indictus, & patres in eam vr-
bem vndique congregarentur, poſtquam Pſeudopon-
tifex ille Victor aderat, accipitur à Caeſare omnibus
in ſpeciem obſequijs, omnique pompa, qua celebrari
Pontificis maximi aduentum oporteret. Proceſſere
obuiam armatorum agmina, patresque Caeſaris nu-
tu, & Caeſar ipſe; ſolium, & vmbella ei, & quacun-
que inceſſit, ſpectaculorum gradus ſtetere, quomo-
do viſuntur theatra. Pertulit fama id protinus ad
Alexandrum, qui grauiter ictus indignitate rei retro
conuertit iter; neque lenibus remedijs vltra locus fuit.
Cauſabatur Alexander, quominus Concilio intereſſet,
ratum ve quicquam haberet, praeiudicata, & praeci-
pitata cuncta per fauorem immodicum, & nihil
expectata patrum ſententia, raptum temere Pontifica-
tum, de quo ambigeretur. Ænobarbus contra, ad
obtinendam confirmandamque iniuriam, id ipſum
arripiebat cauſae, quòd reus Concilio non interfuiſſet;
atque translato ad laudem Pompeiam conuentu, col-
locatum illic excelſa in Sede Victorem coronat; ana-
themata & dirae in Alexandrum, tamquam in ſacri-
legum, & infame caput, inſtinctu Caeſaris promulgan-
tur. Intremuerat ob id facinus Italia, quamquam
nihil iamdudum aſſueta ſpectare vel facere niſi turbi-

dum

dum, & atrox; & in diuerſa prouinciae illius parte, duo præpotentes ac liberi populi, hinc refecti nuper ex ruinis ſuis Mediolanenſes, hinc dominae ſui maris, & ſemper intactae Venetiae, tum conſeruandae libertatis, tum reſtituendi Pontificatus, capita aduerſus tyrannum fiebant. Ille amens pertinacia, & impietate, cùm quaerret firmamenta ſceleri, duosque Reges, Anglum, & Francum ad cauſam allicere ſuam conaretur, irritus fuit; ac potius iſti frequentiſſimo ad Ciſtertium conuentu, damnato Victore, Petri ſucceſſorē & Chriſti Vicarium Alexandrum pronunciauerunt; eique ſententiae ac iudicio titulum hunc praepoſuere, quòd ſuffragijs Patrum, & innocentia vitae ſuperior Alexander ipſe eſſet. Erat Romae Alexander tépore, quo ſententia illa Ciſtertienſis pronũtiata eſt; ac ne geſtae rei fama peruaderet in vrbé, aditus viaeq; ex Gallia omnes obſidebãtur Ænobarbi iuſſu; & ſi qui redeuntium inde patrum, cuſtodijs inciderant, coniecti in vincula, documento fiebant caeteris, ne tramites eoſdem inirent. Gnara tamen omnia Pontifici, qui ſumens ab euentu animos, ſimul inſectatur celeſtibus diris Ænobarbum, ſimul authoritate Concilij, ſternere aemulũ ſibi Victorem parat. Tutiſſima Concilio ſedes viſa Gallica vrbs Gergouia: illuc vocati patres: mox etiam ipſe aderat Liguſtico mari properus, & cognita per Vbertum Archiepiſcopum, Mediolanéſium clade, auctis latendi artibus, ne in Regias ſtationes incideret, queis itinera, ſicuti dictum eſt, obſepta erant. Eo Gergouienſi conuentu, Caeſar & Victor cum ſua factione

damnatiſ

damnati, totaque Gallia amplexa fauore, & pietate Pontificem Alexandrum, pro dignitate ac ſalute huius in hoſtem armabatur; vnde ingens Aenobarbo terror ob nationis impetum, & vim Regis. Simul Siciliae Rex Gulielmus cum valida claſſe, ſimul Anglia cum Rege ſuo, ſimul in diuerſa parte Veneti maris potentes, turbatori ei Pontificatus minitabantur cladem. Et Reſpublica Mediolanenſis, quò infenſior erat ob deletam à barbaris vrbem, quoue viuidior ex ruinis aſſurgebat, eò maiorem iniecerat curam, ne propinquo ſummae rei diſcrimine vindex ſuarum, & Eccleſiae Romanae iniuriarum ſuſtineri non poſſet. Cùm tot vndique terrores circumſtarent Aenobarbum; ferox animus mutuatur etiam ab regijs artibus, & ſemper inſita principum animis calliditate conſilium. Quaſi pertaeſus atque dedignatus certamina, petit ab Galliae Rege, vt poſitis vtrinque circa Pontificatum ſtudijs, & omni abiecta contentione, Pontifices ipſos in ius arbitriumque deducant ad congregatos rurſus Auennione Patres: ibi audito, & conſiderato quicquid hic inde prolatum fuerit, aeternus controuerſiae finis ſtatuatur, & compoſito ſic Pontificatu, ipſi interſe Reges colant amicitiam, obſequijs erga ſedem Apoſtolicam, & fide coniunganturcertentque. Ars haec erat, vt ſpe pacis, apparatus, & conſilia belli ſopirentur apud hoſtes, comparandique, & moliendi ſpatium atque facultatem ipſe haberet, neque deeſſet occaſioni, ſi manus interea poſſet inijcere Alexandro, opprimeretque hominem, quo ſublato, fauor erga no-

men illius extingueretur omnis, ſicuti rara pro mortuis bella inter viuos geruntur. Prouiſa haec,& meditata Aenobarbo fefelllerant aliquandiu Regem Gallum, acceperatque conditionem, & concilio indicto iam Auenione conſtiterant Patres tamquam futuri arbitri Pontificatus,& diuturnis Eccleſiae calamitatibus impoſituri magnum diem. Mox, & Gallus ipſe ad fraudem intelligendam mouerat animum ſuũ, & appellatus ſuper ea re Alexander, praeciſe negauerat, ac docuerat quae fallaciae negotio illi ineſſent. Ita ſine exitu ea res fuit. Aenobarbus inde cedens tẽpori, Victoremque ſuum tam incertis rebus inter arma, & militares turbas relinquens in Germaniam abijt, quam turbabant rebelles; atque interea Pontifex Alexander, humeris fere piorum principum abſente barbaro Romam in Petri Sedem reportatur. Ea, quae hactenus in exponenda Sedis Apoſtolicæ calamitate Pontificatusque diſſidio retuli, videri poſſunt turbulentiae mortalium, & humanae mentis aſtus, caſuumve varietates, & potentiorum certamina, proſperaeque vel aduerſae contendentium res, qualia ſpectacula ſemper in tota mortalitate, pietas, impietasue hominum, & fauor ſiue violentia fortunae cuncta inclinantis exhibuere. Quae nunc referam, non tam fuere rerum humanarum euentus, hominum ve conſilia & artes, quàm excelſa Numinis poteſtas,& arcani diuinae prouidentiae nutus ad nobilitandam Apoſtolicae Sedis aeternitatem validiorem Tartari portis, & aduerſus coniurata inferorum ag-

mina

mina duraturam. Cùm Pontifex Alexander eluctatus impias Aenobarbi manus, Galliaeque conſenſu, & trium Regũ ope collocatus in Imperij ſui faſtigio arbitrium humanarum, diuinarumque rerum ageret, ac falſo etiam Victore, per lentum, & dolorem rabiemque abſumpto, Eccleſiaſtica res videretur in ſummam redacta eſſe tranquillitatem; inſtigauere rurſus Aenobarbum vltrices furiae, vt illam Eccleſiae quietem, Pontificemque illum infelicibus armis perſequeretur. Atque orſus ab conſimili prioris amentiae facinore nouum eum conatum, pro demortuo Victore Pontificem ſibi alium creat, eique Paſchali nomen facit. Guidus Cremenſis antea iſte vocitabatur, Archiepiſcopus Rauennae, cùm cetera morum turbulentia opportunus Caeſari, tum ipſo aduerſus Mediolanenſem Archiepiſcopum aemulatu, nec alia magis commendatione in ſpem expugnandi Pontificatus aſſumptus. Nam Rauennatenſes Archiepiſcopi cum Mediolanenſibus de Eccleſiae principatu ac dignitate contenderant ſemper; & infenſum huic ciuitati habere caput rerum ad multa quae accidere poſſent, eſſe profuturum imperatorij prouiſus monebant. Igitur Aenobarbus apud Heripolim in Alexandri contumeliam adorato Paſchale, praemiſſoq; in Italiam exercitu, mox ipſe ſubſecutus, tentato nequicquam Mediolano, Romam proficiſcitur infeſtis ſignis, ac veluti tradente Deo vrbem capit. Diceres rem Apoſtolicam eſſe profligatam. Plena barbarorum erant repente omnia: victrix irata gens ſanguinis

magis auida quàm praedae. Chriſti Vicarius vna omnium voce poſcebatur ad necem. Poteſtati illi ſacroſanctae, & ſupremae nulla niſi in deſperatione & fuga ſalus fuit, euaſitque Pontifex Alexander per latebras, per intimorum manus, per aliena tegmina, nulla alia re tutus inter obuios ſaepe hoſtes, quàm errore ac deformitate. Sic in lembum denique coniectus Oſtiam deuehitur. Inde varie conflictatus Tarracinam peruenit; ab Tarracina Beneuentum; & ab Beneuento ſedes latebraſque alias perijt, prout quemque locum eligebat, & mox damnabat, in ſuſpecto ſaepe domicilio tutus, periclitans verò inter ea, quae minime ſuſpectabat, donec feſſus timendis ſemper, & cauendis inſidijs, ſtatuit aliquam adire fœderatarum ſibi ciuitatum; ibi reliquam exigere ætatem priuato cultu, ne publicorum malorum cauſa vltra ipſe foret. Iam enim ad belli clades, queis Aenobarbus vrbem Romã propè delerat, acceſſerat etiã peſtilentia, quae reiectos ab Roma cũ Imperatore ſuo barbaros in Inſubriae rurſus vrbes exonerarat; neque finis incendijs, caedibus, populationi, calamitatibuſue alijs, quae paſtoralem Alexandri animum grauiſſime angentes coegerant odiſſe ac detrectare certamen, vnde tot in publicum mala. Et mortuo Paſchale, Caeſar Ioannem quendam rapto viuere aſſuetum ab publico latrocinio vocauerat ad ſpem eandem, veterique ſicario, nouo Pontifici, Caliſti III. vocabulum indiderat non ſine amaris eorum facetijs, qui ridere tunc poterant. Ac ſuccinctus latrone Pontifice Cae-

ſar,

ſar, Italiae toti minitabatur excidium, fremebatque ita, vt ſi in poteſtate haberet Alexandrum, in vitam caputque eius barbarum aliquem ludum eſſe editurus crederetur. Etiam cognitum animaduerſumque erat labare Ligurum fidem ad Aenobarbi promiſſa & minas, & eiuſmodi quaedam agitare conſilia, ne fortunae ſuae deeſſent, ſi magnum aliquod ab Imperatore praemium aſſequendi facultas data eſſet. Diſpar cauſa Gulielmum Siciliæ Regem profugo Pontifici ſuſpectum fecerat, cùm illius peruagando terras, ſenſiſſet timeri ibi Caeſaris arma, & iactari voces audiuiſſet in ſeipſum, cuius capite id poſset redimi diſcrimen, cuius pertinacia, & ambitione genus humanum inquietaretur. Reges item alij duo, Gallus & Anglus, ne ad extremum, imperij cauſam Eccleſiae defenſione, ſicuti plerumque ſunt dominantium ingenia, potiorem haberent, timebat. Mediolanenſium Reſpublica, praeterquam quod inquieta nimium ſemper promptaque diſſidijs & turbis, etiam ſtrepitu ac diſcurſu molientium adhuc fabrûm, & trepidatione populorum ad inſtaurandum Metropolim agitabatur. Reliquae per Italiam minores vrbes, ob infrequentiã, non ſatis cuiquam ad latendum aptæ, cùm & noſcitarentur ibi inter ſe ciues, & peregrina ora tamquam in parua domo diſtinguere ſtatim ac notare poſſent. Siue haec ita conſiderata Pontifici Maximo, ſiue, quod magis equidem crediderim, occulti diuinae deſtinationis impulſus eum adduxere Venetias, vt in Vrbe terra marique admittente ac recipiente gentes omnes

cla-

clariſſimum omnis aeui ſpectaculum ederetur, quod, & apud vrbem illam, & apud caeteras gentes in aeterna exempla iret. Irent domum ſpectatrices peregrinae nationes, atque nuntiarent in vltimas terrarũ oras, quanta res eſſet Pontificatus Maximus, & quàm tremenda Regibus, armataque Numinis praeſidio. Vrbs Venetiarum in Hadriatici maris ſinu, à paruis, vt imperia vrbeſq; omnes, orta initijs, cùm libertatem in qua nata erat, per tot ſaecula conſeruaret illibato ſemper flore, Vrbi huic Mediolano, diſpari fortuna decus idem appetenti, ſaepe amica & ſocia, ſaepe etiam hoſtis fuit. Tempore hoc, quo Aenobarbus, Mediolanenſium libertatem, & Chriſti Vicarium iiſdem armis acerrime perſequebatur, Veneta res vigilantia, & odio aduerſus eum quicunque alicui libero populo moleſtus eſſe vellet, nobiſcum vnà tamquam in communem hoſtem armabatur iunctaque fœdere erat. Fortaſſe etiam citrà dominationis artes mouebantur ſola erga Sedem Apoſtolicam pietate, prout moueri quamlibet Catholicam ciuitatem in tali tempore oportuit. Nondũ enim Senatum illum habebat tantus politicae ſolertiae rigor tantaque toruitas, cum qua nihil hodie geri ibi tractarique fama eſt, niſi quod dominationi & libertati expediat. Cuius rei maxima haec argumenta habeo, quod cùm Veneti intra trecẽteſimũ ab primordio ſui fere annũ, domitis finitimis, ingẽs ſibi nomẽ imperiũq; feciſſent, duo maximi Reges diuiſo inter ſe terrarũ orbe, res controuerſas illuc ob inclytam religionem

ligionem iuſtitiamque reijciebant. Adeo, non ſuarum vtilitatum machinatores, ſed in rebus cauſisque alienis ſynceri pijque habebantur. His artibus ſenſibuſq; antiquis, non nouitia iſta creſcendi cupiditate, quae circa fines Imperij, gentium, regumque omnium communis hodie morbus eſt; potuerant in Aſiam vſque proferre arma, Dalmatas aliasque latrocinijs infames gentes adiungere, ſibi ſimul, & Eccleſiae, & ſaluti. Nam cùm iuſta in impios ſuſciperent bella, aderat Numen, victoriaque comes ibat, non ſtrage chriſtianorum exercituum emebatur. Sic vagantes infero mari claſſes demerſere ſaepe, vel in portus traxere ſuos; ſic hoſtem eundem ab mœnibus prope vrbis Romae deiecerunt, atque recuperatae Gothifredi temporibus Syriae titulum inuenere. Ceterùm Alexander, cùm in hanc Venetiarum vrbem eo quo dixi animo perueniſſet, dimiſſo apud Iaderam, quem hababat comitatu compoſitus in ſui diſſimulationem, ceu quotidianus aliquis Sacerdos ab Canonicis Auguſtinianis faciendae rei diuinae in familiam accipitur. Efferauerant ſpeciem oris incommoda & curae, cùmque barbam & capillum ipſe de induſtria promiſiſſet, non facile deprehenderetur, niſi ſi quis familiariſſime homini aſſuetus, ſcrutari curioſe lineamenta omnia inſtitiſſet. Namque inſuper, inter hilares de more Canonicos, vitando ille frequentiam, & cœtus omneis, ceu taciturnus quidam & prono ſemper in terram vultu null aprouocans alloquia dimittebatur. Sic
feſel-

fefellerat aliquandiu in ea latebra hominum oculos, & trucem Caeſaris diligentiam, qui dimiſſis in omnes partes exploratoribus, ſcire volebat hoc ſaltem, quonam ille ſeſe abdidiſſet. Anno demum tertio poſtquã Pontifex Maximus & Aenobarbus Imperator, latitando alter, & vitando ſaeuitiam hoſtis, alter perquirendo latitantem, certamen huiuſmodi poſt hominũ memoriam inauditum inſtituerant, nouus ẽt hic caſus accidit, quo caſu, & fugitiuae ſupremae poteſtati deprehendi glorioſum fuit, & amens impietas numquã vellet repertum eſſe eum, quẽ totis imperij viribus, & vniuerſa potentiae ſuae mole veſtigarat. Peregrinabatur ex Gallia Hieroſolymã vir nobilis inclytusq; pietate ſimul & opulentia, Cõmodus nomine, eiuſq; peregrinationis cauſa ſubſtiterat Venetijs expectans ibi tranſmiſſionem anniuerſariam, qua Venetis claſſibus plurimi mortales ad ea littora deportantur. Fuerat huic Commodo familiaris vſus atque conſuetudo cũ Pontifice, ſuperioribus contracta temporibus, cùm his apud Regem in Gallia ſicuti demonſtraui moraretur. Cùmq; nunc circumeundo quotidie in illa Venetiarum Vrbe religioſiſſima templa, Cõmodus die quodã forte deueniſſet ad Deiparae Virginis Aedẽ, cui ab Caritate cognomen eſt, conſpicatus ibi in angulo precabundum Sacerdotem, & hominis habitu pietateq; delectatus, ſuccedere propius & inſpicere contemplarique faciem illam concupiuit. Ac flexo diſſimulanter poplite, quà genibus etiam ille procubuerat, dum erectam in celum mentem Sacerdotis, diuinoſque mo-

tus eius, & modeſta interdum ſuſpiria obſeruat, primò quidem leuiter pepulit animū nonnulla recordatio cogniti ſibi olim in Gallia Pontificis Alexandri. Namq; nō abſimiles eſſe ductus oris frōtéq; & oculos, & corporis formam reputabat. Inſpiciendo deinde acrius, ac ſingulas partes ad ſimilitudinē eandem ſecum ipſe tacite dirigendo, iā haud procul ab eo aberat vt Pontificem agnoſceret, exclamaretque. Mox attonito, & haeſenti, trepidationem inter, & gaudium, dubitatio eſt omnis exempta, poſtquam in ipſa etiam capitis conformatione, notas, & diſcrimina quaedam recognouit quae olim in priori conſuetudine animaduerſa ſibi, ſaepius deinde qualia eſſent ſecum ipſe conſiderarat. Omnem in præſentia cohibet ac frenat animi ſui geſtientis impetum; atq; nihil effatus, ſurgit & diſcedit ex eo loco quam leniſsime, aditque primores patrum & rem totam ordine exponit. Auctor tantae rei ſatis per ſe erat grauis, & ea quae referebat, cuncta ad faciendam fidem, remque comprobandam optime congruebant. Nam, ex quo viſus in Apulia per aliquot dies fuerat Alexāder, & ex quo, circum ea loca deſierat apparere, numquam poſtea, quamuis acri circa id cura, & diligentia Veneti Senatus, & Reip. Mediolanēſes, Regumque & populorum aliorum fœderatorum, repertus erat vllus, qui, vel minimam vnam de illius fine coniecturam afferre poſſet. Vulgò ita ſuſpicabantur omneis aiebantque, deſperantem de Romanis rebus, ac de dignitate ſua Pontificem Maximum, ne barbaris inſuper caput ad ludibrium contumeliamque

V præ-

præberet, conſilium cepiſſe deliteſcendi alicubi, & forſaſſe in loco aliquo ignobili, & obſcuro, vbi minime quis crederet, agere nunc inglorium æuum. Per hæc inclinatis ad credendum animis eunt, repertumque, & agnitum illa in Aede Pontificem, rogant depoſita tam humili perſona, relictiſque latebris & exuto ſquallore, ſumere Pontificatus inſignia, capeſſere denuo terrarum orbem, ac Venetae Reip. fretum armis contemnere hoſtes. His aliiſque magnarum rerum hortamentis ille confirmatus, ac pontificiae maieſtati ratus indecorum, ſi tantis, atque tam præſentibus ad vindicãdam ſedem Apoſtolicam auxiliis ipſe deeſſet; diſſeruit primò pauca de ſua illa vltima neceſsitate latendique cõſilio, ne quid feciſſe humiliter crederetur; deinde inſtitit monere vltro atq; obſecrare Patres, vt quibus animis ſe ſe ex illa quiete trãquilloq; ſeceſſu excitare voluiſſent, iiſdẽ perſeuerarent ad extremũ, & ad veteres ſuae Reip. glorias, adderent etiã liberatę nũc Eccleſiæ reſtitutiq; Pontificis meritũ. Se quidẽ, & regnare poſſe, & fugere rurſus eodem animo: & profundere vitã in recuperandi Pontificatus conatu, & in iiſdem finire tenebris paratum. Affirmauere Patres, ſe quoque paribus animis in id eſſe paratos, vt qui Pontificatui maximo finis erit, idem Reip. ſuae ſit. Haec ferme dicta: Pontifici deinde per principes eoſdem Senatus, perq; ipſum Venetiarum Ducem (is erat hoc tempore Sebaſtianus Zianus) inijciũ ut Apoſtolicæ maieſtatis inſignia, Cleroq; & Senatu, & populo deducente omni deportatur in D. Marci Aedem, erectis admiratione

cuncto-

cunctorũ animis, ob rei nouitatem, & reſonãte fauſtis ominibus cœlo. Stabat extructũ protinus in eius Tẽpli mole Põtificale ſolium. Ibi ſublimis & late conſpectus Alexãder, explicata ſuper Senatũ populumq; in Crucis formam manu benedixit vniuerſis, & peracta ceremonia, ad D. Syluestri in Palatium eſt deductus, vbi poſtea quamdiu Venetijs fuit, habitauit. Quod cùm illuſtrem hanc & miraculo ſimillimam Pontificis Alexandri manifeſtationem in Venetiarum Vrbe factam, illico per Italicas vrbes ſuo more fama diuulgaſſet, lõgiuſque porrò quotidie res tota diſsiparetur, aliorũ laetitia, mœror aliorũ eminebat. Sed foederati per Inſubriam populi, & caput inprimis eorum Reſp. Mediolanenſis, pro ſuis implacabilibus aduerſus Aenobarbũ odiis, eiuſque viciſsim in ipſos rabie ac furore rem eam acceperunt. Hoc illud eſſe tempus domandae belluae inter ſe ſe gratulantes autumabant, cùm antea, veluti ſternitur acies duce amiſſo, ſic abiecti conſternatique omnes iacerent, ex quo Pontifex ab omnium repente oculis erat dilapſus. Mox ab Veneto Senatu legati adfuere clarius certiuſq; cuncta indicantes, atque exquirentes iuſſu patrum à Conſulibus & Archiepiſcopo Mediolanenſi pro amicitia & ſocietate, quidnam fieri placeret, quamue reducendo in Regnum ſuum Põtifici, ex fœdere opem, ſi auxiliis vtendum eſſet alienis, ipſi pollicentur. Neſcitur autem, factumne fuerit cõmuni foederatarũ Ciuitatum conſilio, an verò propria illa & ſingulari Veneti Senatus ſolertitudine, quae maximarum ſæpe rerum vtile inſtru-

mentum ibi fuit, vt reſtituendo in Apoſtolicã ſedem Pontifici nihil moueretur antequam Aenobarbum ipſum per legatos ſuper ea reſtitutione appellaſſent. Certè initio rerum actionumque omnium, legati ab Venetiis adiere Cęſarem, eiuſque legationis principes, Philippus Orius & Iacobus Centrenigus fuere. Hi, cùm apud Ticinum Vrbem conueniſſent Aenobarbũ, mandata, quæ ab Senatu habebãt in hanc ſententiam expoſuerunt. Pontificem maximum Alexandrum, poſtquam, diu per terras omneis fruſtra perquiſitus fuerit, Venetiis denique forte quadam diuinitus eſſe repertum, atque eductum ex tenebris, in quibus tot malorum taedio reliquam ipſe conſumere ætatem decreuiſſet. Ea re Senatum populumque Venetum miſtam dolore ac verecundia laetitiam cepiſſe, & adhuc haerere ibi confuſos animos omnium ob labem aeternam, quae ab tali Pontificatus neceſſitate videatur impoſita eſſe temporibus, & orbi Chriſtiano. Nunc Patres ita dicere. Si Federicus Caeſar, & Rex auguſtiſſimus animum inducat, aliò conuertere ea arma, quae fugere ſic & latitare Pontificem Maximum coegerint, facturum eum ſicuti deceat pium, probumque Regem, idque Senatui populoque Veneto gratum fore. Sin autem pergat agere per Apoſtolicae Sedis damna & miſerias omne regni ſui tempus; quaecunque ſibi reſtituentibus Chriſti Vicarium arma obſiſtant, ea dimouere vi ſua omni paratos eſſe, & quantum viris armiſque poſſint, in pulcherrimo illo opere conſumpturos.

Federi-

Federicus ad ea; iamdudum cernere ſe ait quid Veneti agant, & quod non contenti maritima illa Sede, conſtituere per terras omnes Imperij ſedem velint. Quando quidem igitur legati expoſuerint quid patres dicãt; ſe quoque hæc dicere. Niſi fugitiuum illum Alexandrum ſiſtant in cathenis ad pedes ſuos, facturum ſe Venetiarum Vrbi id quod Vrbi Mediolano fecerit, ac tanto magis facturum, quia credere ipſe poſſit, adeoque credat, Mediolanenſes quoque ab illis eſſe ſolicitatos, nec aliter quàm gentis eius inſtinctu toties mouiſſe Inſubriam arma. Cùm haec vltro citroque dicta eſſent, abiere legati non parum obſtupefacti, & per admirationem attoniti hoc ipſo, quod incolumes inde euaſiſſent. Renũtiata legatione nihil vltra verbis opus fuit: pars ſtatim vtraque ſumma vi parabat bellum. Priores Veneti, triginta nauium armauere claſſem, & dimiſſa earum parte circum littora ne commeatibus prohiberentur; partem ad reliqua belli inſtructam tenebant. Multo maior nauium numerus aderat Caeſari, excitatis ad eum adiuuandum omnibus, quos ira vel inuidia aliqua in Venetos, aut in Mediolanenſes, ceu futuros cladis, aut victoriae ſocios angebat; eſtque ab Ligure præſertim adiutus. Ab Veneta parte ſingulas naues totidem ex nobilitate illa fortes viri cum imperio habebant, quorum nomina perſcripta in Reip. annalibus leguntur. Caeſar vniuerſae claſſi, totique officio maritimo praefecerat Othonem è filijs tertio loco natum, iuuenem ferocia animi, & omni bellica virtute patri ſimillimum, pietate ac religione

melio-

Digitized by Google

meliorem, de quo erat fama, tamquam paterna illa in Sedem Apoſtolicam flagitia magnopere auerſaretur. Huic mandauerat pater, vt infeſtando maritimā omnem Venetorum oram, extraheret pugnae tempus in aduentum vſque ſuum, neque rem vllo modo in diſcrimen daret antequam adeſſet etiam ipſe, vt communi conſilio cuncta adminiſtrarent. Interea namque deſtinebatur Aenobarbus Mediolanenſi bello, eratque tempus hoc illud, cùm fœderatorum aliorum armis, apud Dairagum, & Legnanum vi ſumma vrgeretur. Quippe coniunctae pro Pontifice cum Mediolanenſibus vrbes, ad primos tantae rei motus intēderant animos viresque, vt premerent tanto magis ab hac parte hoſtem, & cogendo diuidere exercitum, aduerſus Veneta arma robur Imperij debilitarent. Sed feroci iuueni Othoni, ſtatim atque ad Salborem non procul à Pirano conſpecta ſunt Venetae claſſis vela, praecepta patris exciderūt, & facere illico ſummae rei diſcrimen parat. Erat numero nauium, vt dixi, longe ſuperior Caeſariana res; ſed in parte altera, viri, & artes, & aſſueta vndis nobilitas, mareque ipſum tot victorijs imbutum, & nuſquam antea mari victus miles. Caſus repente ipſe paene ſuſtulit omne diſcrimen, & ſicuti ſaepe aliâs, pro deterioribus pugnauit, ſcilicet, vt virtus Numenque vincentium clarius poſtea ſpectaretur. Nam, cùm Venetus Imperator, atq; Dux ipſe Zianus praeter ceteras nauales ſolertias, quas in eo bello multas, & magnas explicauit, ita inſtruxiſſet aciem, vt, & diductis cornibus aequaret ho-

ſtium

Digitized by Google

ſtium cornua, & quaſi ſuperuenientibus alijs ſubinde nauibus, ſpeciem multo maioris, quàm erat multitudinis efficeret, & circummiſſis etiam ab tergo nonnullis, diſtineret ac turbaret poſtremum hoſtile agmen, haec omnia cùm prouiſa ante pugnam, & praeparata eſſent; in ipſa mox pugna, tam leuis ſubito, & fortuita res, quàm ſunt aurae, & venti, prouidentiam Imperatoris, remigum vſum, nauium robora, milites & tela ipſa eludebat, idemque ventus erat aduerſus Veneto, Caeſarianis ſecundus. Tunc excelſae roſtratae, quae caſtellorum inſtar victoriae inſtrumenta victoriamque ipſam portantes contempſerant hoſtem, obniti non poterant in contrarios flatus, hique facti erant hoſtium loco. Caeſariana claſsis obſecundante aura circumagebatur in omnes partes; & cùm ad inferendos aliquos ſubinde ictus ſucceſſiſſent, ſeſe ſubducebant extra ictũ eadem agilitate. Vnica ſpes vnicumque erat Veneto telum, inijcere fugacibus nauigijs harpagonas, & ferreis comprehendere manibus, vt quaeque nauis ſegnior ad euadendum fuerat. Ibi ira exercebatur, accenſis etiã in tempeſtatem ipſam animis, tamquam in ventorum contumeliam capti ſic trucidarentur. Sex amplius horas cum ea iniquitate dimicatum ferunt. Mox commutato vento, fortes imbelleſque potuere conſpici, & pars vtra melior eſſet, euentus decreuit, quo cognitũ eſt, Deum etiam vincere per fortiores velle. Statim vbi ventorum inhibentium ſolutae vinclis naues, liberos in omnes partes habebant diſcurſus, remigioque,

& clauo, & magiſtris parebant; omnes naualium pugnarum formæ ſpectabantur, edebantque magna facinora etiam illi, penes quos futura clades erat. Sed tranſiliendo in roſtratas, lembosque demergendo, vel attrahendo, vel perforando, ac remos detergendo Veneti promptiores erant; ac ex vna paſſim naui, quatuor aut quinque hoſtium affligebantur, cùm quatuor aut quinque Caeſarianae, circumſiſtẽdo Venetam vnã, neque ibi proficerent multum, & claſſem reliquam extenuarent. Cùm talis eſſet pugna, promiſcuis cædibus inficiebatur mare, naueſque, hinc inde, vel obtruncatis propugnatoribus fluitabant, vel claudae, & remigio deſtitutae trahebant ſentinam, vel mutuo illiſu fregerant roſtra, & proras, vel implicitae victricibus alijs, ducendaeque in triumphum hærebant. Quibus caſibus, & ſua Caeſarianis multitudo iam redacta erat in eas anguſtias, vt ſuperior etiam numero Venetus fieret, & omni reliqua virium parte longe ijdem ſuperabantur, ac nihilominus pugnabant. Denique Praetoria Veneta, Regiam Caeſarianam, qua princeps Otho vehebatur, capit. Ea ſcilicet clades ad extremam deſperationem adduxit hoſtem, neque praelio vltra fuit opus. Adeò, amiſſo duce ceciderant animi, & iam vinci capique malebant omnes, quàm cum ea ignominia ad Caeſarem redire. Ducitur deinde Venetias Otho, naualisq; triumphi magna ſpecies fuit, cùm ſex & quadraginta captiuae naues ad victrices alias adiunctae irent, onuſtae ſpolijs omnes, & nobilibus captiuis, qui ferme Germaniae

pro-

proceres erant antea truculenti barbarum in morem; nunc manſueti adſpectu cathenarum queis tenebantur. Triumphi dies fuit ad xv. Cal. Iunias anno cIↄ cI xxvii. tertio die poſtquam erat pugnatum, idemque dies in agro Mediolanenſi, Dairagum inter & Legnanum, Caeſaris opes animumque nihilo minore clade afflixit. Ita ille, maritimis terreſtribusque praelijs victus, & ſuper omnia fractus captiuitate filij, vergentemque iam ſuam aetatem reſpiciens, optauerat pacem; ac potius ipſe circumſpiciebat omneis impetrādae firmandaeque eius vias, quàm vt vel exorandus in id foret, vel ſicuti ſemper antea metuendus, ob profunda conſilia, & implacabilem olim in ipſa pace animum. Nam ad ea, quae dixi inuitamenta ſerio iam tandem expetendæ quietis, haec inſuper accedebant, ſeu potius erant coniuncta cum illis. Conſtantia foederatarum vrbium aduerſus impia in Pontificem arma: Pontifex ipſe tam præſenti Numine ereptus periclis traditusque Venetiarum vrbi, quae quantum poſſet, docuerat vltimi certaminis euentu: Mediolanenſes demum ipſi ceu miraculū aliquod haerebant illius animo, vrbs ſēper aucta cladibus, & ab excidio laetior repente floridiorque. Et Aenobarbus quidem poſt infelicem naualem pugnam, quae ad Piranum pugnata eſt, haec animo voluens, doloreque & verecundia confuſus, pacem & filium ſuſpirijs ijſdem ita vt proximos non lateret, quaerebat. Venetijs autem poſt tantam victoriam, Senatum inter & Pontificem maximum, & ſociarum vrbium Legatos, mini-

me ſimplex habitus animorum erat, Senatuſque ipſe praeſertim in contraria ſtudia ſcindebatur. Iuniores, qui fere praelio interfuerant, caeteriue, qui ſuorũ amiſerant aliquos, ſententias dicebant atroces, vt barbaro, vt Apoſtolicae Sedis hoſti vſque ad vltima inſiſteretur. Pars altera patrum, aetate, & moderatione animi, lenibus conſilijs aptior, ſecundis rebus modum imponebat. His Pontifex ipſe aſſentiebatur. Mediolanenſes, & fœderati ceteri memoria calamitatum ſuarum infenſi, vtendum eſſe curſu rerũ aiebant. Vicit amabilior ſententia, cognitaque interim etiam Caeſaris inclinatione animi, reque multum agitata, dandam eſſe pacem conſenſu denique omnes pronuntiauerunt. Quonam modo danda eſſet, in dubium veniebat. Nam neque audebat adhuc petere Caeſar inter tam recentes, & ignominioſos rerũ ſuarum exitus, neque offerre vltro ſatis honeſtum videbatur. Haec ipſa conſultatio aliquandiu diſtulerat rem. Cùm maxime conſultarent ambigerentque, ſubijt animos excelſa quaedam alia & digna ſententia veteris Romani Senatus maieſtate, vt ſcilicet, cura abiecta omni circa illud humile diſcrimẽ, magnitudine beneficij opprimerent victum, neque, ſicut in aequo certamine agitur, per apices, & momenta omnia dignitatis, ſed veluti longe ſuperiores, contemptim, & elate victoriam exercerẽt. Mittitur captiuus Otho ad Aenobarbum, qui fugitanti per terras omnes patri nomine Senatus haec dicat. Dediſſe Deum Pontifici Maximo Senatuiq; Veneto, vt omnia in ipſum prolemq;

eius

poſsint,& ea facultate iure belli fuiſſe vſuros,niſi tam ignoſcere victis, quàm vincere eſſe glorioſum ſcirent. Niſi inuideat ipſe gloriæ alienæ ſimul & ſaluti ſuæ, veniret primo quoque tempore Venetias,ibique Pontificis & patrum clementiam experiretur. Additi ſunt iuueni comites pari fere ætate clariſsimus quiſque, & iuſiurandum ab eo exactum,ſi cunctaretur Cæſar, ipſum protinus eſſe rediturum. Reperit in Apulia patrẽ, cui cùm verba ſenatus edidiſſet, non fuit indignatio fremituſue,vel ſuſpicio vel conſultatio quidnam agẽdum in re tanta eſſet. Adſpectus repente ſoſpitis filij, ab omni alia cogitatione obſtupefecerat animũ;& vbi ſeſe collegit,idẽ adſpectus ad ſecuritatẽ fidemq; rerum omnium valebat. Haud vltra cunctatus quàm dum præſentia diponeret eligeretq; comites, præmiſſa Ve-tias legatione quae nunciaret aduentum ſuum, mãdat ſeſe itineri,& mutans ad celeritatem iumenta, vigeſimo poſt die ex vltima Apulia Ticinum peruenit Ab Ticino Rauennam pari velocitate eſt delatus. Ibi ſtabant Venetę naues quę ſublatum in Pręrotiam Regẽ, ad Foſſam Clodianam, inde Venetias deduxere effuſo obuiam ſenatu omni, Duceque ipſo. Tanta repẽte comitas erat, poſtquam, nullo militari pręſidio ſuccinctum, arctoque & inermi comitatu venire hominẽ accepere. Succedente paulatim claſſe complebantur ad ſpectaculum tecta viaeque omnes, & tantæ vrbis populus cũ inquilina alia multitudine vndiq; accurrebat. Inerat cura animis vidẽdi clariſsimũ Imperatorẽ euerſorẽ vrbium, eiectorem Apoſtolicæ maieſtatis,

quẽ fugiẽs ChriſtiVicarius ibi in obſcuro angulo defor mis macie & ſquallore reptus foret; ac volebãt vtiq; videre,quiſnam ille,completo terroribus & armis orbe terrarum, conſtratoque claſsibus mari , in aliena nunc vrbe nudus inermis vltro gradum faceret. Ad D.Marci Aedem rectà ducendus erat,vt Pontificis Maximi pedibus aduolutus Apoſtolicæ Sedi deferret obſequium in poſterum;in præterita ſibi veniam precaretur. Extructum alte ſolium ibi eminebat ad valuas, ſubſelliaq;Cardinalibus,quos varie,diuque diſsipatos ob metum,reperti denique fama Pontificis in eam vrbem exciuerat. Pontifex in tribunal proceſsit ſuum , ceteriq; ſuis locis ordine conſederunt. Spectantium agmina turbæque ingruentes,diſpoſito milite , quantũ fieri poterat,ſubmouebãtur . Mox Aenobarbus ad Apoſtolici ſolij radices toto corpore ſtratus humi, poſt pedum oſcula iuſſus excipere ſeſe in politem traditis in manum tabellis recitat è ſcripto palam clara voce prima poſtrema verba , prout facinori deteſtando, implorandæque veniæ , & petendæ abſolutioni compoſita erant.Enimuero cùm eas preces atq; iuſiurandum conceptis verbis peregiſſet Aenobarbus obedienſque ceremoniæ totius ordini , collum ipſe ſuum Pontificis pedibus rite ſubſtrauiſſet, permulſit pauliſper altero pede ceruices Imperatori Pontifex Alexãder , addiditq; carmen hoc horribile conſentaneum ſpectaculo quod tunc edebatur . SVPER. ASPIDEM ET.BASILISCVM AMBVLABIS.ET.CONCVLCABIS LEONEM.ET. DRACONEM.Irritauit ea tam in-

felix

felix ſpecies contactuſque ille veteres Aenobarbi animos, atque reueritus tot inſpectantium ora, viciſsim auſus eſt effari iſtud. NON. TIBI.SED. PETRO Quam vocem infringens Alexander permulſit impulſo rurſus pede violentius aliquanto, ſubiecta Cæſaris colla, dixitque ET.MIHI.ET.PETRO. Nec dubium inde peracta ceremonia habebatur fremere Caeſarem interiore ſenſu, adnotauerâtque proximi confuſam faciem,& ardentes oculos, & frontis nubem, tumidoque, & fumanti ore ſeſe difflantes iras. Sed praeſtabat componere fluctus animi, ventumque erat eò, vt forti rerum omnium patientia, & non ficta quiete nihil tutius honeſtiuſue eſſet. Alleuatus principum brachijs, & in ſingula momenta ſerenans vultum, Templo inducitur, & ante aram maximam iuratus iterum in verba Pontificis Alexandrij, veteraque omnia verbis ijsdem abominatus, & precatus veniam,iniuncta temporaria ſalutari pœna ſoluitur aeternis vinclis, ac ſacris de more lymphis adſpergitur,& expiatur.Quae omnia per publicos ſcribas in tabulas referebantur prout egerat aliquid Pont. pronuntiaratue piacula, prout etiam iurauerat aliquid dixeratue Caeſar. Iurauit inter cetera,pacem ex eo die in ſex annos cum Inſubriae Ciuitatibus Metropolique Mediolano conſeruaturum inuiolatam, neq; commiſſurum quò pax ea turbaretur. Si falleret, tum vti ſe Deus Opt. Maximus prolemque, & regnum ſuum affligeret triſtiore caſu, quàm ex quo, Romani Pontificis,& Veneti Senatus benignitate aſſurgere nūc

po-

potuiſſet, Pontifexque idem & Senatus rebellem ſe & periurum iuſtis armis ab ſtirpe delerent. Acta res eſt ad xv. Cal Sextileis, anno fere poſtquã Caeſariani exercitus, ad Piranum mari, per Venetos; ad Dairagũ & Legnanum terra Mediolanenſium armis caeſi fugatique erant, eiuſque rei ſeriem nobis cùm tabulae noſtrae Ambroſianae, tum alia incorruptae fidei monumenta ſuppeditauere, prout cuncta ordine expoſui. Sed video magnas varietates atque diſſimilitudines opinionum apud exteros ſcriptores eſſe verſatas in huius negotij relatu, memoriamq; tam illuſtris victoriae eſſe confuſam haud ſine manifeſta iniuria, tum in ſedem Apoſtolicam; quae nobile illud ac ſempiternum exemplum ſtatuit vindicandæ temeritatis, tum in Mediolanenſem Eccleſiam, quę poſt exemplum deniq; illud aliquomodo conquieuit, Vult aliquis, octennem puerum ad ea tempora fuiſſe Othonem, in quæ res geſta conferatur; quo poſito, regimen & caput expeditioni primum omnium deſit, atque fides inde tota labaſcat. Non enim, quẽ libet Imperatorem, nedum Aenobarbum illum vincendo ſenem factum in tanto diſcrimine debuiſſe ſummam rerum tradere infanti filio, ſcilicet, vt illud puerile rudimẽtum, & pueri ipſius exitio, & ignominia dedecoreque patris, & imperij totius fine turpiſsime nobilitandum eſſet. Omnis autem hæc in Othone coniectura puerilis ętatis ab tẽpore ducitur ipſo, quo mater Regiis inducta penatibus primos edere foetus potuit. Namque Beatricem Burgundiæ Ducis filiam, quae Othonem hunc Caeſa-
ris

rîs thoro enixa eſt, nuptam anno ſal. ciↄclxij. nihil peperiſſe per triennium, ac tertio inde loco natum Othonem, ad annum eum, quo dimicatum ſit, pueriliter inhabilem infirmumque reperiri. Sunt quibus, nihilo aptior, validiorque fortuna Caeſarum dicatur fuiſſe tunc ad omnia maritima negotia; hique nullam ab ea parte claſſem, nullumuę naualem apparatum, & nullũ eius ſcientiae genus in hiſtoriam admittunt. Acerrime verò ad labefactanda, & euertenda cuncta incumbit, quisquis Othonem Friſingenſem, & Radeuicum, & Sigibertum, & Vſpergenſem Abbatẽ, & alios eorum temporum aequales chronographos, oſtendit iſta tranſiſſe miro ſilentio, litteráq; in horum annalibus de rebus hiſce extare nullam. Et alia demum alij commentantur ac proferunt, queis ab illa maritima clade, poſt tot ſaecula vindicare nihil iam tale curantem Aenobarbum conentur. Humanarum opinionum pugnae miſerabiles, atque propudium huius hiſtorici negotij, ſiquidem in tantis etiam Pontificum & Regum, & Populorum rebus ambigua nobis, & obſcura fides obijci poſſit. Neq; tamen inconſtantia, & diuerſitate iſta offenſum indignatumve quempiam eſſe oportebat, conſiderantem ſcilicet, in omni etiam arte ſuum eſſe vulgus expers veritatis, fingendi auidum, ſectasve ſuas, quae cõmunia, & recepta improbare, & cauillari ſemper amant. Multo minus indignatus offenſusve erit, quiſquis inſuper hoc reputare ſciat, in maximarum quoque rerum fama, quas hodie Principes inter ſe palam

gerunt, laſciuire inconſtantia, & garrulitate ſua ſectas eaſdem, atque in circulis defendere factum eſſe aliquid, vel non eſſe factum, prout ſcilicet, in hanc, illamue partem, contradicendi occaſione ac dulcedine vocati erunt. Horum verò dicta, pro teſtimonijs, & monumentis excipiunt pari vanitate ſcriptores, & mãdant annalibus ſuis, qui deinde annales temporis beneficio nacti authoritatem, & fidem, in monumenta alia tranſcribuntur, & apud innoxiam poſteritatem mendacia ſic gliſcunt. Accedit funeſtior alia damnoſiorque veritati leuitas ſcribentium, quos liuor & ira, quos inſitus animo fauor erga partes aliquas abſurde ſtimulat, vt alijs addere gloriam, auferre alijs velint. Humilem ſuam fortunam & ignobilis otij partẽ volunt inſerere principum certaminibus, ac pro virorum & armorum diſcrimine, magniſque conatibus & conſilijs, queis Regna olim, & Reges inter ſe plurimo cum ſanguine concurrerunt, certamina nunc iſta ſpectantur, queis chartæ inanes in vmbra transferunt victorias, & ſummam rerum, ictuque vno ſternunt cuncta, ſiue attollunt. Longe poſtea ſaeuius eſt hiſtoriae malum, dum principes inſuper ipſi, poſtquã dimicauere ferro exercitibuſque ſuis, pergunt gerere aliud verbis alienis bellum, & operarios iſtos infelices excitant, qui mercedula adducti caliginem offundant rebus arte ſua. Et indigna iſta verborum praelia inter populos Regesue durant aeternũm, atq; ſuccedentium animis eodem ſemper imbutis odio propagantur. Nimirum etiam alij extra tales horum

ini-

inimicitias, Reges aut populi, aemulatione gloriæ, ſiue ſtudio in alios, inclinant potentia ſua famã rerum, & quocunq; trahũt iſti, vergit eodem quicquid litterarum in ipſorum imperio habetur. Auctores denique nonnullos reperias minimè quidem venales aut leues, aut inter negotia principum ambitioſos, ſed aſperos, & truculentos quoſdam, qui ſtatim vbi partem aliquam antiquitatis, ſuſpicione aliqua obiecta, perleui nõ probauere rigore ſuo, vrgẽt implacabiliter, & omnia ab imo vertunt; quodque peſsimum eſt veteris memoriae venenum, creſcit illis interea nomen, & tanquam magiſtri veritatis ad labefactanda quaecunque diſplicuere terribiles fiunt. Verùm, has Hiſtoriae calamitates, & in grauiſsimam artem inuecta ludibria talium hominum ingenijs, quandocunque inciderint, viri prudentes facile deprehendent, & Deus ipſe fortaſse fallacias tantas auerruncabit. Nos certe quoniam ad hoc fortè ſtudium delati ſumus narrandi nonnihil, & ad noſtram aliorumque vtilitatem repetendi ab priore aeuo magnos Eccleſiae caſus; id volumus agere ſemper haud aliter quàm deceat pium, & modeſtum, & iam prope ſenem clericum; ac ſimplicitate ſemper vti volemus ea cum qua precatus ſum à Deo Opt. Max. ne labor, & opera iſta ſcriptitandi fraudi mihi ad animae ſalutem eſset. Porro, quod ad coniecturas attinet, opinioneſue illas, queis Apoſtolicae ſedis de Aenobarbo Caeſare triumphus, & poſt felix Mediolanenſe praelium, maior fœderatae claſsis in diuerſa parte victoria eliditur atque ob-

ſcuratur, res ipſa extra corruptelas erroreſue humanos, in clariſsima, & antiqua monumentorũ luce extat prout demõſtrabo. Mater Othonis, nõ anno eo qui ad obruendã victoriç fidem, arguendãq; Principis infãtiã fingitur, ſed quinquennio ante nupſerat Caeſari, neque res alia temporum eorum fere eſt illuſtrior, quàm Aenobarbum, anno cIↃclvi. repudiata Caecilia Beatricem hanc in matrimonium duxiſſe. Id adeo, & Burgundiae Chronica edita Thomae Guarini typis, & Chronica alia manuſcripta, quae fuere Cardinalis Beſſarionis, & Gunterus Ligurinus, & Nauclerus diſerte prodiderunt. Sed praecipue arguũt illã in matrimonij anno labem ipſa monumenta belli, quod cum Mediolanenſi republica bellatum Aenobarbo eſt. Namque ibi per totum quinquennium ante falſam eam connubij diẽ Beatrix Auguſta in parte rerum itinerumque habetur. Ea, recrudeſcente cum Mediolanenſibus bello, excitus ab coniuge Caeſare in Italiam: obſeſſae Cremae muris adſidet: euerſa Metropoli Ticinum it marito comes: vnà cum eo denique coronatur; ſolidiora, & certiora cuncta ad fidem, quàm illae apud Abbatem Vſpergenſem numericae annorum notae, de quibus nihil ego ambigam, quin errore librariorum, typorumve mendo falſae pro veris irrepſerint, quandoquidem confutatae tam euidenter, & ex punctae ab re ipſa nulla poſſunt ope retineri, ac defendi. Et hactenus quidem ſatis arbitror eſſe conuictum, quod inductâ per id tempus in mariti domum ſponſa naſci potuerit Otho quinquennio ſaltẽ antè quàm inficiatores

iſti

iſti omnino naſci potuiſſe contendant. Nunc, quod etiam tanto antea natus fuerit volo demonſtrare. Non enim, vt iſtis placet, fuit Auguſtali thoro ſterile triennium, quo primas matrimonij ſpes inter ſe congreſſi Aenobarbus, & Beatrix tentauere. Sed abſque fruſtratione vlla ſtato menſe illico naſcitur Henricus: poſt eum partum, conſtanti fœcunditate renouatur ſecundo fętu parentis nomen: tertia vota Othonem dedere ipſum; ac reliqua deinde ſoboles, nullis irritis menſium ſpatijs prouenit. Quos ſane partus, temporibus, & locis nominibuſq; ſuis notatos ordine ac diſtinctos referre promptum erat, niſi puderet iam neceſsitatis, qua celebrare direptoris noſtri genialem thorum, tamquam hoſti adulantes videmur. Monſtrauere ſic ac numerauere prolem eam Nauclerus, & Gunterus, & Ioãnes Saxon alijue, quibus nulla veſtigia patriæ ruinarũ, ſicuti nobis, obuerſabantur animo, quæ cogerent cum faſtidio aliquo cõtrectare quicquid barbaro illi volupe ac iucũdum fuiſſet. Attamen ſtudio veritatis, cuius cura motũ animi excludere omnẽ debet, nominibus & rebus adhuc iſtis, quantũ ſatis erit, immoraturi ſumus. Cùm igitur ad eã victoriæ diem, non octennis puer Otho, ſed iuuenis decem & nouem fere annorum hac leuiter informata ratione fuiſſe reperiatur, potuit eum haud dubie pater præficere claſsi, qua victus fuit. Neque apud magnos principes nouũ iſtud mittere impuberes filios ad bella cũ ſummo imperio, ætatemq; illã obiectare caſibus & periclis; Luciuſq; & Caius, & ſub Tiberio Germanicus ac Druſus vix poſi-

ta puerili prætexta, ſuo capite fortunam Imperij Romani circumtulerunt. Ac poſtquã Auſtriaca Domus virtute & felicitate ſua in eius Imperij nomen opeſq; fere ſucceſsit, maxima quaeque bella ſępe adminiſtrauit ibi rudis ætas, & pars prudentiæ fuit Caeſaribus Regibuſque illis teneram ſuam prolem obiicere prælıorum diſcrimini, ac per eum modum oſtendere famae. Sic Maximianus I. in Ludouicum Galliae Regem, ſic Maximiani nepos Carolus Quintus puerilia fere tractando viriliter arma poſuere tyrorinium eius glorię, quæ poſtea magnas illas animas & dignos immortalitate viros ſecuta eſt. Sic etiam iuuenile flagitium Caroli Cæſaris ſpurius ille Ioannes in ipſo pubertatis ingreſſu magnis victoriis paternam culpam prope in miraculum euexit. Quæ exempla retuli ego libenter, vt intelligatur, nihil eſſe momenti principibus viris in aetate ipſa, quandocunq; vis animi conſiliumq; præcucurrit, vel ſi deſit forte quippiã, expleri cũcta rectoribus additis, ſicut in hoc fieri potuit Othone, cum ei claſsis traderetur. Claſſem verò ipſam, ſciri oportet, non ab ipſa protinus Germania fuiſſe Cæſari accerſendam, id quod longum impeditumque eſſet, ſed Anconitanos & Genuenſes æmulos Venetae Reip. Mediolanenſibus infeſtos, Romano nõ fidos, obſtrictos Aenobarbo, ſuppeditaſſe cuncta certatim ei, remigem, militem, naues, armamenta, commeatum, & quidquid aliud ad rem pelago gerendam, veterum arte, vel nouis ingeniis repertum maritimae gentes in promptu habent. Id vtique Genuenſium meri-

meritum erga Cæſarem, & paratæ claſsis in tali tempore obſequium, neque ipſorum hiſtoriae ſiluerunt, & ſcriptores alij inter cetera temporum illorum, ſicuti ab ipſiſmet acceperant, verbis fere iiſdem retulere, quorum antiquiſsimus nomine Beneuenutus ciuitate Interamnas ante trecenteſimum annum de ea claſſe ita pdidit. SEPTVAGINTA. TRIREMIVM. FVIT. CAESARI. CLASSIS. QVAS. GENVENSES. ET. PISANI. IN. IPSIVS. GRATIAM: ARMARANT. MISERANTQ. PRAEERAT. OTHO. CAESARIS. F. QVI. EI. TERTIO. LOCO. NATVS. FVIT. Nihil diſsimilia Auguſtinus Iuſtinianus Patriae texens Annales refert. Et Spirenſe Chronicon & Paulus quidam Interianus eadem habent; vt nihil neceſse ſit torqueri ambigentes, quomodo potuerit Aenobarbus ex arida & ſitienſe longinquaque Germania, vel informes petere terreſtri itinere nauium alueos, quos deinde circum Italiæ littora compingeret deduceretque, vel ornatam & inſtructam ſua mole claſſem transuehere inſano horridi maris tractu, cum qua repente gereret rem. Sed iſtud nauale negotium, exitumque negotij & eo exitu proiectum ad Romani Pontificis pedis Aenobarbum non attigere ſuis litteris Otho Friſingenſis & Radeuicus, quia non perduxere in eum annum Chronica ipſa, quæ contexebant. Scilicet intimus vterque Caeſari, alter vero etiam patruus erant, qui cum ad triſtia iſta & minime ſpecioſa dictu perueniſſent, maluerunt ipſi, priuare ſe gloriae parte ſcribendiq; fructu quàm ſua manu inſerere vltro monumentis anna-

lium.

lium, atque ſpectandum, id obiicere aeternitati, quod ſumma opetegi, adeo ipſorum intererat, vt ſilentium etiam ſuper ea re alienum emere debuiſſent, ſi fama demum ipſa venalis pretio eſſet. Et proximus horum ætati, neque domui Caeſarum adnexus Abbas Vſpergenſis, ſtudio patriæ violentus, cùm in hæc tempora ſcribendo proceſſiſſet, inhibuit quodammodo ſtylum, ſeque coarctauit, & duobus omnino verbis inuoluit rem, nihil amplius de ea re, effatus, quàm partes Pontificias præpotuiſſe, pacemq; Venetiis eſſe factam. Par breuitas & erga natalem ſibi Germaniam natiuumq; principem par cura Sigiberto. Qui ſcribendi etiam genere ſimillimus Abbati, rerum capita tantùmodo exſequitur & ſuorum principum calamitatibus, patriaeque vitiis, & malis parcere nimium amat, narrator idem ad pleraq; ſincerus & grauis, ad aliqua mēdax vanuſque repertus. Nam, vt omiſerim pleraq; falſa ſcriptoris eius, etiam de Pontifice femina Ioanna Angla ſeuere fabulam infert. Me quoque pudet iam ac tædet tam prolixae defenſionis aduerſus memoriae huius inficiatores: ſed, aut diſſimulanda principio res fuit, aut quoniam ſemel animaduerſa ſuſceptaque eſt, ſtrenue ad liquidum, & ſyncerum adducenda. Ac tanto magis id conandum eſſe videtur nobis quia, non ſolùm agitur in hac Victoria dignitas Eccleſiæ Mediolanenſis, ſubacto per foederata arma & domito ſic hoſte, qui luctu nuper ipſam & vaſtitate compleuerat, ſed etiam hiſtoriæ totius authoritas & vniuerſæ fides antiquitatis ex huius victoriæ

ctoriæ fide ſuſpenſa omnis pendet. Non publicæ tabulæ deinceps, non teſtimonia vlla, & monumenta litterarum, non veteres picturæ, non æra, non lapides antiqui, non dedita per manus & inueterata fama, nō ipſius Romanæ Eccleſiæ maieſtas, non denique Sanctorum oracula, non concilia Patrum in tradenda priſcæ ætatis memoria pondus habebunt, niſi, quanta violentia oppugnatur hic in hiſtoria locus, tanta viciſsim noſtra cura & contentione defenſus erit. Quippe illa omnia ſimul in dubium trahuntur; ac ſi conciderit ictibus quaſſata tantis rei veritas, neceſse erit, vt hæc ipſa etiam in omni ſemper vetere negotio firmamenta veritatis eodem labefactata motu collabātur. Tum verò præſertim litterae profligatae in ſempiternum illæ erunt, vnde petuntur nobis in hac hiſtorica cura teſtimonia & auctoritates ad ea confirmanda, quæ narramus. Namque etiam Bernardinus ipſe Corius, qui Mediolanenſium omne aeuum orſus ab vrbis initio ad ſuam vſque aetatem fusè dilucideque explicauit, Aicardum nominat quendam aequalem Federico, participem eūdem & ſcriptorem rerum quę per ea tempora acciderunt, eiuſque Aicardi verbis naualem hanc victoriam ita vt ab cætêris deſcripta eſt, refert. Et fuit Corius antiqui moris homo, veſtigator acerrimus memoriæ omnis; cætera incomptus inſciuſque ornandi, quę ſimplicitas chronographo auctoritatē addebat, ita vt Sforcia, quo regnante, ille ad ſcribendum animum appulit, delectatus fide hominis & diligentia publicam ei curam conficiendorū

patriæ

patriæ annalium mandauerit; vnde tabularia omnia, quæ Mediolani erant, & ante ipſum fruſtra aliis ex-petiti codices patuere. Hũc ſequitur antecedítue magnus aliorum numerus qui,vel gentium aetatumque omnium res, vel vrbis tantùm Imperijue alicuius pari authoritate compoſuerunt,externi,noſtrates,ſacri,vel profani, quicumq; demũ narrando poſteritatis cauſa & mandando litteris aliquid, in eius negotij mentionẽ inciderunt. Hi videlicet omneis, præter vnũ alterum illos ingenij ſeuerioris, haud ſecus de ea re prodidere, quàm ſicuti fama communis habebat; totque aucto-rum nomina & teſtimonia longo ordine alibi deſcri-pta non operae eſt transferre inde in noſtros annales. Neq; verò sũt nobis in hiſtoricorũ numero alij quos n-dium leuitaſue manifeſte falſos habet. Carion profe-cto & Melanton hæretica monſtra cùm obſcurarent cuncta more ſuo deprauarentque, hunc Eccleſiæ triũ-phum ſupprimere non potuerunt, mãſitque inter eo-rum etiam mandacia ſuus honos Apoſtolicæ ſedi. Ac ne teſtimoniis impiorum res tanta peragatur, trans-feram huc D. Antonini locum, quod celeſte nomen nouere ſanctorum faſti, eiuſque viri animum & litte-ras admiratã Eccleſia intulit celo. Is generis humani Chronica pertexens, de victoria, paucis ita infit. CVM FEDERICVS IMPERATOR VENIRET AD VR-BEM ALEXANDER TIMENS EIVS POTEN-TIAM VENETIAS REFVGIT, VT MANVS EIVS EVADERET SVPER QVO INDIGNATVS IMPE-RATOR ARMAVIT CONTRA VENETOS

CLAS-

CLASSEM CVI PRAEFECIT OTHONEM FILIVM SVVM ET AD REPONENDVM ALEXANDRVM PONTIFICEM MISIT VERVM OTHO FILIVS IMPERATORIS PRIMO CONCVRSV NAVALI PRAELIO SVPERATVS A CLASSE VENETORVM QVI IVVABANT PARTEM ECCLESIAE SANCTAE ET ALEXANDRI CAPTVS DVCTVS EST VENETIAS ANNO AVTEM SEQVENTI PROCVRANTE OTHONE FILIO IMP. QVI CAPTVS ERAT ABLATA EST DISSENSIO INTER PAPAM ET IMPERATOREM ET FACTA EST PAX INDEQVE MAGNVS HONOR ET GLORIA SECVTA SVNT VENETOS QVIBVS AD PERPETVAM REI MEMORIAM PONTIFEX SVMMVS QVÆDAM INSIGNIA PERPETVO FERENDA DONAVIT.

Hæc ipſa D. Antoninus edidit, reprehenſâ etiam duorum incuriâ, qui in tradenda memoria temporum eorum, rem tantam omiſiſſent. Ac plura ipſe ſine dubio de ea re ſcripturus fuit, vrbiumque fœderatarum, & Mediolanenſis Eccleſiae praeſertim ab cauſis exituque belli immiſta pleraque narraturus, niſi totum percurrendo terrarum orbem, ſequeretur compendia, & ſummas, quem & Operi ſuo titulum fecit. Caeterùm, parta ſit victoria, protinus, vt omnia magna, & noua ſolent, non litteris modo, iſtis quae circum feruntur, ſed marmoreis etiam aeneiſque tabulis ad memoriam hominum ſempiternam fixa paſſim, & conſignata eſt, expreſſaque coloribus etiam, quos artificũ

ſama ſaxo vel metallo, diuturnitate temporis, & ſtudio lineamenta illa imitari volentium aequaret. Ad Salboreum in loco praelij durat inciſum carmen, voluminum omnium inſtar cuncta amplectens; Et Senenſes ipſi publica pietate erga magnum ſuum ciuem in Aula Concilij pingendam effigiem caſus curauere. Germania quoque terra factum admirata horribile ingens, admiſit eodem inſpectante Caeſare fecitque imagines eiuſmodi quas manere adhuc aſſueti gentibus illis homines teſtantur. At Venetijs, anno quinquageſimo poſtquam debellatum erat, cùm Aulâ maximâ extructâ conductiſque ad eam pingendam artificibus, anquireretur inter Patres, quaenam imagines ei loco maxime conuenirent; contendêre ſeniores atque peruicerunt, vt S. C. in haec verba fieret. Quod
„ de picturanda honeſtiſsimis figuris aula, exquirendiſque ad eam rem ex vetere hiſtoria idoneis caſibus
„ relatum ſit; Patres de ea re ita cenſere; nihil neque ad
„ iuuentutis exemplum, neque ad Reip. gloriã illuſtrius
„ aptiusue eſſe Pontificio illo triumpho, cui plerique ſenum inter fuiſſent, quem intuens minor aetas, decora
„ ibi parentum intueretur. Sic picta per principes artis aula ſtetit, donec anno ſalutis cIↄ Iↄ lxxvii. fortuito igni conflagraret, reſtitueretúrque maiore ſumptu. Sed octennio fere ante id incendium Pius IV. regalis animi Pontifex origine ac Ciuitate Mediolanenſis, cũ Vaticanum omni ope excoleret, recordatus veteres Apoſtolicae Sedis calamitates, & credo etiam, quas Aenobarbus intuliſſet olim, voluerat extare ibi ingen-
tium

tium omnium domicilio monumentum inſigne, quo ſupplex viciſſim, & abiectus deformiſque Caeſar illo oſtentaretur. Ac ne quid interea vani, & falſi reciperent ſuprema authoritas, & auguſtiſſima Vaticani moles, nominauit e Sacro Senatu aulaque tota elegantiſſimo queq; iudicio, qui hiſtoriam illam inſpicerent ſedulo atque aeſtimarent. In eo fuiſſe numero Cardinalem Sirletum conſtat, quem ob pios pudicos mores cum rara litteratura coniunctos Pontifex idem in Collegium vocarat commendante virum D. Carolo Borromaeo parente Vrbis noſtrae, & inſtauratore nominis Ambroſiani, qui Pōtificis eius ſororis filius fuit, ac tunc Aula Romaniſque rebus ipſe potiebatur. Per tales viros omni euoluta antiquitate collatiſque capitibus tractabantur coram Principe Borromaeo teſtimonia, & monumenta, & cōiecturae omneis, & quicquid in alterutrā partem ingenia illa praeclara, ſuper ea re excogitarant, attuleramque. Nā praeter Pōtificis ipſius de ea re peruestiganda mandatum, erant Principi litterarij nocturni congreſſus cum ingenijs eiuſmodi, & inclyta inde fama Noctium Vaticanarum fuit, queis aliquandiu creberrima illa materies erat; ac demum ſcripta edidere, quae picturae argumentum id eximere controuerſijs omnibus poſſent. Et quia cognitio, iſta liberalis, ac principibus digna viris quaeſtio, dignumque Pontifice iudicium exercebatur auſpicijs D. Caroli, cuius acta vita diuinitus, & geſtae res in Ambroſiano Pontificatu nouum mihi immenſumque opus parantur, vtile arbitror tali data occaſione prae-

mitti iá nunc ſpecimina haec ſtudiorũ Archiepi ſcope ſanctiſſimi, qualia fere rudimenta Xenophon etiam ille praeclarus iecit antequam magnum ſuum Imperatorem exſequeretur. Neque aptius quicquam erat, nō modò ad ſolatium Vrbis noſtrae turbarum, ab quibus diuerticula haec quaerendo, certamen in hiſtoriam induxi turbis ipſis fortaſſe moleſtius, ſed ad certaminis ipſius quoque tam moleſti delinimentum. Igitur Vaticanis illis exercitationibus, atque colloquijs multũ agitata re Princeps Aulae ſimul & Academiae Borromaeus, caeterique; quos Auũculi Pōtificis iuſſu ad eius hiſtorici negotij diſceptationem ipſe adhibebat, conſenſu pronuntiauere, pingendum eſſe ſupplicem ad Pontificis Alexandri pedes Aenobarbum, ſermonumque & ſententiarum ſumma collecta, & deſcripta
» fere in hunc modum manauit. Quod de pingenda
» in Aula Vaticani Regia ad Alexandri pedes Ænobar-
» bo, ac de ea re perquirenda, & conſideranda Pontifex
» Maximus & Dominus noſter mandauit; nos, & veram
» eſſe victoriam, & in publica luce collocandam cen-
» ſemus. Nam etiam iura omnia cenſuerunt, publicis
» monumentis fidem eſſe publice habendam, qualia paſ-
» ſim monumenta victoriam hanc praeferunt ac teſtan-
» tur. Quodſi temere vſurpata vnquam fuiſſet, falſo-
» que, vel inciſa alicubi, vel inſculpta, vel deſcripta, vel
» depicta; non ſegniter illi, quorum intererat, obuiam
» iuiſſent. Semper enim hoc liberorum populorum,
» principumque omnium, & Regum fuit, vbi quid con-
» tra famam, dignitatemq; ſui nominis poſitum in pu-
blico

,, blico ſcriptumve eſſet, curare, vt ea tollerentur abo-
,, lerenturve. Quod qui facere non potuerunt, contraria
,, ſaltem monumenta poſuere; queis contumeliam in-
,, iuriamque arcerent, ſicuti aduerſus Tegeatas Manti-
,, næi, Syracuſani in Athenienſes, in alios alij; priſcis
,, noſtrisque temporibus ſedulo factitauerunt. Victoria
,, haec, cùm ſtatim ab ipſa dimicatione locis illuſtribus
,, oſtentui attolleretur, ferocia conticuit Ænobarbi, nec
,, ipſe, nec ſecuta proles eius, voce motuue quod extet vl-
,, lo factum illud improbauit. Non etiam alij per om-
,, ne deinceps aeuum Caeſares in tam ſuperbis ingenijs,
,, tantisque opibus, & tot mutuis offenſionibus ani-
,, morum, verbum aduerſus monumenta iſta commu-
,, tauere vnum, cùm minoribus Imperij detrimentis ad-
,, uerterent animos, ac retinere vtique maieſtatem cona-
,, rentur. Atqui Ænobarbum hunc, inſpiciendo cun-
,, cta diligenter, & inquirendo, reperimus adeo non fuiſ-
,, ſe remiſſum aduerſus talia, & ſegnem, vt cùm Inno-
,, centij II. coronátis Lothariũ depicta in Laterano eſſet
,, forte caeremonia figuram eam in ſui diminutionem
,, ipſe acciperet compleretque cuncta querelis, & preci-
,, bus, & minis huiuſmodi. A. PICTVRA. CAEPIT
,, AD. SCRIPTVRAM. PICTVRA. PROCESSIT. SCRI-
,, PTVRA. IN. AVTHORITATEM. PRODIRE. CO-
,, N. TVR. NON. PATIEMVR. PICTVRA. DELEATVR.
,, SCRIPTVRAE. RETRACTENTVR. Quanto violen-
,, tior aduerſus ſimulacra, queis duceretur in triumphum
,, inſurrecturus fuit, niſi piacula illa veteris ſuae temeri-
,, tatis in Sedem Apoſtolicam etiam ipſe commodior

,, tandem vtique factus amplecteretur? Alioqui ſciebat,
,, durare iſta ſaeclis innumerabilibus transferrique in lit-
,, terarum, & famae aeternitatem, etiam vbi, vel eua-
,, nuit color, vel metalla, & ſaxa tempus edax abſum-
,, pſit, & quamdiu ſpectantur, acrius penetrare, ac mo-
,, uere animos, quàm ſonum vllum vocis, hancque mul
,, titudinis imperitae eſſe litteraturam, per quam, Vrbe
,, in ipſa, facta veterum Imperatorum hodie pueri etiam
,, & mulieres legunt. At litteræ ipſae verique libri, vox
,, & diſciplina melior, alloquiumque prudentiorum,
,, ad lapides, & ſimulacra illa congruunt paſſim, aper-
,, tiuſque adeo, & clarius loquuntur; quas litteras, vbi fa-
,, ma communis conſenſuſque recepit, non poſtea re-
,, pudiare eſt, peruulgato etiam Iuriſconſultorũ verbo,
,, QVIBVS. LIBRIS. ANTE. NOS. CREDITVM. SIT. IIS
,, NOS. QVOQVE. CREDERE. OPORTERE. Libri au-
,, tem, & litterae quibus perſcripta res eſt reperta con-
,, uentui noſtro, & congreſſibus diligentiſſime examina-
,, ta Vaticanis, praeter alios hi erant. Chronica Delphi-
,, na, Chonica Sanuta, Chronica Alexandrina, Chroni-
,, ca, Norimbergae, Vlmenſia quoque, & Sueuica, & Sa-
,, xonica; ad quos ſingularum gentium annales, ſcripto-
,, res alij aggregantur, Valerius Anſelmus, Beneuenu-
,, tus Ranbaldus, Achilles Caſsarus, Albertus Cranius,
,, Matthias Caſtritius, Antonius Paſſiuuius, Martinus Cro
,, merus, Henricus Vuiertus, Ioannes Bremenſis, Petrus
,, Vineus, qui Federici ipſius Scriba intimus fuit, Obbo
,, Rauennatenſis, qui res ſuorum item temporum ſatis
,, eleganter, vt illa erant tẽpora litteris mandauit. Tum

Brana

,, Brana, Rouilius, Rocca, Paradinus, Menorius, Paga-
,, relus , Guazius, Feroldus, Malaſpina , Volateranus,
,, Palmerius, alij denique complures, vel proximi aetati
,, illi, vel etiam aetatis ipſius, quorum vel manuſcripti
,, codices vel euulgata typis volumina in Vaticano ip-
,, ſo extant . Atq; inter monumenta haec , quae cuncta
,, recenſere longum erat, nonnulla tantae ſunt auctori-
,, tatis, vt qui ea inſpexerit, deſiderare præterea nihil poſ-
,, ſit . Nam apparet confecta eſſe diebus ijſdem , quibus
,, etiam geſta res eſt ; incomproque , & ſimplici tem-
,, porum eorum ſermone , verba ibi exponuntur ipſa
,, quae pronuntiari audiuere ſpectatores , & ſcriptores
,, ijdem, cum agerentur cuncta, & tranſigerentur. Ac ge-
,, neris huius chronica vetuſtiſſimis exarata formis, iuſ-
,, ſu noſtro per idoneos homines sūt inſpecta Venetijs
,, in Reip. illius tabulario , & ne ſuſpectā in re domeſtica
,, litterarum earum fidem haberemus, inducti ſumus ſa-
,, cri Canonis authoritate , quae ſecure iubet admitti
,, tabulas, & acta Ciuitatis, cui talia olim etiā proferen-
,, ti fides habita ſit . Quod ſi monumenta iſta non com-
,, parerent, nihilue tale repertum eſſet , ſequeremur ta-
,, men veterum Pontificum, atque adeo ſanctorum ho-
,, minum auctoritatem; & huic inueteratae famae, quæ
,, ipſa non leue momentum facit, libentiſſime aſſentire-
,, mur . Quippe Aegidius Belamera , & Gennadius an-
,, tiquiſſimi homines, ille Archiepiſcopus Auenionenſis,
,, hic Patriarcha Conſtantinopolitanus, in demonſtran-
,, do Sedis Apoſtolicae principatu, ſic exhibuere legentiū
,, oculis poſteritatique omni, quomodo quilibet etiam

„ egregius pictor poſſet oſtendere, calcatum Romani
„ Pontificis pede Caeſarem ad D Marci valuas, aequipa-
„ ratumque baſiliſco vel leoni ſubſtrato pedibus, &
„ aduerſus verba iſthaec in ipſa honeſtiſſimi dedecoris
„ patientia muſſitantem humano incitamento nonnihil
„ rurſusque compreſſum, & ſpecies eadem apud Bea-
„ tum Antoninum expreſſa cernitur in oratione quam
„ ad Pium II. Pontificem Maximum ipſe habuit.
„ Quòd verò ſuperbum, & immite, minimeque ponti-
„ ficium videri fortaſſe cuipiam poſſet, ſic inſultaſſe
„ Caeſaris collo, id ex ipſa Pontificum diſciplina, diui-
„ niſque litteris, & priſco bellorum iure iuſtè ac legitime
„ ſanctèque fuiſſe vſurpatum apparet ad coercendam in
„ ventura etiam ſaecla temeritatem, ſi qua ſimilis vm-
„ quam oriretur. Scilicet etiam ſanctiſſimus ille, ma-
„ ximuſque Ducum Ioſue, poſtquam quinque rebellan-
„ tium Regum coniunctos exercitus fudiſſet diuina ope
„ ac fugaſſet, eductos deinde reges ipſos e ſpelunca, in
„ quam pauentes, & trepidi ſe ſe coniecerant, calcari
„ militum pedibus iuber, collaque perduellium premi ſic
„ & domari; idque celeſti auctoritate ſancitum, atque
„ firmatum exemplum ſecutis poſtea temporibus gra-
„ uiſſimi Imperatores ſumpſere ſibi quoties ſubacto
„ iuſtis armis hoſte nobilitare victoriam ad poſteros,
„ exemplumque ipſi prodere aliud voluerunt. Nam
„ alioqui nulla ſatis habebatur rata, & clara victoria,
„ niſi victor velut illato in poſſeſſionem pede, victum
„ aſſereret ſibi obnoxiumque factum eſſe teſtaretur.
„ Ideo Romani veteres, agreſte etiam Cincinnati in-
ucntum

Digitized by Google

,, uentum inter triumphales ſuos ritus accepere, cùm il-
,, le ab aratro Imperator, duabus fixis humi haſtis, vnâ
,, ſuperpoſitâ, mittere ſub iugum hoſtes inſtituiſſet, quod
,, ignominioſius pene erat, quàm pedem inieciſſe. Et
,, conſuetudine ſemel recepta hac diuque retenta, poſtquā
,, diuina inde volumina Veteris Teſtamēti, & illius ſacro
,, ſanctæ ætatis admirandae res, exemplaque Patriarcha-
,, rum cœpta ſunt in honore haberi, mos etiam inualuit
,, iſte premendi pedibus hoſtium colla, quo more victo-
,, riam ad Deum referrent. Ac multo ante Pontificem
,, Alexandrum Iuſtinianus Imperator, Tiberio, & Leon-
,, tio deuictis, à quibus pulſus ipſe fuerat, id ſuper cetera
,, ludibrium hoſti addiderat, acclamãte Dauidicis ijſdem
,, vocibus populo, tamquā leonem, & baſiliſcum victor
,, pede illo calcaret. Adeòque in morem verterat ritus
,, iſte victoriarum firmandarum, vt citra contumeliam
,, etiam ſtaret, & aequo ſuccumberent animo, ſubmitte-
,, rentque ſe ſe victori, quibus ea neceſſitas; victoresque
,, ipſi, muneribus, & omni ſtatim comitate proſequeban-
,, tur eoſdem, quorum ceruices ſubiectas paullo antea
,, pedibus habuiſſent, qualia miſta pœnis blandimenta
,, Sultani Axanis in captiuum Diogenem Zonaras Grae-
,, cus narrat. Mauritanum eum Regem ingenio ait fuiſſe
,, moderato, & miti, inclytaque per gentes iuſtitiae fama;
,, cumque diuturno bello perſecutus Imperatorem, tan-
,, dem in poteſtate haberet, ſupplicemque & miſerabili
,, habitu ſtratum ſibi ad pedes intueretur, proſilijſſe re-
,, pente ſolio tamquam afflatum Numine, & poſtquam
,, homini collum egregie calcarat, caros dediſſe ample-

„ xus ei, pollicitumque omnia benignè ſeruaſſe captiuo
„ priſtinae fortunae cultum, incolumemque dimiſiſſe.
Haec igitur, & in eam ſentẽtiam alia cùm ſcripta protuliſſent, quibus Pontifex Medicaeus id hiſtoriae perquirendae, & conſiderandae negotium mandarat, depicta in Vaticano res eſt, prout geſtam fuiſſe memoraui; pictorque Saluiatus mille nummos aureos pretium operis accepit. Sed temporum, & rerum ſeriem repeti tempus erat, ſtatumque, & negotia vrbis, & Eccleſiae noſtrae, quomodo ſeſe poſt Aenobarbum habuerint, ordine demonſtrari. Poſt breue Henrici Regnum (hic Aenobarbo patri ſucceſſerat) regnat Otho multa erga Mediolanenſes comitate, quam priuatis quoque rebus, per patris primo, deinde fratris imperium ſæpe declararat, ac viciſſim ipſe ab ciuitate noſtra, nomineque Ambroſiano vnice cultus fuerat, cùm apud ceteras gentes, nec ſuo, nec ſuorum imperio, proſperrimam eũ, obtinuiſſe famam conſtet. Is vbi, Caeſar, & Italiae rex eſt appellatus, noua Mediolanenſibus affulſiſſe lux viſa, legationemque miſêre cum muneribus, & manda-
„ tis huiuſmodi. Quod rerum humanarum arbitrium,
„ ſummamque poteſtatem eſſet aſſecutus, gratum id, &
„ laetum accidiſſe Mediolanenſium animis, quia terrarũ
„ orbem in illius poſſe quieſcere virtute arbitrarentur,
„ ipſique priuatim in illius Imperio ſpem ſuae ſecuritatis
„ collocatam haberent. Si veniret ad capiendam de mo-
„ re coronam, quam caeteri ante ipſum Caeſares petendo
„ ſemper, vetuſtiſſimũ Ambroſianae Eccleſiae ius no-
„ bilitaſſent, magnum fore decus Vrbi, quae iam nunc

„ honores in eam ſpem exquiſitiſſimos appararet. Ad ſta
„ tum, & ſalutem quoque pertinere Ciuitatis, venire
„ Principem, & eam ex diuturna iactatione refouere.
Otho benignè audita legatione, reſponſum hoc dedit;
non ſe tunc primum agnoſcere, populi Eccleſiaeque
Mediolanenſis erga ſe fidem, ac voluntatem, ſed olim
expertum eſſe; prouiſis alijs, quae differri non poſſent,
venturum. Interea, ſi quid accideret, legatum ſuum
in Italia fore cum ſumma poteſtate; illum adirent.
Legatus fuit Aquileiae Patriarcha, qui cum anno inſe-
quenti Mediolanum veniſſet, Archiepiſcopo Magiſtra-
tibuſq; reddidit Caeſaris litteras, quarum ſententia erat
„ huiuſmodi. Si veſtra erga nos merita, & voluntatem
„ egregiam multis grauiſſimisque rebus ſignificatã obli-
„ uioni traderemus; nequaquam id fieret pro Imperij no-
„ ſtri maieſtate, conſuetudineque noſtra, qua nullum in-
„ grato animo tranſmittere beneficium ſolemns. Itaque
„ memores eius ſidei, ac beneuolentiæ, quam nobis per
„ omne tempus exhibuiſtis, cùm intimorum quoque cõ-
„ ſtantiam requireremus, & aduerſa multa pateremur,
„ dabimus operam, vt omnia officia, quæ ab Imperatore,
„ & Rege amiciſſimo expectari poſſunt, à nobis in Rem-
„ pub. veſtram proficiſcantur. Iura, priuilegia, libertatẽ,
„ quæ antiquitus tenuiſtis, non modo non imminuere,
„ ſed etiam, ſi quid forte deeſt, explere, in animo habe-
„ mus. Nulla erit Ciuitas, cuius conditionem, & ſtatum,
„ cum veſtra conditione, & ſtatu eſſe mutatum velitis,
„ venientes ad nos de veſtris rebus legatos benignè audie
„ mus, priuatim quoque cum adeo benemeritis Ciuibus

„ colemus amicitiam, & omnia, quæ volent à nobis im-
„ petrabunt. Munera, quae miſiſtis, fuere gratiſſima, nõ
„ ſolùm propter elegantiam, & pretia rerum, ſed quia
„ veſtrum in illis animum, & voluntatem ad viuum ex-
„ preſſam, licuit nobis velut in illuſtri monumento con-
„ templari. Volfegerus Aquileiæ Patriarcha, qui vobis
„ has litteras reddet, propter vitae probitatem vſumque
„ rerum, viſus eſt nobis, dignus eſſe, quem cum imperio
„ in Italiam mitteremus. In eum, quæcunque contuleri-
„ tis officia, ſic accipiemus, vt collata eſſe in nos ipſos ar-
„ bitremur. Praelertim autem, vt conſilio virum adiuue-
„ tis, & omnia, quæ ad rem bene gerendam pertinebunt,
„ ſubminiſtretis, pro ea quam ſignificaſtis in nos volun-
„ tate, poſtulamus. Acceptis recitatisque litteris, exilie-
re gaudio, ciues, & Archiepiſcopus, magnaq; publica fuit laetitia, quòd is demum regnare cœpiſſet, qui meminiſſe videretur, & veteris gloriae Mediolanenſiũ, & nouarum calamitatum, primusq; poſt tot saecula, Regum intellexiſſet, quanto tutius beneficijs, & comitate, quàm iniurijs, & ſuperbia Ciuitates in obſequio, & fide continerentur. Sed præter hanc litterarum humanitatem, attulerat Legatus opportuna mandata reſouendę vrbi, componendis animis, Eccleſiæ condecorandae. Sublato rurſus Conſulatu, Prætor hoc tempore erat Alberus Fontana, parique cum Archiepiſcopo iure ſummam rerum obtinebat. Is communicando cum Pontifice conſilia, & agitando, quæ mala quibus remedijs indigerent, valde adiuuit legatum in Vrbe conſtituenda, breuique, legatus, & Archiepiſcopus

& Præ-

& Prætor, communi conſenſu ſublatis corruptelis & certaminibus, omnia, quæ deeſſent ad optimam Reip. formam addiderunt. Paulò poſt autem, cùm laeta Ciuitas in magna eſſet ſpe perpetuae felicitatis, cumulus lętitiae fuit ex Cæſaris ipſius aduentu, quem ſummis honoribus celebrauere. Gratiſſima Principi ſpecies fuit mille puerorum in candida tunica patrio carmine cõcinentium ipſius laudes, & in Rempub. merita; & ferrei diadematis honores, vnde tantum decus vrbi. In Baſilica Ambroſiana de more coronatur Caeſar, ſed ſtudijs, & apparatu maiore, quàm caeteri, quos metus, & adulatio, factioneſue, non publica beneuolentia, publicuſque conſenſus coronabat. Ab ea celebritate laetus viciſſim Otho gratulatione Ciuitatis firmauit priuilegia, quæ ſuperiores indulſerant, addiditque noua, tum Archiepiſcopo, & Eccleſiae, tum Ciuibus ipſis, & vniuerſae Reipub. Romam inde proficiſcitur vnà cum Archiepiſcopo, tota propemodũ comitante nobilitate, partim vt Pontifici ſuo ſplendorem adderent, multi erga Caeſarem officio propter beneficia, & ſuam quiſq; ſpem in poſterum ſecuti. Quacunque incederent, effundebant ſe ſe Vrbes ad ſpectaculum, eratque ſpectaculi praecipua pars Vrbs ipſa Mediolanum, quam Caeſaris ipſius eſſe delicias haud occultus rumor ferebat. Turbauit agminis laetitiam Sanctæ Floræ Comarchus, qui Baſilianum in Ticini ripa nobilem arcem tenebat. Is, ſiue recenti in Mediolanenſes inuidia, ſiue aliàs infenſus Othoni, facta principum coniuratione auſus eſt in tranſgreſſu fluminis, circumuenire agmen infelici conatu.

gabant decreta, legeſque nihil profuturas in Romanæ Eccleſiae damna, coniuratis. Leges autem huiuſmodi fuere. Agreſtes in Vrbe qui habitare volent, habitanto pari cum caeteris iure; ſed vbi ſemel domicilium in Vrbe fixerint hae familiae, in agros ne remigranto. Mediolani quicunque volet alienigena, domicilium habeto, niſi ſi exul, ſiue haereticus erit. Praetori ſtipendium annuum mille ſextertiûm eſto, ſex Iudices, equites duos alito. Si quos Eccleſiae, vel Reipub. cauſa mitti legatos oportebit, bini tantum exeunto. Litteras & mandata, ſummamque legationis in publicos codices referunto. Feminae, paſſis capillis, & pectora ſuo more plangentes ne proſequantur in poſterum funera, neue templa crinibus verrunto. Hae leges ad frequentandam Vrbem latae, cùm vrbs ipſa nulla iam eſſet ob caeleſteis diras, quas in Romanum Pontificem conſpirando cum Imperatore meruerant. Mox Imperator Otho cum factione ſua, communione ſacrorum arcetur deijciturque faſtigio, & fœdum inde, ac miſerabile certamen fuit Pontificem inter, et Othonem, et Vrbes, quæ hunc illumue ſequebantur. Duces, & anteſignati partium ſtabant, hinc Gherardus Epiſcopus Nouariae Pontificis legatus, hinc Imperator ipſe, quem Mediolanenſes obſtinatis ad exitium animis, & pertinaci nimium fide in perditis rebus fouebãt, donec in Germaniam ceſſit ille Federicumque Rogerium Pontifex Maximus coronauit. Hoc tempore Lampugnanus Archiepiſcopus moritur, et ſuffectus in eius locũ à Põtifice Maximo Gherardus Legatus, triceſimo poſt die

cor-

correptus morbo, vix inchoare honorem potuit. Clerus inde, nobilitas, populusque Mediolanenſis in contraria ſtudia diuiſi, ſuum quaeque pars Archiepiſcopū faciebant, atque in id euchere faſtigium conabantur, alij quidam templi maximi Archidiaconum, alij vero Archipresbyterum, plures Epiſcopum Vercellarum. Pontifex Maximus, non poſſe conquieſcere temeratam flagitijs Vrbem, eaque diſſidia ſcelerum eſſe pęnam dictitans, Henricum Septalium ſacræ ſupellectilis in templo maximo praeſidem (Cimiliarchum vocabant) ijs qui ſumma ciuium contentione producebantur, antetulit. Sed magis irritauerat ea res Ciuitatem, quàm compoſuerat, additaque veteribus odijs ira recens, turbarum incitamentum erat, itaut nouum Imperatorem in Pontificis Maximi contumeliam deijcere Regno vniuerſa virium ſuarum mole conarentur, & inter eos conatus aliquando Carrocium amiſere, quae tunc propter ignominiam extrema clades erat. Atque vt ſatis appareret, impiam, & ab Eccleſiae Catholicae communione ſegregatam Vrbem, niſi rediret ad obſequiū, vltimis rebus appropinquare, praeter aduerſos bellorum euentus, diſcordiae rurſus inteſtinae, Patres inter & plebem vrgebant. Nam Valuaſores, et Capitanei, Mota, & Credentia, memoratae ſaepius antea factiones, olim ſopitæ, recruduere per hoc tempus, & cœpere pars altera veluti delendę patriae dulcedine partē alteram inſectari, cùm interea, non Septala Pontifex, non Praetor ipſe ſummo cum Imperio conſtitutus, ſatis virium ad coercendos impetus haberent. Prætor

erat

erat hoc tempore Vbertus Vialta, vir clariſſimus, & magna inter Mediolanenſes authoritate. Saepè hic ad pacem deducere Ciuitatem conatus, nec edictis, nec accomodata ad tempus oratione profecerat quicquã, & dum infeſtis ſe ſe gladijs aliquando pacificator offert, à periculo parum abfuerat, ſpectabatque iam tacitus miſeræ Ciuitatis exitium, & mirabatur id quod nos quoque cõſiderantes æuum illud inprimis admiramur. Scilicet, armatos in mutuam perniciem, eadem arma concordibus animis in Pontificem Romanum cõuerſa habere potuiſſe; ſimul patriã, & ſe ipſos, ſimul hoſtem delere velle, hoſtẽ eſſe, parentem illum omnium ſalutis, Eccleſiae principem, cuius auguſtiſsimum reuereri nomen oporteret. Interea Pontifex ipſe non ſine indignatione, paterno miſeratus animo clariſſimae Vrbis interitum, atque calamitatem, Romã ad ſe citari Mediolanenſes iubet, ſi fortè præſenti poſſet eos maieſtate coercere. Non tam ea, quæ paulò ante retulimus, admirari ſubit, quam quod in tanta rerum perturbatione, tantoque diſſidio potuerint in id conſentire Ciues, vt Legatos mitterent, eſſentque dicto audientes ei, quẽ non ſpernebant ſolum, ſed etiam impio bello perſequebantur. Miſêre principes viros maiore cum poteſtate, quàm quae caeteris permitti legatis ſoleret, idque præcipuè mandatum fuit, vt benignè omnia pollicerentur, ſi quid Pontifex à Ciuitate poſtularet; ipſos poſtea deliberaturos, & ex tuto, conſilium eſſe capturos ſibi. Romanus, vbi vidit ex ea Ciuitate Legatos, cuius infeſta per Imperij ſui fines arma circumferebantur,

tur, haud mediocriter laetus eo negotio; damnat praeterita laudat praeſentia, ſuperûmque benignitate reſipiſcere vrbem gratulatur. Exſequendo inde quid ſibi „in poſterum placeret; bellum inquit, quod geritis, ne„farium eſt, iniuſtum, ac ſi Chriſti Vicario creditis ali„quid, pertinet ad Rempub. iſtam veſtram euertendã, „quae moribus iſtis haud ſtare diutius poteſt. Proinde „paterne moneo, vt impia deponatis arma, potiusque „noſtros oderitis hoſtes, quàm amicos opugnetis, Nos „Othonem Eccleſiae perturbantem iura deiecimus Im„perio, Rogerium verò coronauimus, quòd fidum eũ, „& ſalutarem Reipub. fore Caeſarem arbitraremur. „Vos nunc huic repugnare conſilio, ſacrilegum eſt, at„que temerarium, nec feret Apoſtol. Sedis Maieſtas non „vindex illius Numen. Cùm ea Pont. Max. dixiſſet, Legati, ſicut in mandatis habebant, dant fidem, quietura Mediolanenſium arma, ciuitatemque fore deinceps in obſequio. Sed domum reuerſi, minime patrijs animis, fidem, quam Pontifici Maximo dederant, fefellere. Ac, ne inteſtinae diſcordiae, ſi bellum externum ingrueret, minuerent vires, aut conſilium impedirent, arbitro Vialta Praetore, de pace domeſtica agere inſtituunt, quae fatali vrbis calamitate, non fida, non ſtabilis futura erat. Praetor Vialta, dierum aliquot conſultatione, diligenter examinato ciuilis controuerſiae ſtatu, & perſpecto, quicquid hinc inde ad eam diem maxime animos turbaſſet, aequis conditionibus cum plebe nobilitatem, Archiepiſcopumque conciliauit. Ita, compoſitis domi rebus, Othonem, eiuſque ſocios

contra

contra Pontificis Maximi authoritatem, ſicuti principio inſtituerant, omni defendentes ope; partem aduerſam, quae Romana factio erat, oppugnabant. Succeſſerat interim Honorius Innocentio, ſtatimque noui Pontificatus initio Mediolanenſes arcentur cōmunione ſacrorum, quia, cùm miſſi Mediolanum eſſent Legati de Othone relinquendo, praeciſe abnuerant. Ea noua irritatio animorum fuit, ac maiore deinceps ira gerebant bellum. Cùm hic Mediolani rerum ſtatus eſſet, Archiepiſcopus Henricus præterquam quòd antiquas gliſcere diſcordias videbat, infenſamque ſibi plebem viciſſim oderat, etiam pertaeſus Eccleſiae ſuae deformitatem, prohibitamque communione ſacrorū vrbem abominatus, ſtatuit procul inde recedere, donec ſaniora conſilia intrarent animos, & Apoſtolica pax Vrbi redderetur. Gerebatur tunc forte maiore quàm vnquam antea conatu bellum in Saracenos ad Hieroſolyma recuperanda, principesque Chriſtiani, cùm in id bellum arma conſociaſſent, haud tamen vlla virium parte barbarum ſuperabant. Opportunam eam eſſe tum placandi Pontificis, tum vitandae ſeditionis occaſionem arbitratus Henricus, cum valida ſuorum manu, Ptolemaidem, vbi ſedes erat belli, profectus eſſe dicitur; ibi Chriſtianae rei non leue momentum fuiſſe. Caeterùm, neque memoria extat rerum ab ipſo in ſacra illa expeditione geſtarum, & nos valde mirati ſumus, quòd gregem populumque ſuum in tali tempore deſerere paſtoralis animi vir potuerit. Abſente Pontifice, renouatur, nobiles inter, & plebem ſeditio, cuius

capita fuere, Otho Mandellus, & Ardighetus Marcellinus; ille ab nobilitate, hic pro plebe bellum ciebat. Cauſa tumultus fuit, praeter diſcordes olim circa Septarienſis electionem animos, quòd volebant patritij ciuitatem eſſe in Romani Pontificis authoritate, redireque ad obſequium, Othone repudiato geſtiebant; plebes id ipſum recuſabat, & abſentem etiam Archiepiſcopum inſectabatur. Id tamen ex ciuili diſcordia bonum fuit, quod Pontifex Maximus, plus in conſenſu patriciorum, quàm in contumacia plebis eſſe momenti ratus, vrbem abſoluit vniuerſam, & Mediolanenſe nomen in Eccleſiae gremium recepit. Abſoluta vrbe, quamuis non tota pax eſſet, ſeditio tamen eſſe minor incipiebat, quàm cùm ſuper inteſtina mala, caeleſtibus quoque diris vrgerentur. Et interim Vgo Cimiliarcha, qui abſentis Henrici locum obtinebat, Baſilicam Euſtorgianam Dominicanis attribuit, quá Praepoſitus & Canonici quatuor ex Laurentianae Baſilicae Collegio, antiquitus tuebantur. Mox Ardighetus Marcellinus, quem plebis aduerſus nobiles fuiſſe principem antea memoraui, pacis, & quietis impatiens expulit vrbe Marcellinum, Archiepiſcopique familiam, & quicquid reliquum erat e patritiorum ſtirpe; adeo plebes inualuerat. Profugi Canturium petiere, vbi cū ſeſe ad reſiſtendum pararent, cierentque finitimorum arma, Praetor iratus, oppida omnia, quæ parebant Archiepiſcopo proſcripſit; proſcripta diripiuntur. Haec Henrico Septalio nuntiata Hieroſolymam, commouere virum, vt antequam omnia perirent, redire do-

mum maturaret. Accedebat etiam illa maturandi reditus cauſa, quòd Pontifex Maximus turbatae vrbis miſeratione commotus, tam Archiepiſcopum ipſum ex vna parte, quàm ex altera, capita plebis euocabat, vt auditis, quae vtrinque dicerentur, aliquam pacis, & concordiae viam inueniret. Reuerſus itaque Mediolanum Archiepiſcopus, primo bellum oſtentarat, eratque paratus in id, vt ſuas, & Eccleſiae iniurias ferro vlciſceretur. Sed partim ipſius authoritate Pontificis, qui pacem potius ſuadebat, partim ſubita voluntatum inclinatione, qua plebeij pacis conditiones aequas non recuſabant, eſt inductus, vt omiſſis armis conſilio ſapientum virorum rem permitteret componendam. Arbiter inter caeteros fuit Auenus praetor, cui munus illud à Pont. Max. pacis conciliandae mandatum erat. Is partium etiam conſenſu arbiter omnium rerum, quae in controuerſiam vocabantur, poſtquàm vnà cum caeteris, qui ad eas res conſultandas adhibiti erant, inſpexit ſedulò cuncta, & conſiderauit, concione demum aduocata proceſſit in tribunal ſuum, & recitari conditiones iuſſit, quas, hinc Archiepiſcopo, & nobilitati, hinc principi plebis Marcellino plebique ipſi ad pacem ineundam aequas, & honeſtas, ciuitati toti ad perpetuitatem pacis vtiles eſſe ſtatuiſſet. Conditiones eae, placerentne, an diſplicerent, in publico Vrbis concilio, partem vtramque interrogaturus erat. Acta res eſt in foro vetere; Campanoque aere, & tubis de more concinentibus omnes conuenere illuc, & minuta etiam

turba

turba palatium circumſtabat. Silentio facto, praetoriae tabulae proferuntur, ac recitantur, quarum ſententia haec fuit. Quod Deo, & Sanctiſſimae Virgini
„ Deiparae, & Parenti Vrbis Ambroſio Sanctisque omnibus glorioſum, Vrbi toti felix, fauſtumque ſit.
„ Auenus Praetor Vrbanus, accepto conciliandae pacis
„ arbitrio, reque cum ſapientiſſimis ciuium diu agitata,
„ adhibitis etiam ad conſultandum prudentibus aliarũ
„ ciuitatum viris, reſtituendae in antiquum ſtatum vrbi
„ conſilia proponit haec, quibus conſilijs Eccleſiaſtica
„ ſimul & ciuilia, nobilitatem pariter, & plebem con-
„ quieſcere tandem poſſe eſt arbitratus. Primum om-
„ nium placet, illata damna Mediolanenſi Archiepiſcopo
„ Canonicisve ſarciri aequis aeſtimationibus, eaſque ae-
„ ſtimationes fieri arbitrio prudentum, & piorum, quos
„ pars vtraque ſibi fidos nominabit. Intercepta omnia,
„ ſiue agri, ſiue oppida, ſiue quidlibet aliud, integra, &
„ libera reſtituentur, vt Domino noſtro Archiepiſcopo-
„ que Septalio, caeterisque qui poſt eum huic vrbi Pon-
„ tifices præſidebunt, ad tuendam perſonae maieſtatem
„ vetus fortuna ſuppetat, magnificeque, & auguſte di-
„ uinae res colantur. Iniurias, & damna alia, quae ipſi
„ inter ſe ciues per hoſce tumultus, accipiendo viciſſim,
„ & inferrendo, ciuilium turbarum morem ſecuti ſunt,
„ placet obrui mutua obliuione, nullamque de rebus illis
„ eſſe actionem & litem, vocem exprobrationemve nul-
„ lam, perinde, ac ſi nunquam accidiſſent, atque ad ſilen
„ tij huius religionem, & fidem commune Sacramentum
„ exigemus. Tum verò iurabunt omneis, pacem, quae

facta

„ facta erit, ſancte atque inuiolabiliter ſeruaturos; pa-
„ cis conditiones huiuſmodi erunt. Templum maximũ
„ promiſcue omnibus patens apertumque eſto, neque in
„ poſterum e plebe homines ſicut antea prohibentor ſa-
„ crae aedis aditu quominus quandocunque ſtatis horis
„ volent, inferre pedem poſſint. Ad Sacerdotia omnia,
„ & munera plebs eadem ius habeto illuc, nec populare
„ nomen cuiquam ſit impedimento, quominus in Cano
„ nicos Ordinarios, ſi litteris alioqui, & dignitate vitae
„ meriti erunt, cooptentur. Viciſſim nobilitas particeps
„ eſto munerum, & honorum Decumanae Aedis, quae
„ munera, & honores, ante hoc tempus plebeij iuris ma-
„ gis habita fuere. Archiepiſcopum tamen Eccleſiae
„ Mediolanenſi interpoſita Romani Pontificis authori-
„ tate ſola nobilitas dabit, isque honos in Valuaſorum,
„ & Capitaneorum familijs maneto. In reſtituendis Ar-
„ chiepiſcopi, Canonicorum, & Eccleſiae totius bonis,
„ foſſarum, & aquaeductuum, riuorum, irrigationum,
„ alluuionum, circumluuionum iura, ſicut ante tumultũ
„ fuere, conſeruantor. Praetores, & Magiſtratus, qui
„ per Eccleſiae municipia, & pagos iuridicundo nunc
„ praeſunt, amouentor, vt nouos Praetores, & Magiſtra-
„ tus imponere municipijs, & pagis ijſdem Domino
„ Archiepiſcopo liberum ſiet. Amouebuntur item prae-
„ tura graduque ſuo Guidus Landrianus, Ardighetus
„ Marcellinus, Obizo Puſterula, Henricus Cernuſcolus,
„ Buſnardus Incoardus, Petrus Canus, Valuaſoresque, &
„ Capitaneos, quibus antea praefuere, Populi Impe-
„ rio ſubiectos relinquent. Quae edicta, quasve leges an-

no

,, no ſuperiore Praetor Ardighetus promulgauit, tolli &
,, abrogari placet: Leucum, & Canturium, & Matthe-
,, ſanam, Sepriumque, & municipia ſiue loca omnia ſecu
,, ta Valuaſorum Capitaneorumue factionem, donari ci-
,, uitatis iure. Valuaſores, & Capitaneos in aequa parte
,, publicorum onerum haberi: curare Conſules, vt ea tri
,, buta ſine fraude exigantur. Vtile item cenſemus ad te-
,, tinendam in quiete, & fide ciuitatem, tritici quinqua-
,, ginta millia modiûm in ſingulos annos publicè emi
,, foris, idque triticum ſuper domeſticam copiam in hor-
,, rea conditum adſeruari vſque ad Calendas Martias,
,, neq; ante diē eam populo venundari. Super iſthaec om
,, nia, conditiones alias, quas Praetor Vialta dixerat, con-
,, firmamus iudicio noſtro rataſque habemus. Haec for-
,, ma rerum, & pacis habendae leges an placeant, ſtatui-
,, te, pronuntiate; ne quid facta poſtmodum pace irri-
,, tare animos poſſit. Affirmauere qui principes, & capi-
ta rerum in Concilio erant, cuncta deſcripta, & inſtitu-
ta eſſe ſapienter, nec habere quod demi, vel addi, mutà-
rive vellent. Huic ſententiæ principum, cetera mul-
titudo, per clamores laetos, quibuſve alijs in magna
frequentia, fauor, & aſſenſus ſignificatur, annuerunt, ſta
timque iuſiurandum in ea Praetor idem exegit, & pu-
blicis tabulis, prout geſta erant cuncta conſignabātur.
Quibus ita peractis, tum Praetor longum Sacramenti
ſui carmen peragit, quo ſeſe fidemque ſuam ad Ma-
giſtratum cum iuſte atque aequabiliter adminiſtrandū
obſtringebat, eiuſque iuſiurandi forma, & caeremo-
nia haec fuit. Sacrum Euangeliorum volumen ſuper

Ar-

Archiepiſcopi genua flexo ad ſolium poplite lintea-
tus Sacerdos tenebat. Ibi flexis item genibus, procu-
buerat praetor. Cohors cetera principum, aut Sacer-
dorum, partim adſtabant ſolio circumfuſi, partim ſuis
locis ordine conſederant, prout cuique dignitas & ho-
nos. Tum verò per intimum Archiepiſcopi ſcribam
elata recitatur voce iuſiurandum, quod in haec verba
» conceptum, deſcriptumque erat. Auenus praetor
» Vrbis Mediolani, per Euangelia haec iuro quod ſine
» fraude vlla Magiſtratum geram, & quantum huma-
» no conſilio prouideri poterit, operam dabo, ne Reſpu-
» blica haec domi foriſue detrimenti quicquam patia-
» tur. Bella, pacem, Eccleſiam, ciueſque meos, armis,
» ſapientia, pietate, fideque et officio omni tuebor: no-
» bilitati, & plebi iuxta conſulam, neque in partem ma-
» gis vnam, quàm in alteram, fauor & ſtudia noſtra
» propendebunt. Pacta conuenta, fœdera, ſocietates,
» vel ipſorum inter ſe ciuium vel Reip. cum ciuitatibus
» imperijsque alijs, vt cum fide in acta referantur, cura-
» bo. Quae trans Abduam Caſtella, oppida, pagos
» Henricus & Otho Caeſares Reipublicae Mediolanẽſi
» attribuerunt, ea, vt in imperij noſtri corpus, ſi qua for-
» te per hoſce tumultus excidêre, primo quoque tem-
» pore recipiantur, adnitar. Quotidie pro tribunali ad
» ius dicendum adero, niſi morbo impeditus ſiem, niſi
» reipublicae, funeriſve cauſa abſim, neque abero vltra
» vigeſimum vnquam diem. Nihil ob iudicandam cau
» ſam accipiam; vxori filijſve meis, ſi quid muneri datũ
» fuiſſe compertero, totum id octauo poſt die, vel reſti-

„ tuetur ei qui dederit, vel in ærarium redigetur. Si po-
„ puli Mediolanenſis Legatus ego exiero, vaſa comiteſ-
„ que meos, ſumptũque legationis moderabor ea lege,
„ quae de Legatis eſt; dona, quae Principes, Reges, Pon-
„ tificesve dederint, ad aerarium mittam. Quae cauſæ,
„ quaeve controuerſiae iudicij conſularis erunt, ſuper
„ ijs ego controuerſijs, & cauſis nemini conſilium dabo
„ praeterquam Conſulibus ipſis, ſi forte ſententiae meæ
„ participes fieri volent. Quarum ipſe litium, cauſarũ,
„ rerum iudex arbiterue ſuro, iudicia, ea duodenis dena-
„ rijs ſtabunt, eiuſque ſummae, pars aerario, pars iudici-
„ bus meis ita contribuetur, vt Reſp. denos, miniſterium
„ forenſe binos accipiant. Mulctas, quae in publicum
„ redigendae erunt, nemini vni remittam aut condona-
„ bo, niſi quibus paupertas, damnumue ſubitum ali-
„ quod ex tempeſtate vel incendio cauſa depecandi erit:
„ talium preces, & excuſationes, in Credẽtiae Concilio,
„ quod trecentorum, vt minimum debebit eſſe, co-
„ gnoſcentur. Fundos, agros, villas, tecta exulum, in-
„ culta, & vaſta dabo, exſulemq; neminem, alium-
„ ue flagitijs infamem, aut decoctorem, in partem vl-
„ lam publici muneris admittam. Redacta in fiſcum
„ bona Vgonis, & Conradi Vicecomitum, ſicuti ea Mal-
„ corelius Praetor publicauit, inter publica iura retine-
„ bo, neque quemquam de rebus, & bonis illis agere vo-
„ lentem audiemus. Iudaeorum omne genus pellam
„ vrbe, pellamque, ſi quis, eorum alicui receptaculum
„ dederit, ac fiet idem in haereticis alijs, quorum nomi-
„ na per dominum Archiepiſcopum edita erũt. Si qua
lex

„ lex Eccleſiae rebus aduerſaria,ſiue plebiſcitum,ſiue Se-
„ natusconſultum extabit, tollam, extinguam, abole-
„ bo, vt Reſpublica noſtra, non humanis modò conſi-
„ lijs, ſed religione etiam & pietate, melior in dies au-
„ ctiorque fiat. Haec fuit ſumma iuſiurandi, quo ſeſe Praetor Auenus,tactis ad Archiepiſcopi pedes Euangelijs obligare debebat. Inerant pleraque alia leuia dictu de Magiſtratus eius officio, de priuatarum rerũ cauſis,de publica pecunia, de portorijs, & vectigalibus,de mercede iudicum,& ſcribarum, de flagitiorum pœnis, de Praeturae etiam ipſius honorario, quae omnia,cùm recitata eſſent,admota manu, quà codex tenebatur apertus, iurauit,cuncta ſe inuiolabiliter ac religioſe obſeruaturum ſicuti deſcripta, & pronuntiata eſſent. Si qua in re falleret, tum vti ſe Deus Opt.Max. Diuique tutelares,& Parens vrbis Ambroſius periurũ, impiumque perſequerentur. Conſentanea his apud eundem Archiepiſcopum,Conſules iurauere cum exceptione ſcilicet ea,vt ſoluti Sacramento eſſent,quandocunque,religionis cauſa ad Compoſtellam Hieroſolymanive peregrinari,ſiue etiam ſpreta ſeculi vanitate,reliquam in Monaſterio aliquo degere vitam optaſſent. Inter tanta certamina,& turbas,ea pietas erat Magiſtratuum animis,vt in ſummi honoris aditu, exciperent talia,& meditarentur. Cùm per Sacramenta haec & pacta,coaluiſſent animi ciuium,tranquilla iam in ſpeciem,& pacata Metropoli,cœperat nouus Caeſar ſperare ſibi aditum illuc ad ferream coronam, ſine qua vanum Imperij nomen habere videretur. In eam ſpem,

habito ad Cremonam vrbem procerum conuentu,plane irritus fuit,quia Mediolanenſes,obfirmatis iam aduerſus omne externum Imperium animis optauerant aliquam vtique inter ſe concordiam & pacem; de Caeſare admittendo,ne cogitationem quidem ſuſceperant vllam, id quod,ſeries ipſa conditionum, quas ipſi ſibi dixerant,teſtabatur apertè, & declarabat. Cùm enim ibi minima etiam quaeque dictu, tractata & definita reperiantur; de Caeſare ipſo, quae tanta tamque praeſens erat res, littera nulla extat. Atque id tanto magis ego ſum admiratus,quia Pontificis primùm hortatu, & authoritate conſenſerant ad pacem inter ſeſe faciendam; nec alia tam intima cura Pontifici, quàm,vt Caeſarem hunc, quem iam coronarat ipſe,coronarent. Mox,& à Pontifice ipſo,ille alienatuſt,quia deſperata coronatione profectus Veronam, Actiolinum ibi Gibellinarum partium hominem, infenſumque Pontificatui,conſilijs ſuis immiſcuerat, & haud dubie contra Sedem Apoſtolicam colloquia habuiſſe ferebantur. Id vbi Pontifici Gregorio compertum, monebat Caeſarem, vt pro accepto ab Eccleſia Imperio,viciſſim tueretur armis ſuis Eccleſiam potius quàm,vt eam oppugnare cogitaret, alijsve fieret author & inſtigator ad oppugnandum. Habiti cum Actiolino ſermonis, initique conſilij,ſalutarem hanc pœnam iniungebat, vt in magno Hieroſolymitanae rei diſcrimine,quod tunc agebatur, duceret illuc exercitum, ac ſeſe ibi, germanum verumque Catholicum probaret;quod ille abnuere,tantoque magis alienari.

Hinc

Hinc apertæ iam inimicitiae, Pontificem etiam inter, & Caeſarem, anathemateque & ſolitis aduerſus impios interdictis illico res gerebatur. At Mediolanenſes, veriti, ne nouus hic etiam motus ad perniciem aliquã ſuae Reip. erumperet, fœdus & ſocietatem iniere cum ciuitatibus vniuerſis, quae Longobardo nomine antiquitus cenſentur. Fœderi titulus fuit; LOMBARDORVM. SOCIETAS. PRO. MEDIOLANENSIS. IMPERII. CONSERVATIONE. ET. SALVTE. Ac ſcriptae leges in fœdere eo, quae mutua aduerſus Caeſarem defenſione fœderatas vrbes armabant, ne quid iuris ſinerent ei per Inſubriam, ne obſequia vlla præſtarent; actaque res eſt ad D. Zenonis in agro Mantuano, propterea quod, is locus, ex Inſubria tota conuenientibus, acceſſu eſſe commodiſſimus videretur. Conuenere illuc aliarum ciuitatum alij Legati, pro Mediolanenſi Rep. Vgo Praealonus, & Otho; itemq; aliarum ciuitatum alij Scribae; pro Mediolanenſibus, Adaminus quidam adfuit. Sed minime ego omiſerim praefationem aliam fœderis, quae, vel inprimis teſtari poteſt patrum noſtrorum eximiam religionem, ita, ut violentias, & certamina iſta, quae nimis iam ſaepe in hac narratione recurrunt, nihil aliud fuiſſe, quàm communem morem imperitare volentium, & parere recuſantium, conſtet; Patriaque, & vrbs haec ipſa Mediolanum, arbitratu ſuo, toties profligatrix Caeſarum aut fautrix, toties in Pontifices ipſos armata, toties anathemate percuſſa, nihil ex talium rerum relatu contrahat dedecoris, & labis ad Catholici ſenſus fa-

mam.

mam, cùm in luxus, & faſtus, & ſuperbiae finitimorumque vitiorum fama defendi ciuitas eadem fortaſſe non poſſit. Scilicet, in fœdere ſocietateque illa cum Longobardis ciuitatibus ineunda, poſt eum, quem expoſui titulum, prima haec verba eſſe tabularum iuſſerunt. SANCTI. SPIRITVS. ADSIT. NOBIS GRATIA. SANCTA. ET. INDIVIDVA. TRINITAS. CVI. SERVIVNT. SOL. ET. LVNA. QVÆ TAM. TERRENIS. QVAM. CELESTIBVS DOMINATVR. PROSPERVM. FACIAT. PRAESENS INITIVM. BONOS. PRÆBEAT. PROGRESSVS ET. FINEM. GLORIOSVM CONFERAT. Vixdũ autẽ precati erant in hæc verba cõiurauerantq; cùm ad priſtina protinus anathmata & interdicta reuoluuntur. Namque Cæſar, vbi cõiuratas in ſua damna longobardicas vrbes, principemque coniurationis Metropolim, & manifeſtum inde ſibi perculum vidit, reſumptis illico obſequiis, quaſi ſtaret iam in ipſo Hieroſolymitanae expeditionis procinctu, gratiam Pontificis quaeſiuit vltro, & impetrauit. Ab eò tempore, cuncta rurſus in ipſum vergebant; datusque qui deduceret Mediolanum Epiſcopus Cardinaliſque Portuenſis, poſtquam ad vſque Sancti Domnini vicum expedito agmine progreſſus reperit ibi obſepta cuncta armatis, iterque praecluſum, Apoſtolica repente vſus vi, fœderatas vrbes execrauit, ac deuouit. Simul ad Archiepiſcopum Septalium perlatae Pontificis ipſius litterae, rumpi pontem, quo Ticinus amnis iungebatur, & Vigleuanum vrbem reſtitui Ticinenſibus iube-

iubebant, quo ſubito Imperio, haud minus, quàm anathemate perculſi Mediolanenſes trepidauere. Et negotia quidem iſta exitus habuere ſuos, ſpatiumque poſtea fuit, quo laceſſitus iterum, & offenſus ab Caeſare Pontifex conuerteret ab Republica noſtra in illũ iras, & ſublato Legati Cardinalis interdicto, remitteret etiã ea, quae ipſe imperarat. Caeterùm, in tanta publica ſolicitudine, tantiſque rerum viciſſitudinibus, Archiepiſcopus, & caeteri principes vrbis, ad eam curam magnopere intenti erant, vt publicorum operum magnificentiam, quae fuiſſet olim, reſtituerent, ſiue etiam nouis operibus exſuperarent. Placebat inprimis regione, Oppidi media, domicilium eſſe publici conſilij, ſpatio & laxitate conſentaneum magnitudini vrbis, quae eſſet iam, quaeue futura maior in dies ampliorque ſperaretur. Ibi iudiciorum Sedem, & Praetorium, & carceres, & haſtam, & Scripturae forique miniſterium omne poſſe collocari, quae omnia varijs vrbe tota locis ad eam diem exercebantur. Ibi etiam ſubſellia, & ambulacra cœtusque contrahentiũ, & varij generis merces fore veluti nouam vrbem vrbe in ipſa, regimenquẽ & negotia tanti populi redacta in anguſtum. Aptiſſima ad id viſa eſt area, quam Lentaſiae virgines (id monaſterio cognomen) obtinebant. Eam aream, & proximã turrim, quae Farellorum fratrum fuerat, in publicum coemêre, ſtatimque, demoliendo, & inaedificando, vrgeri cœptum eſt opus, donec forum Mercatorum, ſicut hodie viſitur, ſtetit. Praetori deinde ipſi ab Archiepiſcopo conſulibuſque negotium datur, vt

ſeptem

ſeptem ab foro portas, totidemque vias aperiret deſcriptione, & forma, quam adhibiti architecti, tum ad loci dignitatem, tum ad continuandos illuc ex tota vrbe aditus, exituſq; inde viciſſim in vrbẽ, cõmodiſſimã eſſe pronuntiauiſſent. Praetor, eas portas ſicuti fere manent adhuc, inſtituit, ſeruantq; publicae tabulae memoriã & nomina familiarũ, quae ſuas aedes, pretio accepto, peruias dedere, portis aperiendis, Calegarij, Caſſinae, Madij, Briſſoli, Pulueri, Marcellini, Aliatenſes Eleſij, Fabri, Peti; quarum familiarum aliquas, credo ego, poſſe hodie proceribus noſtris, vel externas videri, vel nouas; adeo, vel nullae ſunt in vrbe, vel quaſi non eſſent, ignorantur. Sacrarum quoque aedium antiquitatem eaedem tabulae, teſtatam & inſignitam occaſione hac fecerunt. Namque, in tradenda deſcriptione portarum, quae, perfoſſis ab foro priuatorum domibus, in publicas vias, hinc inde ferre, ac patere deberent, de ea re praeſcripſere in hunc modum. Porta
„ & via, quæ per Pettorum aedes in D. Teclae opertum
„ ducet, flectetur, ſinuabiturque ita, vt ne maieſtati tem-
„ pli per aedificium molemque eam vlla in parte officia-
„ tur. At porta & via, quae recto tramite ad D. Fidelis
„ exibit, per duorum murorum vicum ferat, quà vero
„ D. Michaelis eſt Aedes, porta vna, in regionem vrbis,
„ quae Vercellina dicitur, fiet: alia per D. Cypria-
„ ni aream via, alia ad Sancti Sepulchri Aedem via, &
porta dirigetur. Poſtquam Archiepiſcopus, & Praetor, & Conſules, Praetorium, & Forum ita aedificarant, cordi fuit, vt rem etiam vniuerſam forenſem inſtruerẽt

vtili

vrili diſciplina, ſtatueruntque. vt ſorte electi duodecim eligerent ſuffragio ſuo ſingulos ex vrbis regionibus, penes quos eſſet cura prouidendi Reipublicae nomine, vt ordine, & recte ibi cuncta adminiſtrarentur, atque
» VII. illis viris hae dictae leges fuerunt. VII. viri ſcribas
» duos publicos habento, apud quos acta & decreta
» omnia Reip. populique Mediolanenſis cum fide ad-
» ſeruentur. Publicæ pecuniae rationes, acceptique &
» expenſi tabulas, per ſcribas eoſdem conficiunto, &
» curanto, ne qua pecuniae ſumma quouis nomine,
» cuiquam erogetur, niſi prius ea relata in tabulas erit.
» Item operam danto, vt Praetor, Conſules, & quicun-
» que alij in vrbe Magiſtratus erunt, iuſte fideliter, ſe-
» duloque in ſuo munere verſentur. Si qua, vel fraus,
» vel incuria deprehenſa erit, ad populum referunto: po-
» pulus deinde Reip. ſuae conſulet, maloque peſſimo
» obuiam ibit. In Magiſtratuum omnium fine, cenſores
» danto integerrimos ciuitatis, & publici iuris patriaeq;
» Legum intelligentes, per quos iudicia, & quaeſtiones
» in omne relictae praefecturae tempus exerceantur.
» Ipſi vero VII. viri, ſexto menſe, poſtquam Magiſtratũ
» inierint, abeunto poteſtate illa, & ſucceſſores alios
» creanto ſibi, quos eſſe viros optimos iudicabunt. Sed
» antequam id fiat, curanto vt Bonifacium Montisferra-
» ti Demarchum Praetor arceſſat interrogetque de re-
» bus ijs, quas contra Rempublicam feciſſe dicitur. Si is
» adeſſe detrectauerit, publicanto bona omnia, quæ ipſe
» in agro Mediolanenſi poſſidet, pecunias, agros, tecta,
» villas, arces, ipſumque ab imperij noſtri finibus exu-

lemq; prohibento. Haec negotia data Septemuiris, eaque poteſtas haud dubie ad Praeturæ Conſulatusque terrorem inſtituta habebatur, vt quaſi ſpeculatoribus actionum ſuarum appoſitis, mitiores ad omnia iuſtioresque eſſent, qui tunc regebant vrbem, quiue ſucceſſuri illis erant. Pleraque deinde ſanxere alia, & cuſtodiam omnium eidem diligentiae ac fidei ſeptemvirorum credidere, nequid eorum vnquam vetuſtate exoleſceret, ſiue per incuriam fraudemuve omitteretur; quae legum fere cunctarum eſt tabes. Ad Praetorij totius Aulaeque miniſteria, publicos ſeruos apparitoresve duodecim aſſignauere. Ei ſatellitio mercedem ex cauſarum mulctis aeſtimationeque litium attribuerunt. Nocturna portarum cuſtodia, clauesque, & campana aera vocandae in Praetorium Concioni, penes vnum iuſſa eſſe, ſtipendiumque ei de publico aſſignatum eſt. Ceteri portarum vrbis cuſtodes conjecti in ſortem, tuguriaque his ad portas ipſas extructa, quò minus inde abnoctarent, ſiue per diem euagarentur. Facta poteſtas eis, datumque ius intercipiendi & habendi quaecunque vetitò exportata, ſiue importata deprehendiſſent; ſed vetiti attingere fœnum, ligna, cementa, lapides, imbrices, paleas, rapas, vuas, quaeue alia ex agro in alimenta, cultumue ciuium vrbi ſuppeditantur. Concilium haberi quotannis Aprili menſe voluerunt ad ſtabiliendam carcerum cuſtodiã, & diſciplinam, cauſasque vinctorum publice cognoſcendas, nequi, vel tabeſcerent ibi ſqualore, & fame, vel calumnijs, & opibus aduerſariorum iniuſte detine-

nerentur, vel perfoſſo pariete, corruptisve cuſtodibus, ſiue adulterata claui tentandi effugia locum haberent. Sacerdotem Carrocio aſſiduum decreuere, ſtipendiumque ipſi & Clerico, quandocunque in exercitu eſſent; abſentibus quantum in ſingulos dies ſubtrahi, ac deduci oporteret, ſeuere definierunt. Item aera militaria, tum pediti, tum equiti, qui ſeruum & lixam, quiue alterutrum tantummodo duceret; ad ſumptus neceſſarios, ad ordinis dignationem apte congruenterque definita. Tum Reip. Legatis, qui Pontificem Romanũ, quiue Caeſarem adituri eſſent, ſupellex, iumenta, veſtis, comites, ſeruiq; parata, & adornata exerario cuncta, ne legationes eae, vel oneri ſociis, vel Reip. pudori eſſe poſſent. Rabulas quoque, ſiue ſcribas, aucipeſque ſyllabarum immane genus, inuiſum omni ciuitati ſemper, & quaeſitum, coercuere, praeſcripto fallaciarum illarum pretio, quo ne plus accipere, vel dare fas eſſet. Pondera demum, ſtateras, metretas, & quicquid aliud, appendendo, vel admetiendo apud inſtitores adhibetur, recognoſci, & obſignari mandauere. Neque ſane dubito ego, quin apud ſuperbos ac delicatos contemptui poſſint eſſe iſta, ſicuti me etiam ipſum nimium iam diu leuia grauiſſimis inſerentem, rurſusq; maxima negotia minimis obſcurantem, ac prope inquinantem, taedium ſimul & pudor ab narratione tali auertebant. Sed venia ſemper haec data eſt vetera exponentibus, vt nihil pro obſcuro & humili acciperetur, quod poſt longam ſaeculorum ſeriem, ex alta, & profunda ſilentij nocte in lucem famamque profer-

rent. Mihi verò inſuper, gratia nonnulla debebatur aſſignare volenti Patriae huic maiorum omnia inſtituta, & curas; nec parua Patrum haec ſapientiae gloria lauſque, quod inter tot vndique minas, & tanta diſcrimina ſummae rerum, paruis etiam iſtis aduertere animum potuerunt, vnde exemplum hodie ſumere tam exculta aetas poſſit.

IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORIARVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS
PARS ALTERA

Liber Quartus.

DVm Archiepiſcopus Henricus, Conſuleſque & Praetor, ad formandum Reip. ſtatum, per haec etiam minima attenti agunt, verſantque conſilia in omnes partes, cura & ſolicitudo maior alte ſedebat animis ob iratum Metropoli Pontificem Rogerij Caeſaris cauſa, Rogeriumque ipſum magno cum fremitu & apparatu minitantem Vrbi, per quam ſtaret, ne Caeſar Imperatorque diceretur, cùm iam nominis eius honorem, aureamque coronam honori firmamentum ab Romano accepiſſet. Negotium erat atrox, reſque plena terroris, imminentibus vrbi

duorum armis, quorum alterum, hoſtem eſſe, vltima, non clades modò, ſed etiam ignominia haberetur, alter, hoc ipſo fretus, quaſi defluentem in ſinum abſque ſudore, vt aiunt, & ſanguine victoriam expectare poſſet. Namque, cùm Apoſtolica authoritas pro Rogerio pugnatura eſſet, Numen quidem etiam occulto fauore ad inclinandas hoſtium res apparebat fore ibi, vbi Romana arma eſſent; ſed manifeſta ſimul principum, & Regum, liberorumque populorum auxilia in partem haud dubie vergere eandem cernebantur. Quippe experti nimium iam claris documentis omneis, quám male ſemper aduerſus Chriſti Vicarium bellica res procederet, veteraque & recentia exempla, tum ſermone quotidiano, conſilijſque publicis, tum tacita ſecum aeſtimatione reputantes, abhorrebant ab omni tali motu, quaſi refugerent procul ab veſtigijs, quae imbuta cernerent alieno ſanguine. Anathemata, & diras, tam frequens illud Apoſtolicae Sedi per ea tempora fulmen, reuera ceu fulmen aliquod pauebãt. Ac ſi quis Princeps, aut Rex, proprio quodam prudentiae ſuae genere, aptoque ad contemnendas eiuſmodi pœnas animo, vtilitates ſuas, & imperij compendia ſocialemque fidem, aeternæ ſaluti, perditus atque profligatus antehaberet, frangebatur tamen idem atque cohibebatur conſternatione ſuorum; cùm ſcilicet ad celeſtes illas execrationes, velut incendio afflati populi fluctuarent, iacerentue. Et quamquam inter etiam ipſos populos, ſtolide ſapientes aliqui, ſpiritu principum & Regum ſtarent immobilibus aduerſus Apo-

ſtolica

ſtolica interdicta animis, ferociterque aliquandiu loquerentur, & paratam principi ſuo vſque in extrema fidem oſtentarent; hi tamen ipſi poſtea, conſenſu plurium, & exiſtimatione communi, ſtimuliſque conſciẽtiae internis, & haud dubie Numinis inſtinctu abibant paulatim à pertinacia, ſermonumque ferociam imminuebant. Terrebant verò ſimul prodigia interdum animos, & motis ſemel in religionem mentibus, pleraque fortuita prodigij loco accipiebantur. Vnde regnantibus etiã terror, & neceſſitas, impauidaque illa & torua pectora, tangebant amici dilabentes, & quotidie maior circa aulam ſolitudo, ipſaque quodammodo fugiens dominationis maieſtas, ſine obſequijs imperiũ, opes abſque vſu, & qui remanebant pauci, viles eo ipſo quod remanebant. Iam priſtinae fortunae cupiditas atque deſiderium, in poſterum metus, in praeſens mœror, ipſos inter ſe fœderatos alienarant, fecerantq; ſuſpectos. Simulatio religionis, & erga Sedem Apoſtolicam obsequij, aſſumpta erat inter regnandi artes, & elegantibus tunc ingenijs pulcrum erat conſiderare quod principes viri, nihilo ſegnius amplectetentur nouam iſtam aſſumendae pietatis artem, quàm veteres illas ſuas, ob quas impietati aſſueuerant. At mediolanenſes noſtri, nobilitas, populus, & Clerus hic, capitaque nobilitatis, & plebis, & Cleri, Archiepiſcopus, Praetor, Conſules, Proceres, neque ſimpliciter inter ſe, neque ſicut fœderati cæteri, neque nunc, vt aliâs erga nomen, & pœnam anathematis affecti erant, tantamque in vna Rep. diuerſitatem intuens aliquis, &

miraretur magnopere ob nouum ac ſingulare ſpectaculum, & minime miraretur ob ingenia gentis, & imperij magnitudinem, & vrbis mores. Nam quia haerebat animis, eratque per totum Reip. corpus diffuſa pars illius religioſiſſimi ſenſus, quem ante tot annos, Apoſtolus, & Fundator Eccleſiae Barnabas, diſciplina & praedicatione ſua datum huic ſuae ſoboli, fouit poſtea etiam e celo praeſenti numine ac ſuſtētauit, quemue ſenſum & pietatem Parens alter Ambroſius, atque tot, ante, poſtve ipſum, ex hac Metropoli Pōtifices addidi Celo propagare potuerunt; hoc igitur durante habitu, communiter omneis Anathemata illa pontificiamque indignationem horrebant atque abominabantur. Sed idipſum, Archiepiſcopus, & huic addicta nobilitas, magis; Praetor aliquanto minus, vt externus peregrinusque homo: plebs & multitudo adhuc minus, vt nobilitatis inuidia: partis vtriuſque principes, vt fortuna, & loco ſupra caeteros, ita ſenſu circa hanc rem & calamitatem intimo ab ſuis differebant, prout ipſorum quiſque, plus minusve pietatis in animo haberet. Alij Othonis deſiderio datum ab Romano Pontifice Rogerium eiiciebant, alios Rogerij beneficia & dona ſtimulabant in Othonem; pars neq; hunc, neque illum, ſed ex ciuilibus cauſis aemulos aut amicos, in eo negotio fouebant, ſiue inſectabantur. Inde etiam animi diſpares erga denuntiationes Apoſtolicas, quae Rogerij cauſa promulgabantur. Nam vt quiſque acriter, aut remiſſe in eo Caeſarum certamine mouebatur, ita etiam iuſſa Pontificis & tela in contumaces,

maces,

maces, commotior, ſiue incurioſe accipiebat. Cùm in hoc ſtatu negotia eſſent, accidit ad Mediolanenſium ſalutem id quod ciuitatibus & populis principibuſq; alijs ſaepe in medio diſcrimine ſaluti fuit, vt nimirum minimo momento res maximae cōuerterentur, irę que rurſus Pontificis, & interdicta, & anathemata, & quicquid malorum erat, in Rogerium ipſum tranſiret. Quia enim ille Hieroſolymam ex antecondicto tranſmiſſurus, priore nondū interdicto exſolutus fuerat, ac reconciliata quamquam gratia, deuotus adhuc, & temeratus manebat; iubet ei dici Pontifex Maximus, rectius fore ſi antequam traderet ſeſe mari, foret abſolutus; ita deinde tuto feliciterque eſſe nauigaturum. Quod ipſe, ſiue ferocia quapiam inſita animo, ſiue ne differret incepta cùm abnuiſſet, additae veteribus diris nouae, & ſicuti ſemper aliud ex alio malum nectitur, ac progreſſa ſemel in praeceps audacia, velut emiſſum è clauſtris animal ſaeuit, irritatus anathemate ſimul, & facinore ſuo Caeſar, vltro Pontifici ipſi bellum indicit, Apoſtolicaeque Sedis hoſtis iam haud dubius, apud Hieroſolyma factis cum barbaro inducijs, ſumptam ibi ex ara coronam capiti ſuo ſuperponit, atque in Italiam inde ad ſpes conatusque impios nauigat. Laeta haec Mediolaenſibus accidere, qui Romanas obnuntiationes, & execrationes, & deinde bellum ac extrema omnia cùm timuiſſent, recidiſſe cuncta iſta in eum, qui cauſa timendi fuerat, videbant. Mox, & ab Roma Legati adfuere, ſubſidiū Apoſtolicae Sedi ad bellum haud dubie cum Rogerio immi-

nens orantes, quod benigne ipſi polliciti ſunt, ac largius etiam quàm polliciti erant, praeſtitere, vbi Giufredus Cardinalis in idpſum venit. Miſſa Romano aduerſus Caeſarem, equitum peditumque robora, quibus cohortes aliquot, & turmae Placentinorum vltro acceſſere, quaerente ſibi per id obſequium apud Metropolim gratiae locum coloniâ, poſtquam vulgatū erat rebellaſſe Rógerium, & Cardinalem legatum eſſe Mediolani, verſaq; in hoſtem eum pericula, quae Mediolanenſium ipſorum fuiſſent. Legatum autem eum Cardinaléq; Giufredum miſſum ab Roma petēdis in tali diſcrimine ſuppetijs, reperio ego, per dies aliquot commoratum eſſe Mediolani, & interea dum ibi ſubſiſteret, Reip. negotijs vnà cum Archiepiſcopo, Praetoreque vrbano, & conſulibus adfuiſſe. Id adeo conſtat ex grauiſſima in haereticos actione, quae per eos dies inciderat Pontifici Septalio, dum, per commercia, & commeatus, occaſionesq; alias, adhaereſcentē vrbi peſtem eam depellere hinc, & prohibere conatur. Actioni namque huic, Apoſtolica praefuit autoritate legatus, & perſcriptum in Reip. tabulis decretum in haec verba extat. Cùm Apoſtolicae ſedi vir
„ acceptiſſimus Archipiſcopusq; Septala, Ciuitatem Ec-
„ cleſiamque ſuam ab omni praua, & externa religione
„ conſeruare intactam cupiens ſua nobiſcum de ea re
„ conſilia communicarit, nos optimis eius viri ſtudijs,
„ & nomini Ambroſiano dignitatique Vrbis fauentes,
„ ad retinendam in Catholica ſanctimonia Metropo-
„ lim, qua pollemus auctoritate ſancimus atque decer-

nimus

,, nimus haec. Quem quiſque male de Catholica fide
,, ſentientem, imbutumque circa rem eam erroribus de-
,, prehenderit, in pari ſit culpa cum haeretico illo, niſi
,, vel detulerit illico nomen ad Archiepiſcopū, vel etiā
,, iniecerit homini manus, & ad ſacra tribunalia ſiſten-
,, dum curarit. Sedes, & tecta, quae in vrbe, quaeue
,, extra vrbem, haeretico alicui receptaculum fuerint, di
,, ripiuntor atque incenduntor. Praetor, conſules, Ma-
,, giſtratuſue alij vrbis, tertio initi honoris die nomi-
,, nabunt XII. viros e ſingulis regionibus vrbis binos,
,, quibus poteſtas arbitriumque ſit mittendi lictores
,, ad quemcunque religionis nomine ſuſpectum habe-
,, bunt. Nominatio deinde ea ita rata erit, ſi author
,, Archiepiſcopus fiet, & ad omnem Archiepiſcopi nu-
,, tum, ipſiusque etiam nomine ac praeſidio duodecim
,, iſti in haereticos rem gerent. Concilio, & magiſtra-
,, tui huic adijcientur ac praeerunt ex Dominicano or-
,, dine duo, quos prudentiâ, & diuinarum rerum intel-
,, lectu praecipuos ordo is dabit. Adijcientur item ex
,, Minoribus Franciſcanis alij duo, quos Ordo etiam il-
,, le cenſebit eſſe muneri, & officio huic pares. Ipſos
,, verò Patres, & ex duodecim viris aliquos, eorūue ſatel-
,, lites, & ſcribas, ſi quam in partem, extra vrbem officij
,, cauſa mitti contigerit, Reip. ſumptibus id fiet. Agri,
,, tecta, villae, bonaue alia, quae per Magiſtratum hunc
,, publicata, ſiue proſcripta erunt, ad Remp. eandem
,, pertinento. Damna, & pericula ſi qua contrahentur
,, iudicia haec exercentibus, Reſp. eadem praeſtabit, ſub-
,, ſidiumque Magiſtratui, & opem ferto quiſquis apel-

„ latus erit. Quadrimeſtre munus eſto ; ſumma rerum „ Imperiumq; omne ad Archiepiſcopum ſpectato, qui „ decimo die, poſtquam cognita erit cauſa, pœnas reo „ irrogabit, quæ ſunt antiquitus huiuſmodi flagitiis cō- „ ſtitutæ. Haec omnia Reip. Mediolanēſi, quò ſanctior, „ florentiorque conſeruetur, Beatiſſimi Patris Gregorij „ nomine & authoritate Pontificali prçſcribo & edico „ Giufredus D. Marci Cardinalis Apoſtolicę ſedis Lega- „ tus, hortorque Prætorem & cæteros Vrbis magiſtra- „ tus, vt ſicuti ſunt à nobis præſcripta & conſtituta, refe- „ rant hæc inter cæteras ſuæ Ciuitatis leges, atque cuſto- „ diant pari cum illis cura. Forma hæc fuit edicti, quo Cardinalis Giufredus, dum Mediolani legatum ageret, coniunctis cum Archiepiſcopo & Prætore conſiliis, id S. Officij tribunal muniuit atq; ornauit obſepto ſic hęreticis in vrbem noſtram aditu, quæ per gentium omnium cōmercia, ſimul infectos ea tabe multos antea admittebat. Id edictum eaeque literæ, concione in Prætorium aduocata recitantur anno ſalutis milleſimo ducenteſimo octauo idibus Ianuarij, qui dies D. Dario Epiſcopo Mediolanenſi ſacer erat. Adfuere, cū legato Giufredo, Archiepiſcopoq; Septalio Archidiaconus Templi maximi, Archipresbyterq; & reliqua Canonicorum corona, qui nunc ordo fulgore purpurę Templi maieſtatem auget. Sacrarum præterea familiarum antiſtes & prçfecti, & nominatim Gualla Dominicanus, qui omnes, edicto recitato, probe ſancteq; decreta eſſe cūcta acclamauere. Sub eiuſdē anni finem, quo hæc geſta erāt, Decēbri nimirum ineunte,

con-

concilium aliud Mediolani habitum eſt ſuper fœdere quod inter Longobardicas vrbes aduerſus Imperatorẽ initum fuiſſe momoraui. Sedes ei Concilio fuit Archiepiſcopi palatium; Archiepiſcopuſq; ipſe, & Giufredus Cardinalis, & Gualla Dominicanus actioni præſedere. Aderant Conſules, Prętor, & quicunque alij, opibus aut prudentiâ, ſiue per facinora & audaciã fauoreue alio momentum in ciuitate aliquod faciebant. Legati præterea fœderatarum Ciuitatum, nobiliſsimus & clariſsimus quiſque; ſed nequaquam conſilia & mandata eadem ab domo afferentes, habituque animorum inter ſe multùm diuerſo. Placebat aliis renouari fœdus, aliis tolli: pars, manere ſicut à principio inſtituta ſocietas fuiſſet, volebant: pars, ne manere quidem, ſed permitti temporibus, & ſilentio ſua ſponte diſſoluendam, ſicuti maxima ſemper & grauiſsima negotia conſeneſcerent ſic atque diſſoluerentur. Atq; ſicut diuerſa hęc afferebantur, ita ẽt diuerſæ ſuberant cauſæ, prout ſcilicet cuique ciuitati, vel factioni, vel ſingulis etiam hominibus, in eo negotio, artificium, aut neceſsitas, prout cordi & emolumento pax, aut bellum, prout denique amor ſiue odium in patriam, cuius maximæ res in fœdere illo agebantur. Erant ſimul priuatim corrupti aliqui Cæſaris donis aut promiſsis, & alij rurſus conſtanti erga Pontificem fide, hique læti bona ipſius gratia, & anxij metu, ſi qua noua offenſio rebus interueniret, idquod neceſsè erat, ſi in eo conuentu, Cæſarem hoſtem, aliter quàm pro hoſte habuiſſent. Inſuper nonnulli erant, lentę vel malitioſæ

xioſæ prudentiæ homines, qui incerto adhuc rerum euentu, expectandam eſſe fortunam cenſebant, vt quã in partem ipſa victoriam dediſſet, eò fauorem inclinarent. Vicêre ſinceriora ingenia, fœduſque pro Pontifice aduerſus Imperatorem maxima Giufredi Cardinalis & Archiepiſcopi Septalij lætitia renouatũ eſt. Præterita & inſtantia mala demonſtrantes, oſtenderunt id pertinere fœdus ad Italiæ ſalutem & pacem, neq; contradicere auſi, qui, per ambiguum fauorem extrahi volebant rem, quiue abrumpendo ſtatim, ſemina nouis malis in longum iaciebant. At Imperator, ſimul renouati foederis famâ, ſimul ab Sabaudiæ Comite, ſimul ab Montisferrati Demarcho, quibus ſocietas ea non placuerat, repente excitus, magno conatu mouebat in Longobardos, iamque cum exercitu ſuo conſtiterat ad Forum Cornelij fremens in fœderatos, ac minitans, quod pactis, & conditionibus, & linguâ bellum gerentes eos, igni ferroque domiturus eſſet, atque docturus, quid coniuratorum artes & conſilia perfidiæ, aduerſus armatum & fortem exercitum valerent. Nec tamen ipſe artibus fœderibuſque conquirẽdis abſtinebat. Papienſes, implacabilem Metropoli Coloniam, atque poſt tot etiam documenta, datamque toties veniam, impatientes obſequij, & paratos ſemper ad rebellandum, beneficiis ſuis aggreſſus, conciliat ſibi, & ſacramento adactos proprium habere regimen iubet. Ad Rauennam inde progreſſus, alteram huic Reip. ſemper æmulam infeſtamque vrbem, concilia ibi Ciuitatum habebat inimicarum no-

bis

bis, & concibat eò quicquid vſpiam inquietum, & male fidum erga partes eſſe ſuſpicaretur. Iere illuc Parma, & Mutina, & Cremona, & Papia per legatos ſuos; & apud Archiepiſcopum Rauennatenſem, inuidia & æmulatione Mediolanenſis Eccleſiæ infenſum tunc etiam Pontifici Romano, in verba Federici Cæſaris aduerſus partem vtramque coniurauerunt. Ita, non parua belli moles Mediolanenſibus imminebat, quæ priuſquam tanta eſſet, quanta futura videbatur, parant etiam ipſi minuere hoſtium vires; ac ſine mora miſsis in ſubalpinos copiis, Dynaſtam inprimis vtrumque, per quos ſolicitatum eſſe Cæſarem cõſtabar, malo damnisque ſubigere conantur euentu parum felici. Namque Vbertus Ozinus (is Mediolanenſem exercitum ductabat) cùm Montisferrati Demarchum prima turbatum impreſsione ad conditiones ſuas adduxiſſet, ab Sabaudienſe mox ipſe circumuentus occiditur, ſtrenuus bello vir, quo caſu perculsi Mediolanenſes, copias ſuas reuocauere. Dum hæc apud Inſubres alterna ſuccedunt vice, Septalius Archiepiſcopus ad III. Nonas Oct. moritur, & in D. Victoris, cui Aedi cognomen ex vicina vlmo, mandatur humi. Deceſsit magno Italiæ totius dolore; neque talis viri obitu lætatos eſſe hoſtes vllos ferunt. Nam quamuis ingens præſidium Reip. Mediolanẽſi eo extincto ademptum eſſet, iuſtitiæ tamen & virtutum aliarum fama, quę admirationem habent etiam apud infenſos, præualebat. Fuit verè paterno erga patriam hanc ſenſu, & verè paſtorali erga populum ſuum animo; elegantis litte-

raturæ

turæ vir idem,& diſciplinæ cæremoniarumque cuſtos attentus & ſeuerus. Magna inſuper ſigna coniecturaſque dedit inſitę cuiuſdam atque intemeratæ honeſtatis, quatenus occulta ea res,& intra parietes etiam intimos multis ſemper tecta inuolucris, cõiecturale eſſe negotium poteſt. Sanxit enim inter cetera, vt qui ſacerdos, quiue Clericus, muliebri aliqua conſuetudine turpiter implicitus eſſe deprehenderetur, is Clericus ſiue Sacerdos eliminaretur extra Eccleſiam, omneque illico ſacerdotij ius amitteret. Baſilicam Sanctorum Naboris, & Felicis, attribuit ipſe Franciſcanorum Ordini. Dedicauit Claræ Vallis Aedem: & Dominicanos in Euſtorgianam, non ab Vgone Cimiliarcha, ſicuti dictum eſt, ſed ab hoc Henrico fuiſſe inductos Merula ſcriptor mauult. Fuerat in iuuenta Romę Canonicus Lateranenſis; atq; inde percarus Innocentio Pontifici Maximo, qui vacuum in Eccleſia Mediolanenſi Cancellarij munus ab Archiepiſcopo Pirouano, per litteras, vt ei demandaretur petiuit, eęque litteræ extant. Sed & militares virtutes adfuere viro, quæ præſidia turbidis Eccleſię rebus, temporum eorum conditio, haud minus quàm paſtoralia ornamenta in Pontificũ animis requirebat. Neque ambigitur, quin inter domeſtica etiam certamina ciuileſque factiones, ab eo militari ſpiritu paulo acrior fuerit; Hieroſolymitanamque profectionem, ſunt, qui credant exſilium potius fuiſſe. Violentiâ plebis eiectum, expeditionem eam ſumpſiſſe obtentui. Cremonenſem Epiſcopum Homobonum nomine, Metropolitana iura detrectan-

tem

tem compeſcuit, compulitq; ſupplicem ad pedes ſuos. Hoc orbati Paſtore Mediolanenſes, tanto magis ingenuere quàm cæteri, quò propius ipſos damna attingebant; Et ſicuti præcipuus in dolore locus Patriȩ totius erat ex talis viri morte, ita etiam maiore luctu, & flagrantiore deſiderio proſecuti mortuum ſunt. Obtrectatio namque, & liuor, & plebis aduerſus optimatem eum Archiepiſcopum inuidia progreſſa olim ad vſque eiectionem, deceſſerat animis, poſtquam deſierat eſſe cui inuiderent; ac ſicuti ſemper fit, inutilis iam & ſera contemplatio virtutum ſucceſſerat. Atque, quò magis etiam intenderent animos ad cogitandum, qui vir amiſſus eſſet, altiusque moererent, prodigia per eos dies multa euenère, ſiue, tamquam eueniſſent, credita nunciantibus, & verſa in religionem oculorum ludibria, timoresq; ſimplicium. Sufficitur deinde in Hẽrici huius locum Gulielmus Rozolius nobilis vir, indigena, litteratus, & qui fere vnus omni alia ſua moderatione, ac virtute, minus deſiderabilem efficere potuiſſe Septalium videretur. Archidiaconus antea Tẽpli maximi Rozolius fuerat is, ac ſumma omnium voluntate Pontificatum ibidem adeptus, ita regebat Eccleſiam, vt non longo interuallo proximus deceſſori haberetur, cùm Ciuitas, ob noui Archiepiſcopi ſanctimoniam & virtutes, alleuatis ex recenti orbitate ac dolore animis, ad vltionem, etiam, ob Ozij caſum, ex hoſte petendam, conſilia & curas adiecit. Ea expeditio nihilo felicior fuit, quàm caſus ipſe, quem vltum ibãt. Ducta in Montẽferratum ſex millia armatorũ, poſt-

quam infauſti ductor agminis Marcellinus ferrea ictus pila ceciderat, reuocantur domum, idque incœptum, alia ſuper aliam clade cùm ſtetiſſet, non vltra tentandam in ea parte fortunam rati, duos iam amiſſos duces, bis abſque duce receptũ exercitum ponebant inter ea, quæ Mars anceps, & ſemper ambigui bellorũ euentus ferunt. Cæterum inſidens animis dolor, quò maiore diſſimulatione ſuppreſſus in præſentia occultatusque erat, eò magis Archiepiſcopum Conſuleſque & Prætorem inquietos habebat, ſi dynaſtae duo lateri prope adhærentes, deſerta fœderis ſocietate, ob eam iniuriam appetiti bello, iactare ſua in ſede euentum poſſent. Itaque ignominia accenſi iſta, non iam dynaſtas eos, ſed caput rerum Cæſarem, & coniuraratas cum eo vrbes appetebant, vniuerſi certaminis aleam adituri. In id auxilia foederatorum vndique cõuocabãt, aſſumptis inſuper Eſtenſe & Gonzaga; ſatiſque apparebat, totam fore mox Italiam in armis, & campum iam eſſe aliquem, cui nomen funeſtum, & nouum apud poſteros pararetur ex imminenti pugna. Ei famæ, & contemplationi Pontifex Gregorius ingemiſcebat; cuius Pontificis animo nihil quidem inerat molle ac remiſſum; ſed miſericordiâ Chriſtianorũ exercituum & futurae media in Italia vaſtitatis frangebatur. Tam vinci quàm vincere miſerum putabat, & vtra in parte fortunam pugnæ meliorem optaret ac precaretur, vtraque eſſe infelicia vota, & pene impias preces. Illum vtique eſſe Cæſarem, cuius capiti coronam auream ipſe impoſuiſſet; illos Mediolanen-

ſes,

ſes, illam Metropolim, quae Roma altera diceretur; illas Italicas vrbes, quas paternâ curâ ipſe complecti vniuerſas deberet. Humani animi calamitatibus, irâ, ſtudio, certamine potentiae ruere in mutuas caedes, & ſpectacula indigna ſic exhiberi mortalibus aliis, qui talia, quamquam ex longinquo intuentes, alienarentur ab Chriſtiana religione magis etiam, quàm naſcendi ſors, & barbara terra, in qua nati eſſêt, alienaſſet. Talia voluentem animo Gregorium ſubijt cura mittendi legatos in Inſubriam, qui de pace agerent; Mediolanenſibus, & Cæſari, cæteriſque in hac vel illa parte fœderatis, dicerent, Pôtificem Maximũ, & Chriſti Vicarium, recordatione ac reſpectu nominis huius abduci ab ſenſu rerum aliarum, quæ mundana aliqua cura & dolore ſtimulare animum poſsint. Gratum fore ei, ſi deponerêtur illa arma, quæ ipſius cauſa ſuſcepta eſſent. Sperare, quemadmodum ipſe magnas victoriæ ſpes, ac proſperi exitus pignora tot amicas fideliſſimaſque vrbes remoueret vltro à belliconſiliis atque abdicaret; ita partem alteram generoſis animis rabiecturam ſpes & pignora quaecunque laetarum rerum haberêt, ne Chriſtiano ſanguine campus inũdaretur, neue, hinc Pontificatum Maximum, hinc Imperij nomen contaminarent cruenta illa in omnem memoriam nota, quod neceſſe eſſet accidere, vincerent, ſiue vincerentur. Miſſi ſunt in eam legationem Cardinales duo, Iacobus Epiſcopus Praeneſtinus, & Otho, cui cognomentum & titulus ab S. Nicolai Aede, quae eſt in carcere Tulliano. Hi fugitantem atque latitan-

tem Imperatorem nuſquam conuenire potuerunt; ac ſpe pacis eluſa Romam ad Pontificem rediere. Ea tamen ad ſummam rerum irrita legatio, ſuſtulit imminentis pugnae diſcrimen, cuius rei cauſa miſſa erat; praelioque tam atroci, ſi non bello partes in præſentia exemit. Mitigati enim erant animi mentione pacis, atque tam moderatae legationis delinimento: deferbuerat ardor; conſederant impetus, queis antea facere ſummae rei periculum geſtiebant. Et Cæſar ipſe, vitato quamquam legatorum congreſſu, mouebatur tamen, atque miteſcebat hoc ipſo, quod venerant legati, & Pontificis poſtulata tam paterna & manſueta attulerant. Apud Venetias, apud Aquileiam primò, deinde per alios in Hadriatici Maris ora receſſus, vagus, & anceps, & confuſus pudore etiam nonnullo, quod ita legationē eluſiſſet, quaſi ſeneſcere vltro bellum ſinebat. Ita Mediolanſes, remiſsis etiam ipſi aliqua ex parte, belli cōſiliis atq; operibus, ad reliqua ciuilium curarum, vrbis nempe cultum, & incrementa tutelamque religionis, conuerterant illico animos. Aperuit Praetor Ventius, in Occidentē ſolem, portam, quae ex vicina D. Marci Aede tunc appellata, in Beatricis poſtea nomen conceſsit, dum ſub Ducum imperium acta tandem Vrbs, adulando iſtis, vxorios titulos ſibi imponit. Mox Praetor alter Oldradus extruxit Aulam maximam, quam tranſuerſo foro excurrentē vetuſti operis pilae erigunt ſublimem alteque ſuſtentant. Et grati ciues erga pulcherrimae molis authorē, equeſtrē ei ſtatuam poſuere, quae ad poſteros monu-

mento

mento eſſet. Eodem tempore, Franciſcana Aedes in eam laxitatem atque magnificentiam attolli coepta, qua nunc ſpectatur. Subterranea quoque Cella in Ambroſiana Aede, tempore hoc, effoſſo illic ſolo, poſita extructaque eſt; & operis vtriuſque meritum Coria gens vetuſtae in vrbe nobilitatis vindicat ſibi, tãquam magna ex parte ſumptum ipſa ſuppeditauerit. Sanè, cùm nos, illato illuc pede cuncta attente perluſtraremus, vidimus huius inſignia gentis ibi & ſepulcra monumentaque non vno loco, & credidimus vtique aliquid. Sed ſcriptor ipſe Bernardinus, in aſſerenda hac ſuae Domus pietate & laude, nititur inſuper Franciſcanorum teſtimonio, patentibuſque litteris, quas litteras & teſtimonia ſodales illi, ob eius meritum pietatis, genti Coriorum dederint. Cælatam quoque rem in vetere argento ait, & nominat e ligno ſcutellam, Ambroſij poculum ipſius, vnde fidem dictis petat. Vt vt ſit, minime ambigam, quin plurimae & maximae hoc tempore fuerint ciuium liberalitates augendo Numinis & ſanctorum cultui, vel quia, multis culpis publice obſtrictam ciuitatem expiari ſic exſoluiq; arbitrarentur, vel quòd aduerſus pericula celeſtibus ſese munire præſidijs vellent Nam, præterquamquod, manebat adhuc bellum, cuius incerta timebantur, afflictauerant etiam vrbem ineuitabilia naturae mala, ſterilitas, & fames, & quae ferme bella ſubſequitur, peſtis. Fuerat, autem cauſa ſterilitati malum aliud, quo plures penè ſunt absumpti quàm fame ipſa; tanta ſcilicet vis frigoiis, vt non modò arbores &

ſata

ſata omnia radicitus exureret, ſed ipſa permeans atq; reſtringens mortalium præcordia, calore illic præfocato omni, extingueret vitam. Ob caeleſtes eas minas perculſi credo & attoniti ciues noſtri, ſubſidia e celo indidem petebant, ornando ſic templa & amplificando. Per ea tempora D. Dominicus fundator Ordinis, qui cognomine hodie ſuo magnum illius nomen refert, additur ſanctis efflagitatione principum & Regum, & totius pene mortalitatis, quae praeſens Numē, & vim gratiamque Sanctorum, & celum quodammodo ipſum in eius capite admirata erat. Ea res, & actio, ſummaque omnium gratulatione peracta cęremonia, commouerat Eccleſiæ Principum ſtudia, vt catholicae religionis cuſtodiam vbique eſſe maiorem atque attentiorem vellent, quandoquidem, hinc propugnaculo nudata tanto videretur, hinc tantus etiam e celo propugnator optima in poſterum ſpe animos confirmaret. Cumque ſanctiſsimus ille ordo, ob magni Patris merita & famam, hereditario iure miniſter Apoſtolicae ſedis, Eccleſiae vindex, & cuſtos incorruptae religionis in uentura deinde ſæcula deſtinaretur; dabantur Ordinis eius hominibus quęſtiones & iudicia in impios, ne quam inſanam opinionem, aut dogma prauum inſidere animis, ſpargique in vulgus ipſi paterentur. Sectae tunc namque complures, in ſua quaeq; patria exortae, vel expulſae illinc, vel ob contumelias, ſiue per metum profugae vltro, varia pererrando loca, prout, pabulum, ſedemue, & credulas alicubi mentes inuenirent, paſſim infectis

ſua

ſua tabe populis, fecerant, vt ei negotio aduerteretur animus. Iam Inſubriae quoque vrbibus adhæſerant, Chatari, Paſſagini, Arnaldiſtae, Speroniſtae, execranda nomina & foeda, ſed homines etiam ipſi fœdiores, qui per vanitatem, & egeſtatem, perque vitae labes & ſcelera, rebus adacti nouis, digreſſique regio ac tutiſſimo Catholicae veritatis itinere, falſae doctrinae compendiis ruebant ipſi, trahebantq; alios ad Orcũ. Ab talium hominum inſania periculũ etiã Metropoli erat, ſicut in omni ſemper magno populo ſunt auida nouarum rerum ingenia, & ſicuti turpiſſima quaeque ſecta ſemper, creſcente ſucceſſibus audacia, maximos etiam ad corruptelam perniciemque populos appetiuit. Ob eas ſectas, idque periculum excitati principes vrbis vnà cum Archiepiſcopo, parant remedia, per quae contagium haberi procul, ſanarique poſſent, ſi quos iam lues illa contaminaſſet, vel etiam deprehendi, quicunque peſtem ipſam exitiumque circumferrent. Neque enim ex aperto palamque, ſed quomodo turpia & falſa cuncta valeſcunt, ex tenebris gerebatur res; authoreſq; peregrini, tum aſſimulato ad mores, & inſtituta cultũq; indigenarũ, habitu, & cultu, & ſermonis etiam ſono, tum ab nouis diſcipulis recepti in aedium penetralia, latebraſue alias abditi, ſpargebant venenum per colloquia ſecreta nocturnoſq; cõgreſſus, per ſchediaſmata aliqua & libellos, per mulierculatrũ etiã miniſteria, per deniq; fatuos ex miſera plebe, vel opulẽta nobilitate nõnullos, quae ſibi ludibria, & inſtrumenta ſẽper impoſtores parant. Nõ tamẽ fefel-

fellere prudentiã Archiepiſcopi caeterorumq; principum vrbis, ad quos ea cura pertinebat. Petrus erat Veronenſis, doctiſſimus idem, ſanctiſſimuſque Domicanorum, cui, ab ineunte aetate, cordi fuerant ſtudia ſacrarum litterarum, publicaeque circa philoſophantium placita diſputationes, & ſuper omnia, concionandi munus, vt clare, vt vehementer de vnaquaque re dicere ad populum poſſet. Animus ei praeterea neſcius gratiae, vel irae, contemptorque periculorum, & inuictus idem aduerſus labores. Hunc Pontifex maximus, vbi, ſectas, in eum quem dixi modum ſerpere accepit, Mediolanenſiũ ipſorũ rogatu, ſacri honoris vocabulo, Inquiſitorem creat, dataque poteſtate etiam in reos animaduertendi, per ſe, perque idoneos adminiſtros, prouidere iubet, ne qua Mediolani, in religione, labes admittatur. Id mandatum, eamque iuriſdictionem, Archiepiſcopus, Praetorque & conſules, authoritate publica confirmauerunt; cuius publicae authoritatis documenta & tabulas Sinibaldus Turrianus, & Obizo Scatienſis cofecere. *Ita* Sacer Inquiſitor, cùm magna ſtatim haberet adiumenta ſtrenue gerendae rei, praeſentiam nempe animi & vigorem; Sedis Apoſtolicae mandatum, & ei mandato congruentes principum animos, authoritatemque publicam, in nulla muneris eius parte ſegniter ac remiſſe egit. Leges primò de religione & haereticis, tulit, partim ſimillimas eis, quas iam antea latas expoſuimus, partim nouas & acriores, ſicut etiam, & ingenium acrius ei erat, & noua hominum illorum portenta

tenta remediis arcere nouis oportebat. Rurſus inerant mitigata quaedam ex priore acerbitate, ſicuti etiam ipſe, ab clauſtris & Euangelio, diſciplinaq; caeleſti, attulerat clementes, vbi locus eſſet, ac moderatos animi ſenſus, queis mortalium flagitia, quaſi vulnera, leniendo, quàm ſecando ſanare mallet. Haereticus in vrbe aliquis quandocunque deprehenſus erit, ad tribunalia noſtra citabitur, vel niſi ſtiterit, comprehendetur ab miniſterio noſtro, & ſiſtetur. Ibi de religione interrogatus, habebitur in cuſtodia, quamdiu res & cauſa requiret; ac prout, in rectam fidem, priuatim, aut publice peccauerit, publica etiam, ſiue priuata piacula iniungentur; atque ita reconciliatus Eccleſiae Catholicae, miſſus fiet. Sin autem in volũtaria cœcitate perſtabit, damnabimus eum perpetui carceris pœna, neque mortalibus aliis commercio vllo miſceri talem hominem patiemur. Quiſquis, haereticum domi, palam, ſiue occulto habuerit, hunc ita damnamus anathemate, vt flagitio pœna comes eat, neque promulgatione alia opus ſiet. Quòd niſi iſte eiecerit domo hoſpitem, ac tali commercio delectatus eſſe reperietur, pœnas alias addemus; ne concilium publicum inire infami ei licitum ſit; ne vlla in re teſtis idoneus habeatur; ne adire hereditatem, neue legare ipſe cuiquam aliquid poſſit, neue omnino teſtamenti factionem, & iura vltimae voluntatis vſurpare. Qui patrocinari talibus volent, pœnas eaſdem ſubibunt; omne ſacerdotij ius amittent, ſi clerici, ſacerdoteſue erunt; ac ſi toto anno per-

„ ſeuerauerint impliciti anathematis vinculo, in haere-
„ ticorum loco habebuntur , & Reip. magiſtratus de
„ his quoque ſupplicium ſument . Vbi grauialiqua ſuſ
„ picione notatũ eſſe quempiam ſciemus, tota eius vita
„ conditioq; circumſpicietur, ac ſi viſum erit, purgan-
„ di ſui poteſtas ei per nos fiet. In ceteris, neque prouo-
„ cationi, neque interceſſioni locus erit. Magiſtratus
„ & Iudices operam dabunt, ne quis eorum, vllam pu-
„ blici muneris partem attingat. Niſi id cauerint ſedu-
„ lo atque cuſtodierint, ipſi ſtatim, eo quem obſtinebãt
„ munere, deijcientur. Priuamus haereticos omneis ho-
„ nore ſepulturae : ſi quis eorum in ſacro ſolo conte-
„ ctus fuerit, per quẽ id erit admiſſum, execramus eius
„ hominis caput ac deuouemus, ne ſit in vlla ſacrorum
„ cõmunione, donec effoderit ipſe ſua manu cadauer,
„ proieceritque inſepultum. Laicus homo, ſiue de po-
„ pulo quilibet, nullam de fidei rebus inſtituere diſpu-
„ tationem auſit; ſi faciat, pari cum haereticis ipſis exe-
„ cratione defixus eſto. Defixus item, prohibituſque
„ ſacris eſtò, quiſquis conuenticula haereticorum ali-
„ cubi ſciet eſſe, niſi protinus de ea re adierit Magiſtra-
„ tum, expoſueritue rem ipſam Patri ſiue Sacerdoti, qui
„ confitenti ſibi aures dabit. Haereticorum filij, nepo-
„ teſque arcebuntur omni ſacri honoris aditu; ac de te-
„ ctis diruendis eadem quae priore edicto per legatum
„ Apoſtolicum decreta fuere, ſancimus & renouamus.

Cùm haec aliaque porro multa nouus Inquiſitor ad ſectas illas exterminandas inſtituiſſet, quotidianis etiam e ſuperiore loco diſputationibus retinere in fide

atque

atque officio Ciuitatem conabatur, nē ab recta vſquā via deflecterent, ne quid noui dogmatis admitterent in animos. Nec minor in priuatis colloquijs, conſtantia viri & ſolicitudo, occultique paſſim homines, ipſius cura & iuſſu vitam & inſtituta multorum diſſimulanter obſeruabant. Ac Ciues ipſi quidem, tum ſponte ſua, tum ſacri Concionatoris eloquentia & grauitate praeclare ſubmouebantur ab omni corruptela & contagione ſectarum, ipſaeque ſectae, tam vigiles in ſe curas, atque tot intenta tela cernentes ex vrbe abibant. Caeterùm, in agro, id quod non timebatur, familiae potentes, non modò peſtem recepere alucreque eam, ſed etiam certamine religionis inter ſeſe exarserant, dum circa hanc, illamue ſectam diuisae ſtudijs, extollere inuicem & anteponere ſuos conantur, eaeque factiones in vrbem deinde etiam ipſam, vbi neceſſarij affineſue ſingulis erant, penetrauere. Catari, Gazarique, & Concorretij vocabantur agreſtes iſti præpotentes, qui quæſtui ſectis fuere primò, deinde ſectarum ipſarum cauſa perniciem optauere mutuam, ſeque adeo ipſos nouas fecere ſectas. His accedebat quarta Credentum præcipuae contumaciae factio, magnumque certamen inter eas haereticorum familias, & cauſa ſaepe etiam armorum, vt in ſuam quique partem traherent viros, authoritatem, fidem Quae dedecora & mala, poſtquā Inquiſitori Dominicano, caeteriſq; magiſtratibus innotuere vrbanis, haud ſegniter obuiam itum eſt, actumque lege ſtatim in aliquos hominum eorum, & immiſ-

ſis ſacroſancti Officij vicarius, vanitas opinionum grauiſsimè coarguebatur. Quominus ipſae familiae ab ſtirpe delerentur, obſtabant vrbanae neceſſitudines & clientelae, queis ruſtica illa nobilitas implexa erat. Attamen, frangebantur quotidie magis, & occultis vnaquaeque ſecta ſermonibus ferebat, diſſolui neceſſe eſſe conuenticula; ſtare non poſſe diutius; ad extrema rem deueniſſe. Haec inter Cataros erat fama; par apud Concorretios habitus animorum, nec diuerſa fremebant Gazari; treiſque haereticorum familiae capitalibus inter ſe diſsidentes odiis, in eo conſentiebant, vt propriũ ſibi finem augurarentur, & eo conſenſu prope finiebantur inter ipſos irae. Sed Credẽtes (quartam eam fuiſſe ſectam memoraui) pertinacia & deſperatione proni in ſcelus, machinantur ipſi Petro necem, quae maturis iam erga Dei ſeruum in Caelo praemiis, in hunc modum patrata eſt. Stephanus erat quidam audax homo, & proſpero fortè facinoris vnius euentu promptius ad quaelibet inde ſcelera, facileque venalis, ſi quis eius manu tollere, vel mutilare, vel deformare aliquem vellet. Hoc veluti mercimonium erat ipſius, habebatque idoneos homines, quibus delegaret hinc inde conducta flagitia, quoſue ſocios aſſumeret, prout, ſuâ, vel alien opera gerendam eſſe rem ſtatuiſſet, quaerendoque opus, vltro negotiis obuiam ibat. Hic fortè odoratus, de Quaeſitore interficiendo inter Credentes agitari, ſuumque id eſſe poſſe lucrum putans, explorat primò rem omnibus veſtigiis, ne quid

vani

vani tentet, deinde, vbi ſeriò id coqui negotium ſen-
ſit, exponit Concilio per interpretem ſibi fidiſsimũ,
ſi ſua opera velint vti, nec manu, nec fide inutilem
fore. Interpres erat Guidotus Sachela, per quem cõ-
meauere ſermones in haec pacta. Stephanus vti
quamprimum, Fratrem (ſic enim per contemptum
vocabant) amoliretur. Credentes pro eo numerari
pecuniam iuberent, quantam Sachela, & Iacobus
Cluſius numerari aequum cenſuiſſent. Stephanus,
cùm ita res conueniſſet, Manfredum e canibus ſuis
vnum acceſſit: conferunt inter ſe conſilia; & quan-
quam ſit eiuſmodi negotium, quod à plurium con-
ſcientia ſemoueri magnopere oporteat, tamen opus
eſſe miniſterijs cenſent, vt alius, in vrbe itinera & e-
greſſus hominis obſeruet, alij ſecus viam in inſidiis
opperiantur. Non poſſe tantum facinus ab vno pa-
trari, & ſi tentetur intra moenia, poſſe vndique con-
curſum fieri, neque facilem poſtea fugam. Haec om-
nia moderanda Manfredo Stephanus relinquit. Is
Carinum Balſamum aſſumit; hic rurſus Albertinum
Migniſium cognomento. Pecuniae ſumma, quę ſce-
leri pretium foret, partium cõſenſu deponitur apud
Thomam Gluſſianenſem, vt is mortuo Quaeſitore,
tãtumdem interfectori repraeſentaret. Ea fuere qua-
draginta aeris pondo; tanti tam nobile caput ſtetit.
Compoſitis in hunc modum rebus, atque comperto
per Sachelam, Quaeſitorem tunc agere Nouocomi,
exacto ſacri Paſchatis octiduo venturum eſse Me-
diolanum, ſuccincti gladijs, Manfredus & Stepha-
nus

nus abſq; mora Nouocomũ acceſſere: ſequitur eos Carius. Albertinus in inſidiis eſt relictus, iſque in via poſt maceriã latitauit; neq; res vlla fefellit ſacrilegos, non dies, non hora, non iter. Ita die ſabbato, qui rediuiui Chriſti celebritatem ſequebatur, Petrus Veronenſis apud Barlaſinam interficitur, eiuſque comes itinerum Dominicus lethali plaga percuſsus, deportatusque Medam (eſt eo nomine pagus) quinto poſt die inter quartam curationem expirauit. Martyrũm corpora, Petri prius, mox Dominici, translata Mediolanũ, & in Euſtorgiana aede collocata, ſicut olim vitae laboribus, & poſtea caeli praemiis, ita tumuli quoque ſocietate coniunguntur. Ea caedes, vt laeta Credentum nomini, caeteriſque rebellibus Eccleſiae, ſic apud incorruptam populi partem, apud ſacros ordines, non moeſtis modò, ſed iratis etiam animis accepta, tumultum in vrbe nouum conciuit. Augebat iras, quòd Carinus, quem ſacrilegij fuiſſe participem memoraui, cùm fortè comprehenſus & in vincula coniectus fuiſſet, corruptis pecunia cuſtodibus aufugerat. Id conſcio Praetore factum interpretabantur. Itaque, magno ad Praetorium agmine concurrunt; reddi ſibi Carinum, aut dari Praetoris ipſius ceruices petunt, alioqui promiſcua caede vſuros, iãque impatientes morae, publicas incendere aedes parabant. Non erat Praetor affinis vlli culpae, quòd ad Carini fugam attineret, eſtque repertus conſultans vnà cum ſuis de proditione vigilum, & an retrahendi ad ſupplicium rei via eſſet aliqua, dicebanturq;

banturque ſententiae, vt ſatellites quoquouerſus no-
ui dimitterentur; vt ipſe Praetor ad hominem inueſ-
tigandum exiret. Ea res, populi nonnihil impetum
repreſſit, direptoque tantùm Praetorio, vinctum in
Archiepiſcopi carceres abduxere Praetorem, ipſum
& treis iudices, quorum in ea fuga culpam fuiſſe ali-
quam suſpectabant. Inde per totam vrbem tela, gla-
dij, & erupturæ in capita etiam in noxiorum irae,
niſi Archiepiſcopus vim atque licẽtiam inhibuiſſet:
Hic fuit exitus ſanctiſsimi viri, cuius nomen & re-
liquias vrbs deinde noſtra coluit eximia religione,
tamquam agreſtium ſuorum ſic expiare ſcelus vel-
let, labemque delere, quae propter illum paucorum
furorem publice ſuſcepta eſſe videretur. Nec ipſe
cultum pietatemque hanc abnuit e Cælo, ſaepeq;
miraculis & ſignis declarauit quod curae ſibi etiam
illic eſſet Eccleſia, cuius dignitati & ſaluti conſiliis o-
lim & prudentiâ ſuâ praefuiſſet. Viritim quoque ci-
ues ad corporum ſalutem ſenſere vim praeſentiam-
que illius, efficaci ad febrim remedio, ſi epota eſſet a-
qua, quae contigiſſet diuini Martyris reliquias. Et
anniuerſaria ipſius die, ſolenne eſt Euſtorgianae Ba-
ſilicae ritibus expiari oleae palmaeque ramos cum
ea ſpe & fide, virtutem illis ineſſe ramis ad ſedandas
Martyris eiuſdem nomine tempeſtates grandinemq;
auertendam, & fulminum ictus in ſolitaria loca reii-
ciendos. Natus, vt dixi Veronae, parentem vtrumque
Manichaeũ habuit, de cuius ſectae flagitiis & inep-
tiis arbitror alibi ſatis eſſe demonſtratum. Inde cla-

rios

rior illuſtriorq; totâ fuerat vicinitate indoles pueri, illa inſtituta coaſpernantis. Et poſtquam adoleuit, excoluitque ſacris diſciplinis animum, ſingulare illius odiū in Haereticorū omne genus, communi omniū gratulatione celebrabatur. Adeo, proprio quodam ſpiritu ſumpſerat ſibi bellum aduerſus eos, rerum etiam exitu felix ſemper haud ſine miraculo, quoties, publice, ſiue priuatim, capeſſeret pugnam. Mediolani, cùm Epiſcopum vnum de religione interrogaret, atque propter frequentiam populi, qui ſpectator adeſſe voluerat, patēti & aperto loco, multarum horarum diſputatione res ageretur, ibiq; flagrantiſſimo per totum diem ſole torrerentur omnes, & conuitia nonnullorum audirentur iubentium temere, vel finiri quaeſtionem eam, vel nubes euocari, quae radios arcerēt; dēſus illico nimbus ad Inquiſitoris preces ſe ſe obtendit celo areamque opacauit. Fuere, quibus, in medio certamine feruoreque diſputationis aduerſus ipſum, obtorpuerit repente lingua, magnumque acumen ingenij, quo freti in arenam deſcendere voluerant, fractum illico debilitatumque ſit ita vt de victoria concederent vltro, ac ſeſe antea coecos fuiſſe faterentur. Fuere etiam, quos obſtinate praefracteque diſputationi inſiſtentes, concitata diuinitus multitudo, quae aderat, circumſtaret gladiis infeſtis, ac temerariā inhibere linguam iuberet. Alios, nutus vnus ipſius, & vnica in ipſo diſcrimine ad Deum precatiuncula

con-

conuertit repente, & ſubegit. Alij, ſubita debilitate exanimati trem enteſue cōciderunt;actumque de vita erat,niſi Dei ſeruus,ſurgerent reſipiſcerentq; iuſſiſſet. Charinus profectò ipſe machinator caedis,& patrator, cùm elapſus vincula deſperatione amens vagaretur, occulta martyris ope, ad ſalutem eſt vocatus; iſque apud Forū Cornelij, ab ignorantibus,qui homo eſſet, in eadem, quæ tanto violauerat ſcelere Dominicana clauſtra receptus, ſanctè atque innocenter ibi reliquū vitæ egit.Et alius quidam furore item amens, cùm Petrum hunc Veronenſem, condito in pectus gladio pictum alicubi intueretur, iactoque per vaniloquentiam verbo,tamquam interfectoribus inuideret illis, mutus exanimiſque concidiſſet, celeſti eiuſdem nutu excitatus, ſanctimonia deinde, & virtute omni miraculum fuit inter eos,qui amentiam impietatemq; hominis antea perhorreſcebant. Sed nullum vtiq; maius illuſtriuſque miraculum habitum eſt, hoc ipſo, quod haereticorū ſectae,quibus excindendis ipſe deſudarat, ab ſacrilega ſtatim nece conciderunt, vt ictu penè eodem illo iugulatae eſſe viderentur.Nam capita earum, & anteſignani, tamquam rebellante introrſus, atque vrente impietate,vel prodierunt è latebris vltro,deteſtatiq; ſcelera,& errores,veniam à Magiſtratibus, & in Catholicorum cœtu locum implorauere, vel occultiſſimâ fugâ, aliaś hinc ſedes,& receptacula alia petierunt. Nimirū,itá fieri oportuit,vt tali comprobaretur exitu ſeuera praedictio,quæ inter aliarum rerū minas, atque denuntiationes,creberrima concionanti fuerat.

Affirmauerat enim, acriorem ſe aduerſarium fore poſt mortem. Tantarum igitur fama rerum, atque adeò res ipſae veſtigijs indagatae omnibus, exploratæq; & teſtatae, mouere Pontifici Maximo animum, vt eius memoriae ac nomini, cœleſtes honores decernere maturaret. Quippè etiam conſtabat, circa tumulum Martyris, faces ſua ſponte eſſe accenſas, radiatumque cęleſti lumine caput ſaepe conſpectum erat. Et ſuper hæc omnia, Prætor, Archiepiſcopus, Conſuleſque Mediolanenſes, miſſis in id legatis, ne caeremonia differetur, efflagitabant, Anno quinquageſimo altero ſupra milleſimũ ducenteſimum humanae ſalutis, Petrus Veronenſis primus Mediolani Inquiſitor, ab Innocentio Quarto refertur in Sanctorum numerum; ac ſuper ea re legati Mediolanenſes fuere, Lantelmus Scacabarotius ex Templi maximi Canonicis, Rainerius Baſilicæ Nazarianæ antiſtes, & Martinus Abbas Sancti Martini, quae nunc Baſilica D. Victoris eſt. Haec ego omnia circa Sancti Petri Martyris exitum, diuiſa annorum interuallis, & ab Gulielmi Rozolij Pontificatus initio, in Leonis Pereghi Pontificatum egreſſa coniunxi, quò promptior, clariorque memoria martyrij eſſet, ſi non ciuilibus alijs, bellicisque negotiis immiſceretur. Non enim interea ſolitis inter ſe diſſidiis ciues in adminiſtratione Reip. non armis in externum etiam hoſtem abſtinuere, vix vt, minores illas ex religione turbas audiret erecta vrbs in procerum ſuorum certamina ſtrepitumque belli, quod eodem tempore, cum Rogerio Imperatore gerebatur. Is, vitato, ſicut demonſtraui,

lega-

legatorum congreſſu, cùm neque laceſſens, neque laceſſitus, aliquandiu per Hadriaticum mare vagaretur, miſerat fortè Cremonam elephantem vnum, cameloſque complureis, inſueta tunc Italiæ terris animalia cum rectoribus, & magiſtris, qui pecudes eas machinis oneribuſq; ferendis in belli vſum erudirent. Apparatum eum, quandam in ſe eſſe comminationem rati Mediolanenſes, turritaſque beſtias, & Indica monſtra, ex propinquo, ceu pueris ad terrorem oſtentata ſibi, Cremonam ipſam, abſque mora inuaſere, ductoque illuc Carrocio, & clade illata ei vrbi, ſtragem etiam edidere belluarum, quae alebantur ibi, & domabantur. Mox Henricum Caeſaris filium deſertorem patris & rebellem, miſſa in id legatione vocauere in partes ſuas, ac ſi vellet Imperium, promptos oſtentauere; quod iuueni apud patrē cauſa necis fuit. Victor exercitus ex Cremonenſi agro reductus domum, facto in Praetorium impetu, expulit Praetorem; neque cauſa motus eius vlla affertur, niſi quod, militaris conſternationis initium ab cohorte Henrici cuiuſdam Modoetienſis eſſe ortum conſtabat. Grandinem interea magnitudinis inuſitatae, per aliquot dies lapſam cælo, glomeratamque ventis, in conſpectu ciues habebant, & ſpeciem Crucis multi ſublimem adſpexerant, cum titulo & inſcriptione, quam Iudaei carnifices, elato illuc, & confixo Saluatore poſuerunt. Ea prodigia, paulo poſt, ingenti clade Mediolanenſium ipſorum expiantur. Circa Abduae fluminis ripas cum Caeſaris exercitu malè pugnatum eſt, expugnatoq; Carrocio, & diſſo-

lutâ machinâ Caeſar, Rotas Veronam in triumphum adſportari iuſſas in columnas erexit ingentes, vt trophęũ Inſubria tota ſuſpiciens, vinci poſſe Metropolim crederet ſciretque. Neque peſſimum id eius pugnæ habitum eſt; Sed præcipuus vrbi dolor fuere nobiles aliquot, forteſq; viri, qui fugientes ex infelici prælio cum ſuperſtite alia turba, dum tramites vorant obliquos, & incertos, vt obſeſſae fœderatorum Brixienſium vrbi in vltimo diſcrimine ferant opem; Bergomenſium inſidiis repente circumfuſi, coniectique omneis in vincula erant. Quarum rerum ignominiâ, & damno accenſi Mediolanenſes, reparato confeſtim exercitu, viribuſq; recollectis, dici iubent Caeſari quin todecimo poſt die ituros ſe ſe Cremonã ſalutandi cauſa eius, & ipſo inſpectante radicitus extirpaturos arbores illas, quarum vmbra, & ordine tantopere ipſe delectaretur. Neq; contumelioſus locuti ſunt, quã fecere. Erant ante portã eius vrbis procerae vetuſtatis quercus directæ hinc inde ad lineam: his interiecta late excurrebat via, adſtructis ab vtraq; parte ſemitis, quas virens ripa marginabat in frontem, à tergo, perennis aquae riuus alluebat. Gratiſſima tunc Caeſari quies inter bellorum curas, ambulatioque peramœna: ad militares quoque decurſus ſpatii ſatis, ſiue queis flectuntur equi in gyros, ſiue cùm in aduerſum, antrorſuſque, & retrorſus incitantur. Id ſpatium, atque pateſcentem in campi modum, viam, & annoſas arbores loci dotem, ac decus, immiſſo Mediolanenſes equitatu cum operis, & ferramentis, vaſtarunt, exciderunt, vna

que

que hora ſtrauit nemus, quod aeuis adoleuerat; nec̄ tàm in Cæſarem illa fuit contumelia, quàm in naturā diuturna benignitate altricem ſyluae illius. Cæſar, audita Mediolanenſium denuntiatione, ſiue cedere in præſentia volens eorum furori, metuque fortaſſe non-nullo, ſiue maius quiddam meditans, paransq; aliud, quàm defenſio, & cura arborū eſſet, relicta Cremona Laudem Pompeiam, inde Ticinum venit. Ibi habito Ciuitatum ſociarum contra Mediolanenſes cōuentu, pronioraque in ſe ſtudia multorum nactus, quàm ſperarat, Brixiam vrbē, conſtāti adhuc erga Metropolim fide, maiore conatu oppugnare aggreditur, exiſtimās cūcta ſibi fore in expedito, ſi vrbem eam cepiſſet. Per treis menſes oppugnata Brixia, dein capta eſt, eoque omni tempore Caeſar, cùm ligneam turrim, aduerſus propugnacula obſeſſae vrbis circumageret, diſpoſitos per tabulata captiuos tenuit in cathenis, vt Brixianorum tela, corporibus horum inciderent, egregio in hoſtem ludibrio, cùm fœderatorum ſuorum manibus, fortiſſimi ſic, & nobiliſſimi Mediolanenſium occiderentur. Ipſi viciſſim Mediolanenſes, in Ticinenſem, *B*ergomenſemque agrum vltum iere iras, quibus vaſtandis, cùm vetera explebantur odia, tùm præſenti Caeſaris saeuitiae par gratia referebatur. His tam turbidis, triſtibuſq; modica laetitia interiicitur, euecto ad Pontificatum Maximū, Giufredo Capitaneo, quem poſt Gregorii mortem, congregati de more Patres vocauere ad id faſtigium, & ipſe ſeſe Celeſtinum Quartum nouo nomine appellauit. Erat is patria Medio-

lanenſis

lanėſis ex familia grata Caeſaribus, tunc ſcilicet, cùm illi, beneficiis, & omni comitate prouocabant ciuium obſequia, ciueſque viciſſim ipſi cum munificentia, & æquitate Caeſarum certabant. Sed modeſtus primò iuuenis, deinde vir grauiſſimus, poſtremò, pius, & nullius humanæ rei anxius ſenex, aetate, omni ſanctè integreq; acta, nihil ex communi factionum morbo, ad Sacrum Imperium attulerat, credebantq; omnes, poſſe Pontificatu illo componi, quicquid vſpiam inquietum diſcorſue eſſet. Eccleſiae verò Mediolanenſi, ſpes inde inceſſerat maiorum etiam rerum, fortunæq; amplioris, propterea quod, nouus Pontifex, Metropolitanus olim Patriae ſuae Cancellarius, tractādo per id munus prudenter integreque Archiepiſcopi authoritates, Eccleſiae iura, tabulaſque publicas, tum Cleri, Ciuiumq; ſtudia meruerat, tùm ipſe beneuolentiam, & caritatem auxerat in omneis; nuncq; porrò ſummo ipſe honore auctus amplificare patriā parabat. Mors ſemper aduerſaria conſiliis hominum, deſtinata Pontificis, & Mediolanenſiū ſpem repente eluſit; Cæſarq; interim aderat, decimo ab vrbe lapide vaſtans cūcta, & incendens, & tam haud dubie terribilis vrbi ipſi. In eo metu, ſexcenti milites ex vrbanæ iuuentutis robore delecti, ad portarum cuſtodiam attribuuntur Aluyſio Lampugnano, cuius in re bellica tunc inclyta virtus erat. Valida ea manus in Euſtorgianum congregata Baſilicam, iurauere, vitā, ante, quàm fidem amiſſuros. Simul, Gregorius Montelongus ab Innocētio Quarto ſucceſſore Celeſtini, Sedis Apoſtolicae nomine legatus

Me-

Mediolanum, edixit, licere Sacerdotibus arma in Cæſarem capere, quo edicto centuriæ complures armatæ, cùm ad reliquas copias acceſſiſſent, quibus Reſp. ad id bellum vtebatur; deceſſit repentinus populo Mediolanenſi terror, & iam ad ferenda in hoſtē ſigna animi ſuppetebant. Egreſſi vrbe, ad Camporniacum (id loco nomen) caſtra poſuere. Non procul inde caſtra regia aberant. Cùm per aliquot dies, ab neutra parte res in diſcrimen daretur, ala vna Saracenorum, quae in Caeſariano exercitu erat, ſtolide ferox, adit Caeſarē, petitque, vt egredi extra vallum, & pugnare in hoſtem ſibi liceat; ſi male pugnatum fuerit, tum vt ne Caeſar Saraceno amplius milite vtatur, ipſique pugnae eius temeritatē fuſtuario, ſiue capitibus luant. Annuente Caeſare, præmiaque etiam polliente, egreſſi aſſultant Mediolanenſium caſtris, neque ibi dubitatum. Otho Mandellus erat, virium robore par barbarorū eorum cuilibet, prudentia, & rerum bellicarum vſu vnicus habitus etiam inter ſuos, & corporis magnitudine, altiſſimos vtriuſque exercitus ſuperabat, quantū ſupra humeros quiſque eminet. Alebat opulentus idem ſuo ære lectiſſimorum equitū turmam, quos ſingulos, non communibus modò equeſtris rei præceptis, ſed arte quadam eximia ſua, & ſingulari, ad omneis ancipites caſus inſtructos, eruditoſque habebat. His, ad quemcunque poſtularet pugna motum, flexuſque, & reflexus, & impetus, & aſſultus, parebant equi promptius intelligētiusq, aliquanto, quā ſeſſoribus alijs, & quàm pro beſtiarū captu. Sub graui armatura, deſulto-

rium

rium in morem, & in caſu aliquo repentino, tãquam aſſueti mouebantur. Fretus igitur Mandellus huic equitum ſuorum virtuti, equoſque adeo ipſos, ab ſua quemque noſcitans ferocia, & virtute, tantoque magis fretus, depoſcit ſibi pugnam in barbaros, exitque. Tunc, ſi vnquam aliâs, cerni potuerunt equeſtrium præliorum truculentiae omneis, horrendiq; concurſus, & fœda ludibria, ſtrageſque vitae mortalium. Tunc etiam cerni potuit, quantopere ars iſta tractãdi iumenta in hominum perniciem, doctuſque cum ſeſſore ſuo, ad vitandam inferendamue necem equus, inconditum, & rudem cum equite equum præſtet. Ala Othonis Mandelli ad nutum ſemper intenta Ducis, in eo diſcrimine, momento vno, ſtratis, & frenatis, cataphractiſque equis, prꝗſto fuerat penè cum ipſius nutu: Non autem porta tetenderunt ea, quae ferebat in circumfrentem, circumſultantemq; barbarum, ſed auerſiſſima caſtrorum porta ſecuti Ducem, abſq; ſtrepitu vllo diduxerant in duas ſeſe turmas, atq; toto caſtrorum ambitu, bifariam circumgreſſi vallum, quaſi itinere, & gradu eodem inceſſiſſent, ita etiam articulo temporis eodem, in parte fuere illa, quà ferociter, inſtantes, frementeſque Saraceni conſtiterant. Homines feri, atque incompoſiti, qui potius ſimiles erant equis ſuis, quàm vt equos ipſi, arte, diſciplinaue vlla aptos, obedienteſue haberent; queis tota ſpes, atque robur in impetu, poſteaquã, duo diuerſa agmina adeſſe hoſtiũ vident, concitant, abſque ordine vllo ſeſe in pugnam, eaque ipſorum perturbatio, noſtris etiam ordinem
ade-

ademit. Quà quemque barbarum, ita feruorue animi, ſiue territus ac ſaeuiens repentino pauore equus tulit; ibi pugnant ab vtraque parte ſinguli, ſiue bini, ſiue terni, aut plures. Noſtris primò nocebat in eo diſcrimine turbatus ordo, & rudi aduerſariorum incurſu, ictibuſq; temerarijs ars gladiorũ impedita: barbaros, conſerta quominus manu ſagittae inutiles, & cõſternati, ſicut diximus, equi, opportunos ad necem faciebant. Nam, neque, poterant vti telis, & pugnæ genere, cui patrio more aſſueuerant, & regebantur ab equis potius, quàm ipſi regebant equos; nonnullique eorũ, dũ elatis alte vngulis ſonipes glomerat in auras greſſum, ac rigida ceruice retrorſum inclinat, directâ, & impactâ in frontale medium ſariſsâ reſupinati in terram erant. Alium equus ſuus pernicioſo ſaltu figens humi caput, rueſq; in ſeipſum, euerterat obtriueratq;. Alius, inſcitiâ ſedendi in equo, non ferens agitationem excuſſuſque crebros, deſponderat animum, vltroque delapſus elidebatur. Fœdiſſima verò ſpecies, & barbarę ſtoliditatis, noſtris etiam horribile ſpectaculum, cùm inſtinctu, & rabie concitati equi illi domitis frenis, aduerſa ſic fronte incurſarent ad quemcunque delati erant equum, vt cruentarentur ipſi, cruentarentq; obuios, & eques vterque deiectus, ſuo, & iumentorum ſanguine lapſaret, ac maderet. Haec principio fuerat forma prælij equeſtris, Saracenos inter, & Mandellianos, cùm ſcilicet, barbarica inſcitia ac tumultu, noſtrorum quoque ars, & diſciplina turbaretur. Cœpere inde noſtri, quaſi diſcuſſa ab oculis caligine, quam pro-

cella illa offuderat, contra incurſus, ictuſque temerarios, vti arte ſua, & omni gladiatorio prouiſu. Tunc furenter incurrentes, ſiue imperite admiſſi equi cuſpidinibus lancearum excipiebantur, infractaque ſic etiã citra vulnus violentia, & rabie, ſuggrediendo propius ac ſeſe inſinuando fortiſſimus quiſque rem ad gladios mucroneſq; deducebant. Ibi verò Mars atrociſſimus, & locus erat arti. Saracenorum agreſtes & inerudit ictus ferme in irritum cadebãt, ſiue etiam in ipſorum ora cum ignominia, & dolore infligebantur. Mandelliani, quicquid aperti ad vulnus erat inueniebant abſque fruſtratione vlla, ipſaſque cataphractas, & bucculas, & caſſides perrumpebat ac dimouebat ſolertia feriendi. Atq; vbi equitem equũue plaga aliqua debilitarant, addebant ictus alios, donec ſtratum humi exanimemque ſub pedibus hoſtem haberent. Et omiſſis interdum gladijs, manus, & vngues, & dentes ipſi fiebant tela ſicubi ad fauces apertas, & nudata capita ſucceſſum erat, Cùm inter homines ita pugnaretur, alia ſimul equorum, tum inter ipſos pugna, tũ cum hominum cadaueribus cernebatur fœdior penè, atque terribilior viſu. Laniatos artus, & patentia beſtiarũ viſcera, moleſque ſemimortuas perſultabant vngulis, & mole tota feroces aliae, quas ipſas, adactum interim ex tranſuerſo ferrum ſternebat, & ſtragi huic equorũ, delapſi propter vulnera ſeſſores immiſcebantur. Ac miſerabile dictu, mortuum rectorem implexo ephippijs crure fugiens equus trahebat, donec eliſum vi aliqua terentumque caput, trãſuerſum è ſtatumine calcẽ expediret.

pediret.

pediret. Sed & mutuis plerique ictibus ceciderant incubuerantue ſuis ipſi gladijs, ne, vel tam fœde morerentur, vel in poteſtatem hoſtium viui peruenirent. Pugnae huius euentu deterritus eſt Caeſar, ne caetera ſub eundem fortunae ictum daret. Perierat namque ei pars ferociſſima exercitus, eoque caſu cæterorum etiam animi conſternati erant. Itaque nocte inſequēti, mota ab Camporniaco caſtra refert in locum alium, quem Scanaſia mapalia vocant. Ibi Cremonenſium copijs auctus, ſeque, & ſuos aliquantiſper ad debellādi ſpem confirmarat. Mox, & defectione Valuaſorum, Capitaneorumque augetur, cum familiarum earum Principes (cauſa in incerto fuit) relicta vrbe, ſeſe ad eum contuliſſent. Comenſes etiam ſeſe adiunxere ei, &, ſiue iſtorum exemplo, ſiue erga rem Mediolanensē inuidia, aliae populorum aliorum defectiones parabantur. Nec deerat ei animorum inclinationi Caeſar ipſe, circummittendo legatos, & pollicendo praemia; etiam ſubmitendo pecuniarum aliquid, ſicubi verborum illecebras, vanitatemque promiſſorum intellecta callide, & ſuis aeſtimata eſſe momentis videbat. Cùm res in defectionibus tentamentisque ita eſſet, Mediolanenſes viciſſim, circumſpecta Caeſaris ipſius Aula, & explorato quicquid ibi male contentum, & male fidū haberetur, corrupêre auro promptiſſimum quemque, & principi occidendo coniurauerunt. Quod fermè fatum, & fortuna, ſeu conditio talium conſiliorum eſt, in ipſo gerendae rei articulo manauit indicium, ac tota deinde Caeſaris domus, retecta coniuratione, quae-

ſtionibus, & tormentis, & ſupplicijs perſtrepebat, inhorreſcebatq;. Inhorruerat tamen aliquanto magis etiam Caeſar ipſe, pauenſque, & tremens imagine ſupremorum, & veluti ſui funeris adſpectu, properus ex agro Mediolanenſi in Siciliam abijt ipſam quoque Regis abſentia tumultuantem, & infidam. Archiepiſcopus interea Rozolius Mediolani moritur particeps harum rerum adminiſtratorque omnium, quatenus diuiſo cum Praetore conſulibuſque Imperio, Reip. ſumma ad eum ſpectabat. Anno decimo, poſtquam Eccleſiæ Mediolanenſis Pontificatum adeptus erat, eſt mortuus. Extincto Pontifice Gulielmo, Canonici Templi Maximi, circa ſucceſſoris electionem diuiſi cõtrarijs animis, & in publico negotio ſibi quiſque tendentes angebantur; Neque res vllo modo conuenire inter ipſos poterat, cùm vnuſquiſque, peſſimum duceret eum, qui ab alio nominatus foret; re autem vera, neminem vnũ muneri parẽ tunc haberet Canonicorũ ordo, quorum quilibet nunc eſſe Archiepiſcopus poſſit. Nam quia nobilitas, excluſa plebe, veluti gentilitium id ſibi Collegium aſſeruerat, familiaeque potentes, ad ſplendorem in vno capite retinendum, ex numeroſa prole illuc exonerabant, ſi quem ciuilis vitae muneribus inutilem haberent; hinc ſcilicet fiebat, vt in collegio vniuerſo, parum prudentiae, parumq; litterarum eſſet. Itaq; cùm Archiepiſcopo huic Gulielmo ſucceſſor quaereretur, nominatio in iurgium exceſſit; neque ex toto reperiebatur ordine, vnus homo, quem Deus ei muneri admoueret. Poſt varias altercationes,

cò

eò demum Canonici deſcenderunt, vt ad Leonem Peregum irent, quemcunque ille dixiſſet, iuſtum cum legitimumq; Pontificem habituri. Erat Leo, minores inter Fráciſcanos, diuinae ſapientiae ſtudijs, & concionum eloquentia ſatis notus, moribus quoque non illaudatis, niſi quod arte premebat honoris cupidinem; & fortaſſe clauſtra diſplicebant. Is occaſionem è manibus amittere, ſtultum ratus, quod bene verteret, ſeipſe Archiepiſcopum renuntiauit. At plebs, ita creatũ Pontificem, haud dubie rata factionem fore nobilitatis, quae nouam eam occupandi Regni viam excogitaſſet, contra vim occultam apertaſque artes, praeſidium ſibi aliquod quaerens, Paganum Turrianum Martini filium tribunum creat. Erat is Vallis Saxinae dynaſta, qui, cùm poſt aduerſi praelij fortunam laceros olim confectosq; Mediolanenſes, in hoſpitia diuiſos omni fouiſſet benignitate, coeperat ob id beneficium carus eſſe plebi; & hoc tempore, circumſpicientibus aduerſus Archiepiſcopi nobiliumq; potentiam, auxilia, populare viri factum ſubierat animos, idq; inter ſe celebrando, consenserant, vt omnia permitterent eius fidei, moderatorem, & parentem eum rerum ſuarum haberent. Sed quia nomen iſtud, & familia Turrianorum, ab hoc tempore Tribunatuq; Pagani, in aliquot deinde annos, Eccleſiae noſtrae rebus immiſcetur; proponere volo veterum annaliũ de gente hac, famam, quae, vt ſolito ſcribentium erga diuites familias, obſequio, aucta in maius, atque per adulationem corrupta eſſe videatur; non ideo de terio

ris

ris vitij notam effugerint noſtrae litterae, ſi per malignitatem quaſi,& liuorem hoc loco praetermiſſa erit. Originem igitur, & initia generis, Bernardinus Corius ab heroicis vſque temporibus,& vetuſtiſſimorum ſtirpe regum deducendo,per atauos,auoſque,& nepotes, vera quidem fortaſſe, ſed certe ſimillima fabulis, in hunc modum refert. Francum Hectoris F. Priami nepotem, Troia capta profugum,quaerentem ſedes, poſt varios errores, ad Danubij ripam deueniſſe. *I*bi condidiſſe vrbem, quae Sicambria dicta ſteterit incolumis, donec Valentiniano Caeſari ferre tributum recuſans, meruit exilia, proſcriptiones, caedes, quaeue alia ſequuntur principum iras. Tunc Marcomirum, & Genebaldum,& Arnulphum primi conditoris ſanguinem, inter alios exules, nouum in Rhodani ripa domicilio locum elegiſſe. caſibuſq; deinde varijs,poſteros eorum, obtinuiſſe loca, & opes,haud multum infra fortunam auorum. *Ita* reſtituta domo, Anchiſes Arnulphi filius regnat. Anchiſe Pipinus Craſſus ortus; Craſſo Grimoaldus; Grimoaldo Carolus Martellus; Martello Carolus, Pipinus, Briphus orti, quorum duo priores in omnem paternæ fortunæ hæreditatem ſucceſſere, cùm tertium ob ſcelera pater iratus, bonorum exortem in perpetuam cuſtodiam abdidiſset. Et Carolus quidem abſq; prole deceſſit, cœlibem intra Monachorũ clauſtra vitam ſecutus; Pipinus verò Carolum Magnum creat. Ex Caroli ſtirpe longa ſeries nepotum propagata,quorum ditiſſimus,& incerto tamen nomine,Turtiani cognomentum obtinuit. Is cùm

prin-

principem feminam ex Belgica prouincia in matrimonium duxiſſet, duos ex ea filios ſuſcepit, qui metu Caeſarum in Italiam profugi, totidem Tatij cuiuſdã filias in matrimonium accepere; dotiſq; nomine, poſt Soceri mortem, Vallis Saxinæ dominatus cum caetera hęreditate fratribus obuenit. Hi patrium poſtea retinuere nomen, Turrianiq; progenies eorum appellati, & Gallicae originis argumento, turritũ ſtemmati liliũ manebat. Haec de Turrianorũ origine Corius, vera, ſiue ficta ab alio, & ipſi credita pro veris tradit. Sunt, qui D. Ambroſium ſcribant, cùm bello perſequeretur Arianos, eligeretq; duces in ſingulas vrbis regiones, Portâ nouâ Turrianos inſtituiſſe, Saxinamq; vallem illis attribuiſſe beneficiario iure, quòd poſteà ius, & Imperium ipſi latius extendendo, ad Medam vſque pagum dilatarint. Turrianus, vbi Tribunatum plebis eſt adeptus, fauore erga ſuos immodico, hoſtiles in nobilitatem animos gerens, duas ex vna Ciuitates fecit. Ab vna parte cum Tribuno ſtabant Turriani ceteri, Cribellique, & Soreſinae, & Pirouani, certamine factionum optimatimatibus infenſæ familiae, quae, ne apud nobilitatẽ conſiſterent in quartis, quintiſue, ſecundum, tertiumue potius in plebe locum appetebant. Ab altera parte, Vicecomites, & Biraghi, Capitaneique, & Valuaſores, & alij, queis ex patriae libertate principatus quærebatur. hi Leonem Peregum, ſpecie nomineque Pontificatus, arbitrum eſſe rerum omnium volebant, quicquid ille in vrbe poſſet, vim, & opes fore ſuas rati. Ob ea, Ticinenſes, ſublatis animis, cùm arma ſumpſiſſent, & ad

Gini-

Giniſtas facilè ſuperati, rurſus inter os praedae noſtros vrgerent, captiuoſque adeo ex nobilitate quoſdam abduxiſſent; apparuit, longe diuerſos in Ciuitate eſſe habitus animorum, vbi ipſi inter ſe contendant Ciues, & vbi externus hoſtis laceſſat. Excitus enim indignitate ea Paganus, acri praelio fundit hoſtem: fuſum ad Ticinẽſes vſque portas perſequitur, captiuiſque receptis ouans in vrbem redijt; nec fuit deinde ſuperſtes. Sepultus eſt in Clarae Vallis Aede humili tumulo; ſed viri laudes amplexa tabula magnificentiam operum omnium aequauit. Ambroſianae rei parentem, Eccleſiae defenſorem, ductorem exercituũ, ſummumq; philoſophum intra pauperis illius vrnae ſinum cohiberi. Placuerat plebi petitum ex Turriana domo regimen, idq; in familia continuantes eadem, Martinum Pagani nepotem, Pagano mortuo Tribunum creauere. Eius vità in Magiſtratu longior fuit, quàm fuerat Aui, ciuilique moderatione, inter gubernacula multitudinis, & bella cum nobilibus, ſimul inter Imperij ſeueritatem, & blãdas artes, eſt aſſecutus, vt illa temporaria praefectura foret inſtar hereditarij dominatus, remq; Mediolanenſem ſibi, & familiae ſuae firmaret, donec poſt ancipites euentus praepotuere Vicecomitum arma. Sed nec ipſius interea victorias laudauerim, vt quibus pulſi in exilium Pontifices, ditaeq; caeleſtes in vrbem noſtrã laceſſitae, ſicuti poſtea memorabo. Nunc, diuiſa, quamquam rep. cùm hinc Turrianus, & Plebes, inde Viceco mites, & Archiepiſcopus, capita rerum ſtarent, gerebantur foris bella tamen, ita ut diuulſam eſſe Metropo-

lim

lim laetari hoſtes non poſſent, & domi iura, ſiue iuris imagines, caeteraq; ſanæ ciuitatis vigebant. Quippe reperio, illata Comenſibus interim ob veteres inimicitias arma, Mediolanumque cinctum eſſe mœnibus, & ſex Cardinales, Fernandumque Caſtellæ Regem, cultos honoribus, qui haberi poſſent vel in pace media; Caſtellanum apud Archiepiſcopum in hoſpitio fuiſſe. Etiam in D. Teclae Aede conuentus habitus legum ſcribendarum cauſa, cui conuentui Montelongus Pontificis Legatus, Legati Nouarienſes, Legati Placentini, & cum Tribuno Turriano Credentiae Conſules praeſedere. Scriptae leges, aliae pro Rep. ſtatuque ciuili, vectigalibus exigendis, aerario conſtituendo; illa pertinuit ad religionis, & Eccleſiae cultum, qua decreuere, vt populus ad concionem ſonitu campani aeris vocaretur, eique miniſterio ſtipendium de publico eſt conſtitutum. Sed Pontifici quoque maximo ſuppetias aduerſus rebellantem cum ſua factione Rogerium tulere, LegatuſqueMontelongus cum ſexcentis hinc armatis egreſſus in eum hoſtem, arripere fugam coegit. Adeo ciuitas hæc, ſibi turbulenta, diſcors, infelix, in aliena ſufficiebat & viribus, & conſilio, cùm domi pacis inire viam neſciret. Et quaſi rerum omnium, praeterquam ſeditionis finiendae compotes eſſent, ita victo Rogerio, nouis Remp. ordinare plebiſcitis aggrediuntur. Summa haec fuit. Publica nomina, Praetor in codicem referto. Codices ipſos apud Braidenſes Humiliatos deponito. Qui priuatim aliquid, debebit, intra duos menſes ſoluito. Ab idibus Maijs,

„ ad D. Petri feſtum diem feriae iudiciorum ſunto .
„ Aeris alieni cauſa, ne quiſquam e ſuis aedibus exturbe-
„ tur, neue ſpolietur ſtragula veſte, neue lectuli auferen-
„ di ius eſto. Si quis contra haec plebiſcita priuilegium
„ abſtulerit à Pontifice Maximo, Pontificisve Legato, eius
„ priuilegij rationem Magiſtratus ne habento vllam.

Cauerunt item alia leuia dictu, quae ne attigiſſe quidē operæ precium duco. Anno poſt leges haſce latas, Mediolani Praetor fuit Henricus Ripa, cuius nomen, atque memoriam hoc loco praetermiſiſſe, Iniuria Eccleſiaſtici noſtri operis fuerit. Is, quo primum die, Magiſtratum inierat, edixit, ne quis coleret exulum agros, neue exuli vllius rei pretium daretur. Ita nimirum crediderat poſſe ſubigi multorum animos, vt pacē mallent, opulentamque domi requiem, quám diſſidij dulcedinem, & errores aſſiduos, & malam egeſtatem. Edixit etiam, quoniam ſciret, magna per bellum multis importata eſſe detrimenta, villas incenſas, vaſtatos agros, ſe quantum quiſque damni profiteretur, exoluturum eſſe. Mortuus eſt Genuae, acceptoque nuntio Mediolanenſes publice luxere talem virum, & clypeum eius, funebri pompa delatum in Ambroſianam Aedem ibi ſuſpendêre cum lacrymis. Ingens & rarum ex omni memoria ſpectaculum hoc tempore fuit vrbi Pontifex Maximus, cùm is ab Lugdunenſi concilio rediens Romam, Genuae ſubſtitiſſet, atque inde Mediolanum veniſſet: Miſerat namque Ciuitas ipſa rogantes Legatos, vt inuiſeret Metropolim, itinerisque moleſtiā pro ſalute ac dignitate nominis Ambroſiani ſuſcipere ne-

X

gra-

grauaretur. Legati autem in id fuere, Praetor ipſe Ripa, quē Genuae mortuum eſſe memoraui, Facius Orombellus, & Caſtollus Landrianus; quorum auditis precibus Innocentius venit. Excepere quaeſitiſſimis honoribus ciues, Ciuitaſque adeo ipſa ſuis excita ſedibus obuiam proceſſit. In eo fuit agmine mille ephoeborum, qui ex omni nobilitate delecti, inſignia Pontificatus gerebant. Bis duodeni principes vrbis, attollebant vmbellam: ſublimis ipſè pretioſa ſella deportabatur: Ambroſiani Monaſterij aedes hoſpitium fuere: ibi lautia praebita, ipſi, comitibuſque: & opiparis accumbere menſis volens nemo prohibebatur. Id publicae gratulationi datum. Ab nonis Quintilibus ad viij. *Id.* Octobris fuit Mediolani Pontifex; quo tempore inſpexit quidem etiam quae magna, & praeclara hîc antiquitus habentur, ſed pręcipua fuit cura Chriſti Vicario, pacem dare Metropoli, radiceſque factionum excindere, quae toties acciſaę reuiuiſcerent ſemper atquę renaſcerentur incremento multiplici. Id verò cum ſe eſſe aſſecutum ſperaret, minime aſſequebatur, promptis ſcilicet tantummodo in frontem ad conſilia accipienda animis, coquentibus autem intus eandem tabem ac venenum, & obduratis conditisque altius fibris, quàm vt excindi poſſent: Teſtificando tamen in Sedem Apoſtolicam obſequio, reuerentiaeque erga tantam obiectam oculis maieſtatem, publicè obſecrauere Pontificē Innocentium, vt Praetorem ipſe vrbi daret in demortui locum, ſiue adulatio ea, ſiue multis imminentibus ei Magiſtratui, ſalubre conſilium fuit. Datus eſt Gherar-

dus Rangonus, qui ad Cal. vſque Ianuarias tenuit Magiſtratum; vnde pertaeſus humana, contulit ſe ad minores Franciſcanos, atque ibi reliquum vitae egit. Caeterùm, etſi nec praeſentis maieſtate Pontificis, nec aequitate ſua vlla Mediolanenſes, nec die ipſa, quae cuncta mitigat & lenit, finire potuerant ſuas inter ſe ſe contentiones; certaminaque, & ſemper adiunctae certaminibus irae alte inſidebant animis: conſederat tamen animorum impetus ipſe pauliſper, & digreſſo ab vrbe Pontifice, per aliquot inde dies compoſitius ibi moderatiusque agebatur. Sub Pontificis diſceſſum venere in vrbem Viſtarini Laudenſes aduerſus aemulā ſibi familiam Auerſatiorum ſubſidium opemque implorantes, vt ne ab inimicis illis fretis communium inimicorum auxilio opprimerentur. Namque paruam etiam illam vrbem ſuperbia familiarum iſtarum factionibus trahebat; & quaſi non ſatis malorum domi eſſet, externa vtrique arma conciuere. Viſtarinus, quia ſciebat infenſam adhuc ob vetera Metropolim eſſe; ſubſidia hinc ad patriam opprimendam ſperarat: Auerſatij memores item veterum rerum, nuſquam certiora vlla alibi, quám Cremonenſium auxilia circumſpexerunt aduerſus fretum Mediolanenſium armis hoſtem. Ita duo diuerſi exercitus ad Laudem Pompeiam, dum factionis diuerſae homines propugnant, vaſtabant hoſtiliter vrbem eandem, atque per ſpeciem tuendi partes alienas, odia ſua, pars vtraque explebant. Demum aperti ſunt Ciuitatis eius oculi ad videndam, intelligendamq; perniciem, quae certiſſima ſibi per copias illas auxilia-

res

res parabatur; duceſque partium, ſubacti damnis, & grauiora in poſterum timentes, expetita vltro inter ſeſe pace, Archiepiſcopum, populumque Mediolanenſem rogauere, vt eius conciliandae pacis arbitrium ſumere ne grauarentur. Mediolanenſes facti ſic arbitri rerum controuerſiarumque omniũ, quae familias eas ad patriae excidium armarant, ſiue, quae potẽtiae ſuae cauſa armatis, obtentui fuerant, pulſis ab Laude Pompeia Cremonenſibus, reductoque domum exercitu, pacificatores illuc miſere Acurſium Niguardam, & Vitcuſium Marinonum, qui agitatis inter ſe conſilijs, cuncta ex aequo, & bono compoſuere. Aequitatis, & clementiae laus quaerebatur, poſtquam ſatiatae irae erant. Mox ipſi Mediolanenſes, erumpente ex animis, qui ſopitus eſſe videbatur impetu, ad priſtina reuoluuntur, finemque rebus Ambroſianis dixiſſet adeſſe quiſquis fando audiret talia, aut videret. De Canonicis Templi Maximi priuilegium erat iam inde ab Aenobarbi temporibus, vti legerentur ex nobilitate tantùm, creberrima cauſa diſcordiarum in vrbe, materiesque plebi conuiciorum in nobiles, dum omnia, quae familijs illuſtribus obiectari poſſunt, obiectant nauiter atq; impigre, interpretando ſingulorum natales, & ab ſtirpe vltima repetendo quicquid vmquam in penatibus triſte vel ambiguum, ob fęminarum vitia, notoſque lapſus, ſiue ob virorum etiam errores, & neceſſitates accidiſſet. At Canonici, aduerſus oblatrantem aſſidue tumultuantemque plebem, ſeque & priuilegium ita defendebant. Pergerent ſanè homines audaces

aduer-

aduerſus Eccleſiae Miniſtros, publicae ſalutis parentes, cuſtodesque ſacrorum ingrati eſſe, dummodo ne ipſi, nec ſuo dolore, nec iniuria cuiuſquam à maiorum inſtitutis, & ea, quam ſemper inſtiterint via, deducantur. Interea, de Sacerdotijs, & Collegio quod petatur, ſe perſeueraturos in eo, ne contaminari Eccleſiae ho-
» nores ſinant. Abſit enim (aiebant ſeniores patrum)
» abſit, vt, cùm exactis iam vitae ſpatijs ad finem appro-
» pinquemus, feramus infelicem hunc nuntium ad San-
» ctũ Patrem Ambroſium, caeterosque qui Metropolim
» hanc fundauere; ſua ſacra, ſuum Collegium ad plebis
» infimae quiſquilias recidiſſe, mixtum albo purpureum
» vſurpare corporis velamen, & latera pontificis tegere
» aſſumptos homines ab vilibus opificijs, qui antea ſplen
» dorẽ illum, idque miniſterium attoniti mirabantur.
» Citius nos, hanc Eccleſiam, & hunc ordinem, ipſamq;
» patriam relinquemus, quàm tantam ſpectemus indi-
» gnitatem dedecusq; ſacrorum. Cùm haec inter eos, & alia conuicia torquerentur, audirenturque viciſſim, iniuriae quotidie fiebant atrociores, ſtimulabatque Canonicos Leo Peregus Archiepiſcopus, cupidus homo rerum nouarum, & blandiente paulatim ambitione progreſſus eò, vt iungere cum Eccleſiæ gubernaculis etiam in profana dominatum tentarit. Pro plebe Martinus Turrianus ſtabat. Poſt magnas vtrinque contentiones, & omnia ciuilium irarum exempla, Peregus & Canonici, qui Regiae fortunae ſpeciem concupiuerant, & ipſum haud dubie regnum moliebantur, exuti bonis omnibus, plenique cladis, & ignominiae, pelluntur

tur vrbe, memorabili exemplo, ne, quibus obrigit Apoſtolica quies, temere ad arma inſurgant. Simul pulſa nobilitas, & rerum omnium ſumma relicta penes Turrianum. Archiepiſcopus magnitudine curarum & belli laboribus in morbum delapſus extinguitur ad Legnanum, vir, ſi quieſcere potuiſſet, in Pontificatu nō infelix, felicior, ſi priuatus ad extremum vſque manſiſſet intra Franciſcana clauſtra, quod vitae genus principio ſecutus fuerat. Dulcedine honoris reliquit Monaſteria; mox intrauit animum Imperij libido, quae traxit hominem in abrupta, potuitque rerum exitus videri, ſera ſed iuſta poena in deſertorem olim Ordinis ſui. Quae coarctata ſic narrationis curſu, & referta fuſius explicabo cum rebus caſibusque alijs, qui Mediolani interim, per certaminis, & negotij huius interualla, laeti, ſiue triſtes euenere. Nam ad primos eius cōmoti certaminis tumultus, famamq; cōcitatae plebis aduerſus Canonicos, finitimae Ciuitates, magis equidem credo adulatione in Metropolim, quàm amica vlla cura, miſere legatos, eoſdem ad Archiepiſcopum, eoſdem ad Tribunum plebis Turrianum, cum precatione ea, vt ſi qua poſſent aequitate, facerent diſcordiae finem, quæ inutilis ipſis, perniciosa eſſet Italiae toti. Venere talia rogantes legati ab Laude Pompeia, Ticinoque, & Bergomo, & Nouaria, Coenomaniſque Brixiēſibus, quae Ciuitates habebant ſingulae proprias laetitiae cauſas ob ea Mediolanenſium mala, nec fallebant. Itaque legatis reſponſum erat nihil aliud, quàm gratam eſſe Metropoli Ciuitatum bonitatem, qua lega-

tiones eas miſiſſent, & ipſam viſuram eſſe Metropolim, quid ſibi conduceret; Cæterùm tamen, per eam occaſionem iniecta pacis mentione, dabantur vrbi ſermones, vnde ſpatia aliqua, & interualla ciuili malo, delinimentumque animis, vt conſilia pacis agitando, placabilius interdum ſaeuirent. Vbi ludificationes iſtae quietē oſtēderant rebus, conticueratque ſeditio domi, pacificatrices eaſdem, quas nominaui vrbes excitabant vindicando, & repetendo, & vſurpando actiones, quae per domeſticos illos tumultus, velut oblitteratae conticuiſſent. Columnam, ſiue pilam faciendo ad Vigleuanum ponti, quà praefluit vrbi Ticinus amnis poſuere odioſam rem Ticinenſibus ipſis, quos, & appellauere hoſtes ob violatam ſaepius ab Ciuitate illa fidem in Metropolim, ſemperq; poſt reconciliatam amicitiam, hoſtiliter aliquid admiſſum. Iuncto igitur in eorum contumeliam amni transgreſſi nouo ponte in Laumellenſem agrum, cuncta ibi perpopulantur, tanto maiore ira & damno, quò felicior omni frugum genere ager erat. Gambolum inde, Mortariam, Buſcaliam, Sanctalbinum, caſtella haec ſiue municipia Ticinēſium, obſeſſa ceperant, capta praeſidijs occuparant, dederantue diripienda militibus, quorum cupiditates longa egeſtate efferatas, ciuilis inſuper praeda irritarat magis quam ſatiarat. Vrbana ea manus fuit duce Manfredo Lācia Praetore Vrbis; cohortesque ꝑ ſingulas conſcriptae paroecias, ſuae regionis tutelarem Diuum vnaquaeque vexillo depictum praeferebant, & D. Carpophori cohortem, Mortariae moenia tranſcen-

diſſe

diſſe primam ferunt. Sed victoria de hoſte haec, aliaq; in alios conſilia, & apparatus, irrita, & vana, miſeraq; erant, ob turpē inteſtinae ſeditionis exitum, qui victoribus aderat, vt nimirum expellerent ſeſe inuicē vrbe, profuguſque, vt dixi Archiepiſcopus, & profuga cum eo nobilitas, victricem ac dominam in excelſa patriae ſede plebem relinquerent. Eiectio autem ea Pontificis, & nobilium ab longinquis cauſis ſenſim & occulte conflata, poſt varias rerum inclinationes, cum vltimo deniq; praecipitio, ſic erupit. Cùm Nobilitas, & plebes, circa Templi maximi Canonicos, & Vrbis Imperium, vt memoraui, diſcors, ſibi ſeorſim tenderet, ac duces vtrinque, Martinus Turrianus, & Archiepiſcopus Leo, quotidiano tumultu patriam fœdarent, manebat tamen, atque retinebatur in vrbe nomen, & vmbra Magiſtratuum, tamquam ea cura partibus eſſet. Nam Archiepiſcopus ipſe, Valuaſoreſq; & Capitanei, ne Sacroſancta dignitas ad certamina illa palam & apertè com modando vim nomenque ſuum, contagione rerum, & bonorum offenſione exoleſceret, conſenſerant, vt pro capite, ac duce nobilitatis Archiepiſcopo, Paulus Soreſina oppoſitus Turriano tumultuator, ſpeciē, nomenq; praeberet, quaſi agerentur ipſius cōſilijs, & ductu, quae Pontificis auſpicijs, haud dubiè fiebant. Ita Nobilitatis Rector, & Tribunus plebis, non inhoneſta nomina, negotijs, haud honeſtis inſerebantur, pudorque interdum apud horū animos oriebatur aliquis, vt imagine quietis, & actionum dignitate munus id ſuſtinerent. Hiſce Tribuno & Rectori Praetor interiectus, vinculum ad

negotia continenda, & regenda erat aliud, ne ruerent in praeceps. Praetores ad eam diem, non Mediolano indidem, ſed foris aſſumebantur, vt quiſque vir optimus intelligentiſſimusque legum, & militariter etiam aptus haberetur. Id ad tollenda inter ciues ipſos iurgia ſaluberrime eſſe inſtitutum videbatur. Praetor nouiſſime fuerat Philippus quidam Bononienſis, qui, cùm Manfredo Lanciae vicariam in eo munere operã nauaſſet, ſucceſſerat ei, deinde loco motus fuerat. Cùm ſucceſſor huic quaereretur, neque res vllo modo inter factiones conuenire poſſet, conuenit denique hoc, vt quatuor viris, Abbati ClaraeVallis, Abbati Humiliatorum, Euſtorgianæ familiae Præfecto, & Praefecto Franciſcanorum, his igitur publica poteſtas arbitriũq; eligendo Praetori eſſet. Abbates, & Praefecti illi Henricum Saccum hominem Laudenſem elegere, qui vix inito Magiſtratu, ſeditione pulſus vacuum id munus reliquit Beno Gozano, vt nequiſſimus homo omnium qui tunc erant mortalium, impotentia ſceleribuſque ſuis, aperiret maturae iam nobilium electioni viã. Namque is, ſuper ceteras animi labes, ſuperbia etiam & importunitate, quae fere vitia Optimatum ſunt, totus eius factionis, vectigalibus exactionibusque nouis opprimendo plebem, & populi calamitates, ac luctum gratificando nobilitati, partem ſic vtramque, alteram quidem miſerijs, & dolore, alteram verò contumacia, & elatione, & ſpe victoriae accendebat. Ita, dum populares, quibuſcunque poſſunt modis, damna & iniurias vltum eunt, & nobiles hoc ipſo irritantur

magis,

magis, tantoque infeſtius ad corripiendum vrbis dominatum inſurgunt, ducibus iiſdem, hinc Archiepiſcopo, hinc Tribuno ad ciuilia arma deducta res eſt. Cuius belli futurus hic erat exitus, vt pars potentior profligata, & eiecta cum duce ſuo, fugeret inſana per agros trepidatione hoſtem, quem ſuperbe contempſerat, ductorque miſeri delicati agminis Archiepiſcopus, ſede ſua, vt dixi, extorris moreretur. Inde laeta ex bello tam atroci pax aderat, ſed infida eadem, & poſt breue gaudium, datura vrbi alios ſine fine tumultus, & clades. Anno cIↃ.ccivij. ad iv. Nonas Quintileis populi vitans arma impetumque Archiepiſcopus Leo cum grege nobilium vrbe egreditur, magnum belli opus perfectum ſibi eſſe exiſtimans, quòd incolumes euaſiſſent. Vagati inde per dies aliquot, quà tutiſſimos aduerſus inſecuturas populi dominantis copias eſſe proſpectus crediderant, ad nonas Sextil. forte, ſiue ex deſtinato ad Seprienſem arcem conſtitere, vacuamque eam inſederunt. Inde caſtella alia, vt quodque apertum opportunumue erat, inuadebant; communierantque Variſiũ, Fannianum, Sulbiatum prope in noui belli faciem, bellumque haud dubie nouum extorris eiectitia nobilitas moliebatur. Et repentinus ab vrbe cum exercitu Turrianus totis vndique copijs eos circumfudit, ac pugnabatur vtrinq; vi ſumma, itaut alterutri parti adeſſe internecionem appareret. Hinc ira in victos iam ſemel & fuſos, hinc deſperatio animos accendebat. Seprienſes etiam ac Marteſani, adiungẽdo ſeſe his aut illis, aequauerant prope periculum, redituris in vrbem paucis, dũ

qui fugerant pariter, & qui perſecuti erant, in promiſcuas caedes eunt. Miſera & indigna res, nomen omne Mediolanenſium, relicta vrbe ſterni per arua, & ſua ipſum rabie ſuam extra ſedem abſumi, caputque malorum parte in vna fieri poteſtatem eam, quae praeſidium, & ſalus eſſe patriae rebus deberet. Tunc vicinarum ciuitatum, eadem, quae prius, adulatio, aut vocauit partes ad pacem, aut arma illa pertaeſis, cupientibusque finem, praebuit honeſtas anſas, vt neutri otiũ concupiuiſſe, ſed conditiones admiſiſſe rogati viderentũr. Namque Ciuitates eæ, quamquam, & prioris reſponſi memores, ex quo intelligere potuiſſent, legationes ſuas fuiſſe contemptui, & rebus attonitae illis, quas poſt miſſos legatos hoſtiliter in ſe eſſe motas reputabant, atque maiore etiam attonitae metu, quia nõ adhuc ſerio ad extrema ſpectare certamen viderent, obſequium curamque eandem erga Metropolim ſimulauere. Timebant enim, ne ſperaſſe crederentur interitum vrbis, eaque expectatio, & index malæ ſpei ſilentium noua aliqua calamitate poſtea luendum ſibi eſſet. Quare aderant Legati, ciuitatum ſuarum nomine petentes, hinc, ab Optimatibus Archiepiſcopoq; Leone, hinc ab Tribuno Turriano, & primoribus plebis, vt ſi ſatis magno exemplo pars vtraque putaret eſſe demonſtratum, quantum opibus, & virtute poſſet, darent hoc etiam Ciuitatum ſubiectarum, & Iuſubriae totius mœrori, ne Vrbem, quam ceu parentem, & dominam ſuam vnice ipſae venerarentur, ciuilibus ſemper turbatam armis viderent. Vltra dicere quicquam,

quam, neque pudoris, neque fortunae ſuae eſſe. Rogare tantùm, vt quoniam generoſa pectora expleuiſſent iras, etiam clementiae inuicem meminiſſent. Nota erat adulatio, & apud ſimulãdi artifices, magis, vt erant iſta, quàm vti dicebantur, vim pondusque habuere. Parti vtrique cupienti re ipſa pacem, & in ſpeciem abnuenti, precatio ea legatorum, machina & inſtrumentum fuit, vt quaſi ſua ſponte proueniret, id quod iactanter contemnebant, & flagrantiſſime expetebant. Dum prenſant legati ambitioſe, apud huius modò, modò apud illius exercitus capita duceſque partium, dum intellecta etiam ipſi diſſimulatione animorum, tacitoq; ſenſu, ſumunt inde animos, & iterare preces, atque tentare altius rem, inferreque ſubinde etiam de conditionibus aliquid audent; abſtulere demum quoſdam eiuſmodi nutus, & eluctantia quaedam ac ſuſpenſa verba tamquam liceret de pace agi, ſiqua honeſta, & tuta partibus via reperiretur. Simul, Dominicani Ordinis grauiſſimi viri, & e Franciſcana familia, quę Minorũ dicitur, noti in vulgus alij propter sãctimoniã homines, cognita ea voluntatum inclinatione, venere in caſtra, perfectumque prudentia, & lenitate horum eſt, vt ad pacis conciliandae arbitrium atque facultatem, miſſis ambagibus, libere & explanate fides daretur. Data eſt Dominicano, & Franciſcano ordinibus, & qui nomine exercituum aſſentirentur, ab nobilitate, Bardius Boſſius; ab plebe, Iacobus Euſebius electi. Sed quoniam eo bello pulſus Archiepiſcopus & violata ſacra erant, cenſuere Patres ijdem, mittendos eſſe Legatos Romam,

vt ſummi Pontificis authoritas componendis rebus interponeretur. Miſſi Legati, induciaeque menſis vnius factae; quae dies, antequam exiret, dum legati cum Apoſtolico reſponſo expectantur, Archiepiſcopus ad Legnanum eſt mortuus. Poſt eius obitum Mediolani in Baſilica Ambroſiana anno cIↃcclvIII pridie nonas Aprilis, Praetore Vrbis Ricardo Fontana facta pax eſt inter patritios, & plebeios; eamque D. Ambroſij pacem annales nuncupauere, proptereaquod congregati partium primores in Magni Pontificis Aedem, ad publicum id, vtinam etiam ſtabile bonum conſenſiſſent. Sancita pace, Nobilitas Mediolanenſis, haud quaquam ſui ſimilis erat, partámque bonis temporibus dignationem, & famam, altero tanto nunc mutaſſe dedecore, & obſcuritate videbatur. Nam victrix illa plebes perennis inimica nobilium, ſicuti finem armorum, & concordiae nomen haud abnuerat, taedio magis, & aliquo reualeſcentium hoſtium metu, quàm aequitate vlla, ita victoriae ſpeciem, & belli praemia retinuit in omnibus rebus, neque fuit in conditionibus quod ad patricios magnopere pertineret. Valuaſores, & Capitanei fere nominati, commoda, & ſocij & honores eorum, ſcilicet, qui deſerta, & prodita nobilitate ad populum defeciſſent; de caeteris parce omnia, & reſtricte, tantùm vt illata Canonicis damna ſarcirentur, idq; nec fiebat ſtatim, & ne fieri poſſet, res turbatae sũt iterum, & afflictae. Conditiones autem legeſq; pacis huiuſmodi fuerunt. „Concilium vrbis legendi ſupplendique ius habebunt ex aequo, patritij, & plebeij;

ma-

„ magiſtratuſque,& honores omneis,tam Motae,& Cre-
„ dẽtiae hominibus,quã Valuaſoribus,& Capitaneis iſtis
„ parebunt. Si quis, aut princeps vrbis, aut Pontifex,
„ publicusue coetus aliter ſtatuerit, irritum vanumque
„ eſto, neque Reſp. decreto eo tenebitur. Albertus
„ Mandellus,& Henricus Mutianus, & Petrus Buſca fa-
„ ber ferrarius reſtituentur in patriam, & ſoluentur ex ſi-
„ lij pœna,quae ipſis irrogata eſt. Cum populo Comẽſi
„ pax,vti eſt inita,manebit: priuilegia aduerſus rem, vi-
„ tamq; ciuium lata reſcindentur. Si quid ex primo in-
„ duciarum die in hunc ipſum initae pacis diem, ex Co-
„ menſium agro,ſiue vrbe raptum abductumue fuerit,
„ reſtituetur, vel vbi res ipſae non comparebunt, com-
„ penſabitur aeſtimationibus aequis. Idem in Nouarien-
„ ſibus fiet, neque aduerſus eum populum,actio vlla erit
„ præterquam earum rerum, quas publicè, ſiue pri-
„ uatim debent, cuius aeris alieni ſingraphae, & ta-
„ bulae prolatae erunt. Exulũ bona liberabuntur: ſi quid
„ ex bonis,prædijſue illis publico decreto alienatũ fuerat,
„ pretia dominis perſoluemus. Si qua mulcta, & pœna,ob
„ fraudẽ dimetiẽdo agro, reiq; aeſtimãdae factam,dicta
„ fuit,remittuntur eiuſmodi pœnae,& mulctae,neq; vllus
„ eo nomine arceſſetur. Antiquantur leges,& decreta om
„ nia, quaecunque ante annum cIↄ ccli. lata fuere, niſi ſi
„ quid eorum,ad Religionis, & Eccleſiae cauſam ſpecta-
„ bit,& niſi ſi quid ad prohibendas in vrbe caedes,remue
„ monetariam emendandam,exigẽdaque, vel diſſoluẽda
„ nomina pertinebat. Praetorij Sacramẽti formula,ſicuti
„ fuerat inſtituta,& cõcepta,retinebitur. Prędia fundos,

agros,

„ agros,quae Montisferrati Demarcho adempta, Maine-
„ rij fratres tenent,poſſeſſio familiae illius erunt,ita qui-
„ dem ſi recuperatores quinque cauſa cognita,iuſtum id
„ verumq; eſſe pronuntiabunt. Rapinarum, populatio-
„ num,direptionum,quæ ad Seprium factae ſunt,obliuio
„ erit. ne rebus ijs vindicandis, repetendis, aeſtimandis
„ controuerſia vlla exiſtat. Quod Marcus Craſſus,& Leo-
„ nardus Vicecomes ob Romanae legationis ſumptus
„ ſatisfieri ſibi aequum cenſent,de ea re Praetor ad Con-
„ ciliũ referet, vt priuatis iſtis,ſi ita videbitur,de publico
„ ſatisfiat. Referetur itē de Veriolo Puteobonello,factio-
„ neque eius;an ſcilicet aequũ ſit, reſtitui quae adempta
„ illis,& in publicum redacta eſſe dicuntur, ex quo à Val
„ uaſoribus,& Capitaneis deſciuerunt. Quæ, iura & emo-
„ lumẽta Capitaneis Arſaghis ad Vaprium ſunt ex põte,
„ dabit operã Praetor vti familijs illis perſoluantur, quò
„ pontem tueri ipſum poſſint,praeſidiaque habere ibi,ne
„ repentina aliqua impreſſione inaedificetur aditus, &
„ obſtruatur. Motæ,& Credentiæ hominibus, vt vecti-
„ galia,& emolumenta ſua procedant,curae Praetori ei-
„ dem erit, omnique ope,& militari etiam auxilio, ad
„ exactionum earum facultatem ipſos tuebitur,quando-
„ cunque res,& cauſa poſtulabit. Frumenti numerus, &
„ pacta olim copia quotannis in publicũ coemetur. Agre-
„ ſteis,cum fide profitebuntur,quantum quiſque frumẽti
„ in horrea cõdiderint;inſpiciendique Clericorum etiam
„ horrea poteſtas erit Magiſtratibꝰ,vt quod ex neceſſario
„ eorum vſu redundabit,vendere iuſto pretio id cogãtur.
„ Rapinas,& damna per bellum illata ſuburbanis intra

quar-

„ quartum ab vrbe lapidem, Praetor videbit, vti ſarcian-
„ tur eorum damno, per quos ablatum ibi, direptumue
„ eſſe quippiam conſtabit. Ob ſarta tecta, viaſq; publicas
„ ſternendas, marginandas, ſubſtruendas, Aediles,
„ quibuſue alijs curatio ea erit, nihil noui oneris po-
„ pulo imponent. De Collegio Templi maximi contro-
„ uerſia nulla erit, quominus admitti illuc, e plebe homi-
„ nes poſſint, ſicut etiam Archiepiſcopus Leo cenſuerat.
„ Super ea re legati mittentur ad Pontificem Max. vt ip-
„ ſius authoritate Populo Mediolanenſi ius aditusq, ad
„ eum hominem firmetur. Legati erũt ex nobilitate pro-
„ miſcuè, & plebe, negotiumq; id Guiſcardus Petraſãcta
„ ceu neutrarum homo partium gubernabit. Nullus e
„ Collegio actioni huic reſiſtet. Per homines Cleri totius
„ grauiſſimos, atq; innocentiſſimos aeſtimationes fient
„ damnorum, quae, poſtquam ad arma eſt itum, ad Col-
„ legium illud peruenere. Si Martinus Turrianus, & cum
„ Daneſio filio Landulphus Cribellus, & Gaſpar Biragus
„ alijque, Valuaſores, & Capitanei, qui deſerta nobilitate,
„ fuerũt in populariũ partibus, redire ad patritios volẽt,
„ comiter, ac benigne recipientur, & ſine exprobratione
„ vlla, vel detrimento, priſtina iura inter ſuos obtinebunt.
In Ambroſiana Aede congregati partium primores, hæc & alia nonnulla decreuere pacandarum rerum, quae libenter ego retuli exiſtimans, poſſe iſtã conditionum ſerie melius adumbrari temporum eorum formam, atque ſuppleri quicquid in reliqua narratione praetermiſſum eſſet, ne totos patriae annales huic Eccleſiaſtico operi intexeremus. Apparet namque hinc.

& manifeſte intelligitur, praeter illam de Templi Maximi Collegio contentionem, & litem, alia fuiſſe multa, quae ciuium irritarent inter ſe ſe animos, & cauſa armorum forent. Atque intelligi praeſertim conſiderarique oportet illud, quod ex vno conditionum capite ſignificatum, in conditionibus etiam ipſis paene praetermiſi. Archiepiſcopum nempe Leonem, cùm ſpe pacis inchoata, verſisque in actionem eam animis, ad Legnanum ipſe moreretur, ſanxiſſe voluntate ſua vltima, vt plebeijs perinde, ac nobilibus aditus in Collegiú pateret. Sed cùm primores ad vrbem agitarent atque paciſcerentur inter ſe iſta, diuiſi adhuc, & vagi per agrũ exercitus, leuia primò inter ſe certamina ſerebant ex occaſione, deinde in pugnam iere atrociorem, quàm quae manente bello, pugnata vnquam inter eos fuiſſet. Initium autem, & cauſa ſaeuiſſimi praelij in media pacis ſpe extrinſecus aduenit, non inter ipſos nata eſt. NouoComi inter Viranos & Ruſconos de principatu vrbis ambigebatur; & ſicuti pars altera nobilium, altera plebeiorum erat; ita plebes nobilitasque Mediolanenſis, in hos, illosue diducebatur, tanta vtrinque pertinacia ad fouendos ſuos, vt ſi nihil aliud turbarum Mediolani eſſet, poſſet ſatis hoc certamine irritari ciuitas, & accendi. Exarſerant factiones illae hoc tempore forte vehementius, auditoque ſtrepitu Mediolanẽſes, ex vicinis agris, aduolauere Nouocomum, vt ſuis auxilium ferrent. Ibi nobilium exercitus, in Ruſconorum aciem, plebeius in Viranorum aggregati, oblitique induciarum, dum pro alijs pugnant, ſuo inuicem

ſan-

ſanguine ſatiauere ſeſe velut in contumeliam inchoatę pacis. Amplius decem millia Mediolanenſium eo praelio caeſa fuiſſe dicuntur. Nec deinde certaminum finis inter eius pugnae ſuperſtites; atque in vrbem regreſſa ipſam inſania illa pugnas dedit alias iiſdem, qui nuper in Templo congregati, conſilia, & conditiones pacis agitarant. Repetita tamen paullo poſt actione, conciliauit illam paucorum dierum infelicem pacem Philippus Archiepiſcopus Rauennae, qui tunc Apoſtolicae Sedis in Inſubres Legatus, Mediolanum venerat, vt adductae in vltimũ diſcrimen vrbi, ſaluti eſſet. Poſtquam in eas, quas expoſui conditiones ex tam infeſto diſſidio ad breue tempus animi coaluerant, minime dubius populi dominatus habebatur, ſiue reſpiceret aliquis ea, quae iam pacta erant, ſiue aſſumpta quotidie alia, & vſurpata conſideraret. Nam nobilitas, praeterquamquod in conditionibus ipſis longe inferior relicta erat, etiam damno, & iniquitate hac fiebat obnoxia gliſcentis dominationis iniurijs, quia per Archiepiſcopi Leonis obitum, capite ſuo deſtituta cùm fuiſſet, non facile conuenire poterat inter ipſos, quem alium ſibi principem, & ducem imponerent. Populo autem dux, & princeps, & caput, auctorq; manebat idem ille Turrianus, tum ſuopte ingenio vehemens ſatis ad omnia, & acer, tum ob felicem iam ſucceſſum, transferendae in partes ſuas Reip. properus ac violentus. Anni fere ſpatium fuit, quo tempore, per nomen ſpeciemq; pacis ciuitas, ſub populi iugum iret, inſigni documento, ne in Rep. vlla ſibi confidat nimium vnquam

praepotens, & glorioſa nobilitas, atque ex turbarum fine, tam ſibi quàm plebi ſeruitium ſperet. Homines opulenti, quibus ampla per totam vrbem, & excelſa domicilia ſtabant imminentia plebeiorum tectis, & exprobrantia fortunae diuerſitatem; antiqua ſoboles vrbis imperijque huius, heredes principum, & generoſus ab ſtirpe vltima ſanguis, qui tritauorum atauos, & horum rurſus admirandas origines referendo, monſtrare poterant decora pacis & belli, & nihil vſquam in domo triſte vel pudendum; homines igitur & familiae huiuſmodi, ad ludibrium humanarum rerum facti erant populus & mancipia plebis, quae ipſa in tali tempore mirari ſeipſam debuit, & ridere multum, ſi quid elegantis & ſalſi in colluuie illa noui Senatus fuit. Reddebat iura faber ſaepe ferrarius, inſtitorue ſordidae mercis; equitum peditumve copias laniſta fortaſſe aliquis ductabat, male ſuſtinens nouae veſtis molem, atque ſub ſplendore onereque illo non parum erubeſcens. Egregij principes interea centuriabantur ab dominis plebeijs; terebant horum limina, & benemerendi locum in tali aula quaerebant. Verſae nunc erant, & commutatae vices, quae patientia plebis olim, & nobilium importunitate ſpectabantur inter ſeruientem illam, & hoſce dominantes; neque parum ſcite, & apte noui domini veterum animis imponebant imperij ſui formâ poenas eas, quas perferendo ab ijſdem, & diu experiendo, etiam exercere didiciſſent. Contrahere ſupercilium in minorum alloquijs, ſuſpenſos ambiguo ſermone tenere animos, blandimenta inſidioſa adhibere

bere, quibus pararent exitium, quorumue opera indigerent; ſuccidere neruos, apoonere exploratores, fingere vultus, ſummum vitæ flagitium inſaniamq; ducere, ſi quid vnquam veri excidiſſet; haec igitur, quae fuerant olim artificia dominantis nobilitatis in ſeruam plebem, nunc facta erant imperitantis plebis in famulam nobilitatem aſtus, & doli. Non tamen in iure dicundo ſimile quicquam erat; iudiciaq; in optimatum caput, & fortunas, apud plebeios regebantur palam impetu, & veterum ſimultatum recordatione, cùm nobiles aliqua ſemper aequitatis, & legum ſimulacra retinuiſſent. Per aliquot, vt dixi, menſes, ad anni fere ſpatium, haec forma rerum vrbẽ Mediolanum habebat, fremente ob ſtatum eum rerum nobilitate, & occultis moliente conſilijs aliquid, vt ſeſe ab importuna ſeruitute vindicaret. Anno deinde CIↃ CCLIX., non id, quod fortaſſe expectatum erat, ſed quiddam aliud euenit. Namq; ad III. Nonas Martij, cùm in D. Teclae Aede concilium eſſet, circa ducem caputque ſuum diuiſus in ſe populus, Credentiam, & Motam amica nuper nomina contrarias partes fecit, cõſiliaque omnia, & curas ab inſtituta tyrannide tranſtulit ad nouum certamen. Credentia Turrianum in ſummo Imperio retinebat; Mota Marcellinum attollere illuc conabatur. Alij, neque hunc, neq; illum, ſed Gulielmum Soreſinam, ſiue Guercium Orombellum regnantis plebis eſſe rectorem iubebant; ac ſumptis interim armis, caedibus fœdauere mutuis vrbem; fœdiuſque dictu, nobilium aliqui, pugnantibus dominis, in hanc, illamue partem

ſeſe

ſeſe adiungebant ſuae factionis rebelles. At Legatus Apoſtolicus, vbi videt, ſuper cetera vrbis mala, nouum etiam hoc eſſe exortum, vt ex factione vna exiliret altera factio; purgare vrbem volens, & egerere quicquid praecipuè turbidum videbatur, ſexcentos amplius homines cum Gulielmo Soreſina in exilium egit; quo remedio alius Metropoli terror, & pericula horrenda, ineuitabileque exitium aderat, niſi diui praeſides, & excelſa Numinis Maieſtas in tali tempore Eccleſiam populumque hunc tutata eſſet. Ezelinus erat Veronę tyrannus, dum ſaeuiunt ibi quoque ciuiles furores, ab factione altera, per odium inſectationemque alterius productus, & impoſitusque vrbi; furia vere vna, monſtrumque humanae naturae, & dedecus, ſiquidem vera de eo Scriptores prodidere, vel potius, niſi falſa eſt omnis memoria, & fama, quae adeo valida fuit, vt per ora hominum adhuc eat. Pro exoleto iam & putido Neronis nomine, vulgo Ezelinos dicunt, quos dicere volunt inhumaniter crudeles, & feros. Namque ſupergreſſus ſaeuitia, & feritate Neronem, omnia impotentium tyrãnorum & immitiſſimi animi exempla in paruo illo ſuo imperio edidit, in experimentum quaſi & ludum, vbi abeſſent odia, & irae, vel religionis hominumque contemptu, poſtquam libidinem, auaritiamque ſatiarat. Templorum praecipue ſpoliator, direptor, profanator, & in tota ſua humani ſanguinis, & alienae rei ſiti, ſacrorum populator infeſtiſſimus, vt neque poſſideretur Eccleſiae nomine quicquam intra fines illos, neque nomen cultusve Eccleſiaſticus, niſi

per

per latebras, aut inter caedes ibi haberetur. Ille Clericorum cœtus, quocunque diſtinguerentur ordine, & nota, ceu greges ouicularum ferro trucidauerat, peremerat fame, quibusve alijs tormentis, non vnam ab humano corpore mortem ſaeuitia expetit. Alterius autem ſexus clauſtra virginitatis, & pudicitiae, hoſtiliter impurus temerauerat omnibus iniurijs, quae inferri illuc poſſent; ac memoriae proditur, nobiliſſimas alias virgines, poſtquam ijſdem ab ipſo temeratae iniurijs fuiſſent, alienato protinus ab libidine ſenſu, crudeliter interfectas, defoſſasque viuas, vt ſepultae morerentur. Inhumana ea ludibria pollutis corporibus adijciebat. Ob quae ſcelera & portenta ab Innocentio Pont. Max. hoſtis appellatus, nihilo pluris faciebat Apoſtolicas minas, quàm iura humanitatis, & naturae leges. Hominem igitur hunc adiere deſperati exules, opem implorantes eius aduerſus iniuriam, qua pulſi patria eſſent. Praeceps in abrupta omnia tyrannus erat, placebatque occaſio tentandi Mediolanenſium res, & aduerſus Apoſtolica edicta armandi ſeſe, quoniam homines eos Romanus Legatus eieciſſet. Educto ſtatim exercitu, quem e ſui ſimillimis latronibus confectum, omni licentia, & impuritate deuinctum ſibi fidumque habebat, tranſgreditur Abduam flumen, proſtrata ad eius rei famam plebe, quae ſatis negotij habentem domi tyrannum, nunquam exiſtimaſſet poſſe moueri, vt agro Mediolanenſi inferret pedẽ, aut quicquam in hac parte moliretur. Quoniam ſemel eſſet auſus, ac ſemel huc ſeſe auertiſſet, omnia barbaricarum

rum irruptionum mala expectabantur. Suberat & ille metus, ne, hinc hoſte vrgente externo, hinc adiuncta hoſti exulum manu, dum oppreſſa ad vrbem nobilitas infenſos nouo dominatui gerit animos, dum dominatus ipſe ſuo diſſidio labaſcit, & nutat, opportuna omnia tyranno ei fierent, ac ne praelio quidem opus eſſet. Egreditur tamen contra eum Turrianus; & nato repente ab re ipſa conſilio accerſendi auxilia ab vrbibus, quae grauiſſimas Ezelini illius iniurias pertulerant, Mantuani & Ferrarieſes vnà adfuere. Conſtiterat, traiecto, vt dixi, flumine, Ezelinus ad Caſſanum, qui locus in citeriore ripa poſſeſſus olim Archiepiſcopo Mediolanenſi, vacua tunc ſede, intentoque curis alijs populo opportunus occupanti fuit. Inde excurrere ad vrbem in animo habebat, qualem Veronam illam feciſſet, truncum, cadauerq; Ciuitatis, talem facturus Metropolim, niſi Deus fugitiui latronis potius, quàm hoſtis mentem ei homini dediſſet. Nam vbi egreſſos vrbe Mediolanenſes, aliumque inſuper adeſſe hoſtem ſenſit, promtior ad flagitia, quàm ad pugnas, nec eadem in armatos exercitus, qua in Clericos, feminaſue inermes audacia declinans certamen, protinus alia inde regione per Abduae ripas ad Tritiũ, qui pagus Flumini appoſitus eſt, peruenit. Eo per occaſionem incenſo, ac direpto, flexo ſiniſtrorſum itinere ad pagum alium, qui Sextus dicitur, properat, vt quoniam medio fere ſpatio, rectaq; via pagus ille iacet vrbem inter, & Modoetiã oppidum, in hac, ſiue illa parte rei aliquid gereret. Sed eò quoq; ſubſecuti noſtri, ad Caſſanũ rurſus
com-

compulere hominem. Ibi pugna in ponte commiſſa, vulnerato grauiter crure concidit, elatuſq; inter ſuorum manus ad Sõcinum expirauit, dilabente ad ducis caſum exercitu, cui, neq; fugiendi verecundia, neque quicquam aliud honeſti inerat. Ita vitauit vrbs diem, quae atrocitate ſua deletura erat praeteritarum calamitatũ memoriã, & futura ipſa ad poſteros aeternum monumentum infandae Ezelini irruptionis. Acceperat autem de tali ſua nece, ſicuti fama fuit, praeſagium ab familiari Daemone Ezelinus, neq; intellexerat, propterea quod ſolita Daemonum fraude ambiguũ id vnaq; littera diminutum eſſet. Namque cùm faunum ſuum interrogaſſet aliquando, quae ſibi moriendi ſedes deſtinaretur, reſponderat moriturum eſſe ad Aſſanum, quod protinus ille Baſſanum, interpretatus, prouidentiſſime inde refugiebat. Accepto demum vulnere, ſero fallaciam Oraculi intellexit. Caeterùm, poſt illud ab Ezelini furore diſcrimen, odia plebis in patricios, quae poſt pacem initam incluſa quodammodo in rebus actionibusque ipſis ad eam diem, omni reliqua ſpecie diſimulabantur, velis etiã hiſce remotis in apertum prodiere, defunctaque ciuitas tam diri hoſtis metu, domeſticus ipſa ſibi Ezelinus fiebat. Cauſa fortaſſe ex eo, quod in medio illo diſcrimine detrectauerant militiam nobiles, ſegneque aliquid, ſiue infidum deprehenſum erat; vt non aliud quàm in fuga ſubſidium aduerſus nouas eas iras, Capitanei & Valuaſores haberent. Et Turrianus, hinc pulſo feliciter hoſte, hinc nobilium quotidie effugijs ingens ac

ferox,non contentus eo, quod vacua ſibi vrbs relinqueretur, emigrarentque vltro qui timendi erant, ne in finitimis quidem eos vrbibus conſiſtere patiebatur. Eiecit ab Nouaria, & Laude, qui ob hoſpitia & affinitates ſperauerant ibi tutam exilio ſedem,vrbiumque earũ ipſe potitus, alias ſubinde appetebat,quò maior & amplior,& ab omni parte firmior,ſuus, & populi dominatus fieret. Ac,poſteaquam,haec, & alia muniendo imperio, molitus fuerat, adiecit ad conſilium aliud animum,quo conſilio, dum praeſidia parat ſibi & ſuis, Religio Catholica Mediolani excindebatur. Quippe Vbertum Palauicinum hominem potentem Apoſtolicae Sedis inimicum, myſteriorum omnium irriſorem,ex Placentino agro in vrbem induxit,ſperans, ſi hominem eum lateri adfixum haberet,fore ſe,& opibus, & conſilio validiorem aduerſus Eccleſiae conſilia & opes, vimq; ſupremam,vbi, vel ab Roma minarum aliquid ingrueret, vel Mediolani, pro Leone Archiepiſcopo,fautor aliquis alius nobilitatis cooriretur ab vacua nunc ſede. Enimuero,Palauicinus hic,vbi Mediolani domicilium fixit,ſtatim,& artibus ſuis,& propenſione in eum Turriani, & ſpe commendationeque illa, cum qua aſcitus fuerat, poterat quidquid,& Turrianus apud plebem,& plebes in vrbe poſſet. Maximum haud dubie inſtrumentum Imperij popularis iſte habebatur, & publica etiam authoritas ei erat agendi,tranſigendi,decernẽdi quicquid è Rep. eſſe dixerat. Qua praefatione ille vtendo ſemper, ad damnum religionis vim ſuam omnem,

po-

poteſtatemque conuertebat; alia, in quibus nullum eiuſmodi praeferre titulũ poterat, audebat priuatim licentia, & occaſione poteſtatis, ſub qua honeſta, & inhoneſta omnia latebant. Contẽptor, vt dixi, homo, religionum omnium, in primis dabat operam, vt in amentiam eandem complures adduceret; idque, apud alios, irriſu, & cõtemptu ſanctarum rerum, apud alios fallacibus argumẽtis aſſequebatur. Quod ſi haeretici aliqui reperti in vrbe eſſent, hique in angulis, ſiue in communi luce palam habitare voluerant, haud ſane obuiam ibat, gnarus, corrupta ſemel religione, facile poſtea tranſiri ad eam, quam ipſe ſectaretur nihil credendi haereſim. Atque quò tutiora omnia eſſent gregalibus iſtis amiciſque ſuis, Dominicanum Inquiſitorem, cui Rainerio nomen erat, vrbe eiecit, apud alias quoque vrbes tribunal delere & opprimere idem conatus. Et atrociora credo ego feciſſet, inſtituiſſetque, niſi pollicitus Deus Eccleſiae ſuae perenne aeuum, peſtem tollere hanc, poſt aliquot ab hoc tempore annos maturaſſet. Non autem de exitu eius, & fine comperti vltra quicquam habemus, niſi quod eiectus vrbe, dein ad vltimam lapſus egeſtatem, cum nudus ſqualenſque in poteſtate Dominicanorum eſſet, reſpondit interrogatus, nihil ſe vnquam credidiſſe. Id ipſum, amentia ne ſua, & furore, an nouiſſima infamię dulcedine tamquam periturus, an pœnitentia, & deteſtatione erroris ita pronuntiauerit, incertum fuit. Conſtat bis fuiſſe eiectum, & ſemel reuocatum. Sed de priore exilio, neque qua lege quoue edicto pulſus

fuerit, neque, quò iuerit exulatum, certi quicquam affertur. Illud minime ambigitur, pulſo homine plenam fuiſſe vrbem publici erga eum fauoris. Aicardúq; Dominicanum, propterea quod impia Palauicini huius facta crebris concionibus inſectaretur, eiectum Monaſterio ſimul, & vrbe, & grauiſſime eſſe tumultuatum dónec Palauicinus ipſe reuocaretur.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Quintus.

INterea Canonici Templi Maximi, damnum dedecuſq; rati ſuum, & vrbis, quod quartum iam annum Pontifice carerent, eligendo Archiepiſcopo animos aduertere, & ſtatim inter eos orta diſſenſio. Producebantur, ab vna parte Raimondus Turrianus Archipresbyter Modoetiae, Vgo Septalius ab altera, quorum vterque munere dignus, vterque ad ius ſuum obtinendum acer, impigerque erat. Pont. Max. cognita Collegij diſſenſione, neque hunc, neque illum, ſed Raimõdum Epiſcopum Nouocomi capeſſere Metropolim iubet. Mox fatalis ad Reip. mala caſus interuenit, vnde quis minime exiſtimaſſet; ab eoque caſu continua difficultatum inexplicabilium ſeries, quarum initia, & cauſas, & in tem-

pore finem explicabo. Octauianus Vbaldinus Cardinalis, ex Gallica rediens legatione venit hoc tempore fortè Mediolanum, & apud Sodales Ambroſianos benignè atq; hoſpitaliter inuitatus diuertit. *Ibi*, cùm Aedis theſauri per hoſpitij gratulationem, ſicuti fit, aperti, Pontificio Legato, die quodam oſtenderentur, & circumfusâ Canonicorum Monachorumq; turbâ, purpuratus, alia diſſimulanter admiraretur, alia ſumpta in manus erudite laudaret, inter cetera, quæ oculis placuere, animaduertit eximiae claritatis pyropum, eamque ſibi gemmam tacitus deſtinauit. In praeſentia tegit animi ſui votum, commendataque duobus verbis munificentia Pontificum, Caeſarum, Regum, qui parenti vrbis Ambroſio, tam illuſtria dona contuliſſent, digreditur inde ad alia contemplanda, quae per Monaſterium, Baſilicamue, primordijs Aedis, & antiquitate veneranda monſtrabantur. Placuiſſe pyropum adhuc ſenſerat nemo, donec orto de theſauris fortè ſermone, quem ipſe, iacto in longum verbo, de induſtria laceſſiuit, cupiditas eſt detecta. Quippe, laudatâ frigide gemma, ſi ſibi dare vellent, promptũ fore argentum dixit. Ad ea, Canonicorum Antiſtes, qui proximus ibat conſtantis homo ſupercilij, molli rictu diductoque leniter ore, rem eſſe ſacram ait; ſi ſui foret arbitrij, ſponte oblaturum fuiſſe. Apparebat, legatum violentius acturnm eſſe aliquid, quàm prima illa modeſta ſtudij ſui ſignificatione declaraſſet. *Itaque* confugiunt Canonici ad Turrianum, Cardinalis verba, reſponſum, ſuſpicionemque ſuam, & quo in diſcrimine

ne verſari rem putent, demonſtrant; ſerum poſtea auxilium fore, ni ſtatim afferatur. Aduolat repente cum armatorum manu Turrianus, vnoque temporis momento, miles in Baſilica, miles intra clauſtra, & plena omnia telorum fuere; ſtrepebantque, vt etiam ad Cardinalem in aedium penetralia, tumultus, & clamores varij peruenirent. Cardinalis egreſſus, quid rei ſit, & quid ſibi velint, rogat. Reſpondent, adeſſe Ciuitatis nomine, vt ipſum ad finium extrema deducāt, ne ſcilicet abeat incomitatus. Non erat ea rerum facies, ijque vultus hominũ, vt honoris ſui cauſa conueniſſe multitudinem eam, credere hoſpes poſſet. Sed Purpuratus arte ſua eſt vſus, finxitque ſermonem, & vultum aſſuetus huic diſciplinae ob rerum hominumque varietates, quae aſſidue tractandae ipſi erant. Laeta frōte, quod bene vertat, inquit, diſcedemus, vtemurque benignitate ciuitatis. Cunctatus inde tantiſper, dum ſui ſarcinas colligerent, abijt profundo voluens animo iras, malumque Turriano ipſi minitans. Ad modicum viae proſecuti sũt abeuntem; inde Romana cohors cum principe ſuo domum ibat. Cardinalis, vbi Romam peruenit, in id omni ope intentus erat, vt Metropolim alicui ex factione Turrianis aduerſa demandandam curaret. Aptiſſimus in id varia agitanti conſilia occurrebat Otho Vicecomes, qui in D. Materni aede ad Decium decimo ab vrbe Mediolano lapide Canonicus olim fuerat, & ob promptum ingenium habilemque iuuentam, Cardinalem in ipſa legatione aſſectatus, dextere obeundo negotia, manſuete

cum

cum aulicis alijs agendo demeruerat herum, vt nemo carior ei acceptiorque eſſet. Litteris quoque, & vitae diſciplina par muneri videbatur. Sed ſuper omnia placebat ab ea parte, quod auidus honoris, quod ad nullam rem, ſegni, ac remiſſo animo, ſpem faceret, ad vltima perſeueraturum eſſe, quicquid certaminum, & difficultatum in pontificatu adeundo illo reperiſſet. Non crediderim, quamquam id quoque dictum fuit, eam etiam in eo negotio ſpem fuiſſe, cogitationemq; Cardinali, quòd proſpiceret, ſi talis inualuiſſet Archiepiſcopus, acturum eſſe Pontificatum per aſſiduas plebis iniurias, indeque ſine fine parari mala victoribus pariter, & victis. Sin autem, patritium cum Antiſtitem amolita plebes, Romanas eo facto laceſſeret iras, non hominum modò, ſed celeſtibus quoque telis vrbem hanc oppugnatum iri. Statim in promptu fore anathemata ſolita, & deuotiones; & Romae quoque eſſe in rebelles arma. Haec, & alia, quamquam iactita ſermone nonnullorum, ſuper id, quod ab nullo ſatis certo auctore firmantur, prompte cōfutaueris etiam, quia grauiſſimo Cardinalium Vbaldino illi nulla alia per totā vitam obiecta culpa eſt, niſi quod gemmam eam (ſtudioſus credo talium) expetiſſet intemperantius, & numerata pecunia ferre Romam voluiſſet. Itaque Turriano, qui ſibi aduerſatus in eo ſtudio erat, viciſſim dare volens, quod ipſe doleret, varie, per ſe, per alios apud Pont Max. agendo, tenuit, vt cum bona pace Nouocomenſis Epiſcopi, qui antea deſignatus fuerat, Otho Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus

crea-

crearetur. Audita ea res erexerat ſtatim Valuaſorum, & Capitaneorum animos, ad patriae repetẽdae ſpem aliquam, ac ex varijs, prout diſperſi, profugique erant, coeundo locis, conſilia in id, inter ſeſe agitabant. In Bergomenſium finibus, contra flumen Abduam, maximè congregabantur freti gentis auxilio, & inuitante ad tranſgrediendum, amni, quo traiecto, maturas forte in agris ſegetes circa Licurtum populantur, vicumque ipſum diripiunt. Erat iam antea populo Bergomenſi denuntiatum, ne exulibus auxilio eſſent, neue ſuos intra fines admitterent. Si fieret, hoſtilia viciſſim omnia Mediolanenſes interminati erant. Poſtquam tranſgreſſos inde exules, & factam ab ea parte impreſſionem, Bergomenſiumque etiam ipſorum vexilla immiſta fuiſſe agmini cognitum Mediolani eſt, accenſus ira Turrianus, cum vexillis aliquot, ad Vaprium vſque progreditur, populationem agro Bergomenſi redditurus, vrbiq; etiam ipſi minitans. Cenſebat tamen eſſe praemittendos, qui Reip. nomine de ea re in concilio gentis expoſtularent; vt ſi quid pacati eſſet relatum, vltio reſeruaretur in aliud tempus, ne ad noui Pontificatus certamina, & magnum ex Othone diſcrimẽ, hoſtis etiam ille accederet. Ita miſſi Bergomum legati, mandata, quae habebant, in Concilio gentis exponunt, nec procul à comminatione res erat. Bergomenſes, audita querimonia, non modò verbis purgauere factum, excuſantes varie, culpamq; conferentes in paucorum inſaniam, qui prodita ipſi patria, ſui ſimillimos proditores, ac perduelles receptarent,

tarent, regerentque; ſed re ipſa nomen omne Capitaneorum, & Valuaſorum ſuis abire finibus iuſſerunt, propoſitis etiam praemijs, ſi quis interfecti alicuius caput referret. Tunc exulibus ipſa deſperatio animos addidit, ſi nulla in terra conſiſtere, nihil apud mortales vllos obtinere ſubſidij, nulla belli iura vſurpare poſſent; tantoque amni diſcreta gens etiam bello appeteretur ob id ipſum, quia ibi poſuiſſent pedē. Octingēti fere in ea parte fuerant Valuaſores, & Capitanei praeter obſcuriorem aliam exulum manum, qui, vel à Mediolanenſi deſciuerant plebe plebeij ipſi, vel ex alijs ſe ſe vrbibus & locis, ob incommodas domi res ad eos contulerant. Omneis vno agmine confeſtim ex Bergomatum terra, ſocios deteſtati infidos abierunt; & quà tutum fuit, traiecto flumine, Briantæos colles inſedêre, neque munimentorum ibi, neque commeatuum indigentes, vti ferax regio eſt, arcesq; crebras attollit. Eſt in extremo Briantæorum tractu, quà terra vergit in Orobios, leniter ab imo faſtigiatus, & Lambro flumini imminens collis, quem Tabiacum vocant, vnde nomen arci, cuius ruinoſa veſtigia & reliquiae veteres adhuc cernuntur; in ijſdemque veſtigijs turrim excitauere nouam, qui pomis, & vite conſitum hodie collem tenent. Arcem collemq; cum exules addentes munimenta loco cùm occupauiſſent, ſuccedente ſtatim Turriano, tam acri cinguntur obſidione, vt poſt dies aliquot, omnibus ſubacti malis, queis corpora humana debilitantur, ſumptis in manum crucibus exirent vltro permitterentque ſe

ſe

ſe hoſti. Et facta ſine conditione vlla deditio ea eſt, aſſueta iamdudum nobilitate cedere caſibus, & ſaeuienti fortunae ſubmittere animos. Impoſiti carris aut iumentis, pars Mediolanum, pars Modoetiam, ad Vicomercatum alij, plures ad Septeranum in vincula ſunt miſſi, ac de vita, capiteque eorum poſtea conſultandum arbitrio plebis erat, perleui interiecto momento, ne omneis interficerentur. Nam praeter inteſtina, & furioſa odia plebis in eos, ſ erat in exercitu,& obſidione prius,deinde in Concilio etiam fuit Palauicinus ille impius, quem vt dixi antea eiectum reuocauerant nunc, vt paulo poſt extruderetur non rediturus,& inuenturus alibi exitium,quod meruerat Mediolani & vitarat. Cùm per aliquot dies captiui in cuſtodia habiti fuiſſent, & indictis eius cuſtodiae cauſa in ſingulas vrbis regiones excubijs, quinquageni per noctes fatigarentur,cœperat taedio eſſe plebi id munus, & de capite omnium,quamprimum vti ſtatueretur, efflagitabant. Itaque ad v. Idus Quintileis eius iudicij cauſa publicus conuentus habitus eſt, in quo cùm ſentẽtiae variae dicerentur, atrociſſima omnium ſententia Palauicini erat. Namque ſicuti erant multitudinis odia in nobiles ſuos ab mutabilibus in diem orta cauſis, ita etiam volebant eorum necem, & nolebant; & vbi impetrauiſſent, fortaſſe deprecarentur. Impius & irreligioſus ille,ſine Numine,ſine fide, ſine ſocietate vlla, tamquam in naturales ſibi hoſtes ardeſcebat, ſanguineque eorum inundari cupiebat vrbem. Ac ſicuti ingenia iſta neſcia Numinis,

& infenſa religioni, malitioſis conſilijs, & rationibus attinentur, quas ipſi prudentiam appellant, ita fere diſſerebat: Efferatos eſſe homines ſeruitio, fuga, captiuitate, tot malis: ſi dimitterentur, metuendos: ſi cuſtodirentur, oneroſos: Metum profectò ipſum, quòd de ſuo capite eſſe quaeſitum ſcirent, ſi nihil aliud, poſſe vim addere animis, vt inſigne aliquid auderent. Etiam ſeruos olim irritatos ſeueritate dominorum, in diſcrimen adduxiſſe res Romanas, nedum vt iſti, olim domini, nunc infra ſeruos, tot mala, tam ancipitem de ſua vita ſententiam: ſi ſuperſit vita, meminiſſe ſegniter poſſint. Poſſe, & miſerias ipſis, & Reip. ſolicitudinem finiri horae vnius momento, quo plura etiam, quàm octingentorum capita manus impigrae detruncarent. Sin alicui mollior fortaſse animus refugeret ab ſententia, quae tantùm humani ſanguinis, vnâ, vel hora, vel die funderet; darentur interualla quaedam, & ſpiramenta neceſſariae hoſtium eorum caedi, diductique multifariam, & ſeparati, ſine ſtrepitu quam leniſſime paulatim interficerentur. Si etiam mollities, atque placabilitas eadẽ, ſecurim ferrumque remoueret ab ceruicibus hominũ, qui patriae calcare ceruices voluiſſent; non deeſse viam, qua ſatisfieret, tum proprio huic feminarum languori, tum debitae erga patriam pietati. Vterentur antiquo & communi imperiorum omnium inſtrumento, darentque mitiſſima inter cibos medicamenta, quibus ipſi finire principes & Reges aliquãdo optaſsent. Quaecunque tandem in captiuis illis

pla-

placeret via lethi, dum modo aliqua placeret; ſcirent, reputarentque hoc; patrata nobilium nece, fluxam fore, & breui duraturum rumoris inuidiam, facinoris verò fructum vtilitatesque ſempiternas. Si pro ſalute, & incolumitate Imperij grauiſſima ſemper bella ſuſciperentur cum ciuitatum, & exercituum ſaepe ſtrage; quid in paucis hominibus pro ſalute, & incolumitate eadem dubitarent? In priuatis etiam inimicitijs, ab eo qui plus ſapiat & poſſit, quaeri, & parari ſecuritatem vno ictu: nullum poſt funera hoſtem timeri: quamdiu ſpiret, vltionem agitare, qui ſit laeſus. Haec ferme Palauicinus ille, non curâ vllâ ciuitatis, quae peregrina ipſi & aliena, ſed Numinis & religionis odio hominibus etiam ipſis infeſtus diſſeruerat. Tantaque hominis illius ſaeuitia, & ſub prudentiae nomine, ac ſpecie latitans maligni animi venenum, ſaeuitiam, & odium, haud dubie plebis mitigauerat, vt in contumeliam eius peregrinae crudelitatis fauerent nobilium ſuorum ſaluti, quorum antea necem depoſcere parati fuerunt. At Turrianus, cùm de induſtria ſibi reſeruaſſet vltimum in ſententia dicenda locũ, Chriſtianae caritatis recordatione, ac teneritudine hoſtibus etiã mitis cùm nullũ inquit, adhuc ego hominem genuerim parcere vitae hominum didici. Quin potius demptis vinculis extra vrbis, Imperijq; noſtri fines ablegantur iſti, & viuunt? Fuerit ſane Turrianus etiam ipſe pernicioſus huic patriae ciuis, dux, auctorque turbarum, populi inſtigator, Palauicini receptator, eiector nobilium;

causa,

cauſa, & origo malorum fere omnium, quae dominante ipſo ciuitas paſſa noſtra eſt. Vox mehercule, iſta vna vindicat eius nomen ab omni infamia, & labe, coarguitq; ſimul multorum omnis aeui tyrannorum inſaniam, & furorem, quibus ludus fuit ob minimam vnam, & vanam ſaepe vtilitatem, iubere, ſiue machinari hominum neces. Cùm hominem fortaſſe nullum ipſi genuiſſent peremerunt, exturbaueruntq; vita prolem alienam; neque ſemper ob tantam rem, quanta res eſt principatus, & regnū, & ipſorum caput, ſed ſaepe, quia voces liberas, & nullam vtiq; plagam illatura verba pertimuiſſent. Vtebantur prudentia, & religione Palauicini iſtius, qui contemptu Diuinitatis contemnebat hominum vitam, atque tot nobilium caedem ob nonnihil appetebat. Et interea, dum ipſi debaccharentur ſic, ac ſæuirent, lacerabant comas, plangebantq; pectora matres; circa ſuperba ſquallebat limina contemptus inaudituſq; parens, & domus totae complebantur luctu. Ratio ſtatus ea tyrannis improbis putido dicitur & importuno nomine, mentiens ſemper, & ancillans, & mentiri alios cogens, auara ſui, fur alieni, carnifex infelicium, vnde furata eſt fluxas ſemper illas, & breui duraturas opes. Non ſic in duobus hodie maximis omnium terrarum Imperijs, Eccleſiaſtico hoc, & Catholico altero, quibuſue alijs, duo haec rerum humanarum columina ſunt legis & normae inſtar. Innoxia, & ſimplex prudentia Euangelij moderatur hîc cuncta, & regit: theſauri pijs largitionibus exhauriuntur, aliturque non ſititur

homi-

hominũ ſanguis; Nec ſatis eſt vnam meruiſſe necem, vt alicui vita eripiatur. Loquendi libertas impune eſt, & ſaepe facta condonantur, niſi vbi clementia ipſa flagitium fiat. Chriſtiana igitur, & mitis illa ſententia Turriani, cùm ſoluiſſet, dimiſiſſetq; captiuos, abiecre, datis ab ſenatu cuſtodibus, donec extra Mediolanenſis Imperij fines exiſſent. Deformis, & miſeranda ſpecies; homines patritios exire de ſede ſua, eiectos olim, & dum redire conantur, captos, & in captiuitate ipſa vicinos neci, magnumq; munus extollentes verbis, quòd aufugere iterum daretur. Notabantur pallida ora fame, & extenuati lurida macie vultus, proptereaquod affirmauerant carcerum cuſtodes, nobiliſſimum & clariſſimum quemq; cibo abſtinuiſſe, donec in ipſo lethalis inediae termino, euicti naturae ſtimulis, & ipſorum hortatu, ſumerent denique aliquid, & ſpes vitae abiectas admitterent rurſus. Id taedio, & deſperatione, ob anguſtias loci, contumeliaſque quotidianas, cùm fieri aliquandiu arbitrarentur, poſtea eſſe animaduerſum, ideo non manducare captiuos, quia timerent venena, mallentq; ſponte ſua diſſolui, & tabescere, quàm infectos hoſtium manu cibos demittere in fauces. Annus hic, quo dimiſſi ſunt captiui, fuit humanae ſalutis milleſimus ducenteſimus ſexageſimus alter, inſignis etiam publica hilaritate, qua prope in ſaturnalium morem in vrbe luxuriatum eſt, ob partam credo ex nobilitate victoriam, tanto laetiorem plebi, populoque vniuerſo, quia vitata caedis infamia conſtituiſſe Remp., & vitam donaſſe hoſti

vi-

viderentur. In D. Syri campo ad Vitram, infami nunc ob furcas loco, tentoria, & fulcra poſita fuere. Ibi ſtructis omni ciborum genere menſis de publico epulabantur; eoque conuiuali ſumptu magna ex parte defunctam Credentiae Societatem ferunt, hominesque illos in verſicolore veſtitu, cui intextum albo rubrum eſſet, ad regendum elegantia, & ordine epulum adfuiſse. Sed ne quis ex multitudine tumultus oriretur, inſtitutum, vt è ſingulis vrbis regionibus comaſsatum in orbem irent. Eodem anno, propter ſqualentes immodica ſiccitate agros, iere ſupplicatum, &, ſiue precibus euocatae illis tumidae ſtatim nubes, ſiue ſponte ſua exortae, tantam repente fudere imbrium vim, vt apertis auarorum horreis, ex magna caritate annonae ſumma illico vilitas cõſequeretur. Circa anni finem circummiſsae cohortes aliquot ad explendas complanandasque arcium foſsas, quas poſse aliquando fieri receptacula exulũ timerent. Ad Gallaratum, ad Bripium, ad Mociacũ, ingeſta humo ruderibusque, ad ſumma labra explentur foſſae proptereaquod eae turres, & arces, & loca illa opportuna irruptioni hoſtium videbantur; neque obtineri praeſidijs placebat. Praetor eius anni fuit Vbertinus Palauicinus impij Palauicini fratris filius, de cuius probitate, & religione rumor poſtea inualuit, tamquam diuino munere datus familiae generique illi eſſet, ad delendam maculam, & labem, dedecusque obruendum, quod patrui mores primò, deinde exitus impoſuiſſet. Inſecuti menſes praetorem

habuere

habuere Ciauatarium Stradam hominem Ticinenſem, cuius etiam notaſſe magiſtratum volui propter veterem in Curia Ducis campanam, quae Praetoris illius nomine appellata, corrupto hodie in rudiorem etiam ſonum vocabulo illuditur plebeia voce, tamquam ſatiet pomeridiano ſui fragore aures, ſiue tamquam ſatiatos negotijs ciues è foro domos dimittat. Ob id rhopalum, eamue nolam, aeneumq; crepitaculum, poſui Ciauatarij Praetoris nomen, in cuius magiſtratu conflata eſt ſatiatrix campana, quae quotidie auditur. Praetores alios, neque recenſui antea omneis, neque deinceps recenſendi magnopere cura erit; ſcilicet quia paucorum ſemper menſium praefectura erat, externiq; fere homines, in plebis Imperio tantum poterant, quantam eſſe magiſtratus eius vmbram & nomen vellent ijdem, quorum dominationi & poteſtati nomen & vmbra illa ſubſeruiebat. Iam inde à prima exulum irruptione crebris de Othone Vicecomite rumoribus feriebantur populi aures; Archiepiſcopum eum eſſe factum, moxque adfore Romani Pontificis ope ac praeſidio paratum inuadendae vrbi; ſublaturam animos eius aduentu nobilitatem, proximoſq; eorum conatus, & impetus, quãquam irriti, nec ſine clade fuiſſent, ab fiducia hac fluxiſſe. Etiam Vbaldini Cardinalis, poſt eum, quem memoraui caſum, offenſiones & meditamenta, crebris in vrbe ſuſurris iactata erant, ambigente nemine, quin ſi vera eſſet de nouo Archiepiſcopo fama, propter Vbaldini inimicitias Vicecomes ipſe fauore

ſubnixus eius, longe terribilior futurus plebi eſſet? Sed cùm ferrent iactarentque iſta quotidie in circulis, rurſus ab inſita humano animo natura lente credẽdi, quae ingrata ſunt, vana eſſe eadem putabant. Quàm multos ab Roma venire rumores ſemper, qui leuitate ſua deinde euaneſcant! In vrbe interpretante omnia, & augente, dictum fortaſſe aliquid de offenſione Cardinalis ob gemmam, de plebis dominatu, nobilium exilio, factione Vicecomitum, habilitate Othonis, & vacua Mediolani Pontificatus ſede. Haec omnia ſcilicet feciſſe fortaſſe, vt quod veriſimile eſſet, pro vero diuulgaretur. Aliquandiu talibus inuicem cõiecturis, humani animi more ſuos ipſi metus eluſerãt. Mox, & ſuorum hominum ex aula litteris ac nuntijs, rem cognouere, ſicuti erat, & nouus Archiepiſcopus Otho, ſalutatis Romae patribus, ac firmatis in ſe omnium animis, profectus vrbe ab illa, Metropoli ſuae magnis itineribus propinquabat. Quod vbi compertum fuit, abſq; mora plebes, Eccleſiæ fructus, quos olim occuparat, corripit vi maiore, vulgoq; ſic fremebãt; veniret Archiepiſcopus; in nullam bonorum ſortem eſſe venturum. Simul ingens adeſſe certamen videntes, attolliq; Romana ope exulum animos, expediunt cuncta ad bellum, ac ſeſe ad reſiſtendum parant, quamuis ne antea quidem, ad caſum imparati vllum fuiſſent. Nam reſidua in vrbe nobilitas, nobilium aliorum hoſtis, fautrix & amica populi, hoc ipſo attentior, & prouidentior ad omnia, quàm populus ipſe erat, quod ſi exulum res inuale-

ualeſcerent,factioniſque eius homo, rerum Eccleſiaſticarum in vrbe potiretur,ignominiā, exitiumq; vltimū timeret.Horum conſilio,& vigilantia res militaris probe inſtructa ad omneis caſus erat, vrbſque ipſa,& intra vrbem,ſiue ad municipia arces egregia cura muniebantur . Arcem forte ad Aronam vnam in Verbani Lacus littore, contra veteris Angleriae reliquias, freti validis munimentis , & natura loci,firmauerant praeſidio minore,quā quanta momēta eſſent loci eius imminentis in Lacus Imperiū,& praebētis ab ea parte clauſtra agro Mediolanenſi tutiſſima,ſiue arcēdus hoſtis,ſiue in aliena trāſgrediendū. Aronenſem eā arcē impetu facto expugnauere exules, & veniens ab Roma Otho,ſiue vitata vltro, propter metum, vrbe,ſiue cùm ingredi voluiſſet, reiectus , recipitur illuc Cal. Aprilis, quo die,Chriſti de morte triumphum anniuerſario ritu Eccleſia recolebat . Erat res magnopere formidanda plebi,& coniunctis cum plebe nobilibus, ſi teneret Aronam hoſtis, tum propter eas, quas dixi opportunitates, tùm verò,quia tractus ille vniuerſus, tamquam alumno, & populari ſuo fauebat Othoni, cuius auita domus,& priſcum humile tectum, non procul ab Arona mōſtratur in hunc diem. Maſſinum dicitur locus,vnde,nemoroſo ab colle, qui Verbano imminet, deſcendit familia per Othonis huius pontificatum occupatura ſceptris Inſubriam, aliaſq; porro Inclitas vrbes ſubiectura ſibi, vt poſt longum deinde annorum ambitum,ab ſummo fortunę culmine ad ciuilia redigeretur , & miraculi praedicaretūr in-

ſtar, quod aliquando in patriam dominati eſſent, Othonique ipſi tantarum accumulatori opum, illa in rupe parentes fuere Vbertus, & Berta. Turrianus, vbi de inſeſſa per exules ad Aronam arce, receptoque in eam Othone Archiepiſcopo nuntium accepit, inſequenti die, qui fuit alter ab Othonis ingreſſu, cataphractorum equitum turmas ſecum celerrime illuc rapit. Mille pedites, quantum accelerare poſſent, ſequebantur: mille alij Nouarieñſi via, celeritate eadem, ad Mercuriacum fuere; &, toto poſt dies aliquot vrbano exercitu Palauicinus Angleriam inſedit. Hae copiae omneis, ad IV. nonas Maias coactae in vnum, circa radices collis, in quo ſita eſt arcis moles, toto qui ibi pateſcit campo diſponuntur. Laudenſium, & Comenſium, & Nouarienſium auxilia in aduerſum arci collem erecta, nequid ab Vergantijs ſubſidij veniret, excubabant. Quà rupis abrupta Lacu alluuntur, turritae naues admotae, vnde tela omnis generis contorqueri in pinnas poſſent. Atque ita, hinc oppugnãdo acriter arcem, hinc ſubſidia omnia prohibendo, paucis diebus; vrbani Incluſos in ſummam rerum omnium neceſſitatem adduxere; ſperabaturque per ruinas aditus, niſi deditio maturata eſſet. Septimo die, poſtquam oppugnari cœpta erat arx deditur in eam conditionem, vt ſaluis corporibus exules cum ſingulis veſtimentis abirent; nec ea ſeruata eſt fides. Caeſi hoſtiliter, atq; diſpoliati quicunque ſegniores, ad fugiendum fuere. Otho ipſe, vbi primum deſperatas eſſe res vidit, ante deditionem elapſus exoluit vi-

ctores

ctores inexpiabili facinore, quo vitam fortaſſe Pontificis, ferro,ſiue vinculis violaturi erant. Cum arcto ſqualidoque comitatu trepidum,anhelumq; ipſum rectá abijſſe Romam ferunt, vnde propter ſpretam in nouo Archiepiſcopo Summi Pontificis authoritatem, bellum, haud dubie vrbi imminebat atrocius longe,quàm quod armis,& telis ipſa ſecum gereret. Inflicta ſtatim anathemata populo Mediolanenſi; & vetito ſacrorum iure redacta ciuitas in veterem miſeriam, expreſſaq; ſicut poſtea demonſtrabo neceſſitas implorandae per legatos pacis: legationes ipſae repudiatae, dein admiſſae precibus alienis,& acceptus denique Archiepiſcopus, cuius familiae potentia ab ſeruitute plebis initium ſumptura erat. Eripitur his malis Martinus Turrianus opportuna morte,cúm per dies aliquot apud Laudem Pompeiam ægrotaſſet, vir,ſi in quieta ciuitate natus fuiſſet, annumerandus alijs,quibus poſt funera creſcit honos. Temporum conditio patriae hoſtibus annumerari hominem coegit. Mœrore funeris indicatum eſt,quanti fuiſſet apud ſuos. Inuicem ſuccedens oneri populus ad Claraeuallis Aedem tulere cadauer, vbi quieſcere ſe velle dixerat, poſtquam exacta inter tumultus vita agebat animam. Suffectus deinde eſt Martino huic in populi praefectura Philippus eius frater,qui egregie cõſtitutum, atque fundatum ab eo repererat Imperium plebis,niſi conuerti propediem omnia,mutarique neceſſe eſſet. Nudata erat ab priore Turriano mœnibus Arona,& arce labefactata illa,prouiſum ne clauſtris

am-

amplius eis cõſidere exules poſſent. Caſtellum etiam aliud Eccleſiaſtici iuris ad Brebiam dirutum, & quicquid aliud, vel ad finium extrema, vel etiam introrſus, perfugium, & ſedem praebere hoſti aliquam poſſet, complanatum, aut munitum. Vrbs Nouaria fœde lacerata Torniellos inter, & Cauallacios, & Brułatos vltro conceſſerat in populi Mediolanenſis poteſtatem, tradideratq; ſeſe Martino. Vitani Comẽſes accito cõtra Ruſconum familiam, duce, defenſoreq; eodem tradere voluerant vrbem ſuam; ſed in ipſo rerum limine ille mortuus erat. Recepta eſt per Philippum hunc Martini fratrem, cui, poſt eius mortem, populus innitebatur. Philippus igitur in D. Teclae Aede, populi Credentiaeq; Rector ſuffragijs omnibus renuntiatus, primum omnium apud Muſam Maſatium praetorem in populi verba iurat. Deinde adiecto ad rem Comenſem animo profectus illuc, Vitanorum praeſidio, poſt anceps cum Ruſconum aduerſa factione praelium, capta vrbe, Valuaſores omneis, & Capitaneos, qui eò confugerant, pellit. Simonem Locarnum, & Albriſium quendam, & Rumecium, & Guidacium præcipuos exulum receptatores mittit in Peſſanenſem arcem, & cùm inde elapſi eſſent, retractos cingit duriore ad Mediolanum cuſtodia; Rumecio etiam caput obtruncat. Quarum fama rerum increſcente apud finitimos authoritate plebis, Bergomenſes id Imperium pertimuere, miſſiſq; legatis, pacem, & amicitiam, cum populo Mediolanenſi, veteres diprecati culpas, impetrauerunt. Quod ſemper

inter

inter homines fit, vt obſequia ad feliciores vergant; infelices, & victi dimittantur denique ex animis, etiamſi quibus aliquandiu cordi ac miſerationi fuerant; id ipſum in exulum Mediolanenſium cauſa accidebat, quos pleraeque ciuitates amplexae olim fauore & cura, nunc, poſtquam fortunae fauor in contraria perſeuerabat parte, dimittebant, iubentes abire aliò, & perfugia quaerere ſibi diuerſa, ne eorum exitio ipſae quoq; inuoluerentur. Atque ita, accedentibus ad populi amicitiã finitimis, dominatus ille maior quotidie & amplior fiebat, vt ſonitu, & ruina paulò poſt maiore concideret. Etiam ad emendandos domi mores, modeſtiaque & grauitate componendã ciuitatem, ipſe nunquam alioqui modeſta res populus intentus hoc tempore erat; & in Aula publica ſedentes octingenti tulere legem, quae noſtris etiam temporibus videri ſeuerior poſſit, ſi princeps hodie vnus tale aliquid edicat. In caupona hoſpitioue publico potare quemquam vetuerunt; ac ne potare quidem extra cauponam alienae domi, niſi ea domus ab cauponę ſede ac diuerticulo ſaltem octaua vicinitatis eſſet; addideruntque legi, ne venale merum in caupona haberetur extra prandij caenæque horas. Paulò poſt in octingentorum eorumdem conuentu, mentio illata à ſenioribus eſt, non poſſe ſatellites, & ſcribas ea ſtipe ſuſtentari, quae aſſignata in dies ſingulos eſſet quoties iudiciorum cauſa aliquò proficiſcerentur. Augeri quotidie rerum pretia, & viliorem in dies fieri monetam; egeſtatemque miniſtrorum, &

voracem

voracem eorum gulam irruere in pauperum domos; nec ſatelliti trinos ſufficere aſſes, nec ſcribae alterum tantum; addendum de publico aliquid eſſe, quò tolerabilior priuatim ea calamitas fiat. Decreuere, vt acciperent, ſcriba nouenos aſſes, lictor quaternos; atque ſatellitij totius coercitam ſic eſſe licentiam, quotidianasque rapinas exiſtimabant. Mihi, quò plura veterum ſiue recentium reuoluo; tanto magis indignitas rerum humanarum ante oculos obuerſatur. Stomachari autem licebat, primùm quidem, ob ſcelera mortalium, & latrocinia, quae latrocinio coerceri alio neceſſe fuerit, ita vt communi vitae ſub ſatellitũ nomine peſſimi carnifices darẽtur; deinde licebat etiã ſtomachari in ipſa ſatellitũ iſtorũ praemia, quae tã arcta fuerũt apud maiores noſtros, & poſtea creuerunt in tantum vt Praetoribus & tribunis, & iudicibus, alijsque honeſtis magiſtratibus, ne dimidium quidem eius datum fuiſſe antiquitus conſtet. Homines indigni refugientes ab ſordibus & fame, in qua nati erant, quaeſtus inſtituunt ſibi portentoſos ex innoxiorum ſaepe fama, reque & ſanguine; ac ſeſe interea iuſtitiae miniſtros appellant. Summum eorum decus, & egregia gloria artis erit, exterruiſſe vultu reum minaci, captioſave interrogatiuncula, & apice vno ſubditițio latrocinium inſtruxiſſe quod machinantur. Nemo interim quaerit vitam, & flagitia ipſorum, atque vt niteant affluantque delitijs iſti, arat agricola ſudatque. Sed hoc denique anno, quo ciuium mores, & ſatel-

litum

litum alimenta conſtituebantur (is fuit ſalutis noſtrę cıↄcclxv.) eijcitur ex vrbe Palauicinus; niſi ſi potius ipſe cernens populi in ſe impetum, voluntaria fuga eripuit in praeſentia ſeſe neci. Cauſa, vel exilij vel fugae Palauicino fuit, quòd tranſeunte per Mediolanenſem agrum Carolo Andegauenſi, dum ad capeſſendum Siciliae Regnũ Romam iret, obuiam egreſſus cum populo Turrianus fœdus cum eo icerat, atque ob eam rem iratus plebi ipſe, & defectionem ad exules parans, in medio tranſeundi conſilio & conatu fuerat deprehenſus. Poſt exilium fugamue eã, cùm ſe ſe ad exules contuliſſet, dum perſequitur ipſum Philippus, defectus repente hic vita & exanimatus concidit; atque tam ſubita Ducis mors, Turrianorum aliorũ populiq; Mediolanenſis animos exterruit, non ſanauit; & magna nobilium caede paulò poſt vrbs cruentatur. Praetor erat Vercellarum Paganus mortui tribuni propinquus, & florentis tunc familiae praecipua ſpes, rumoribusque vulgi deſtinatus Philippo ſucceſſor etiam antequam ille caderet: Poſtquam is, vt dixi repentinus horam ſuam obierat, tanto magis ſermone expectationeque omniũ, regimen populi Pagano huic deſtinabatur. Exules irritati calamitatibus ſuis, & ſucceſſionis eius fama, dato in vrbem eam impetu, deambulantem in foro virum comprehendunt obtruncantque, & direpto Praetorio, vrbem, fruſtra repugnante Vercellenſi populo ipſam inuadunt. Ad eum caſum eligitur ſtatim in Philippi locum ex eadem gente Napus, qui,

ſimul, conſanguinei ſui nece, ſimul amiſſi praeſidij dolore accenſus cum delecta equitum manu properus vrbem Vercellarum intrat. Iacebat adhuc in foro Pagani corpus cruore ſordibusque obſitum, verſa in horrorem facie, quae eximia Praetori fuerat, & augente miſerationem proceritate, qua priori Pagano, ob giganteam ſpeciem vulgo cum homines aequiparabant. Dolor & ira, cum qua venerat Napus, in rabiem mutantur ſimul atque ſtratum humi, puluereq; & ſanguine inuolutum affinem ſuum vidit. Tolli cadauer ac deportari Mediolanum iubet, nullaque alia re ad Vercellas geſta vel tentata, captiuos exules multos, rapido ſecum trahens agmine, Mediolanum redit. Cadauer die Lunae, qui dies erat Cal. Februarij delatum ad vrbem, in D. Martini Aede, quae extra Portam Vercellinam eſt, collocatur. Poſtero die, ſingularum vrbis regionum homines adfuere cum milite praetoriano, exanimeque Pagani corpus ad D. Dionyſij Aedem, ſuccollantibus inuicem cohortium & turmarum praefectis eſt translatum. Vaſtus templo campus tunc praeiacebat, quem inſecuti temporis auiditas & ſolertia nequaquam in aedificia vineaſque vertere totum potuit; & ſpatium hodieque ingens ante baſilicam eam late excurrit. Stabat extructũ Napi iuſſu ſublime pegma in quo tredecim exulũ eorum e Valuaſoribus Capitaneiſque miſti nobiliſſimi Ciuitatis, dum Pagani corpus adhuc ſupra humum eſſet, obtruncantur. Trunca corpora & capita ſingulorum deuo-

deuoluta e pegmate ob concionis oculos, praeparati in id caballi traxere per vias. Nondum ſatis parentatum cadaueri erat. Tredecim alios Capitaneos, & Valuaſores ex Turri, in qua adſeruabantur, eductos, in eodem campo, manus carnificum eædem, inſecuto die, affluenti ad ea ſpectacula populo ſine capitibus oſtentauere. Ac ne vllus exſequiarum dies ſine magna caede & ſcelere tranſiret, totidem alij viri nobiles, qui Tritienſi cohibebantur arce, furore eodem raptati Mediolanum, & ibi ad valuas trucidati, eaeq; inferiae dabantur praeſenti tamquã & inſpectanti Pagano, donec amoueri feretrum, & humari cadauer, ad Templi dignitatem, pudoremq; aliquem hominum pertinuit. Nam hyberno quamquam celo ferri diutius non poterat. Memorabile inter eas caedes Napi filij factum fertur, cuius vulgata per vrbem fama, patre alio ſatum eſſe iuuenem aiebant multi credebantque. Fortè is accepto in pugna quadam vulnere proximus morti cùm fuiſſet, medicamentarijque adhibiti omneis, inſpecta plaga tentari alterius vitae curas iuſſiſſent; adductus ad lectulum captiuorum denique vnus, qui multa pharmaca, & virtutes herbarum noſſe occultas dicebatur, ſalubria eſſe omnia pronuntiauerat, & poſt paucos dies, linamentis ſuis & fomentis adducto ad cicatricem vulnere, ſeruauerat iuuenem, à quo ſalutem viciſſim ipſe poſtea accepturus erat. Bono fuiſſe cognomentum ferunt: natales homini, colle in ipſo, vbi inſeſſa ad Tabiacum arce exules venerant in

populi poteſtatem; ac debuit, vel Capitaneorum, ſiue Valuaſorũ ipſe quoque eſſe aliquis, vel caſu ſtudioq. aliquo in partes, & in pericula eadem conceſſiſſe. Cùm igitur ſecurim etiam eandem ſubiturus ad ferale illud pegma pertraheretur; miſſo ad patrem nuntio dici iubet filius; ſi Bono erepta ſit vita, ne ſe quidẽ ſuperſtitem futurum. Ea vox Bonum dexterae carnificis ſubduxit, neque aliud ab immiti homine placabiliter eſt factum, Execrauerat Pontifex Maximus vrbem Mediolanum alienaratq; iure diuinarum rerũ iam inde ab eo tempore cùm Archiepiſcopus Otho aegre vitata ad Aronam nece vel captiuitate Romã profugiſſet. Tot nunc nobilium caedes, & ob vnius deſiderium tanta in capita innoxiorum ſaeuitia, fecit, vt nouis ab Roma decretis, vrbi Mediolano, aqua & igni interdiceretur, ac tanto magis interdiceretur, quò pluries ciuitas eam pœnam merita erat. Neque enim, tamquam tribuni flagitium vnius id, ſed tamquam populi vniuerſi accipiebatur, quoniam, & populare imperium contineretur eo magiſtratu, & populus ipſe miniſter, & particeps, & ſpectator effundẽdi ſanguinis fuiſſet. Ideo Rex etiam Siciliae Carolus, qui Romae hoc tempore erat, & maximo Sedis Apoſtolicae beneficio auctus, fidus ad omnia, particepsq; habebatur, tamquam ab inimica reuocauit vrbe Emberram, quem ceu fœderis, & amicitiae pignus e ſuo comitatu Praetorem dederat tunc cùm ex Gallia Romam proficiſcens, per prouinciam noſtram, vt memoraui, iter haberet. Non tamen populus abrum-

pere volebat amicitiae iura cum eo Rege, propterea quod ſcilicet, in tam dubijs infeſtisque rebus, praeſidium ab ipſius gratia & potentia fore ſibi aliquod ſperarant. Arrepta occaſione Regni, quod nuper ille adeptus fuiſſet, legatos misêre duodecim, qui rem eam dicerent gratam fuiſſe ciuitati, & ad tuendũ augendumq; regnum cuncta benigne pdllicerentur. Legatos eos in purpura inceſſiſſe omneis, memoriae proditum eſt, & trina millia ſeſtertiûm data ſingulis, quò ſplendidior honeſtiorque legatio Regi appareret. Ceterum, neque legationis officio, neque Legatorum ornatu, & pompa delectatus Rex, vultu reſpondit obducto; tunc demum accepta ſibi fore Mediolanenſium obſequia, & promiſſa, cùm erga Sedem Apoſtolicam reuerenter & pie agere didiciſſent. In praeſentia, nihil dicere aut facere ſe poſſe amice atque hoſpitaliter aliud, quàm vt hortaretur, ne decreta Apoſtolica contemnendo facerent ſe ſe contemptos inuiſosque omnibus, itaut impium nefasque eſſet, vlla cum ijs ſeruari humanae ſocietatis iura, ac pro ſocietate omni & fœdere commune in eos bellum ſuſcipi gerique oporteret. Reſponſum id poſteaquam renuntiauere domum legati, primo quidem inter paucos arcano ſilentio comprimebatur res, ne animi multitudinis conturbarentur: poſtea verò ſolita hominum leuitate, & impatienſia ad tegendum occultandumue quicquam, cuncta, ſicuti dicta erant, in publicum manauere, & mœſtitia totam vrbem occupabat. Nam praeter haec dicta

Regis

Regis oſtendentia laeti nihil, euenerant etiam prodigia, quorum quaſi voce Deus miſerias & flagitia populi increparet, ac niſi reſipuiſſent, interitum vrbi minitaretur. Iam aliquot ſimillimi noctibus abſq; vlla ſolis luce dies fuerant, & caloribus medijs matutina pruina vinearum foetus in ipſo flore praeſocarat. Napus ipſe, quamquam truci animo, & ſanguinis inimicorum auido, pios tamen aliquos erga res diuinas in illa ferocia ſenſus retinebat, ac pro indigniſſimo ſemper habuerat, Vrbem Mediolanum, Apoſtolico decreto iacere notatam. Itaque, ſua ſimul & populi conſternatione victus cenſuit mittendos eſſe legatos Romam, qui peterent à Pont. Max. vt exſolueret celeſtibus poenis humanaque ignominia vrbem. Satis iam eſſe irarum, ſatis exempli, & cùm ciues vniuerſos implorare ſuppliciter veniam, tum ciuitatis nomine principem ipſum ſpondere, ſi clementer in praeſentia ſit actum, numquam poſtea ſupplicio vel animaduerſioni locum fore. Infelicem quoque noxam tantae cauſam calamitatis, ſi recte omnia conſiderentur, nihil aliud fuiſſe, quàm errorem humanū, quem tamen iuuet deflere magis quám excuſare. His alijsque mandatis inſtructa legatio Romam venit; ſpesq; magna fuerat, tum ipſi priuatim Napo, tum ciuibus vniuerſis, haud irritas fore preces, quibus annuendo princeps ſacrorum clariſſimam in obſequio retinere ciuitatem poſſet. Sed ira maior ſederat Pontificis animo, quàm creditum ad eam diem fuerat; & forſaſſe rebellem iam ſaepius vrbem in

praeſentia ſuccubuiſſe malis, vbi veniam & pacem impetraſſent, vetere contumacia redituros ad ingenium eſſe ſuſpectabat. Nec interim Otho recipiebatur, qui, ſicut antea demonſtraui, pulſus in exiliũ, cauſa, & initium irarum erat. Itaque legatis, cùm ad vrbem appropinquaſſent, nuntiari iuſſit; diſcederent extemplo finibus Romanis, neque intra moenia pedem inferrent; aliter ſe pro hoſtibus eos habiturum; neque magnam in legatorum nomine ac iure ſpem haberent, quod ius quodque nomen cum diris & anathemate male coniungeretur. Legati, poſtquã tam triſte reſponſum acceperunt, ne re infecta domũ redirent, ad Carolum Siciliae Regem confugêre petentes ab eo, vt ſe ſe pro ſalute ac dignitate ſociae, & amicae vrbis deprecatorẽ praeberet; ipſos, cùm ſuas, & Napi preces afferentes, ad Romana moenia ſucceſſiſſent, prohibitos ingreſſu, ideoque ſaluos eſſe, quia fugientibus ſimiles recedere maturaſſent. Magna Carolo cum Principe ſacrorum erat gratia, confirmata mutuis officijs, & Regni munere quod ab eo nuper accepiſſet; id modò non traditur, fueritne cõſilium hoc legatorum ipſorum in re trepida & deſperata Regem adeundi, an verò prouiſu tam implacabilis animi Napus ipſe mandaſſet. Vtcunque habuit ea res, facile Carolus commouetur afflicta Mediolanenſium fortuna, iuſſoſque bonum animum habere legatos cum ſua coniunctim legatione Romã remittit; nec illi ſub tutela regij nominis, ignominiã, aut repulſam amplius vllam timuere. Sed Romae

erat

erat Otho Vicecomes, quem ex certamine Pontificatus inuiſum infenſumque Turrianis memoraui. Is, cùm apud principes, opibus & gratia multum poſſet, dura omnia & iniqua legatis faciebat; & cùm decretum eſſet, vt in Senatum introducerentur, ipſe ſimul introductus, eò rem adduxit, vt variè cõflictati legati remitterent omnia propter quae ad eam diem tantopere dimicatum erat. Regij legati verba, cùm ei Senatus datus eſſet, in hunc modum fuere.

„BEATISSIME PATER, ET PONT. MAX.
„Cùm Regis Siciliæ legati veniremus in hunc locum
„ad expoſcendam populo Mediolanenſi veniam, &
„ſanctitatis veſtrae pacem, minime quenquam mira-
„turum credidimus, quòd Rex nemini ſecundus erga
„ſedem Apoſtolicam obſequio, miſiſſet ad deprecan-
„da eorum pericula, quos ſemel in fidem clientelam-
„que ſuſceptos nunquam poſtea ſibi eſſe deſerendos
„putaſſet. Imò, ſi in tali fidelium ſociorum diſcrimi-
„ne temporeque calamitoſiſſimo ceſſatum foret, pro-
„diti per ſummam iniuriã viderentur; ac meritò San-
„ctitas V. Regis ipſius officium ac fidem in ſuos, quam
„antea ſemper amauit, nunc deſiderare poſſet. Sed
„neque Rex ipſe hoſce Mediolanenſes haberet in ſo-
„ciorum, & amicorum numero, rebuſue quanquam
„afflictis, vllo ſubſidio eos adiuuaret, ſi, vel in Deum
„immortalem impie aliquid feciſſent, vel erga ſancti-
„tatem V. irreuerenter, aut ſi facinore aliquo indigno
„& odioſo ſe famamque ſuam fortè dehoneſtaſſent.
„Nunc inclytae vrbis ciues certamine factionum lap-

ſos

„ ſos videt, à quibus nulla vnquam parua magnaue
„ ciuitas quieuit aut quieſcet, dum quidem in vrbibus
„ homines, & regimina hominum erunt. Mediolani,
„ cùm intemperanter expeterent Pontificatum, qui-
„ bus expeditius fuerat abdicare ſacrũ honorẽ, quàm
„ obtinere, vetera quoque renouata ſunt diſſidia; nec
„ mirum interim, ſi in diſcordi atq; perturbata ciuita-
„ te, flagranteq; veteribus, & recentibus odijs commiſ-
„ ſum fuerit aliquid, quo meruerint Apoſtolicas iras,
„ & horribile fulmen, cuius cauſam nunc in alios alij
„ conferunt, cùm verius omnes de ſeditione ipſa
„ poſſint expoſtulare. Ac primò quidem, fluctuan-
„ tes, & attoniti, nec tantum ferre malum po-
„ terant, nec inueniebant remedia mali, ratioque, &
„ conſilium, & mens propemodum ipſa ſublata erat
„ ex ciuitate, quae ſecundum Romanam hanc maieſta
„ tem ſapientiſſima caeterarum habebatur. Poſtquã
„ adſpexere lucem, & ſui compotes fuere, praeterita
„ oderunt, damnant praeſentia; & ſi venia data ſit,
„ obſequium in poſterum deſtinant eiuſmodi, quale
„ ratum alibi erga Sedem Apoſtolicam viget, eiuſque
„ rei pignus infelicem hanc legationem miſêre. Man-
„ data domo prius attulerant quae flectere quamuis
„ offenſum animum poſſent; pacem, & errori veniam
„ petere, nihil vltra petituros ob noxam; adeo percul-
„ ſos eſſe praeſenti pœna. Id modò ſatis eſſe ad leniẽ-
„ das iras crediderant. Verùm à porta vrbis reiecti, &
„ repudiati, efficacius etiam aliquid ſibi eſſe dicendum
„ ſtatuerunt, monitique etiam ab Rege meo, ne parce-

„ rent vlli verborum ſubmiſsioni, communicatis inter
„ ſe conſilijs, haec me Regium Legatum ſuo nomine
„ dicere Legati Mediolanenſes iubent. Non adeo po-
„ pulum Mediolanenſem inſanire, vt ex eo, quod San-
„ ctitati veſtrae ſemel viſum placitumque fuerit, im-
„ mutare quicquam, aut ſi velint, poſſe confidant, aut
„ ſi forte poſſent, velint. Sed cùm duo in ciuitate ſua
„ ſummum honorem trahant, alterq; fauore partium
„ nitatur, alter Apoſtolico decreto; petunt à Sanctitate
„ V. ſuppliciter, vt pernicioſam hanc dirimere litem
„ velit, & vtrum eorum afflictae ciuitati magis aptũ
„ & ſalutarem fore praeſidem videat, hunc integra
„ cauſa & negotio, Archiepiſcopum declaret. Quam-
„ uis pro altero exarſerint immodica ſtudia, tantumq́;
„ turbarum excitatum fuerit, pronunciata in alteru-
„ trum ſententia, quietem fore pollicentur. Haec Le-
„ gati Mediolanenſes dicunt, haec ipſa Rex meus,
„ quamquam difficile ſit, vnius, ac tanti praeſertim po-
„ puli praeſtare fidem, ſpondet. Sed hoc loco fortaſ-
„ ſe, vel Sanctitas V. vel aliquis eorum, qui in concilio
„ adſunt, tacite obijciat illud, quod mihi quoque, ſi
„ iudex auditorue ſederem, in mentem veniret. Cur
„ igitur Mediolanenſes iſti ſuprema ſemel datum au-
„ thoritate paſtorem reiecêre, cur Apoſtolica decreta
„ reſcindere ſunt conati? Inuoluta ſuis malis ciuitas,
„ ciuile bellum, quotidianae caedes, rapinae per vr-
„ bem, agrorum vaſtatio, & arma penes eum, qui pa-
„ cis eſſe author debuerat, indeque maior in dies ani-
„ morum irritatio colluuioq; rerum omnium, vt ali-

„ quid etiam in hoc negotio fortaſſe triſtius ageretur,
„ effecere. Nam, etſi nihil in quenquam accuſatorie
„ dicere hoc tempore Mediolanenſes velint, vt qui ad
„ ſeſe purgandum, non ad criminandos alios venerũt;
„ hoc tamen vnum expoſtulant, quod quae poteſtas
„ in vrbibus, religionis & concordiae cauſa comparata
„ eſt, eam homines potentes, ad exitium, & odia, &
„ quicquid humanae ſocietati eſſe pernicioſiſſimum
„ ſolet, conuertere ſtatim voluerint. Aduerſus ea, ſi vi-
„ ciſſim eſt tumultuatum, ſi non eos pontificios eſſe
„ mores putauere, ideoq; ſuprema tua, Pater Beatiſſi-
„ me maieſtas eſt violata, errorem deprecantur. In
„ caeteris verò rebus, niſi Sanctitati V. praeſtiterunt
„ omnia, quae à fideliſſimis ſocijs, & amicis praeſtari,
„ ius faſq; erat, non recuſant, quominus hinc inauditi,
„ & indefenſi procul à conuentu ſacrorum arceantur.
„ Caroli copias per ſuos fines benigne atque hoſpita-
„ liter tranſmiſere, cùm aut impediendo iter, aut ſeſe
„ cum hoſte coniungendo, potuiſſent rerum tuarum
„ impedire curſum, & victoriam, qua nunc magni cla-
„ riq; ſumus, in cladem & ignominiam vertere. Iam
„ enim ſumpſerant in nos arma qui ſedis Apoſtolicae
„ faſtigium in ſui diminutionem accipiebant, nec aliud
„ eis ad impediendam expeditionem, quàm ſocij fu-
„ roris, defuerat. Subſidia quin etiam miſêre Ro-
„ mam parati nobis ad alia omnia, quaecunque for-
„ tuna belli popoſciſſet. Et, vt verbo depreca-
„ tionem hanc meam expediam, Apuliae Siciliae-
„ que Regnum non ſtaret hodie, niſi Turriani

„ ſocia nobiſcum arma coniunxiſſent. Hanc igitur
„ ita de ſede Apoſtolica meritam vrbem, ciuili nonni-
„ hil diſſenſione lapſam, nunc ad obſequium redeun-
„ tem, ſi receperis B. P. in Eccleſiae Catholicae gre-
„ mium, nihil à tua clementia, & benignitate alienum
„ feceris, idq; vt facias enixe Rex meus petit. Haec ab
Regio legato dicta cùm eſſent, videreturq; Pontificis
animus tali commotus oratione ad mitiora conſilia
concedendamque pacem inclinare; Napi Turriani
„ legatus iuſſus dicere ſic infit. Niſi, Beatiſſime Pater,
„ is eſſet habitus animorum in ciuitate noſtra, vt, qui
„ cum Apoſtolica Sede gratiae finis erit, idem ſit vrbis;
„ & niſi haberemus hoc à principe populoque noſtro
„ mandatum, vt ſi ſaluam eſſe vrbem vellemus, paca-
„ ti aliquid à Sanctitate V. referremus domum: profe-
„ cto repulſi hinc, & eiecti retro vnde miſſi ſumus, ab
„ iremus, conſiliumque fortaſſe capientes ab ira, & deſ-
„ peratione confugiſſemus ad eorum opes, qui peſſi-
„ me erga Romanum nomen affecti, fœderi ſocietati-
„ que ſuae nos illigare fruſtra iampridem conantur.
„ Nunc, anteferentes quieta conſilia turbidis, ac prope
„ ponentes in gloriae lucro, ſi creſcat Apoſtolica Maie
„ ſtas patientia quoque noſtra caeteriq; deinceps hoc
„ exemplo tardiores ad eam vllo modo violandam
„ fiant, tentauimus extrema remedia, deprecatoremq;
„ Carolum implorauimus, quem Regem, & ſalutis no-
„ ſtrae perſpexiſſe cupidum videbamur, & noſſe gratiae
„ locum, quem apud S. V. is teneret. Petijmus autem
„ ab eo nihil aliud, quàm vt ſua leniret deprecatione

„ ſi quid S. V. praeiudicati in nos haberet; vtq; liceret
„ nobis apud æquas, & benignas aures promere quæ
„ ad defendendam Reip. noſtrae cauſam finiendasque
„ controuerſias attuliſſemus. Illius igitur beneficio
„ iam tandem in hunc locum admiſſi, vbi nos Dei Vi-
„ carius, & ampliſſimi viri Eccleſiae Cardinales audiũt,
„ Deo, & Eccleſia coram ſanctè haec atque religioſe
„ pronunciamus. Si ambitione vlla mala, vel erga S.
„ V. contumacia tentauimus vnum potius habere Pō-
„ tificē vrbis noſtrae quàm alium, Othoneq; repudia-
„ to Raimondum aſciuimus; precamur, vt cuius in eo
„ culpa flagitiumue fuit, ab eo iratus Deus expetat tā-
„ ti ſceleris pœnas, noſq; ſiue priuatus homo ille, ſiue
„ magiſtratus, & publici conſilij princeps fuerit, vltro
„ ad ſuppliciū dedemus. Ciuitatem profectò ipſam
„ ſi quid publici flagitij aduerſus Chriſti vicarium ad-
„ miſſum eſſet, odiſſemus, & quoniam, in patriam ſae-
„ uire impium videretur, procul inde alium domicilio
„ locum quaereremus, neque in temerato ſacrilegoq;
„ ſolo diutius moraremur. Verum enimuero, quò ma-
„ gis innocentiam in hoc negotio noſtram Sanctitati
„ veſtrae probemus, totiusque noſtri facti ratio in hoc
„ auguſtiſſimo conſeſſu teſtata ſedeat eorum animis,
„ qui diuerſam de nobis opinionem accepere, diſſidij
„ contentionumq; noſtrarum initia paullo altius repe-
„ temus. Cùm Leonem Peregum infenſa plebi nobi-
„ litas ad Mediolanēſis Eccleſiae Pontificatum per frau
„ dem extuliſſet, quaſi non Pontificatus ei, ſed inſecta-
„ tio miſerae plebis demandata eſſet, ita cœpit factio-

ſus

„ ſus homo atq; turbulentus vexare ipſam iniurijs, o-
„ pibusq; nobilium opprimere ita ne tollere caput ali-
„ quando, neue ſuperbis vnquam reſiſtere dominis poſ
„ ſet. Eo mortuo, cùm manerent iacta olim ſemina
„ diſſenſionum, iniuriaeq; quotidie atrociores fierent,
„ & ſemel accenſae principum mentes, neſcirent po-
„ nere aduerſus partem inferiorem odia, quaeſiuit illa
„ ſibi ſuum caput, & in Turrianorum clientelam fidem-
„ que confugit. Ac depellere ſuperiorum temporum
„ iniurias, & priſtina iura vindicare orſa plebes ab eo,
„ quod longe maximum omnium erat, longeq; gra-
„ uiſſimum, Archiepiſcopi creandi poteſtatem vi adé-
„ ptam vſurpauit, dixitq; Raymondum. Hunc dein-
„ de familiares ipſius, & amici, quia ſalutare id fore re-
„ gimen ſperabant, dum ſuis retinent opibus ac de-
„ fendunt, exarſit altera factio ſtudijs immodicis, Ar-
„ chiepiſcopoque Raimondo Septarienſem oppoſuit.
„ Ita, cùm duo in vrbe partium fauore Pontifices
„ eſſent, Vrbanus Pont. Max. ratus id componi
„ poſſe diſſidium, ſi neuter eorum, ſed tertius ali-
„ quis rem Mediolanenſem obtineret, haud dubie, Nu-
„ minis in nos ira creauit eum Archiepiſcopum, qui,
„ ſicuti priuatus maximas Mediolani ſeditiones exci-
„ tarat ita, poſteaquam ſummam turbandi licentiam
„ eſt adeptus, ipſam delere patriam agitauit, meruitq;
„ furore ſuo vt praeceps eijceretur ex vrbe, quam la-
„ trocinijs, & omni clade vaſtabat. Si ſeruare patriam,
„ & obuiam ire ſceleri ſcelus fuit, meremur tamen pœ-
„ nitentia, & dolore, Sanctiſime Pater, vt nobis igno-

ſcas.

„ ſcas. Sed ſi facinora omnia, & peſſimi conatus, tum
„ hominis ipſius, tum gentis ex qua prodijt, hîc ante
„ S. V. oculos iacerent, potius credo abominaretur
„ æternos illos, non patriae modò ſuæ, ſed Apoſtolicæ
„ quoq; ſedis hoſtes, quàm calamitati noſtræ ſuccenſe-
„ ret. Familia eſt ea, quæ ſæpe cum Romani nominis
„ hoſtibus impia iunxit arma, ſecutaq; Pallauicinum,
„ & Ezzelinum, effecit, vt vbiuis, quàm ſub Apoſtolici
„ praeſidij tutela certius eſſe perfugium, populi, ciuita-
„ tes, principes arbitrarentur. Otho autem ipſe, vt cae-
„ tera omittam, quae ſacrilega, & infanda eſt auſus, no-
„ uiſſime coacta latronum, atq; ſicariorũ manu, Aro-
„ nenſem etiam arcem occupare tentauit, ſi res ea pro-
„ ceſſiſſet, facturus ad vlteriora gradum, & Italiae Re-
„ gnũ, ſicuti videbatur, inuaſurus. In eam namq; ſpem
„ & ſimul in Eccleſiae Romanae contumeliam, ſoro-
„ rem quam habebat, nuptum dedit homini haeretico,
„ deſertori Catholicae religionis, atq; per eam coniun-
„ ctionem opportunis alijs ad id conſilium ſeſe neceſſi-
„ tudinibus illigauit. Sed, & parentes ipſius haeretici
„ fuerant, quorum reuocare ſectam hoc matrimonio
„ praeclarus Archiepiſcopus agitauit. Nos talia moli-
„ entem eiecimus, tutius arbitrati, prohibere ſcelus,
„ quàm ſinere progredi eò, vti vel lege agendum eſſet
„ in patriae proditorem, vel capti ipſi ſeruitia prodito-
„ ris fieremus. Haec, Pater Sanctiſſime, ſumma noſtro-
„ um flagitiorum eſt, haec vrbis noſtrae rebellio, prop-
„ ter quam arcemur ſacris, & Eccleſiae communione
„ ſumuſq; Apoſtolicae indignationis exemplum. Pe-

timus,

„ timus, vt, ſi aliena magis quàm noſtram culpa deue-
„ nimus in haec mala, ſiq; in tanto hominis vnius ſce-
„ lere conſilijs vſi quam leniſſimis ſumus. & ex multis
„ vindicandae patriae rationibus, quas nobis imperij
„ licentia, & neceſſitas dabat, ſecuti ſumus eam, quae
„ cruenti ac ſaeui nihil haberet; ſi inquam, hæc vti à no-
„ bis memorata ſunt, ita ſe habere Sanctitas V. com-
„ periet, vt vincula demat vrbi, quae ſub legatorum
„ nomine, ſtrata hîc ad pedes iacet. Quòd verò ad Ec-
„ cleſiae noſtrae Pontificatum attinet, nos quidem ae-
„ quum cenſeremus, vt Otho hic abderet in aliquem
„ ſeſe locum, vbi lugeret ſuperioris ſuae vitae flagitia,
„ Catholicaeq; fidei rudimentis imbueretur potius
„ quàm ad inficiendam praua religione florentiſſimam
„ Italiae partem adſpiraret. Sed quia non eſt modeſtiae
„ temporiſq; noſtri definire quicquam, id vnum poſtu-
„ lamus quod Sanctitati quoque veſtrae credimus eſſe
„ cordi, vt nempe detur nobis Archiepiſcopus, qui di-
„ uini iuris intelligens quietaq; mente regere tantae vr-
„ bis populum ſciat. Cùm ea legatus dixiſſet, lene mur-
„ mur eſt ſecutum, & vulgò omnes, orationem eius-
„ modi, quamquam verbis lenitatem imitaretur, fuiſſe
„ reipſa acerbiſſimam aiebant. At Otho, cùm ei ſui de-
„ fendendi facta poteſtas eſſet, neque natura infacun-
„ dus, & accenſus ira, meditato tamen inter ipſam ad-
„ uerſarij concionem temperamento, ſic cœpit. Conui-
„ cia, quæ à Turriano in me familiamq; meam coniecta
„ nuper audiſtis, ſaepe ego aliâs audiui B. P. Auditores
„ ornatiſſimi, patientiaq; & lenitate, qua perferre ho-

minum

,, minum iniurias neceſſe eſt, pertuli cum ceteris iniu-
,, rijs & omnium rerum indignitate, quas pati huma-
,, nus animus poteſt. Nam gens iſta, ex quo ſemel in ci-
,, uitatem noſtram accepta eſt, numquam deſijt nomen
,, omne Vicecomitum inſectari probris, armis, atque
,, odijs implacabilibus, quibus me ad extremum e pa-
,, triae finibus eiecere. Sed vellem, aliquam ſaltem hu-
,, ius honeſtiſſimi conſeſſus, Apoſtoliciq; ſolij rationem
,, habuiſſent, cuius violaſſe maieſtatem videntur pro-
,, teruia linguae, quam viſam eſſe nimiam arbitror,
,, etiam ſi quis fortaſſe praeoccupato maledictis ani-
,, mo, de nobis antea peſſime ſentiret. Mihi verò, pro-
,, pter eam modeſtiam, quam á natura tributam ha-
,, beo, quaue ſacrum hunc reuereri cœtum oportet, ne
,, reſpondendi quidem locus eſt relictus, cùm ſi reſpon
,, dere velim ac refellere dicta, neceſſe habeam idip-
,, ſum imitari, quod in legationis iſtius irreuerentia vos
,, eſſe abominatos ſcio. Nec magnopere tamen ange-
,, rer hiſce verborum contumelijs, quas contemnere
,, decet peritum humanae conſuetudinis & aſſuetum
,, omni rerum varietati, niſi facta verbis eſſent atrocio-
,, ra, quibus ne remedium quidem inueniri vllum po-
,, teſt. Atque, cùm tam acerbae inſectationis, neque iu-
,, ſtam, neque probabilem vllam cauſam habeant, non
,, poſſumus animi noſtri dolorem illo ſaltem infelici
,, lenire ſolatio, quòd non immerito haec mala patia-
,, mur. Odêre familiae noſtrae ſplendorem & imagi-
,, nes, antiqua nouaq; decora, & nomen ipſum nobili-
,, tatis, quam virtute maiorum partam nobis eiurare

„ non licet. Hanc noſtram veluti culpam inſectantur, „ quodq; in vrbe honeſte ſtaremus, nec eſſent vllae ſordes, quae nobis exprobrari poſſent, idipſum illi tyrannidem appellantes, Vicecomitum gentem diſcretam in mille domus, veluti noxium vnum ac vile caput è patriae mœnibus exturbauere. Quicunque natalibus honeſtis honeſte gloriamini, contempti & violati eſtis in noſtra iniuria. Nullam plebeij homines eſſe nobilitatem volunt, tollunt è ciuitatibus omne diſcrimen, & ea, quae Caeſares virtuti vel fidei familiarum indulſere, abrogant authoritate ſua; donec aequata ſumma infimis videant, conquieſcere non poſſunt. Oro & quaeſo, B. P. ignoſcas huic meo dolori, ſi diuinis tuis occupationibus longiorem fortaſſe de Turrianorum iniurijs, & mearum rerum conditione querelam inſeruero. Mediolani ante Turrianorum aduentum, fuerant ordinum collegia metu plebis aduerſus potentiorum opes inſtituta, maximum ciuilis concordiae vinculum; cùm ſcilicet pars altera tardior ad iniuriam, altera ſic modeſtius ageret. Immiſcuit ſeſe Turrianus, & quaſi nouus Reip. noſtrae moderator, magiſterq; morum in aliena vrbe, dictitans ea Collegia ſeditioſum eſſe negotium, atque inde aliquando coniurationem fore, ſuſtulit caetera; Credentiae vnum reliquit. Is fuerat peſſimae turbae cœtus tuendae libertati ſpecioſo nomine, poſtea vertit in ſeruitutem dedecuſq; patritiorum. Nam cùm ſeſe Turrianus huic cœtui caput appoſuiſſet, in tantum creuit opibus & audacia, vt omnia, quae turbulentis

„ ſentis illis decreta conſilijs forent,ſiue pax,ſiue bella
„ tractarentur,fixa & rata eſſe apud omnes oporteret.
„ Mox quaeſitam Credentiae nomine potentiam au-
„ thor idẽ aſſeruit ſibi, totamq; nobilitatis inſectatio-
„ ne conſumpſit. Vaſtati agri, direptae domus, incen-
„ dia,rapinae, caedes, & alia,quaecunque barbarus
„ hoſtis,capta poſt diuturnam obſidionem,vrbe, face-
„ ret,illata nobis à Turriano;noſtrum ea Regnũ,noſtra
„ tyrannica dominatio fuere.Ne Sacerdotibus quidẽ &
„ Eccleſiae pepercit furor,ſi quis ibi nobilium eſſet; ac
„ praecipua ſemper in Pontifices violentia. Leonem
„ Peregum deiecere loco, deiectumq; peremere longa
„ calamitatum tabe. Non enim vt caeteri, ſatiare iras,
„ & explere odia ſatis habent; ſed totum haurire ſan-
„ guinem volunt, infandiſq; velut epulis aſſueti, me
„ nunc profugum & extorrem ferali ſua fame conſec-
„ tantur, & hic ante S.V. oculos quaſi cum ipſis abſor-
„ bere veſtimentis nuper tentauere; criminibus & ma-
„ ledictis onerarunt quibus confiderent effici poſſe, vt
„ ne miſericordia quidem vllius in meo tali caſu taliq;
„ ſpectaculo moueretur.Cepi fateor Aronenſem arcẽ,
„ ſed neque vt patriae Regnum inuaderem cepi,neque
„ ſicarij latroneſue mihi,ſicut iſti criminantur, ad eam
„ rem adiutores fuere, Potius autem amicorum praeſi-
„ dio meam vicem indignantium id intraui caſtellum,
„ vt Apoſtolica decreta coaſpernantes aliquo ſubige-
„ rem terrore, ſtatueremq; ſi poſſem exemplum,nequis
„ in poſterum populus Romana venientem authorita-
„ te paſtorem repudiare auderet. An ego, cùm ſummi

„Pontificis nutu, Cardinalium omnium approbatio-
„ne, Archiepiſcopus Eccleſiae Mediolanenſis eſſem
„renunciatus, primoq; ſtatim àd meum illud paſtorale
„munus ingreſſu repudiaret eijceret, tantam Apoſtoli-
„cam ſedis & meam contumeliam ferre tacitus potui?
„Profecto culpam & dedecus aliquod eſſe meum ho-
„mines arbitrarentur, cuius conſcientia quietem age-
„rem ignominioſam, neque familiae nobilitatem, ſed
„hominis diſplicuiſſe vitam, ferret fama, quam ſcilicet
„alerent hoſtes mei, tantoq; magis inſultarent. Inſul-
„tant enim parentum quoq; meorum oſſibus & cineri,
„neq; pacem, & quietem eſſe mortuis eam ſinunt, quã
„ipſius naturae tacitae preces poſſent à feris etiam im-
„petrare. Scilicet haereticos fuiſſe cauillantur, cùm &
„religioſiſſime vixerint, & in vitae termino, ſepulturae
„ſibi locum elegerint quá communi cum caeteris Ca-
„tholicis iure ſacra precesq; piorum exſuuiae mortales
„ad aeternam animi ſalutem exciperent. Sororis verò
„meae virum etiam eodem inceſſere probro ſunt auſi,
„cuius & vitae genus, & ipſam domicilij ſedem lon-
„giſſime ab eiuſmodi ſuſpicione criminis abeſſe omnes
„ſciunt; neq; ego factã hanc illi nunc iniuriã cõqueror,
„vt refellam cõuiciũ, quod ſpretum exoleſcet vanitate
„ſua, ſi defenſionem ſuſcepero agnitum eſſe videbitur.
„Tãtùm dicam, homines hoſtes ſacrilegos & impuros,
„ſpoliatores templorum, ſedis Apoſtolicae rebelles,
„notoſq; per Italiam fama crudelitatis & auaritiae ra-
„bie quadam eſſe concitatos, vt neque viuis parce-
„rent, neq; mortuis; & cùm Sanctitatis V. imperium
ſpre-

„ ſpreuiſſent, nos in obſequio perſeuerantes capitali-
„ bus & inhumanis hiſce modis inſectarentur. Itaque
„ ſapientiſſima mens Vrbani, qui proxime ſedit in iſto
„ faſtigio remedia ſanādis animis extrema tētarat vſus
„ fulmine, quo patriam nunc meam afflatam, defor-
„ memque video. Sed furioſi homines, qui neque in
„ vita famam verentur, neq; poſt mortis tempora ſu-
„ pereſſe quicquam putant, duritie animorum impene-
„ trabili contempſere caeleſtem ictum, & nihil hoc
„ eſſe putant, quòd procul ab Eccleſiae liminibus ar-
„ centur. Neque illi ſua ſponte ad petendam S. V.
„ pacem huc venerunt, neque, ſi, quod petunt impetra-
„ rint, poſtea ſunt imperata facturi, manſuriue in eo,
„ quod nunc in omnem compoſiti ſimulationem oſten
„ dunt promiſſis inanibus & comploratione meditata.
„ Voces liberæ populi, & fortes eorum querimoniae,
„ qui nollent carere ſacris, hanc impoſuere neceſſitaté,
„ vt mitterent legatos; & parere Pontifici Maximo
„ nulli pertinacius abnuunt, quàm qui maxime ſimu-
„ lant. Nec in Regem Carolum ijdem hoſpitaliter, &
„ amice quicquam fecerunt, quia id Apoſtolicae Sedi
„ fore gratum ſcirent; ſed falſo credidere, ſuis benefi-
„ cijs deuinctum eum adiutorem fore ſibi ad patriae
„ regnum obtinendum, vrbemq; deinceps omni ſcele-
„ re, & crudelitate lacerandam, ſicuti fecere cùm am-
„ plius quingentos oneratos ficti criminis inuidia, ſecu-
„ ri percuterent, impoſitaq; carris corpora exportari
„ iuberent illuc, vbi laniamenta canum & coruorum
„ fuere. Erat in eo conuentu profugus ex tam atroci
caede

caede nobiliſſimus Mediolanenſium, qui confoſſus vulneribus, non totam cùm plurimo ſanguine vitam effuderat, adſimulataque tantiſper morte, vbi tutum fuit, ſe ſe proripuerat ex aceruo, & ſeruatus amici fidelis cura, firmo poſt aliquot dies ad iter corpore peruenerat Romam, ibique multos ob ſpectatam claritudinem ad miſericordiam ſui caſus allexerat. Is memoria cruenti ſui diſcriminis, & cicatricum dolore Turrianis infenſus parantem plura dicere Othonem interpellauit, & quamquam abſurdum id omnibus viſum, tamen aures praebuere, cum nouam ipſe concionem ordiretur. Summa fuit; ſe tyrannorum ſaeuitia multis in mortem vulneribus adfectum, ex illa ſtrage veluti diuinae potentiae miraculum adeſſe, viuum cadauer, exangue corpus, & ſicuti arbitraretur, tenui ſpiritu, modicaq; voce in id relicta, vt Romae in ipſo orbis terrarum & Eccleſiae theatro inhumani facti eſſe teſtis poſſet. Caeſam ab Turrianorum factione Mediolani nobilitatem vno ictu, vacuas domos aut orbatas, vrbemque manantem adhuc ſanguine totam eorum eſſe, qui peſsimum facinus fecerint aliena manu. Reſpiceret ſacrorum princeps, cui rerum humanarum arbitrium, & cura credita eſſet, eum caſum, & ſi quid poſset remedij ad Metropolim excitandam admoueret. Haec & alia vir Mediolanenſis cùm diceret, accenderetq; fletu prope tragicum in morem, moti ſunt omnium animi dolore, & miſeratione, & ira; neque legatis in praeſentia reſponſum datur. Abire confeſtim iuſſis ex aula

Con-

Concilij ſententiae patrum rogari cœptæ. Vna vox omnium fuit; veteres quoque Mediolanenſes, id egiſſe, vt nomen vrbemq; ſuam, contemptu Romanae maieſtatis nobilitarent, & nunc rebellium parentum infenſam prolem, veſtigijs inſiſtere maiorum ſuorũ, imbutas ciuili ſanguine manus Epiſcopis ſuis intentare, prope bellum inferre Pontifici Maximo, & quamquam nunc ſimulent imperata facturos, tamen vbi metus animis deceſſerit, contumaciam, defectionem, vim, dolum antiqua vrbis mala reditura eſſe; magno aliquo exemplo coercendos videri. Haec, & alia Patres iactabant in vrbem Mediolanum, haud dubie proni in Othonem, qui vetus Aulae erat, & in eius cauſae iudicium facile parare ſibi potuerat gratiam apud omnes, & fauorem: Legati deinde rurſus in Senatum vocantur, vbi, cùm iratos vultus & infenſa omnia viderent, omiſſa defenſione id tantummodo dixere; ſtatueret Princeps, iuberet quicquid ei videretur, ciuitatem omnia facturam obedienter. Othonem haud fallebat, attonitos praeſenti rerum ſtatu legatos, obnoxia haec verba pronunciaſſe; domum vt redijſſent, memorem plebem inimicitiarum, ipſosque memores irritae, vel potius ignominioſae legationis, nec pacati quicquam fore. Tutius eſſe nihil in tam ſuſpectis rebus, quàm ſi per Apoſtolicum Legatum in patriam reduceretur, idque à Pontifice Maximo contendere cœpit ardentis animi vir, & ad ea, quae ſemel deſtinaſſet,

nuſquam

nuſquam ſegnis. Dum haec Romæ aguntur, Mediolani, minime otium erat. Verſa in Ticinenſes arma; capta mox communita Vigleuanum, & aduerſus Conradinum, atque Palauicinum, cum Theutonica multitudine armatos in Catholicae Eccleſiae damna, fœdus initum, quo Longobardi nominis ciuitates, vrbem Romam, & Metropolim hanc eximere vaſtitati, quam coniurati cum barbaris domeſtici hoſtes inferre parabant. Dein ſiccitate laboratum; ex qua caritas annonae, primò, deinde fames orta donec obtinuere ſupplicantum agmina largos imbres, horreaque ſunt aperta, queis auari, & opulenti frumentum occultarant, cluſas ob eam caeleſtem iniuriam anni ſpes rati. Annus hic erat ſalutis noſtrae ſexageſimus octauus, ſupra milleſimum ducenteſimum, quo anno Carmelitae Fratres ordini ſuo domicilium in vrbe collocauere; ſeruauitque memoria paruum illud fortaſſe dictu, ſed nobis in origine monaſterij notanda, minime praetermittendum. Quippe, cùm primam hoſtiam immolarent, feciſſe ſub dio, & poſtea per aliquot inde dies, fixum ſacrificij cauſa tentorium habuiſſe. Eodem anno, Mediolanum venit, Caroli Siciliae Regis vxor, ingens vrbi gaudium, ob ſuam, & mariti claritudinem, & quia magna plebi ſpes in Carolo, poſſe per eum, Othonem arceri Pontificatu, placarique Summi Pontificis animum. Accepta eſt Regina congeſtis in eam honoribus, quales adulatio publica parare principibus nouit, qualesue in tam ancipiti certamine parari

tempus

tempus monebat. Praecipua ſtudia Turrianorum fuere,totaq; domus in prodigos ſumptus effuſa,tamquam aduerſus inimicum id Regiae gratiae praeſidiũ emerent, & quaſi perſequerentur eum hoc etiam conatu. Ad xv. Cal.Sept. cùm de Reginae aduentu nuntius acceptus eſſet, Turrianus,omnium primum, per cuncta vrbis loca propoſuit, domi ſuae in propatulo epulas fore; rogare ſummos infimosq; vt ſecum vnà celebrare laetitiam, & geniales illos obire dies vellent; ſe quoque in amicorum Penatibus paria facturum. Adeo grata populo, Turriani liberalitas fuit, vt pleriq; ſequerentur exemplum, & poſitis in publico menſis epularentur inuitandae multitudini, quae paſſim laeta diſcumbebat. Ordines quoq; ſacri cum caetera turba ſuis fulgentes inſignibus obuiam proceſſere, acceptaque eſt Regina, quantâ Regum vix vmquam vllus magnificentia,& celebritate. Pretioſam duodecim haſtis erigebant vmbellam,totidem è plebe concolore veſtitu praepotentes viri; ſubmouebant alij turbam, neq; ſplendor abfuit vllus, quem in tali tempore rudis alioqui ad eiuſmodi apparatus aetas potuit, vel rerum copiâ, vel artificũ ingenijs exhibere. Poſt Reginae diſceſſum etiam, equeſtres ludi, militareſque decurſus, & armatae ſaltationes exhibitae, quaſi priora non fuiſſent in praeſentem feminam adulatio. Et Franciſcus Turrianus, Napi frater, cùm populum in D. Ambroſij Aedem conuocaſſet,praefatus pauca de fortuna temporum ſuorum, & felicitate vrbis, cui nouum illud ex

Reginae hoſpitio columen obtigiſſet, dixit, placere ſibi propter eius rei laetitiá equites creare clariſſimos ciuitatis. Creati plebeij ferme; torques, & veſtimenta multis data. Fiebant haec omnia ſicuti dictū eſt, arte Turrianorum, vt ſponſa, cùm deducta foret ad Regem, honores, & ſtudia in ſe populi Mediolanenſis extollendo traheret maritum in partes, idque praeſidium aduerſus Achiepiſcopum Othonem haberent. Interea Romae, Otho circumeundo principū domos,& Vaticana limina frequentando, tenuerat, vt decreta in id ipſum legatione, Mediolanū abſque mora deduceretur. Venit legatus ineunte Decembri cum ſumma poteſtate, triſtibuſq; mandatis in ciuitatem, ſi vltra contumax foret. Verùm efficaces in praeſentia minae denunciationeſq; periculorum paulo poſt ad irritum cecidere, ſecuta Pontificis ipſius morte, quae, ſopita, vel diſſimulata pauliſper in Othonem odia rurſus accendit tamquam extincto uindice, pactorum quoque ſublata fides eſſet. Data fides autem haec erat; Turrianos fore cum bona pace ſubiectos & obedienes Archiepiſcopo relicturos: Eccleſiaſtica bona, quae licentiâ temporum inuaſiſſent: Eccleſiam ipſam paſſuros eſſe immunē ab oneribus, & tributis, quae quotannis in fiſcum ob Reipub. neceſſitates, ob bella, & varios vſus exigerentur. In has fere conditiones dempta vincula vrbi, & data pax, quae, ſicuti arbitror, nequaquam rata eſſe debuit apud ſuperos, quia plebes, in eo quod promiſſerat nō manſit. At profuga nobilitas, vbi, nec recipi Othonem,

nem,

nem, & deceſiſſe Pontificem, alteriuſq; obitu, alterius eiectione, duo columina rerum ſuarum amiſſa eſſe videt, Francinum Burrum in Hiſpaniam ad Caſtelle Regem mittit. Regi dominatum vrbis offerẽtes, petebant, vt coercendae plebi vim ſuam admoueret; eam immodicis elatã opibus, pellere Archiepiſcopum, iuſſa Romani Pontificis aſpernari. Caſtellano pulcrum imperijq; ſui magnitudine dignum videbatur, fauere nobilitati, capeſſere tanti nominis vrbem in Italia; ſemperq; regiae fuit artis, benigne auxilium offerendo, quaerere famam ad exteros, & per ſpeciem alienae fortunae defendendae proferre ſuos fines. Ea benignitate ſexcentos expeditos equites in Italiam deſtinauit, ipſumque Burrum ornauit donis. Sed ſuperis cordi non erat, Hiſpano tunc Imperio res Italas aſſueſſe, maximique dominatus principium inhibuere, vt ſuo poſtea tempore miraculi inſtar eſſet. Regius equitatus ille, cùm nobiliũ adiunctos equitatui, moenia circũueniret, Turrianus obuiam egreſſus, leui certamine, reiecit hoſtem, indeque noua in patricios ira, quòd externa arma in Italiam acciuiſſent. Ita, res & arma plebis quotidie magis aduerſus Archiepiſcopum adhuc inualeſcebant; rebusque multùm incertis, & nulla bona ſpe exul Otho vagabatur. Adhuc domina rerum omnium erat plebes; neque cum finitimis bella neq; domi pacem infeliciter adminiſtrabat. Caſtellum in agro Cremonenſi receptaculum haereticorum (Moſanica nomen) expugnauere, alienae religionis cura, cùm

ſuum ipſi Pontificem eieciſſent. Id antea fuerat Aegidij cuiuſdam auita poſſeſſio; poſtea liberalitate populi, Dominicanis ceſſit, qui contra fidei deſertores inualida concionum authoritate, fortius id ab Rep. remedium implorarant. Cum Laudenſibus, ob veteres, & nouas inimicitias proſpere dimicatum; inde facta pax, magnarumque fama rerum, ingentes, & clari plebeij binas ab Siciliae Rege litteras accepere; male cum Saraceno pugnatum eſſe, grauem, cladem accepiſſe Chriſtianos; niſi quid in Mediolanenſi Repub. foret auxilij, grauius periculum imminere. Viciſſim ipſi Cremonam miſêre legatos ad Philippum Galliae Regem, qui mœſtitiam eius ob Ludouici patris obitum conſolarentur; ſimul peterent, vt ex itinere Mediolanum veniret. Id ad vrbis pertinere dignitatem & famam; & patrem eius ſocium, amicumq; populi Mediolanenſis fuiſſe. Non erat fortè deuium Regi; cùmque veniſſet, deducitur ad P. N. in aedes Raimondi Turriani Nouocomenſium Epiſcopi, quà nunc Franciſcani Minores laxiſſimam aedem tenent. Ibi Mediolanenſes eum, xenijs, & donis, & omni publica, priuataque gratulatione coluerunt, eadem videlicet arte, quá paulo antea Siciliae Reginam deuinxerât aduerſus exulem Archiepiſcopum, nihil praeſidij ſatis vnquam eſſe paratum exiſtimantes. Volebat populus vſurpare priſcum adulandi Regibus morem, & hoſpitali munificentia dominantibus alijs æquiparari. Inde ad exornandam vrbem, veluti ſuam auerſi, dirigere ad lineam ſpatia viarum, exco-

lere

lere templa magnifico ornatu, quaeue per eos annos labefacta, vel collapſa reſtituere aggrediuntur, cùm ſubito affertur varijs primo ſermonibus, vt aſſolet, deinde certis ad Turrianos nuntijs, atque litteris amicorum, Theobaldum Vicecomitẽ Eccleſiae Lugdunenſis Archipresbiterum, congregatis rite patribus Pontificem Maximum eſſe renuntiatum; nouo nomine Gregorium x. appellari. Ea res grauiter perculerat plebem, principeſque plebis; Othonem contra, & nobilitatem vniuerſam erexerat ſpe, gaudio, finéq; tandem fore malorum inter ſe gratulantes aiebant, quandoquidem ſanguinis factioniſque ſuae Pontificem haberent. Sed neſcitur, quinam poſtea caſus, quodue conſilium, tantopere Pontificis eius animum immutarit, vt ab defendendo ſuarum partium, & ſui generis Othone, penitus ad cauſam defenſionemque plebis, & Turrianorum auerteretur. Fortaſſe luberat antiqua & occulta quaepiam in ſuos ira, quam ſic vltum iuit; ipſeque fortaſſe Turrianus, perſpecto Vicecomitis huius animo, quò ſua ſponte vergebat, traxit precibus eum, & gratia, caeteriſq; magnae fortunae machinamentis. Tanta certe facta eſt immutatio ex eo quod futurum eſſe plerique omnes autumabant, vt, & Pontificis ipſius frater Mediolani praetor crearetur, & Romanus, ne beneficio victus videretur à ciuibus ſuis, ad omnia quae vellent illi, ſe ſe poſtea facilem praeberet, oblitus interea extorre Vicecomitum nomen, auita ſtemmata, deſertáq; nobilitatem, quae, ſuo, ſicuti crediderat fau-

tore

ſuum ipſi Pontificem eieciſſent. Id antea fuerat Aegidij cuiuſdam auita poſſeſſio; poſtea liberalitate populi, Dominicanis ceſſit, qui contra fidei deſertores inualida concionum authoritate, fortius id ab Rep. remedium implorarant. Cum Laudenſibus, ob veteres, & nouas inimicitias proſpere dimicatum; inde facta pax, magnarumque fama rerum, ingentes, & clari plebeij binas ab Siciliae Rege litteras accepere; male cum Saraceno pugnatum eſſe, grauem, cladem accepiſſe Chriſtianos; niſi quid in Mediolanenſi Repub. foret auxilij, grauius periculum imminere. Viciſſim ipſi Cremonam miſêre legatos ad Philippum Galliae Regem, qui mœſtitiam eius ob Ludouici patris obitum conſolarentur; ſimul peterent, vt ex itinere Mediolanum veniret. Id ad vrbis pertinere dignitatem & famam; & patrem eius ſocium, amicumq; populi Mediolanenſis fuiſſe. Non erat fortè deuium Regi; cùmque veniſſet, deducitur ad P. N. in aedes Raimondi Turriani Nouocomenſium Epiſcopi, quà nunc Franciſcani Minores laxiſſimam aedem tenent. Ibi Mediolanenſes eum, xenijs, & donis, & omni publica, priuataque gratulatione coluerunt, eadem videlicet arte, quâ paulo antea Siciliae Reginam deuinxerât aduerſus exulem Archiepiſcopum, nihil praeſidij ſatis vnquam eſſe paratum exiſtimantes.
Volebat populus vſurpare priſcum adulandi Regibus morem, & hoſpitali munificentia dominantibus alijs æquiparari. Inde ad exornandam vrbem, veluti ſuam auerſi, dirigere ad lineam ſpatia viarum, excolere

lere templa magnifico ornatu, quaeue per eos annos labefacta, vel collapſa reſtituere aggrediuntur, cùm ſubito affertur varijs primo ſermonibus, vt aſſolet, deinde certis ad Turrianos nuntijs, atque litteris amicorum, Theobaldum Vicecomitē Eccleſiae Lugdunenſis Archipresbiterum, congregatis rite patribus Pontificem Maximum eſſe renuntiatum; nouo nomine Gregorium x. appellari. Ea res grauiter perculerat plebem, principeſque plebis; Othonem contra, & nobilitatem vniuerſam erexerat ſpe, gaudio, finéq; tandem fore malorum inter ſe gratulantes aiebant, quandoquidem ſanguinis factioniſque ſuae Pontificem haberent. Sed neſcitur, quinam poſtea caſus, quodue conſilium, tantopere Pontificis eius animum immutarit, vt ab defendendo ſuarum partium, & ſui generis Othone, penitus ad cauſam defenſionemque plebis, & Turrianorum auerteretur. Fortaſſe luberat antiqua & occulta quaepiam in ſuos ira, quam ſic vlciſci iuit; ipſeque fortaſſe Turrianus, perſpecto Vicecomitis huius animo, quò ſua ſponte vergebat, traxit precibus eum, & gratia, caeteriſq; magnae fortunae machinamentis. Tanta certe facta eſt immutatio ex eo quod futurum eſſe plerique omnes autumabant, vt, & Pontificis ipſius frater Mediolani praetor crearetur, & Romanus, ne beneficio victus videretur à ciuibus ſuis, ad omnia quae vellent illi, ſe ſe poſtea facilem praeberet, oblitus interea extorre Vicecomitum nomen, auita ſtemmata, deſertáq; nobilitatem, quae, ſuo, ſicuti crediderat fau-

tore

tore ad ſummum rerum humanarum faſtigium euecto, ſuſtulerat manus. Non tamen ea, Turrianus per ſuperbiam accepiſſe videri volebat; ſed quanto felicius negotia ſuccedebant, intentior firmandae potentiae, omnia diuini eſſe muneris identidem praedicabat, gnarus, famam religionis in principe magnum eſſe firmamentum Imperij; & quò plus fidei talibus dictis eſſet, addebat modeſtiam, aequitatem, & in omnibus rebus paria facta. Anno poſtquam Vicecomes Pontificatum Maximum acceperat, ineunte, cùm praeter expectationem, id ſibi, populoque Mediolanenſi bonum, felix, fauſtumque eſſe Turrianus videret, quaſi remunerans cœleſte beneficium, inſtituit nouis vrbem temperare legibus, quae ſpectare ſingulae viderentur æqualitatem inter homines, & Dei cultum, vel ſi quae his interiecta pertinerent ad conſtituendam Reipub. formam maxime ſalutarem, ac duraturam. Et quia nihil attineret praeclaras deſcripſiſſe leges, niſi eſſet ipſe legum obſeruandarum exemplum, iurauit in celeberrimo conuentu grauiſſimum iuſiurandum, ſe abſq; vlla cura, quae flectere à recto animum poſſet, Rempublicam Mediolanenſem eſſe adminiſtraturum, eamque ſummam fore conſiliorum, actionumue ſuarum, vt Deiparae Virginis nomen, & Parens Vrbis Ambroſius, & Eccleſiaſtica res vniuerſa, qua decet religione colerentur. Id in ſingulos annos reuocari Sacramentum placuit, eaq; prima lex dicta; caeterae deinceps in hunc modum fuere, quaſquidem memorari pertineat ad Ec-

„ cleſiaſticam hanc curam. Praetor Vrbanus, quae de-
„ creta, quaeue leges, plectendis, aut ſanandis haere-
„ ticis antiquitus habentur, ea decreta, eaſue leges re-
„ ligioſe, atq; inuiolatè cuſtodito. Parricidas omnes
„ capite plectito. Poſtquam magiſtratu abierit, ad
„ quintum decimum diem in Vrbe maneto, vt, ſiue cle-
„ rico, ſiue populari quicquam debebit, appellandi po-
„ teſtas ſiet. Aleatores punito lenoniam artem,
„ quaeſtuſq; meretricios prohibeto. Franciſcanis Mi-
„ noribus annua quingenta aeris pondo curato, donec
„ ſacra turris, quam inchoauere ſit ad faſtigium per-
„ ducta. D. Ambroſij feſtum diem religioſe populus
„ colito, eoque die ciues ad aram maximam ſiſtunto
„ dona, cereum, & frontale quae vrbis magnitudine
„ ſint digna. Si quis Dei, cælitumue nomina irreuerē-
ter vſurparit, in impium illum eſto mulcta, prout erit ſtatus, & conditio vitae. Haec ferme religionem & Eccleſiam attingebant; pleraque alia fuere conſtituendae Reipublicae vitaeq; communi, qualia, vel quilibet alius miſtus è ciuili prudentia, Chriſtianaque pietate principes excogitare potuiſſet. Scriptis in hunc modum legibus, & ordinata Republica Praetor Vicecomes Romam eſt profectus, vt nouam fratris fortunam viſeret; ac de Mediolanenſis Eccleſiae pontificatu preces, & mandata Turrianorum afferet, infenſus Othoni, non propria vlla ira, ſed quia beneficia, vel iam ab illis accepta, vel in poſterum ſperata, gerere alienum animum cogebant. Haud multo poſt legatio Turrianorum iuit, ſpecie gratulatio-
nis,

nis, aduerſus Othonem miſſa, quod caput hoc tem- pore curarum omnium erat, Hoc anno circumuoli- tantia papilionum agmina prodigium fuere, quod ſecuti poſtea caſus, & aduerſa Turrianorum fortuna comprobauit. Sed aliquandiu laeta omnia ciuitatem auerterant ab triſti omine; ſecundaeq; res in praeſen- tia, ſicuti fit, nequaquam anxias eſſe futuri mentes ho minum aſſuefecerant. Publicae laetitiae pars fuit, qnod Eduardus Angliae Rex cum Eleonora coniu- ge domum proficiſcens, Mediolanum venit, & iam aſſueti Regum hoſpitijs Turriani, ſuis, & ciuitatis vni- uerſae opibus, Eccleſiae quoq; gratulatione venien- tem accepere. Quidquid in vrbe ſacrorum ordinum erat, obuiam procedunt, eaque non minus grata fuiſ- ſe regijs animis perhibetur pompa, quàm reliqui opu lentae vrbis apparatus, equites, arma, ludi, & in mil- le concolores veſtitus, auri, gemmarumq; certamine diſcreta ciuium multitudo. Mox Gregorius ipſe ade- rat Lugdunum tranſcendens Concilij cauſa, quod in eam vrbem ad vindicanda *Hieroſolyma* indictum maximo procerum concurſu celebrabatur. Ea laetus occaſione Turrianus, Placentiam vſq; mittit obui- am Pontifici maximo rogantes legatos, vt pro digni- tate, ac ſalute vrbis Mediolani, facere breuem itineris moram, & ſe ſe patriae permittere adorandum vel- let. Neque abnuit ille quaſi cupiens cognoſcere ſta- tum rerum, componere ciuium iurgia, & fortaſſe mortalitatis fines egreſſum ſe inter ſuos adſpici na- turali deſiderio geſtiebat. Fecerat ſe partem Pontifici

comi

comitatus itinerisq́; ſocium Otho Vicecomes, non dubia ſpe fore, vt ſub tantae maieſtatis vmbra latere incolumis poſſet, atq; nunc arcendi ſui verecundia, quamquam apud infenſos oriretur. Is perſpecta Pontificis in partem aduerſam inclinatione horribiliq; attonitus diligentia Turrianorum & arte, vereri coepit, ne parum ſibi prodeſſet id, quod antea fore tutiſſimum exiſtimarat. Audiebat quoque fremitus, & ex vicino minas, & haud dubie vim parari. Itaq; diſſimulato apud Pontificem animi ſui dolore ob res aduerſas, infidamq; caritatem cognominis, à quo ille poſtquam ſummum honorem accepiſſet deſciuiſſe per ſuperbiam videretur; id modo cùm dixiſſet, cernere ſe veteres turbas, audire ſtrepitum armorum, inſanabilem eſſe patriam; abijt Ticinum, vbi ſtudia pro ipſo indignantium, ac ſi ſumere bellum vellet, parati auxiliares erant. At Gregorius, nulla exſulis cura in Turrianos effuſus, ab vrbe Placentia, laudem Pompeiam, inde Viboldonum, poſtea Mediolanum peruenit; & ingrediente Romano, fuit pompa, qualis debuit eſſe in vrbe, quae ſuſpenſa certaminis euentu, propter ipſum rei totius arbitrum, iampridem etiam alijs omnibus adularetur. Sed praeter certamen, & in Othonem odia cauſas adulandi, ſuberat gloria & caritas in ciuem, quem merita in eum locum extuliſſent. Et quo magis ipſum admirarentur, fecerat ea res, quod ex inimica factione fautor repente plebis extitiſſet. Vehebatur lectica, ne ſatiaret adſpectum, ab dextero tantum latere obuius, & apertus effuſae

ad ſpectaculum multitudini. Cardinales eum ſequebantur, quos ipſe delegerat ob veterem amicitiam, aut recens probatos; erantque, vel apud Pontificem gratia, vel ſuo nomine praecipui; Ottobonus Fliſcus, Bonauentura Franciſcanus, & Vicedomus quidam. Rectà diuertit in aedes Ambroſianas, vbi triduum moratus, neque indulſit ciuitati quicquam eorum, quae, vel ad animi fructum, & religionem, vel ad Reipub: dignitatem indulgere Pontifex Maximus poſſet, neque in conſpectum ſuum admiſit vllum, praeter Turrianos, & Praetorem, qui Cardinalis Ottoboni ſororem in matrimonio habebat. Creditum eſt, ad exaſperandos in Othonem Archiepiſcopum animos, inuidiamque augendam id pertinuiſſe, vt, & iam inimica plebes, & obſtinato fauore nobilitas, cùm Pontifici quoque maximo diſplicere cauſam intelligerent, perſequerentur tanto magis exſulem, aut languidius inpoſterum fouerent. Ita commotis omnium animis, atque, vel attonitis metu, vel geſtientibus laetitia, ob Romano praeſidio exutum hoſtem, Gregorius ex vrbe diſceſſit. Ac ne dubia foret in plebis cauſam eius propenſio voluntatis, Raimondum Turrianum pauló poſt Aquileiae Patriarcham creat. Epiſcopus hic erat Nouocomi, ſicut antea demonſtrauimus, opesq; à maioribus acceptas auxerat Eccleſiae illius poſſeſſione, quæ ſicut alij per Italiam Pontificatus, vix iam vllam ſplendoris antiqui partem ſeruat. Ac ſupra fortunam etiam nouus Patriarcha gerens animos, cum ad capeſſenda honoris

pri-

primordia proficiſceretur, legeretque comites, & familiam, vſus eſt arte, qua factionis aduerſae, vel ſtudia conciliaret ſibi, vel arcana, & conſilia omnia cognita habere poſſet. Legit enim patritios fere iuuenes, qui è numeroſa ditium olim familiarum ſobole, deſides vagarentur, & in exilij calamitate negotium aliquot, compendiaq; honeſta cogitarent. Iuuenes fuere ſexaginta, ſuo, & equorum ornatu conſpicui, primoque pubeſcentes ętatis flore, qualis vel eſſe regia cohors ephœborum poſſet. Quinquaginta deinde equites aurati, qui ſinguli qua ternos equos, armigeroſque ſingulos habebant; praeterea leuis armaturae quingenti, cataphracti centum, quos è Cremonenſi robore conſcriptos, Turriana gens addidit Pontifici, praeſidium ſimul & ornamentum. Eo comitatu Patriarcha Turrianus iuit, qui ſane Patriarcha, quamquam abſens, nō leue factionis erat momentum, ob ſplendorem, ob honores, veteres, aut recentes, acceptoſque, vel omiſſos. Namq; Nouocomenſem Eccleſiam initio adeptus, poſtea renuntiatus Archiepiſcopus, ceſſerat Vbaldieni Cardinalis voluntati; nunc verò tantae dignationis Pontificatum obtinebat. Huic tam promptae ſummi Pontificis voluntati, tantiſque beneficijs erga Turrianos, contraria mox affertur fama Mediolanum, vrbem interdictam eſſe ſacris ob interceptos Eccleſiae fructus, & repudiatum Othonem, eique famae congruentes litterae paulo poſt inſecutae. Sed neque famae, neque litteris habita fides, quia veriſimile non erat

Pontificis animi tantam factam eſſe mutationem, vt ad extrema illa iura deueniret. Othonis fortaſſe corruptela & arte miniſtros Apoſtolici tabularij finxiſſe mandatum, auſoſq; ſcelus, vt ad plebem exterrendam Pontificias illas litteras ementirentur. Haec Mediolani credita, vel certe quaſi crederentur, accepta, ſecuram ab Apoſtolica denuntiatione ciuitatem praeſtitere, neq; vlla interim parte, munereuè ſacrorum abſtinebant. Verùm orta per eos dies noua in vrbe ſeditio, multiplexq; metus, & repentina tanquam è cœlo mala, credere coegerunt ciues anathemate vero, non ficto ſeſe percuſſos, laborare ſuperum ira, furoremque ſaeuientium in ſemetipſos, haud dubie pœnam temeratae ciuitatis eſſe. Ac tanto magis in religionem verſa res eſt, quia, non initium, non cauſa tumultus vlla patuit, ſed quaſi ſtimulantibus furijs ad arma repente diſcurſum; nec aliud, quàm ferrum, & ſanguinem turbatis vnà cum mente oculis videbant. Hora diei erat fere tertia, ſtrepitus & quies in vrbe, qualis vbi ad ſuum quiſque negotium tendit, cùm ſubito diſtrictis gladijs armatorum globi feriunt feriuntur, clamant, excitique rei nouitate principes ipſi Turriani Napus & Franciſcus, cùm ad ſedandam multitudinem accurriſſent, ſatis habuere, ſi declinare impetum poſſent. Vadunt inde trepidi multis inſequentibus in D. Teclae; fit in eam aedem maior per ſingula momenta concurſus; familia tota principum armatur. Interim ex Ambroſiana turri campanum aes citatiſſimo ſonitu perſtrepebat, vt etiam imbelles

&

& quieti ad ſpectaculum è domibus excirentur, mox ipſi quoque ſpectaculum fierent, in phanaticam illam abrepti pugnam, vulneribuſque fœdati. Irrupiſſe hoſtem, proditam vrbem, finemque adeſſe Turrianis, non nemo fatalem eſſe rabiem, immiſſamque Numinis ira, gementes inter tela & gladios aiebant. Turrianus tamen, vbi quieuerant animi, quaſi nihil vltra ciuilem tumultum fuiſſet, auxit cuſtodias, noua ſibi militum praeſidia circumdedit, & ducentos fere proſcripſit á quibus initium ortum fuiſſe turbandi ſuſpicio erat. Ingens materia ciuilibus malis, quodq; ſeditioni remedium Turrianus quaeſierat, id ipſum irritabat animos, vt rurſus in mutuam perniciem armarentur, niſi rediens ex Gallia Pontifex Max. opportune in tali tempore Mediolani ſubſtitiſſet. Ad famam aduentus eius quieuere primo, dein vt intrauit vrbem, inſuper verecundia praeteritorum fuit. Quippe meminerant, nuper etiam iratum exiſſe, & quanquam Turriani ſibi fauentes humano more, Pontificis indignationem ad hoſtium potius pertinere damna interpretati fuerant, tamen ſuberat conſcientia, turbaſſe ipſos certaminibus vrbem, & patritij de ſe id ipſum fatebantur. Ita omnes longe diuerſo animorum habitu, quàm vt in ciuili bello, ſe ſe ad Pontificis aduentum, quietos atq; compoſitos in pœnitentiae faciem praebuere. Et ille, miſeratus credo patriae ſuæ conſternationem, omnia quae prius adſtricta tenuerat, effudit, vrbemq; beauit cœleſtibus indulgentijs, alloquio facili, & benigno in publicum vultu. Cre-

debatur

debatur inuenturus eſſe certamini finem authoritate ſua, vel conciliatis inter ſe partibus, vt Archiepiſcopum eundem vellent, vel Othone inducto, ne per aeternas patriae clades negatum appetere honorem pergeret. Sed antequam Romam perueniret, mortuus, ſpem eam fefellit; ſuisq; turbis relicti Mediolanenſes, magis quàm antea laborabant inteſtino malo, bellis externis, quae, vt ſaepe aliâs occaſione turbatarum domi rerum accendebantur. Valida Hiſpanorum manus ad caeteros hoſtes addita, pontem, quo Ticinus iungebatur, deiecto praeſidio, cùm cepiſſent, excurrere inde in agrum Mediolanenſem, inde Mediolanum parabant; cohibitique ab Alberto Praetore, & diſſipati, villarum iam incendijs, & per furta potius, quàm iuſti more belli conabantur, ſi quem poſſent ſibi aditum in laceram diſſidio vrbē aperire. Id nouum hoc tempore bellum exortum erat, in quod auerſi tota virium ſuarum mole Turriani, pene obliti erant maioris illius cum Archiepiſcopo certaminis, vnde hoc & alia Reipub. mala pendebant. Sed ſtatim Archiepiſcopus ipſe caeteraque exſulum manus praedatorium hunc exercitum aſciuere ſibi, iunctisque cum Hiſpano viribus, maiore ſpe, nondum meliore ſucceſſu gerebant rem. Namque Turrianus, praeter vetera in Vicecomites odia, etiam irritatus indignitate, ſi tam longinquus hoſtis, Mediolanenſium praeſidio ſuccinctus, ad vrbis mœnia ſuccederet, conſilia, & vires in vtroſque tamquam impetu recenti contendit; habitoque per vrbē

delectu

delectu armauit exercitum, quantum antea per eos tumultus neutra pars armare potuiſſet. Ea fuere, praeter agreſtem multitudinem, vrbanorum militũ ſex millia è ſingulis vrbis regionibus delecti milleni, centenosque ſinguli centuriones ſub ſignis habebant. Miſerunt etiam fœderatae ciuitates auxilia, nouumq; fœdus initum cum Placentinis & Cremonenſibus, qui Vicecomitis odio miſerant hoc tempore Legatos Mediolanum, cum huiuſmodi mandatis, vt ad omnia quaecunque Mediolanenſes poſtularent, ipſos paratos fore pollicerentur. His domeſticis, externisq; copijs aucti Turriani praeſidiarios miſere ad omnia loca, quae forent opportuna Hiſpanis, & Vicecomiti, neque validior vnquam ea factio aduerſus exules fuit. Vna res tamen angebat animos, quod exhauſto diuturnis ſumptibus aerario, non ſuppetebãt vnde ſtipendia militi perſoluerentur, ac ſuper onera, quae ciuitatem antiquitus vrgebant, decurſum ad noua tributa, quibus oppreſſa plebes execrari tot mala, & malorum auctores; odiſſe Turrianum, ipſa demum tributa detrectare, propter inopiam, aut irritatâ ditium familiarium contumaciâ, quae ne longius progrederetur, ſtatim in vtroſque vindicatum. Pauperes in cuſtodiam abrepti, caeterorum aedes, immiſſa ſatellitum turba diripiebantur, nec vlla exactioni mora poſt eos terrores fuit, Hiſpani cum exulibus, Archiepiſcopo duce, capto Plumbio, tentato Vigleuano, circunferentes ad varia loca bellum, Carratum Oppidum dolo aggrediuntur, corruptis incolis, vt

ſibi

ſibi portas aperirent. Ea res Turrianos pene in exitium impulit. Cùm enim per exploratores cognouiſſent, hoſtes illuc intendiſſe iter, caeterum de inſidijs nihil neque audiuiſſent, neque ſuſpicarentur, mittunt repente aliquot manipulos ad obtinendum praeſidio locum, qui cùm opportuna intus loca cuſtodijs inſediſſent, ab exſulibus tertia vigilia per incuſtoditam forte portam introductis opprimuntur. Quòd niſi Turriani, accepto cladis nuntio, maturaſſent cum legionibus ab vrbe proficiſci, minime dubium erat, quin capto Carrato, reliqua tractus eius exules occuparent, indeque fortaſſe Mediolanum caput rerũ immiſti externis aggrederentur. Verùm egreſſi ſubito Napus, & Franciſcus omnibus copijs, incautos ab re bene geſta hoſtes caedunt, fugantq;, nec pepercit ira captiuis, quorum praetioſa capita in dubios belli euentus ſeruanda eſſe prudentia militaris monebat. Ad Gallaratum obtruncati omnes, tanquam in victoriæ termino poſſent impune dolorem vlciſci, & quaſi de rerum ſumma iam deciſum eſſet. In eo numero fuit Thebaldus Vicecomes Othonis Archiepiſcopi fratris filius Magni Mathæi pater, cuius magnae caedis dulcedo poſtea in amarum vertit; inſecutæque res monuere feroces Turrianorum animos, quàm periculoſum eſſet in bellis, praeſenti nimium credere fortunae, quamue oporteret è ſecundis rebus arripi ſubſidia, quae ſeruarentur aduerſus Martem infidum. Dum autem excuterentur, ſpoliarenturve nobiles captiui, binae repertae ſunt litteræ,

quarum

quarum alterae dictatori Ticinenſium inſcriptae erant, in alteris nomen erat ſuppreſſum; vtraeque tamen allatae Mediolanum, & in concione recitatae, minime dubium fecere, quin, & Ticinenſes fauerent hoſti, & in vrbe proditores eſſent. Id principium ſuſpicionis in multos, qui ad eam diem, publici conſilij participes, nullam inde Reipub. partem attingebant, ſiue ab amicis moniti, ſiue ſtimulante animos conſcientia, & metu. Creſcente dein ſuſpitione multarum rerum, & Carratenſi caſu monſtrante, quid in alijs accidere oppidis poſſet, Turriani, Seprium, & Marthelanam, ne arces, & receptacula hoſtium forent dirutis mœnibus nudauere, Cum Nouocomenſibus quoq; foedus ictum, credo, ne veteres inimicitiae ciuitatem eam ad iungendas cum hoſte vires incitarent, firmandoq; foederi Simonem quendam Nouocomenſem, quem ferreo ſepto incluſum tenuerant, domum incolumen remiſere. Haec omnia dum fierent, Archiepiſcopus Otho ad Bugellam ſedebat fremens ob res aduerſas, & accepto nuntio de nece fratris filij, pene in deſperationem redactus. Tunc pollet ſumpſiſſe bellum, cariſſimiq; capitis iacturam non bene regnis omnibus poſſe compenſari ſecum ipſe reputabat; nec multum aberat ab eo conſilio, vt fortunae, ſicuti fit iratus, aufugeret aliquò, vbi Mediolanenſium, neque facta, neque nomen amplius audiret. Rurſus tamen, data patricijs dextera, & deſerendi nefas, verecundiaq; tam mollis animi, diſſimulare luctum, & inſiſtere cœptis cogebant. Rapit illicò Ver-

cellas agmen, ibique laetis ſuorum animis accipitur. Mox & prompta fuere Nouarienſium arma. His copijs auctus, arcem, quam ad Seprium Turriani pene dirutam reliquerant, inſedit, nouiſq; munimentis opere tumultuario firmatam augebat quotidie magis vltra priſtinas opportunitates. Inde conſilium erat in Nouocomenſes excurrere, quos ob recens cum Turriano fœdus oderat Vicecomes haud minus quàm Turrianum ipſum; credebatque, ſi vrbem eam adiunxiſſet ſibi, non leue ſubsidium hoſti detractum fore. Id Turrianus quoq; prouidebat, & antequam Archiepiſcopus gerere negotij quicquam poſſet, obuiam eundum ratus, in eam partem exercitum ducit. Exit contra & Archiepiſcopus, ſtimulante animum noua illa indignatione, quòd quacunq; in parte fixiſſet pedem, ſtatim ex rebelli vrbe ad ſe ſe deijciendum accurretur, necubi conſiſtere vmquam poſſet. Pugnatur acriter, primoq; concurſu victoria penes Othonem fuit. Poſtero die, cùm rurſus aduerſae acies conſtitiſſent, vicere Turriani tanta Othonianorũ clade, vt exutus omnibus pene copijs Archiepiſcopus Nouocomũ ad portas hoſtiles cõfugeret, indeq; reiectus per nemorũ deuia trepidaret Vrſanicũ: ab Vrſanico Cænobium agmine deſertiſſimo perueniret. Ibi, cùm precibus infimis obtinuiſſet, vt ſe ſe per breuem bidui moram ſuſtinerent, mouit poſtea multos afflictae fortunae miſeratione, vt aliquo ſubſidio extorrem adiuuarent. Simul vndique praepotentes exſules accurrunt ad tantae cladis famam, etiam ſi qui antea

intra

intra villas arceſue abditi, belli quod gerebatur exitum quiete ſpeculabãtur. Coacto rurſus exercitu, atq; in naues impoſito, Aronam petit infeſtus, quam arcem in Verbani totius imperium opportuno loco imminentem appetiuerat olim, & nunc ab ſecuritate, quam ſecundae res creant, remiſſiores ibi Turrianorum eſſe cuſtodias ſciebat. Sextilis erat menſis; hora diei ſeptima; praeſidiarij milites, alij deſcenderant in Oppidum ſubiectum arci, alij intra arcem omiſſis telis, alea, caeteriſq; ludicris tempus terebãt. Conſpecta tamen eſt claſſis antequàm ad mœnia ſuccederet. Datur ex arce repente ſignum; vagi per vicinitatem milites accurrunt; properant in ſtationem quique ſuam; ſed omnia celeritas Othonianorum anteuertit. Poſtquam Aronenſem arcem Archiepiſcopus habuit in poteſtate, erexit animum; iſq; primus dies poſt res turbatas Vicecomiti tranquillus, atque laetus fuit. Vocatis ad concionem militibus ita eſſe locutus fertur. Si animum eum habemus, quem hodierno die nos habere Deus iubet, quemue etiam natales noſtri, & in hunc diem tot exhauſti labores, & ipſa mehercule hoſtium indignitas praebet; vicimus, milites, & per tantum temporis vagi, carentes patria, carentes vitae alimentis, ſtamus nunc tandem in vrbis, & imperij limine, quod partum virtute maiorum noſtrorum, inquilinus per proditionem ſceluſq; poſſedit. Sed ne veſtrum fortaſſe aliquis exiſtimet huiuſce orationis initio ſtimulos admoueri ſibi, ad laudem tantummodo, & gloriam, neque aliud agi,

„ quám vt dato nobis diuinitus hoc aditu victoriae,
„ caetera ſtrenue perſequamur, ſicuti nobiles atque ge-
„ neroſos deceat: ſic vnà mecũ habetote; aut hinc eun-
„ dum in hoſtem, aut in hoc ipſo loco nobis occumben-
„ dum. Eas neceſſitates nobis vndique fortuna cir-
„ cumdedit, vt niſi in hoc rerum articulo viri fortes ſi-
„ mus, pecudum inſtar omnes trucidemur. Neque verò
„ quàm neceſſaria nobis eſt victoria, tam eſſe difficilem
„ putetis. Hoſtes ſunt plebeij homines, obſcuri, ſupe-
„ ris inuiſi, & propter impios erga nos animos contem-
„ ptumque ſacrorum, extra Eccleſiae corpus Apoſtoli-
„ co decreto proiecti. Dux eorum, familia quae bene-
„ ficio noſtro, in vrbem accepta gratiam egregiam
„ hanc retulit, vt euerterent omnia ſeditionibus, & ſe ſe
„ peſſimo hominum generi contra Pontificem ſuum
„ nefarij belli authores praeberent. Neq; vmquam
„ niſi per ſcelera & proditiones, & origine ſua dignas
„ artes bellum geſſere. Aduerſus hunc hoſtem, quem
„ Deus odit, quem omnes homines odiſſe debent, pro-
„ dire in aciem pauetis? ſuperi profectò ipſi capient
„ pro nobis arma, & quando iam ſemel, ſaluti, ac liber-
„ tati noſtrae viam aperuere, ſternent ſuis telis hoſtem,
„ noſque, niſi noſtra ignauia obſtat, in patriam ſiſtent.
„ Tunc omnia, quae peſſimi illi Turriani, ſeditionibus,
„ & rapinis, & in patriã noſtrã latrocinio cumulauere,
„ virtutis veſtrae praemium erunt. Inuenietis opes in
„ vrbe, quae ſingulis, principum induere fortunam poſ-
„ ſunt. Satis adhuc militaris patientiae, ſatis incom-
„ modorũ fuit. Nunc tempus eſt, patrios repetere pe-
nates,

„ nates, compeſcere plebem illam ingratam, concito-
„ res illius vlciſci. En me Praeſulem Epiſcopumque
„ veſtrum huius belli ducem, & primum ad ſubeunda
„ pericula, ne hortator tantummodo animoſus
„ videri fortaſſe cuipiam poſſim. Non ego parui il-
„ lud aeſtimo milites, quòd nemo ſit veſtrum, qui non
„ potuerit audire, quàm inpauido animo per hoſce tur-
„ batae Reipub. annos pertulerim omnes caſus, om-
„ nia incommoda, quae fert bellum; nemo item, cuius
„ animum, non eadem quae meum angat hoſtium in-
„ dignitas, & ſaeuitia. Licuit mihi, ſi voluiſſem,
„ vel antequam iretur ad arma, honeſtae pacis con-
„ ditiones accipere, vel poſtquam bellicae res infeli-
„ citer cadebant, quamcunque quietem tot pericu-
„ lis anteferre. Verùm, quia ſciebam, non poſſe tot
„ hominum ſcelera impunita ſtare diuinitus, & quan-
„ to altius euecti forent, tanto grauiorem fore ca-
„ ſum, & ruinam; ad extremum retinui ſum-
„ pta ſemel arma, quae poſt ancipites euentus, me-
„ liorem cauſam adiuuante Deo, iam eſſe prope
„ victoriam videtis. Nunc igitur animum ſic induxi me-
„ um, quandocunque obuium hoſtem habuero, ſum-
„ mae rei periculum facere; & ſi obuius non fuerit,
„ vltro è latebris excire. Vos, vel duce, vel milite
„ me vtemini. Aut patriam felici praelio vin-
„ dicabimus ab impuro dominatu; aut, ſi fortuna du-
„ bitabit, honeſte cademus. Cùm ea Vicecomes fre-
quenti ſuorum concione peroraſſet, ſublatus eſt vn-
dique clamor precantium fauſta omnia Pontifici, &

vna omnium vox erat; duceret quò vellet; vincere, vel mori ſe paratos eſſe. Arx inde firmata, conſtitutumque præſidium; ac ne noui imperij taederet accolas, remiſſa tributa, conciliati muneribus potentiorũ animi, nihil omiſſum, quod ad colligendam in rerum principio clementiae famam pertineret. Euenit ex hac victoria, quod ex omnibus euenire victorijs ſolet; vt nimirum victori creſceret authoritas, & illius ſequi fortunam multi iam deſtinarent. Nouocomenſes de fœdere appellati deſciuere à Turrianis, & nouum cum Archiepiſcopo foedus iniere. Id ipſum alia fecerunt oppida, quae ſecundis paulo antea rebus Turrianorum, omnem cum Archiepiſcopo fęderis conditionem aſpernabantur. Et Ricardus Languſcus, qui propter diuitias, & ſplendorem aliquot aere ſuo cohortes alebat, pactione praeturae traductus in partes, vir ſane acer, & nulli vnquam parti magnopere deditus, ſed prout fortunae varietas, aut impetus animi tuliſſet, pronus in hos, aut illos. Alij quoque per Mediolanenſem agrum potentes aſſeclae Turrianorum, ſi quid ab Arona moueret Archiepiſcopus, nutantibus in eum animis ex hoc tempore ſpectabant. Tanta, vnius, nec magnae victoriae vis fuit. Archiepiſcopus ea repentina rerum atque voluntatum inclinatione magnopere laetus, prouiſis ad Aronam, vt dixi, quae tempus monebat, caſtra Serenium mouet, qui locus ab Decio oppido duo millia paſſuum diſtat. Sciebat, egreſſurum vrbe Turrianum; Neque

que dimicandi moram fore. Sedem porrò praelij delegerat eam, quia, cùm priuatis olim rebus, Decij Canonicus fuiſſet, haud ambigebat, quin ex vetere familiaritate, fideles illic amici vtilem ad multa nauare operam poſſent. Vtraque res, ſicuti crediderat ſucceſſit. Et Turriani, audito Vicecomitis ad Serenium aduentu, cum omnibus repente copijs illuc properauere; & Deciani veterem amicum, nouum Pontificem in tantae rei diſcrimine multùm adiuuêre, geſtaque res eſt in hunc modum. Ad xiij. Cal. Feb. vniuerſa familia Turrianorum, excepto Raimondo Patriarcha, Caſſono, & Gothofredo, excita ſubitis nuntijs, agmine tumultuario Decium contendit. Equites duxere fere ſeptingentos, reliquis in tempore ſecuturis; neque enim vniuerſas repente copias in vnum cogere potuerant, acciríque auxiliares prohibuerat feſtinatio. Ac primo quidem ingreſsu patentibus Oppidi portis ſumma omnium voluntate accepti, noctem, & diem inſequentem per varia conſilia, varioſque vicini certaminis apparatus exegere. Oppidani quinetiam in partem conſiliorum adhibiti, ob itinera, & commeatus, & locorum opportunitates, & alia, quae melius ipſi, atque certius noſſe poſſent. Verùm proxima nocte veteres Othonis amici egreſſi, ad illum omnia pertulere, quid ageret Turrianus; quantas copias adduxiſset, quantas etiam expectaret; ac demum, ſi vellet Archiepiſcopus incautos opprimere, facile fore negotium oſtendebant. Id belli compendium Archiepiſcopo placuit

cuit magis, quamquam, & in lentae ſpei moras paratus veniſſet, dimiſſisque poſt breue colloquium proditoribus, quod reliquum erat noctis, neceſſariis in tanto diſcrimine conſilijs inſumpſit. Summo mane, inſtructo exercitu ad Oppidi portas ſtetit, iuſſiſq; alijs cuſtodire camporum aperta militibus, alios ipſe ſecum in Oppidum ad victoriae praemia potius, quàm in vllum pugnae diſcrimen ducit. Napus, & Franciſcus inſtare hoſtem ſenſere primi, & arreptis, quae fors obtulerat telis prodeunt, inclamantque ad arma, temporiſque momento ex hoſpitijs in vias effuſi Turriani ſe ſe hoſtibus obtulere. Tenebrarum erat luciſque confinium, nec certi ſatis adhuc ictus vibrabantur. Mox vbi dies aperuit corpora, cedunt late ſemiſopitos, & repentino perculſos terrore, qui ardentes animis venerant ad facinus tota nocte meditatum. Edidere tamen etiam Turriani vltimis in rebus rarae virtutis facinora, quarum illud memoratur. Franciſcus familiae Princeps conſcenſo ad primum tumultum equo, terrorem ingentem quacunq; ſe intuliſſet, perdiu intactus ipſe circumferebat, & vitabatur ab omnibus, ceu praelij illius fulmen. Hunc Othonianus pari ferocia conſpicatus eques, ex tranſuerſo cùm inuaſiſſet, vno ictu laeuum ipſius brachium obtruncat. Manabat vbertim cruor; ille tamen altero brachio ſuſtentare pugnam, & alienato velut ab ſenſibus animo ferire hoſtes vel auras donec offuſa oculis caligine praeceps ex equo ad terram delaberetur. Seruatus eſt Othonis ipſius interuentu, cùm

cœno

cæno taboq; coopertus agnito Pontifice, vltorem Theobaldi necis adeſſe patruum crederet. Hic Franciſci Turriani caſus fuit; ceterorum nece parentauit Archiepiſcopus fratris filio, pauciq, captiui Nouocomum aſportati, vt ibi in Baradellana arce, teterrimi carceris pedore conſumerentur. Eodem die Caſſonus & Gothofredus, qui Theutonico praeſidio Canturium Oppidum inſederant, ignari, quae fortuna ſuorum fuiſſet, Mediolanum citatis equis aduolauere, quò iam fama ſtragis anteceſſerat; nomenque Turrianum eſſe deletum, etiam quibus minime laeta res erat, fremebant. Si vmquam aliàs in vlla rerum mutatione cerni potuit, quàm ſit varia res, & infida populus, eo ſane die cerni potuit. Cùm enim trepida fuga Gothofredus, & Caſſonus vrbem ingreſſi, crederent, in certum ſe venire praeſidium & ſalutem, pro ſalute & praeſidio, infeſta, funeſtaq́, omnia repercre additis inſuper contumeliis, & ludibriis, quę in hoſtilibus etiam odiis acerba nimium eſſent. Detracti equis, & ſpoliati multitudinis concurſu principes vix in ſua tecta receptum habuere; adeò, cum fortuna mutati ſtatim erant animi. Non tamen à ſummo rerum culmine deiectus ad ima Turrianus credere poterat, ita deceſſiſſe omnium animis fidem, memoriamq; veterum beneficiorum, vt non caperet aliquos miſericordia rerum ſuarum afflictarum, tantæq; calamitatis: Ea fiducia dari campano aere ſignum iubent, quod ſolenne erat vocandis ad accipienda mandata ciuibus, vbi hoſtile aliquid ingruiſſet. Pauci

admodum conuenere; & hi ipſi, poſtquam aliquandiu circumſpectantes, vident comparere praeterea neminem, mutata eſſe omnia verſamq; fortunam, communi amicorum more dilabuntur. Interea nox appetebat, quæ miſerias hominum, atque ſolicitudines augere ſolet obſcuritate ſua; legatos etiam totius nomine ciuitatis ad Othonem exiſſe delaturos obſequium conſtabat, & paulatim cingebatur milite domus, Turrianorumque reliquiae vocibus haud ambiguis ad necem poſcebantur nullum ob odium; ſed quia nouo principi mox adfuturo, magnum aliquod in illo rerum tranſitu offerre meritum parabant. Inter tot fortunae minas igitur Gothofredus & Caſſonus, creſcente in ſingula temporis momenta terrore, ſtatuere cedendum eſſe neceſſitati, conſcenſisq; equis abeuntes, eo ipſo periculum vitauere, quod vltro fugiebant. Aufugere per portam, quae Romana dicitur, & flexo inde ad Tonſam itinere, per deuios calles ad laudem Pompeiam, inde peruenere Cremonam, qua item in vrbe, audita Vicecomitis victoria mutarat animos addictos olim Turrianae domui, nec ibi fidum, aut ſtabile quicquam reperere. Die, qui Turrianorum fugam inſequebatur, Otho Vicecomes adfuit, Archiepiſcopus, idem & princeps vrbis Mediolani, cui negatus honos, & bellum ortum ex iniuria, regnandi principium fuit, indeque familiae ſtabilis in aliquot ſæcula dominatus haereditas, & largae poſt dominatum opes. Eius diei magna ſpecies fuit, cùm poſt diuturnum exilium, Pontifex armatus,

matus, & hoſtium ex ſuuijs, poſt exilij ſqualorem, induta, vel mox induenda nobilitas patriam ingrederetur. Obuiam iere Sacerdotes inſignibus velati ſuis, pueri, feminae, populus vniuerſus. Voluerant etiam erigere triumphales portas, intendere periſtromata, quaeue alia forent effuſae gratulationis erga principum nouum. Sed celeritas aduentus praeuertit vrbis apparatum, vt vix inſtruendis ordinibus, ac diſponendae pompae ſpatij ſatis relinqueretur; ac prope tumultuario agmine ſunt egreſſi. Varia interim expectatio noui dominatus erat apud Clerum, apud Ciues, & pro diuerſis ante victoriam *in* vrbe factionibus, multiplex etiam habitus animorum, quamquam certatim omnes voce vultuq; laetitiam praeferrent, ſicuti neceſſe erat apud eum principem, quem calamitates exilij morteſq; carorum efferaſſe crederentur in vrbem, ex qua tot malorum origo. Sed illae cupidine quietis & laborum taedio, ſimul vetere dominationis arte, ingreſſum & principia rerum, maluit ex lenitate, quàm ab ſaeuitia famam obtinere. Id cùm ſtatim ab victoria ſecum ipſe deſtinaſſet, diſponentiq; deinde per totum iter, imperij conſilia, nulla ſententia placuiſſet magis, ita vrbem eſt ingreſſus, vt ipſo quaſi penetrans adſpectu in ſenſus & pectora multitudinis, faceret, vel laetiſſimos ex laetis, vel ex triſtibus laetos. Timebant alij factionis aduerſae victorem, & quod ab Turriano ſtetiſſent, id ipſum, proſcriptionis aut necis iuſtam fore cauſam arbitrabantur. Alij non tam ſoliciti rerum ſuarum erant, quàm dolebant Tur

rianorum vicem ob beneficia, & cauſas occultas, & gratos animos erga familiam, cuius reliquias nuper ex vrbe praecipites eiecerant. Nonnulli rurſus, quãquam impetu ciuitatis tracti fuiſſent in partem factionemq; Turrianorum, oderant id nomen, hiſq; laeta per ſe Vicecomitis victoria, laetus aduentus erat. Communiter tamen omnium animos angebat, non quidem ex Archiepiſcopo, ſed ex circumfuſa nobilitate metus ille, ne olim exules, nunc principes vrbis, rerum omnium adepti licentiam, praedas agere, tamquam in ſua poſſent vrbe, tamquam in aliena geſtirent. Timendi finis fuit, vbi modeſto inceſſu, benigno alloquio, & pari cum Archiepiſcopo comitate, nulla re violata, diſcedentes in ſua quemque tecta conſpexerunt. Confirmauit animos lene Vicecomitis edictum, quo ſimul atque proceſſit in ſuam ſedem, monuit ciues, vt quoniam finem malorum Deus ipſe dediſſet afflictae per tot annos vrbi, caeleſte beneficium agnoſcerent, odijsque poſitis colerent pacem & concordiam, atque ſcirent, cordi fore ſibi, ne fortunae ſuae conditionem cum vlla Italicarum ciuitatum conditione mutatam vellent. Parentem enim & cuſtodem ſe vrbis Epiſcopumq; adeſſe, nullius rei memorem, quae ſolicitare animum poſſet. Haec ab Archiepiſcopo promulgata cùm eſſent, cumque dicerentur in omni fere congreſſu, habita dictis fides ob authoritatem, quae aderat viro, & ille paria quotidie facta ſubnectebat in ſacris profaniſve rebus rarum vtriuſque regiminis exemplum;

plum, licet ob diuturni belli conſuetudinem magis ad ciuilia quàm ad Eccleſiaſtica munera eſſe propenſus videretur; Ricardum Languſcum Praetorem ex antecondicto, Simonem Locarnenſem plebis tribunum fecit, antiqua retinens magiſtratuum nomina, vt eo quoque blandimento ſibi animos firmaret. Ad reliqua deinde negotia principatus & pacis intentum occupauit ſubito rumor, è Turriana ſtrage reſiduos quoſdam milites, arcem, quae ad Montorfanum eſſet, inſediſſe; excurſiones inde in agros fieri. Eo primùm rumore, certis deinde nuntijs excitus rurſus ad arma Pontifex, validam illuc repente manum mittit, & alias poſtea cohortes, quae circumſedere Caſtellum donec incluſi ſubacti fame deditionem facerent. Abiere ſaluis corporibus & impedimentis, Archiepiſcopi iuſſu, qui recepiſſe arcem, & amouiſſe reliquias belli ſatis habuit; in capita ſaeuire pontificio nomine iam indignum putabat. Non tamen ea moderatione lenire animos potuit, quominus amiſſi principatus amiſſaeq; patriae dolore circumeuntes Inſubriam, nouum de integro bellum cierent. Caſſonus Turrianus ille, quem perditis ad Decium rebus, ab Canturio Mediolanum, Mediolano, Laudem Pompeiam, inde Cremonam, vnà cum Gothofredo fugiſſe memoraui, collectis qui praelio ſuperfuerāt, eius belli concitor fuit. Sociauere cum eo arma, Laudenſes, Rhegienſes, Vicetini; ſimul & Patriarcha Raimondus, vnicum iam Turrianæ gentis columen, audito ſuorum excidio properus aderat, cum haſtatis

tre-

trecentis,& pari ſagittariorum numero, Vicecomitẽ, ſicuti rebatur, tantulo exercitu deiecturus vrbe. Cùm igitur iunctis copijs Caſſonus & Raimondus, & ciuitates illae, quas memoraui, conſtitiſſent ad Laudem Pompeiam,eamq; bello ſedem elegiſſent, coepere inde praedatum exire in agrum Mediolanenſem, exuſtisque pagis, & rupto ponte, quo flumen Abdua tranſibatur; haud mediocrem primo illo incurſu Vicecomiti ſolicitudinem iniecere, ne ferocẽ deſperatione ac rabie hoſtem ſuſtinere non poſſet. Ea verò ſolicitudo maior eſt effecta,vbi Melinianum vſque populabundos perueniſſe Turrianos accepit. Miſſa confeſtim obuium equitum peditumq; robora improſpere dimicauere, caeſoq; exercitu, captiui duces abducti, in quorum virtute ſpei plurimum Archiepiſcopus habebat. Namque feſſus ipſe laboribus & rerum varietate, ſicuti demonſtratum eſt, etiam quia Paſtorem populorum arma dedecerent; ſtatuerat credo procul abeſſe à periculis, & per viros illos impigros adminiſtrare ſi quae geri bella deinceps oporteret; nec ſane hoc tempore in aciem, ſicuti ſemper olim aduerſus hoſtem prodibat. Eò magis creſcere Turrianorum ferocia, ſpemq; fortunae prioris auidius rapere Caſſonus,& Raimondus; ipſi qui etiam Archiepiſcopo ſeruitium,aut necem minitari palam, iactare inter ſuos,quòd aliud eſſet,inſidijs & dolis circumuenire ſemiſopitos,aliud aperto Martem gerere. His animis ad pontem Abduae fluminis,qui reficiebatur,exercitum ducunt,impedireq;

ac diſturbare opus aggreſſi parem priori pugnae ſucceſſum habuere, captiuis alijs abductis, quorum permutatione ſuos, qui ad Baradellum incluſi tenebantur, Archiepiſcopo conditionem accipiente, redemerunt. Voluerant etiam redimere Napum, quem in eandem cuſtodiam Archiepiſcopus abdiderat. Sed ille iam ſenio carcerisque tabe confectus interea dum conditiones agitantur, ex humanis rebus exceſſit relinquens alijs negotia & ſpes uanas. Vir fuit melior quàm credi conditio temporum illorum ſinat, curaq; pacis, & animi moderatione ac pietate feliciorem bello exitum meritus quàm vt captiuam animam in ipſo veluti aditu libertatis exhalaret. Vt labi ſpiritum, & ſibi adeſſe finem ſenſit, auertit ſe ſe totum in rerum aeternarum curas, & humanae vanitatis piaculo ſpreta funebri pompa rogauit ſuos, vt Franciſcani ritus tunica inuolutum cadauer, arcto comitatu, modico lumine in tumulum inferrent. Sic Napus Turrianus obierat. At Archiepiſcopus Otho, poſtquam reſurgere Turrianorum res vidit, maiore conatu id ſibi denuo capeſſendum eſſe bellum ratus, ne comprobaret exemplo ſuo militare verbum, quod monet, ſtantem ab afflicto hoſte poſſe proſterni; cooritur in arma ferox, veluti cùm olim aras & focos exul patria, pontificatuq; vindicaret. Primùm omnium, Montiſferrati Dynaſtam probatum ſibi virum gerendo bello ducem creat. Is operam nauare futuro mox Inſubriae totius principi, latiuſq; etiam, ſicuti fuerant principia, dominaturo, ſuis haud inutile rebus

bus cenſebat, ac fortaſſe artibus occultis ambierat, vt ipſe in id munus ambiretur. Itaq; cùm delatam ſibi per legatos ab Archiepiſcopo ſummae rei poteſtatem & militare imperium accepiſſet, praeter obaeratos ſuos, quorum haud exiguum numerum habebat, petijt ex Ticinenſium Vercellenſiumq; finibus turmas aliquot & cohortes; Derthona quoq; & Alexandria quicquid potuere militum Imperatori nouo contulere. Nam eas ciuitates pronis olim in Turrianum animis, poſtea mutata in victorem Archiepiſcopum fide, rurſus hoc tempore cum fortuna fluctuantes inter hunc, aut illos, ne cunctarentur, aut negarent; Imperatoris ipſius, gratia, propinquitates, opes effecerant. Et ſuper omnia, metus vrgebat, propterea quod, ſi principem illum irritaſſent, expectarentur ex finitimo ſemper hoſte damna, nec pacati poſtea quicquam inde ſperare poſſent. Coacto ſic exercitu, Mediolanum venit ingenti ciuium expectatione, tamquam belli quod gerebatur, miſſum è caelo fulmen ad vltimum Turrianae domus excidium veniret. Militares copiae, quae ad vrbem erant, obuiam proceſſere ſub uexillis imperatori nouo, neque genus vllum publicae gratulationis omiſſum, ſicuti decebat aduerſus eum, in quem belli curas omnes Archiepiſcopus inclinare decreuiſſet. Ambroſianae aedes hoſpitium fuere, quo non fortaſſe laxius vllum per ea tempora domicilium fuiſſe Mediolani declarat ea res quòd vt quiſq; venerat ampliſſimae fortunae princeps, illuc fere diuertebant. Stipendium attributum

tum ei vicena aeris pondo in ſingulos annos, & bina ſingulis diebus, quibus abeſſet Reip. cauſa, ſiue ob negotium aliud ex vrbe proficiſceretur. Ea pecuniae ſumma tunc erat maior, quàm temporibus noſtris eſſet, quibus pretia rerum in tantum creuere, vt pecuniae quoque valorem auxerit luxuria, pudendoque certamine, modum inuicem excedant, alimenta vitae, & ſegmenta metalli. Sed Imperator ipſe non optima fide munus geſſit, nimiumque magna mercede viſus eſt eſſe conductus ad res tantummodo perturbandas. Cùm enim leuibus aliquandiu certaminibus ad Melinianum, ad Laudem Pompeiam, & circum flumina, Lambrum, & Abduam tempus cõtriuiſſet, cœpit, praeter delatam iam ab Archiepiſcopo ſibi poteſtatem, illud agitare, vt ſicuti bellica res in ſua manu poſita eſſet vniuerſa, ita etiam faciẽdae cum Turriano pacis arbiter foret. Id poſtulare, iniquum, abſurdum erat; ſtatimque negatum. Inde ille negligere multa & quotidie remiſſius agere vbi celeritate opus eſſet; rurſus vbi cunctatio ſalutaris, praecipitare omnia, nonnunquam etiam hoſti occaſionem aperire; demum ea ipſa res eſſe magna hoſtiũ occaſio, quòd ortâ diſcordiâ, mutuam apud Archiepiſcopum, & gerendi belli ducem gliſcere diffidentiam ſcirent. Interea monuerant Archiepiſcopum quotidiani caſus, & inclinata res, meliorque ſemper hoſtium fortuna, niſi priſtino ſpiritu belli ſummam capeſſeret, mox ab ſua parte de victoria conceſſum fore. Nec vltra cunctatus, quàm dum Clerum arma-

ret, cum eo ferociae recentis agmine, Gorgonzolam Oppidum petit, populabundum ea regione hoſtem ad acie dimicandum prouocaturus. Ea cupidine nimium ardens, dum ſe ſe in aperti Martis aleam parat, nocturnas inſidias non vitauit. Gorgonzola quindecim ab vrbe paſſuum millibus diſtat oblongae viae formam referens: alluitur alueo nauigabili; Canonicorum ampla tecta coniunctumq; Praepoſiti domicilium habebat. Huc ſe Archiepiſcopus Otho cùm recepiſſet, ſpeculati Turriani noctem incuſtoditam, circumueniunt repente oppidum, illatiſq; facibus omnia inuoluunt igni, quem effugientes, in circumiectos armatorum globos incidebant. Capti multi, caeſi plures deleriq; ea nocte totus Eccleſiaſticorum exercitus potuit, ſi non aliquod ipſa nox effugium dediſſet. Archiepiſcopus ipſe, ferrum inter & ignes obuoluto capite ſacram ex proximo domicilio turrim petijt, anhelantiq; trepidatione connixus in tabulata, fatalem ibi horam exſpectauit, quae non aderat; & dilapſo mox hoſte incolumis ex ea latebra prodijt ad reliquias ſuorum. Poſt eum caſum dynaſta Montisferrati domum abierat, profligatas Archiepiſcopi res putans, & fremens, victorem adeſſe iratum, quem ſi habita ſibi foret fides honeſtis placare conditionibus potuiſſent. Iret nunc Archiepiſcopus, irent moderatrix & ſocia conſiliorum illius nobilitas, authoremq; pacis in perfidiae ſuſpicionem vocarent, numquam ſe amplius moturum ab domo pedem ingratae ciuitatis cauſa, ſua ſtipendia ſibi, ſuos honores

ha-

habereñt. Scilicet ad caeteram cladem hoc etiam acceſſerat, vt deſertor inſultaret. Id Othoni peracerbum erat; & cùm indignitas magnopere angeret animum, grauia ſimul adiuncta damna non minus angebant. Quippe deſperaſſe de victoria videbatur; vnde fiducia hoſti, & magna ſuſpicio, ne ſe ad eum aggregaret. Tum imminuta apud ſocios authoritas, periculum ex aliorum defectione, & orto ſemel contemptu, procliues ad rebellandum animi. Pernumerata quoque iam in ſtipendium pecunia, vile quidem alioqui, ſed rebus afflictis graue detrimentum, augebat dolorem; ac demum extremus ex eo dolor, quia factus erat hoſtis qui cognouerat conſilia, vires, animos ciuium, & ſi quid occultum Archiepiſcopus pararet. Ob ea omnia; ſimul, quia ſtrenuum & probatum olim, & gnarum exercitus vtriuſque reconciliare grande belli momentum habebatur, miſſus ad eum Bonifacius Puſterla cum ijs mandatis, vt pollicendo multa & demonſtrando leniret iras, neque abſiſteret, donec ei perſuaſiſſet. Facile perſuaſum, ſed non facile ſinceri quicquam ineſſe poterat ei viro, qui petendo id quod minime concedendum erat, repulſae contumeliam infenſiſſimus accepiſſet. Ac diſſimulato in praeſentia dolore, Mediolanum vt reuertit, & ciues, & Archiepiſcopum eludebat, ſedendo ad vrbem, & gerendae rei tempus extrahendo, cùm interea feroces euentibus Turriani late omnia popularentur. Prorſus apparebat, hoſtili perſeueraturum animo, niſi id quod principio expetiuerat faciendae cum Turriano pacis

arbitrium extorqueret. Id ſicuti antea Vicecomes abnuere, malle belli fortunam omnem experiri, quàm ſeſe committere in eum caſum, vt Dynaſtę illius arbitratu accipiendae conditiones, ponenda arma,& ex tanto dominatu forſitan ad nuda ſacra recidendum eſſet. Verùm,vbi rurſus ille parare diſceſſum inſtitit, & quaſi iam iamq; abiturus minitabatur inſuper,ſe belli acceſſionem fore, pretium duxit, nouas admouere preces,quibus eum retinere conaretur. Erat Monferratenſi familiaris amicitia vetuſq; neceſſitudo cum Epiſcopo Nouocomi, & Archidiacono Nouariae, quos vtroſque poſt res translatas auerterat fortuna in Vicecomitem, manebantq; conſtanti nunc fide;ac tanto minus reſurgere Turrianum volebant, quanto cernebant infenſiorem fore ſibi,ſi rurſus imperium adipiſceretur. Hos in re trepida Vicecomes cùm exciuiſſet,rogauit, vt agerent cum Dynaſta Montisferati; ne ſuſceptam deſerere prouinciam vellet in tanto diſcrimine,quod ſi faceret, inſidiatus eſſe tempori videretur, occaſionemq; captaſſe prodendæ ciuitatis. Eam porrò famam indignam ipſius virtute,indignam ſplendore, quem à maioribus accepiſſet, cum dedecore damnum ipſi quoq; allaturam eſſe. Quem enim, ſiue principem, ſiue populum, ſiue priuatum hominem poſſe probare factum eiuſmodi, ac ſi non probarent; quo forent in ipsum animo, quid ve in poſterum tam ſuſpectae fidei credere deberent? Ipſos profectò Turrianos tale facinus abominaturos videri, ſi verum ſit illud, quod veteri verbo

mul-

multorumq; caſibus comprobatum vetet quenquam gratiam ſperare violatae fidei apud eos etiam, quibus ipſa violatio tulerit opes, regna, ſalutem. Proinde poneret, ſi quam animo accepiſſet offenſionem, & nobilitati, Archiepiſcopoq; Mediolanenſi aduerſus plebeios ſeditionum ſatellites ob fortitudinem eximiam delectus imperator mallet. Penatibus ſuis inferre titulum ſeruatae tantae vrbis ac defenſi Vicecomitum principatus, quàm proditae ſpei deſertarumq; rerum, ad quarum ſalutem, veluti numen aliquod uocatus fuiſſet. Honores habitos ei, qui in tali fortuna turbatoq; rerum ſtatu potuerint haberi; ſi quies obtingat, isq; bello ſit exitus, quem cauſae aequitas promittat, futurum ipſum in parte victoriae nullius irritum voti, ſiue priuatim aliquid, ſiue publice poſtularit. De pace arbitratu ſuo facienda quod tantopere imbiberit animo, ſuſpenderet paulisper eius rei cupiditatem, donéc elati nonnullo rerum ſucceſſu Turriani redigerentur in aequum. Nunc ambigente Marte, ſi pax tentetur, conditiones accipiendas eſſe tanquam victis, quae ne labes admittatur, ſit bello potius cadendum. Haec ab Epiſcopo & Archidiacono ex ipſius authoritate Vicecomitis dicta Monferratenſi, non mouerunt obfirmatum animum, & in eo quod ſemel deſtinaſſet, nimio plus cõſtantem. Aut dici ſe tam pacis quàm belli arbitrum oportere, aut ne morarentur abeuntem, reſpondit; clauſæq, inde precibus amicorum aures erant. Interim ſecundae Turrianorum res vrgebant, & fortuna

na ſuo more nimia inflandis animis, aut ex diuerſo affligendis, quotidie magis in Vicecomitem ſaeuiebat, ipſis prope moenibus hoſtem admouendo. Fumantes ex incendijs villae conſpiciebantur in vrbe, fragorque tectorum audiebatur, & agreſtium fuga deſertis agris caritatem annonae primò, deinde famē fore apparebat. Niſi quòd nondum potiebatur vrbe Turrianus, Archiepiſcopi victoria verterat in cladem, & tam breui tempore ſpectaculum humanarū rerum duo mutati dominatus exhibebant alternante vices bello. Tunc primotes Ciuitatis Archiepiſcopum circumſiſtunt, monent, obſecrant, vti pacem agitari potius ſinat, quàm irato victori cuncta permittantur. Ita ille victus precibus omnium, efflagitatione ſingulorum, & ſua magis ira quàm metu, quā-
” doquidem, inquit, praecipites agimur, & vos me vul
” tis eſſe proſtratum antequam ceciderim, haud vltra
” morabor nimiam hoſtium fortunam, & veſtram pe-
” reundi perdendique ſimul omnia libidinem. Regar
” ab ijs, quos regere debueram, & pro belli gloria pacis
” ignominioſae diſcrimen, alieni arbitrij aleam, certam
” denique ſeruitutem vnà cum patria ſubibo. Agite
” ſane ferte cuncta vt lubet, dummodo ego teſtes ha-
” beam ſuperos, ciuium datum eſſe furori quicquid hoc
” in rem publicam præpropera deſperatione peccatur.
” Haec ferme dixit Vicecomes, cùm attonita Turrianorum metu ciuitas quotidiano conuicio efflagitaret, vt Dynaſtae Montisferrati permitteret ſummam rerū omnium poteſtatem. Et quamquam eiuſmodi erat

oratio,

oratio, vt minitari potius & exprobrare, quàm concedere quicquam videretur; tamen, neque ſicuti ſenſus verborum erat interior, neque ſicut enunciabantur, ſed ſicut ipſi volebant, arripuere. Ita Monferratenſi negotium eſt datum, vt quibuſcunque vellet conditionibus cum Turriano pacem faceret. Id ille tanto-pere contenderat, ſiue quia re vera diffideret bello, ſiue quia Turrianis obſtrictus occulto fœdere, tutius putaret abrumpere incerta belli, & interea dum ſecunda fortuna vterentur, pace, quae victoriae foret inſtar, gentem eam deuincire ſibi. Accepta igitur poteſtate componendae rei, ſicut ipſi videretur, Legatos mittit ad Raymondum Turrianum Aquileiae Patriarcham caeteroſq; familiae principes, qui nunciarent; Archiepiſcopum, Senatum, populumq; Mediolanenſem, permiſiſſe ſibi faciendae pacis arbitriũ; id ipſi quoque ſi ratum haberent, daturum operam, vt ſe Turriani nominis fidelem amicum experirentur. Fortaſſe etiam, vti creditum fuit, dederat occulta mandata legatis, & iuſſerat fidem in id obligare ſuam; ſi viciſſim aſſentirentur, poſſe in conditionibus aliquid eiuſmodi conuenire, vt reſtituerentur in imperij partem, ſi nõ tota priſtinae fortunae moles, quemadmodum quidem ipſe cuperet, ampliſſimae familiae recuperaretur. Haec & alia Patriarchae caeteriſq; Turrianis affirmantes legati, duriores opinione ſua reperetunt animos, & obfirmatos in omnem belli caſum, tanquam nihil negotij ſibi cum Dynaſta Montisferrati eſſet, nihilq; antea cum ipſo de ea re per litteras,

aut

aut nuntios egiſſent. Proſperae, credo, res & ex afflicta fortuna ſpes nouae dederant ſpiritus ingentes, vt mallent armis recuperare veterem dominatum, quàm alterius arbitrio quicquam paciſci. Ferocia igitur reſponſa retulere domum legati; Sacrificulũ Othonem, poſtquam dolo rem bene geſſerit, coepiſſe agere de pace; quoniam aperto Marte ſit impar, nouis inſidijs declinare vim imminentem. Sed bello & virtute decernendum, quinam teneant imperium vrbis Mediolani. Accenderat ea res in vrbe animos nobilium, vt qui modò pacem expetiuerant, prodire in aciem, vltimum ſubire diſcrimen arderent. Ipſe ante alios Dynaſta Montisferrati, qui pacis eius cauſa tantas Mediolani turbas conciuiſſet, deſertam ſibi fidem eluſosve conatus aegreferens, muniabelli tunc demum bona fide capeſſiuit; & in Turrianos, quorum ad eam diem fauiſſe rebus credebatur, hoſtili coortus impetu, Vaprium, inde Bripium, quae caſtella per eos tenebantur, adoritur. Neutro tamen incœpto ſatis felix, reiectus à Vaprio, graui ad Bripium accepta clade, dolo inſuper Turrianorum ignominioſe circumuentus, res Mediolanenſium in extremam prope deſperationem adduxit. Nam, cùm poſt Bripienſem cladem, humandis cadaueribus, curandisq; ſaucijs laudato ducum munere intentus eſſet, falſus repente nuntius affertur ei; Turrianos deſerto Bripio relictaq; ſine praeſidiarijs arce in circumiectos agros exiſſe pabulatum, occupatosq; praeda nullam habere cogitationem rerum aliarum, quae ad bellum pertinerent.

Inuitabat

Inuitabat animum occaſio demendae ignominiae ſimul, & recipiendae arcis, quae magnas in eo ciuilis belli diſcrimine opportunitates haberet. Itaque ſuperſtites e clade armari celeriter iubet: armat ipſe quoque quamacerrime ſuum corpus: praemia ſtrenuis pollicetur, ſegnibus intentat minas, ac nulla re omiſſa, quam in magni periculi praelijs veteres vſurpaſſent, prudentiaq; militaris moneret, ad caſtellũ cum toto exercitu ſubit infeſtus, ſi abijſſet hoſtis, vacuam abſque certamine arcem occupaturus; ſi quid repentini periculi oriretur, haud imparatus. Ea omnia fefellere ducem, tantaq; ſubito coorta vis hoſtium à tergo, à lateribus, à fronte ſe ſe circumfudit, paene vt opprimerentur, & cladem longe maiorem acciperent, quae fuerat illa, cuius vindices aduenerant.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Sextus.

STrepitum hunc ciuilium armorum & paene quotidianas Archiepiſcopi clades, vrbs Bergomum audiebat, ſpectabatq; ex propinquo, cuius incolae loci nunc irriſi temere noſtris hominibus ob vaſtum ſermonem, & ſtolida ingenia, tunc ex primaeua origine, retinebant vim, authoritatem, & ſpiritus generoſos. Nam Bergomates ex Barrae ruinis ſurrexere, quae vrbs antiquiſſima Regum ſedes in Briantiae tractu fuerat. Bergomates igitur dignam origine ſua fore actionem rati, ſi ſe Turrianos inter & Archiepiſcopum in tanto rerum diſcrimine pacificatores interponerent, miſſis ad Patriarcham caeterosque Legatis, authoritate qua pollebant impetrauere, vt de pace agere poſſent, eam in quaſcunque videretur conditiones ſancire liberum haberent.

Ea

Ea re impetrata, veniunt ad Montisferrati dynaſtam duo ciuitatis illius facile principes, Beltramus Graecius, & Albertus Imolenſis, quorum vterque fuerat in legatione ad Turrianos miſſa, ſummamq; inter ſuos prudentiae famam obtinebant. Ad Tricium erat dynaſta quo tempore venere legati; ibi pontem in Abdua flumine reficiebat, quem hoſtes interruperant. Fertur, cùm veniſſe de pace legatos accepiſſet, oblitus artium, quae diſſimulare, vel ſimulare quicquam in tali rerum articulo docere poſſent, veluti ad liberatores ſuos, proſilijſſe cum gaudio, & appellaſſe ipſos carentes vrbis Mediolani duoq; rerum Italicarum polumina. Cœptum inde agi de pace, cui firmandae, cùm diceret Dynaſta opus eſſe conſulto Archiepiſcopo, induciae interim pactae ſunt, edictumq; promulgatum, vt liberi commeatus eſſent, Othonianos inter atq; Turrianos, ne quid hoſtile fieret; ſiquis alterum violaſſet, pœnae capitales intentatae. Statim apparuit, quanto priſtini dominatus deſiderio plebes teneretur; eaeq; induciae animos nudauere multorū, qui ſteterant ad eam diem impenetrabiles, & clauſi. Nam in Turrianorum caſtra ſeſe milites gregatim effundebant; ibi familiariſſime veteres amicos amplexabantur, lacrimas, quaeſtus, gaudium inter ſe miſcebant. Nimium adhuc caruiſſe mutuo congreſſu, pudere ipſos, quod in principes olim vrbis impia ferre arma fuiſſent coacti; ſi rediret fortuna, tanto paratiores ad omne obſequium fore; faſtidiri recentem dominum, expeti vetera, quantam rerum omnium

factam eſſe mutationem; non bene miſceri ſacra profanis, & rectius facturum eſſe Vicecomitē, ſi vtrumq; regimen omittat, neutri ſatis aptus, quod ipſum infenſi ſuperi, & poſt felices vnas inſidias aduerſi ſemper praeliorum exitus aperte teſtentur. Cœperat offendere Dynaſtae Monferratenſis animum ea nimia propenſio turbae militaris in Turrianos; & ſicuti cupiebat rem ad concordiam aequitatemq; deduci, ne finis armorum ille, quem fore ſuſpectabat, recideret in ſuum caput: ita, cùm tentaſſet irritus olim gratiae viam apud Turrianum, volebat nunc ab ea fama procul abeſſe, vt extremas Archiepiſcopi res prodidiſſe videretur. Sic enim, neutri parti acceptus, alteri etiam inuiſus abiret domum, alio nullo tam diuturnæ peregrinationis totq; periculorum emolumento, quàm vt ſibi odia & inimicitias peperiſſet. Igitur, die quodam, cùm in caſtris continere militem conaretur, illiq; tanto cupidius in propinqua Turrianorum caſtra tranſirent ad caros amplexus & iucunda nimium colloquia; erit melius inquit in caſtris quemq; ſuis quieſſe; ſimul claua quàm tenebat ferire abeuntium capita, ceruices, frontem prout illa, ſiue ira, ſiue deſperatio quamq; partem obuiam dediſſet. Id demum imperium commeādi libidinem repreſſit, & quia pari deſiderio Turriani milites in Othonianorum caſtra viciſſim frequentes veniebant, monuit, placere ſibi vt minus in poſterum cum milite ſuo miſcerentur; ſatis eſſe, quòd poſt diuturni belli calamitates, inuicem amplexati, certiſſima pignora pacis vſurpaſſent. Breui

fore

fore tempus,quo redirent in corpus vnum, & ciuili ſocietate coniungerentur. Ad huc inducias eſſe,non pacem, & vitanda eſſe omnia, quae ſpes turbare inchoatas poſſint. Interea, de pace ſtabilienda ſerio agebatur,cui negotio finis vt inueniri poſſet,colloqui interſe partis vtriusq; principes oportebat.Colloquio ſedes opportuna Melinianum condicitur. Eò conuenere Patriarcha Raymondus,Caſſonus, Gothofredus,Saluinus,Annonus,alijq;Turrianae factionis principes;ab Othonis Archiepiſcopi parte,Monferratenſis ipſe caput rerum,Clarae Vallis Abbas, & ex Clero vniuerſo Monaſterijſue plurimi, qui, vel coniunctam cum religione prudentiam habebant, vel rerũ agendarum cupidine,ſicuti fit, munia religionis declinabant. Horum alios Archiepiſcopus ipſe deſtinauit, alij ſe ſe obtulere vltro,numerusq; ſacrorum hominũ ingens ei colloquio fertur adfuiſſe. Franciſcani minores & Dominicani,'quibus ex concionandi munere nobile cognomentum manet praecipue ad eius negotij conſultationem adhibiti, qui tunc ordines recentibus initijs, nondum ſeneſcente gloria florebant ſicuti nunc, priuatim quidem litteris & morum innocentia, in publicum verò authoritate, quae ſequitur magnas virtutes. Hi participes Archiepiſcopi conſiliorum aderant, mandatumq; his erat quatenus in conditionibus accipiendis refutandisq; progrederentur. Legati verò Bergomenſes partibus interiecti, tamquam nullo,in hos,aut illos ſtudio, ſed vnica reipublicae vtilitatum cura,componendis hinc inde animis,

mis, ciuitatis ſuae authoritatem inſerebant. Cùm his animis, & hoc apparatu arbitra pacis multitudo Melinianum conueniſſet, ſpemq; pacis boni omnes praecepiſſent, occultae factionis homines eam repente turbauere, qui coniurauerant in id facinus, vt etiam ſi publica quieſcerent arma, Turrianos ipſi priuatim omnibus modis perſequerentur, neque compotes eſſe patriae ſinerent. Hi, ne pax fieret, obſecrabant; ſi facta foret, minitabantur, fremebant euidenti periculo, ne, ſi cum propinquis amicisq; ſuis in arma coorirentur, atrocius cum ea factione bellum immineret, quàm quod ad eam diem ſacra profanaq; omnia perturbarat. Eo periculo animaduerſo, cenſuere prudentes, amplius eſſe deliberandum, ipſeq; dynaſta Montisferrati facile in eam ſententiam eſt adductus. Ita re infecta diſceditur ab Meliniano; neq; pax inde, neque bellum erat. Induciae manebant, magis, quia neutri parti eas violare tutum videbatur, quàm quod apud alterutros data fides valeret. Eo temporis ſpatio, cùm ſuſpenſis inuicem animis, alteri alteros timerent, Archiepiſcopus, ſiue ad varias belli imminentis opportunitates, ſiue vt pacis imagine populum recrearet, nouom alueum excauari iuſſit, per quem Abduae fluminis vndae in Lambrum immitterentur, veteremq; dilatari. Id opus cum fieret, Turriani frementes inter ſe, per ſpeciem agitandae pacis ex medio curſu victoriarum eſſe reuocatos, & poſtquam arma ſuſpenderint, hoſtem bellum parare, ruptis inducijs aliquot caſtella ſubitò aggreſſi, partim expugnauerunt,

partim

partim expugnare conabantur. Atrox imprimis pugna fuit ad Albairatum, in qua, cùm præter caeteros ex nobilitate Mediolanenſi fortes viros, Gulielmus Puſterla cecidiſſet, grauiter perculit ea caedes Othonis animum, ipſumq; Demarchum, & coniuratos illos inimicos Turrianorum, qui turbandae pacis ad Melinianum authores fuerant. Namque Guliermus Puſterla rarum humani roboris exemplum fuerat, & communi fama celebrabantur virium ipſius experimenta, quod equinã ſoleam infringeret manu, quod incitatiſſimum equum arreptum cauda ſiſteret e curſu ac retineret. Animi quoq; robore par habitus meruerat id ex virtute cognomentũ vt Puſterlęus heros appellaretur. Is igitur à Turianis ad Albairatum in medio pugnae diſcrimine directa in caput ſagitta peremptus ſtrauit caſu ſuo caeterorum animos; & ſicuti nuper in pace bellum quaeſiuerant, ita nunc in bello pacem expetiuere; neq; Turrianus abnuit. Sed nequicquam aduerſus immutabilem neceſſitatem excidio deſtinata domus tendebat, modeſtia, & cupidine quietis, & ad omnia, quae proponerentur, facilitate; reuoluiq; rurſus eos in belli clades oportebat, donec abſumerentur. In conditionibus, queis funeſtam hanc fecere pacem, caput erat de captiuis dimittendis, tam qui ad Baradellum incluſi tenebantur, quàm quos Turriani viciſſim ex Eccleſiaſtico exercitu varijs caſibus in poteſtatem acceptos haud perinde ſaeua cuſtodia, per caſtella per pagos adſeruabant. Id caput ab Eccleſiaſtica parte non bona fide cuſtoditum,

causa

cauſa violandæ pacis fuit, & violata pace, belli mala omnia reciderunt in partem eam, quae niſi deleretur, ſurgere ac ſtare non poterat Imperium, cuius initia ſtruxerat fortuna, vt á paruis initijs in ſummas opes euectam Vicecomitum gentem, veluti ſpectaculum ſuarum virium exhiberet. Dimiſſis namq; captiuis omnibus, Turriani, & ſtatim traditis arcibus, pagis, oppidis, quae poſt amiſſam Vrbem, munita ſatis, & opulenta receperant, in extremis quoq; prouinciæ finibus ex conuento perſiſtentes, cùm ſuos pariter ab Demarcho & Vicecomite captiuos exigerent, ſuperbum ex Vrbe reſponſum accipiunt; Baradellam arcem Nouocomenſium eſſe ditionis; Ideo captiuos ex ea non poſſe dimitti. Sic efflagitantibus cariſſima ſuorum capita Turrianis reſponderi iuſſerant ex compoſito, Vicecomes Archiepiſcopus, & Dynaſta Montisferrati; ac deinde, quaſi nihil ea res ad fidem, & officium pertineret, ad componendum vrbis ſtatum auerſi ſecuris animis agebant. Dynaſta quin etiam figere Mediolani ſedem & occultiora alia, quae poſt erupêre, parans, Beatricem coniugē Hiſpaniae Regis filiam exciuit, quam ſemper fautrix externorum ciuitas, effuſa in proditorem adulatione ſūmis honoribus accepit. Data publice dona mulieri, hoſpitium inſtructum, parata familia, & eius honori principes vrbis decurrere, veluti ſi domina vrbis veniſſet. Turriani interim negligebantur, & nihil hoc eſſe putabant, quòd nominis eius captiui praeter pacta conuenta datamq; fidem adhuc ad Baradellum

diri

diri carceris ſqualore ſuorũ animos ex lõginquo miſericordia, & indignatione ſolicitarent. Acceſſerat quoque noua res irritandae exulum patientiae, quòd Thomas Aduocatus, & Ioannes Lucinus Praetores vrbani, ex ea forte factione, quam occulto priuatim ſacramento, in Turrianorum coniuraſſe damna demonſtraui, peſſima arte conquirendo inimicorum amicos, quemcunque repererant aliquo vinculo illis annexum, omni poteſtatis ſuae licentia perſequebantur, donec fortunas, & ſanguinem exhauſiſſent. Neque Archiepiſcopus obuiam ibat, ſiue diſſimulatione maligna, pari erga memoriam, & nomen hoſtium odio, ſiue rerum eiuſmodi curam, curae maiores, & ſolicitudo conſtituendi principatus exemiſſet; ſiue fortaſſe etiam tantae fortunae moles, & poſt labores diuturnos oblata denique pars quietis occuparât feſſum animum, ne iam penſi quicquam habere poſset, aut vellet. Igitur, tot ſimul iniurijs accenſi Turriani, & rerum indignitate cogente audere vltima, pacem, quam Eccleſiaſtici violarant, ipſi quoq; abrumpunt, & coacto rurſus exercitu Mediolanenſem agrum inuadunt, certi, vel recuperare patriam armis, vel in ipſo pulcherrimae rei conatu vitam ponere. Superſtites manebant è tot cladibus, Patriarcha Raimundus, Manfredus Archipresbyter Modoetiae, Caſsonus, & Gothofredus, capita haec familiae; minorum veró Turrianorum ingens adhuc multitudo, quantam ampla domus, genere vel affinitate, vel amicitia complectebatur. Hi ſimul omnes, excepto

Patriarcha, qui ſubſtitit ad Laudem Pompeiam, Vaprium in Abduae fluminis ripa contendunt infelici agmine, mox fœdaturi ſanguine ſuo flumē circumiectaſue rupes, & tanta ſua ſtrage nobilitaturi Vicecomitis fortunam. Dies, quo ad Vaprium peruenere, fuit XVI. Maij. annus octogeſimus primus à milleſimo ducenteſimo, poſtquam Virgineo partu mundo ſalus exorta. Mediolani praetores, Federicus Torniellus, & Vbertus Beccaria; copiae Turrianorum fuere, duo millia equitũ, maior peditum numerus. quem militem in conatum extremum afflictae genti contulerant, Brixia, Ticinum, Vercellae, nusquam infidae Turrianis ciuitates, Vicecomiti non ſatis amicae. Vicecomes eduxerat triginta millia peditum, haſtatorũ tria, maiores adeò copias educturus, ſi maiore mole gerendam eſſe rem cenſuiſſet. Sed deſperatum hoſtem tanquam ad finiendas miſerias offerentem ſe ſe caedi, ſpreuiſſe videbatur. His copijs, ad Vaprium, die, qui fuit D Dionyſio ſacer, eſt concurſum, praeterquam quod impari numero, & vrgente paucitatem fortuna, nouo inſuper ex agreſtium illorum temeritate ad cladem adiecto caſu. Nam ſimul atque commiſſam eſſe pugnam vident, non quidem prouidentia, & ratione, conſilioue, vbi fore victoriam appareret, eò vires ſuas inclinandi, ſed impetu repentino, cùm nondum ſcirent, quantulas in id diſcrimen copias Turrianus adduxiſſet, vt quisque Turrianorum occurrerat, caedunt rari gladio teliſue, plures ligone caeteriſq; ferramentis, aduerſus quae arma deſperatis, cùm ferme in aliũ

ho-

hoſtem obuerſi ferirentur à tergo, vel ex tranſuerſo, difficile tutamen erat. Neque enim fore cum ruſticanorum manu pugnam crediderant. Et ſuper omnia, multitudo Mediolanenſium vrgebat, quae late ſuperfuſa tam paucis, horae fere vnius ſpatio, praelium, non tamen bellum illud finiuit. Variae inde, & miſerandae lethi facies traduntur. Praecipitauere ſe in flumen Abduam alij, potius vt gurgite mergerentur, quàm vt caderent hoſtium manu; alij ſpem ſalutis in aqua petierant, ſed imperiti nandi euadere nõ potuerũt; nonnulli cùm euaſiſſent, rurſus in tota praetentos ripa hoſtes incidebant, ibiq; madentes & languidi paſſim ab irridente victore trucidabantur. Sed illud maxime crudele ludibrium erat, quòd dum infelici fuga, brachiorum pedumq; pulſu amne ſecundo delabuntur, coniectis ex ripa ſagittis figebantur, aluemq; cruentantes, cùm aliquandiu ſanguinis riuos corpore ſaucio traxiſſent, exanimes demum ad ima corruebant, & protinus in ſummam aquam reiecti ſupernatabant cadauera, & aliqui ſemiuiui cadaueribus implicabantur. Haec morientium ſpectacula flumen exhibuit. At in ripa, ſiue per agrum viri fortes reperti ſunt, aut moribundi ſuper mortuum hoſtem, aut ſuper moribundos mortui, non ſine mutua dentiũ impreſſione, ſi quod hoſtile membrum exhalantes animam arripere potuiſſent. In ea pugna Caſſonus cecidit, inter Turrianae gentis praeſidia ſaepe iam à nobis memoratus; obtruncatumq; caput hoſtes abſtulere, victoriae monumentum, & explendae irae.

Ira deinde non minor ſupererat in Laudenſes, quia per omne belli tempus fauerant Turrianorum rebus, & mittendo auxilia, victoriam hanc tardarant. Eò confeſtim ductus exercitus, vbi, clauſos intra mœnia hoſtes detrectare pugnam apparuit, ſaeuiendo in agros, & vrendo tecta, vaſtationem ingentem effecit, ſperans poſſe incluſos dolore & damno rerum ſuarum ad certamen elici. Sed cùm illi nihilo magis egrederentur, retro domum abiere; cœptumq; paullò poſt de pace agi, quae conuenire non potuit, ob iniqua partis vtriusq; poſtulata, ſiue quia erant, ſiue quia credebantur. Permutati tamen captiui pignus pacis, induciæq; factæ. Haud multo poſt inclinauere ad pacem vtraq; pars animos, & ſumma conditionum fuit; ne quem Turriani nominis intra ſuae vrbis mœnia conſiſtere Laudenſes paterentur; fautores & amicos eorum e finibus ſuis exterminarent. Id ſi fieret, promittebatur viciſſim, Archiepiſcopum, Senatumq; Mediolanenſem, ei ciuitati nulla in re defuturum, quæ ad ſalutem, & commoda fidelium ſociorum pertineret. Pace cum Laudenſibus facta, turbabant adhuc ſtatum & quietem vrbis noſtrae, ciuitates aliae, quae contagione belli ciuilis irritatae, Turrianorum excidium veluti ſuam cladem aegre concoquebant. Ac caeterae quidem Inſubrum vrbes, indulgentem victori populo fortunam agnouiſſe paulatim videbantur, & imperium quod vitare non poterant, propitiũ atq; placatum habere, votum illis eſſe incipiebat. Praefracta verò Cremonenſium ingenia, nec aliorum

exem-

exemplo, nec ſuis malis flecti poterant, vt poſitis armis, clementiam, quàm vim experiri victoris mallent, donec Placentinorum Brixianorumq; primores, ſiue publicarum vtilitatum reſpectu, ſiue priuatim illius cura Ciuitatis, ob connubia, & amicitias de pace agere inſtiterunt. Hi poſtquam perſuaſere, ne tantum ſurgentem iamq; confirmatum in Italia dominatum, & Numinis haud dubie nutu coniunctas cum imperio ciuili vires, & opes Eccleſiae, habere infenſas vellent, legatos ad Archiepiſcopum deſtinauere, Cremonenſi populo veniam petentes. Ea legatio cùm ad Othonem Archiepiſcopum veniſſet, haud ſane ille de pace quicquàm abnuebat; ſed Romanengum & Soncinum, quae caſtella capta de Cremonenſibus erant, aliquandiu negotio moram fecere. Cremonenſes ea reſtitui ſibi aequum cenſebant; Archiepiſcopo, conſiliarijsq; tam reſtituere turpe videbatur, quàm cepiſſe glorioſum fuerat; & ſemper poſt omnia bella, pars ea, quae plus poteſt, pacem putat ignominioſam, niſi aliquam de hoſte praedam retineat, quam veluti pœnam temeritatis oſtentet. Ob id igitur caſtella repetentibus, negabatur, & propere infecta legati domū abibant, niſi Bonifacius Puſterla D. Celſi antiſtes alijq; principes vrbis reclamando vehementer & deteſtando patriae fortunam, ſi ea quieſcere nunquam poſſet, & tam parua res, veluti furijs inſtigantibus, publicum bonum interpellaret, vt caſtella reſtituerentur, impetrauere. Bonorum virorum, qui pacem expetiuerant, eiuſq; faciendae fuerant auctores, irrita

ſpes

ſpes irriti conatus fuere, ſecuto diſſidio, Archiepiſcopum inter & Montisferati Demarchum, & partis vtriusq; ſectatores, vnde par bellum ſuperiorum tẽporum calamitati, nec minor perturbatio rerum omniũ, quàm cùm antea Nobilitas, Plebes, Vicecomites, & Turriani, Tribunus Plebis, & Archiepiſcopus, ferro, & igne patriam communem certatim lacerare conarentur. Neque noui huius belli perſcripta cauſa in annalibus extat, quam tamen facile coniectaueris ex vetere animorum irritatione, iam inde ab eo tempore, quo cœperant inuicem eſſe ſuſpecti, & inuiſi; Demarchus Archiepiſcopo, quia de pace cum Turrianis arbitratu ſuo facienda petierat id quod dari non poſſet, Archiepiſcopus Demarcho, quia niſi coactus rem permiſerat illius fidei Ab eo fortaſſe principio, ſimultas, deinde odia, poſtremo bellum exortum. Sequebantur Archiepiſcopum nobiles & vniuerſa fere ciuitas, illum alterũ deteriores, & quibus ob res perditas, patriae mala lucrum erant. Et Ioannes Hodus praetor vrbanus haud dubie factio Demarchi, cuius beneficio magiſtratum eum obtinuerat, quanto occultior hoſtis, tanto grauius malúm fuit, inſtigandis ciuibus, atque trahendis ad inquilinum hoſtem. Hoc praetore populum concitante, tota die quodam ciuitas repente in armis fuit, cùm Demarchus ipſe Vercellas, incertum, caſu, an arte profectus eſſet; finisq; tumultus in eo, vt capto Praetorio Vicecomes Praetorem ipſum ex vrbe praecipitem eijceret, atq; cautior fieret inpoſterum aduerſus eos, quos ex occulto fa-

uere

uere Demarchi rebus ſuſpicaretur. Demarchus accepto ad Vercellas nuntio de infelici ſuorum pugna, iunctis ſibi Vercellenſium, & Nouarenſium copijs, vaſtare agros, oppugnare caſtella, tentare vrbes, omnibusq; modis moleſtus eſſe Archiepiſcopo, & quaerere ſibi partem dominatus. Dum nouo hoc bello res Mediolanenſis affligitur, Rex Galliae ratus occaſionem eam fore iungendae ſibi magnae vrbis, & cum ea fœderis ineundi, legatione Mediolanum miſſa poſtulauit, vt ſecum id inire fœdus Archiepiſcopus, Senatusq; Mediolanenſis vellent; atq; ad ſanciendam nouae ſocietatis fidem offerebat auxilia coercendis rebellibus, & redigendae in tranquillum vrbi. Sed in diſcordi populo nullum ſanum conſilium eſſe poterat, & quicquid ſalutare pacatumve afferebatur, erat idem illico ſuſpectum & inuiſum. Data legatis ambigua reſponſa, turbulenta, perplexa, quorum taedio domum abiere, certi nihil ad Regem ſuum afferentes. Ac tanto maior fuit apud Gallum ob irritam legationem offenſio animi, quia primis diebus Archiepiſcopus Otho principesq; Mediolanenſium, acceperant fœdus, foederisq; conditiones; poſtea rem totam aſpernati contempſiſſe ſimul tanti nominis Regem videbantur. Is nouus hoſtis acceſſerat ad ciuille bellum, quaſi domi parum malorum haberemus. Turriani quoque quorum iam penitus abierat ex animis memoria, tamquam nemo nominis eius ſupereſſet, inſurrexere rurſus, & externis additi hoſtibus, haud parum negotij ex tam afflicta fortuna

repa-

reparatis armis exhibuere. Collegerat exules, & armarat, vnicum relictum eius familia praeſidium Guidus Frãciſci filius, qui ſaeua ſeptem amplius annorũ cuſtodia detentus apud Baradellum, cœperat forte laxius haberi, corruptisq; cuſtodibus aufugerat; neque abfuit ſuſpicio, quin Eleutherus Nouocomenſium princeps eiuſmodi fugam adiuuiſſet. Ex eo Comenſe bellum ortum, quod quia per Archiepiſcopum geri non poterat, circumuentum tot vndique bellis, Simoni Locarnenſi, cuius magna erat in re militari virtus, eſt mandatum. In arce Baradella poſt Guidi fugam, detinebantur adhuc ex Turriana gente Muſca & Henricus, ſiue antea non potuiſſent aufugere, ſiue ne tentaſſent quidem, obduratis, ſicuti ſit ad calamitatem animis, deſperatione rerum, taedio vitae, vel fortaſſe etiam ſegni ac degenere metu. Hos quoque Eleutherus ille, poſtquam ob prioris fugae ſuſpicionem, eſt itum ad arma ſoluit atq; miſcuit ſibi, ſperans efferatos animos iniuria diuturni carceris, & domus excidio, momenti aliquid ad Vicecomitem debellandum allaturos. Neque tam ſegnes fuere libertate inuenta, quàm fuerant dum in vinculis haberentur. Muſca feruidior Henrico, non ſolum armis, ſed etiam eloquentia qua pollebat, cum Archiepiſcopo bellum gerens, cùm forte Nouocomenſes die quodam in concilio eſſent, meditata in Pontificem, verborum acerbitate, orationem habuit, qua veluti faces flagrantibus iam animis admoueret. Orſus enim ab vltima Vicecomitum ſtirpe conuicia

& maledicta, ad vſque Turrianae domus euerſorem Archiepiſcopum, tantum eius nominis cum ſuae cladis miſeratione odium excitauit, vt qui segniter fuiſſent in id bellum arma capturi, vltro aciem, & extremae fortunae diſcrimen poſtularent. Nouum hoc Archiepiſcopo negotium inſtabat; & Montisferrati Demarchus icto cum Turrianis fœdere, obſidibusq; acceptis, qui mutuae fidei pignus eſſent, promiſerat, ſe eos in priſtinae fortunae ſedem eſſe reſtituturum. Coniunxerant etiam ſe ſe Bergomenſes, dederantq; bello ducem Iacobum Mucium, cuius ea tempeſtate multa fortia facta memorabantur. Hic exercitus, cùm repente Mediolanenſem agrum inuaſiſſet, magnus in vrbe terror fuit; ac nonis Aprilis, qui Mercurij dies erat, excitato tumultu datur ex ædium ſacrarum turribus ad arma ſignum, & agmine ſubitario hoſti obuiam itur. Equites erant quingenti; peditum numerus ad decem millia; ductabat exercitum Mattheus Vicecomes Archiepiſcopi Fratris filius, ingentis animi vir, & dignus, à quo tanta poſt patruum fortuna domus inciperet. Comenſes & Turriani ad famam huius aduenientis exercitus in Seprienſem arcem abdidere ſe ſe, quam primo incurſu captam habebant. Eò ſuccedere Vicecomes capto ſaepius impetu cùm tentaſſet, repentini ſemper imbres obſtitere cum fulgetris, & minaci nubium fragore, quaſi Numen prohiberet. Ita Mediolanenſes pronis tunc in ſuperſtitionem animis quotidie ſegniores fiebant, ac prope abibant, niſi dux inhibuiſſet. Is attonitas inani

pauore mentes videns, retinere ſingulos, caſtigare vniuerſos; quid pauerent? hoſtium ne uim, an Caeli minas: hoſtes eſſe, quos vindex importuni dominatus Numen depulerit patriae ceruicibus, obtuleritq; delendos ad internecionem. Caeli verò tonitrua & fulgetra & imbres, naturalibus fieri cauſis, ac ne pueriles quidem animos ob ea commoueri. Haec aliaq; dicendo Vicecomes tenuit militem ab effuſa fuga, quam prodigij metus iniecerat, vanumq; videri pauorem coegit. Sed inſecutus poſtea caſus, & ex tanta omnium rerum perturbatione repentina pax, docuit, nequaquam ſolito more ſaeuiſſe Caelum, illasq; minas ad prohibendũ certamen haud dubie pertinuiſſe diuinitus. Cùm igitur varia fortuna dimicaretur Mediolanenſes inter & Nouocomenſes, nec ferme colonia Metropoli diſpar eſſet praeliorum euentibus & ſpe victoriae; mota eſt grauibus ex Mediolanenſi nobilitate viris cura, vt bellum, quod magis impetu, quàm odio ſuſceptum fuerat, conſilio, precibus, authoritate ſedarent. Angebantur ciuiles animi, tam vicinam vrbem iunctam Metropoli priuatis affinitatibus & amicitijs ad excidium peti, viciſſimq; ipſam excidium intentare, nec tamen interea cauſam ſubeſſe, cur ad arma eundum fuiſſet. Id, ſiue periculum, ſiue dedecus tollere, pulcrum arbitrabantur. Fuere autem principes, & auctores huiuſce conſilij, Henricus Cribellus, Ioannes Caimus, Oliuerius Marcellinus, queis magna apud Archiepiſcopum Othonem fides, magna inter ciues authoritas erat; Hi communicatis

nicatis

nicatis inter ſe rebus, Archiepiſcopum adeunt, ſuum de pace conſilium afferentes, meditata etiā in id oratione, ſi fortè pertinacior ira Pontificis animum occupaſſet. Marcellinus conſenſu caeterorum ita eſt ,, locutus. Etiam ſi diuturnum otium, & illaceſſita ,, pax haberet vrbem noſtram, nec aliunde, periculi, vel ,, negotij quicquam immineret; hortaremur tamen, & ,, pro ea, quam nobis in republica tribuis authoritate ,, ac fide, magnopere contenderemus, ne diuino mu- ,, nere conceſſa Vrbi tranquillitas aliquo nouo conſilio ,, turbaretur. Nunc, fundato recens imperio, cùm eie- ,, ctus hoſtis aemulas noui principatus vrbes inſtigare ,, non deſiſtat, omniaque ſint aduerſa nobis, & inimica, ,, tantò magis ad officium pertinere noſtrum exiſti- ,, mauimus, vt bellum, quod aduerſus Nouocomenſes ,, ſubita animorum irritatione nuper exarſit, tot vndiq; ,, circumſtantibus malis ſedare conaremur. Nec te credi- ,, mus ambigere, Princeps, quin interea dū ſummæ rei ,, diſcrimē vniuerſas exigit vires, vincere, vel differre iras ,, expediat, etiam ſi qua aliunde grauis iniuria ſit accep- ,, ta. Sic enim olim potentiſſimi populi Regeſq; facti- ,, tauere, &, aut ſpreuere minorem hoſtem maioribus ,, occupati curis, aut poſtquam pericula depulerant, vi- ,, ctricia circumferentes arma conſuluere dignitati, tā- ,, toq; poſtea grauior fuit in temeritatem pœna, quantò ,, tardior admouebatur. Hactenus ego videor agno- ,, ſcere magnam aliquam Nouocomenſium culpam, & ,, fateri, bello perſequendos eſſe, niſi cura maior diſti- ,, neret, ac niſi publicam quietem ante puniendi dolo-

,, ris dulcedinem haberemus. Quid ſi nulla nos iniu-
,, ria laceſſiuere, nec illi ius gentium, nec Imperij tui
,, maieſtatem violarunt? Incluſi ad Baradellum cap-
,, tiui, multorum tabe menſium, atque teterrimi carceris
,, pœnis abſumebantur crudelius vtique, quàm quos
,, varij belli caſus abſumpſerant; ſpeciem oris macies
,, efferauerat, ſpirantia cadauera per cancellos à prae-
,, tereuntibus conſpiciebantur, & voces intermortuae
,, ſubſidium extremum implorabant. Horum ſoluiſſe
,, vincula, princeps illius vrbis incuſatur; hinc
,, bellum exortum, cuius nec videmus exitum adhuc, &
,, initia progreſſusq; iactare non poſſumus, tot alioqui
,, bellorum victores, patria liberata, conſtituto princi-
,, patu; ſatis vt appareat fauere Numen aduerſus Metro
,, polim paruae ciuitati, cuius principem ſenſus huma-
,, nus iuſta in oppreſſos miſeratione commouit. Ea ſi
,, fuit culpa, nos peccandi locum dedimus negligendo
,, pacta conuenta de captis dimittendis, ob cuius etiam
,, iniuriae dolorem Turriani bellum renouauere. Volen-
tem plura dicere Marcellinũm Archiepiſcopus inter-
pellauit, & quandoquidem (inquit) bellum iſtud in
,, Nouocomenſes, neq; ſatis digna de cauſa ſuſceptum,
,, & ad ſummam rei totius inutile vobis videtur, non
,, recuſo, quin cum ea ciuitate pax fiat, & fiet, ſi que-
,, madmodum nos eam offerimus lenitate noſtra, ſic ipſi
,, agnoſcere beneficium poſſint. Haec, ſuadentibus
pacem amicis reſponderat Archiepiſcopus obducto
vultu tanquam exoraretur. Sed vltro pacem eam
expetiuerat vrgentibus negotijs, & pudore nonnullo,

ſi tantæ

ſi tantae iam vrbis dominus aequo marte cum rebelli colonia dimicare ſatis haberet. Itaque veluti ſecutus amicorum conſilium precibusque permotus, caeterùm laetus occaſione progreditur ad Legnanum condicto in eum locum colloquio conditionibus agitandis, & ſanciendae paci. Conuenerant illuc, Princeps ipſe Nouocomenſium, & Praetor, alijq; queis prima ſecundum principes in illa vrbe poteſtas, & fortuna. Primo congreſſu cùm caetera eſſent impeditiora, induciae viginti dierum pactae, neque de pace quicquam conuenit. Vt dies induciarum exibat, Barlaſinam iterum in colloquium proceſſere, vbi cùm nihilo magis res ad exitum deduceretur, Iuſtus Benzonus (Cremonenſem alij, plures fuiſſe Cremenſem tradunt) vir ea tempeſtate grauis, & prudentiae fama nactus apud exteros etiam authoritatem, deſumpſit ſibi pacis eius conciliandae munus, cumque aliquoties ad partem vtramq; commeaſſet, flexit animos, vt remittendo de ſuo iure nonnihil, viciſſim cõniuerent in conditionibus accipiendis, ac ſi quid minus placeret, id inęſtimabili pacis bono compenſandum cenſerent. Ad eum diem pugnaſſe manibus aequis; poſſe belli fortunam immutari; ſerò poſtea pacem quamuis iniquam exoptaturos, cùm nullus paci locus foret. Nunc integra eſſe omnia; reputarent, Princeps quidam Otho, quae ſpectacula ſuae varietatis Mars anceps exhibuerit, ad partem infirmiorẽ victoriam inclinando. Nouocomenſes verò, quantò inferiores eſſent omni virium parte, quodq; ſtarent,
ad

ad eum diem aequo cum potentioribus gradu, ne ſibi ob eam rem magnopere conſiderent hoſtem vt contemnerent; potius autem coniectarent ex eo fortunæ temeritatem, & inſaniam. Haec aliaq; cùm diceret Benzonus, partes, omiſſa tandem circa res minutas altercatione, quotidie magis in eam ſententiam inclinabant, vt pacem, quae caput erat omnium rerum, amplecterentur. Ac tanta fuit in Archiepiſcopo, ſiue lenitas animi, ſiue quid aliud dixeris, vt Comenſium principi ſubmitteret occulte grandem pecuniae ſummam, quò promtius ille poneret arma. Manauit enim ea fama neutri ſatis honeſta, cùm alter vendidiſſe victoriam, alter pecunia redemiſſe periculum dicerentur ab illis, quibus mos eſt, omnia Principum inſectari. Ea pax maioris momenti negotium erat, quàm illius paruae nomen vrbis praeſeferre videretur. Nam cùm ex miſeratione captiuorum ortum bellum eſſet, obſtricti Turriani tali beneficio, eoq; pignore propenſae voluntatis accepto, ſe ſe totos in Comenſem effuderant; ſpes ex afflicta fortuna nouas, amicorum ſubſidia contulerant illuc, & arctiſſima ſocietas inter eos erat. Ipſe quoque Montisferrati Demarchus olim infidus amicus Archiepiſcopi, nunc apertus hoſtis eodem illigarat ſe ſe fœdere; demum aperte conſtabat, arcem eam eſſe certaminis vniuerſi, quo ſuſpenſae adhuc Archiepiſcopi res tenerentur. Ideo etiam tanti moliminis res fuit; ac magnopere pars vtraque cõtendit, vt nõ pacis imago ſed pax certa ſanciretur; Archiepiſcopo ſcilicet timent, ne facilitati

ſubeſſet

ſubeſſet dolus; & viribus reparandis quaeſita dilatio, Comenſibus haud ſecuris, quin ſimulatione pacis exuti praeſidijs amicorum iniquiore mox conditione traherentur in bellum. Hac mutua ſuſpicione inquietãte animos, Archiepiſcopus, populus, Senatusq; Mediolanenſis treis è iurisconſultorum numero delegere, quorum eſſet ea cura, vt in firmanda pace omnia iuſta, & legitima fierent; his editae conditiones & pacta, quae iam conuenerant; libera ſimul facultate relicta, ſi quid addi, demi, mutariue opus eſſet. Viciſſim Nouocomenſes ſua legatis mandata, ſuamq; poteſtatem dedere. Et quoniam finitimarum quoque vrbium in eo negotio res agebatur, interfuere rebus agendis ciuitatum earum legati; Placentini, Brixienſes, ab Ticino, ab Nonaria, Crema quoq; & Bergomo; & celeberrimus ille totius Inſubriae conuentus fuit. Medio Lomacium inter & Rodellum campo delecta conuentui peragendo ſedes, quòd ea regio neq; Mediolanenſium propria, neq; Comenſium, ſed partis vtriusq; communis eſſet. Ibi firmata pax tanta omnium laetitia, quanta rei moles erat, quae grauiſſimo bello factura finem videretur. Conditiones aliae paruas obvtilitates, aut ex certamine dignitatis, mutua facilitate relictae in ſuſpenſo, ne rei exitum morarentur. Haec in praeſentia pepigere, quae negotij ſummam attingebant. Montisferrati Demarchus vti pace comprehenſus ea, ſiquidem ipſe vellet, eſſet ab eo tempore ſocius & amicus Archiepiſcopi populiq; Mediolanenſis, & accepta pecunia, quantam deberi

ſibi

ſibi probaſſet, ſatiſdaret, nihil amplius ob res Mediolani geſtas eſſe petiturum. Turriani qui ſupereſſent, & eorum ſecuti partes, abſoluti maieſtatis haberentur; domos, agros, & bona omnia, quae antequam iretur ad arma, poſſediſſent, illis reſtituenda Archiepiſcopus curaret. Reditus tamen in patriam inter ambigua alia reſeruatus, &, vt ea de re decretum Archiepiſcopi ſuo tempore promulgandum, ratum haberetur. Conditionibus hiſce recitatis, & edicto per praeconẽ, vt cuique Nouocomenſi ciui tutum eſſet morari Mediolani, & vt viciſſim ab vrbe Mediolano Comum ſecuri commeatus paterent; conuenere Mediolanum omnes, atque ibi in ampliſſima Imperij ſede concilium habitum ad ea, quae acta tranſacta fuerant, celebranda. In eo concilio, quod quidem, & negotij magnitudine, & hominum frequentia celeberrimum fuit, variae orationes habitae tradũtur, ex quibus, Brixienſis legati, vana, fallax oratio Comenſis in hiſtoriã manauit. Nam ille fertur extollendo ciuitatis ſuae vires, & opes, & authoritatem, cum indignatione riſum excitaſſe; hic inuocando teſtes ſuperos, ſi ciuitas, princepsq; ſuus, non bona fide pacem facerent, perfidiae ſuſpicionem praebuiſſe. Archiepiſcopi Mediolanenſis ea fuit oratio, quam velut ex Apoſtolico miſſam ore omnes admirarentur; & ipſe didicerat, pia dicta miſcere ſermoni quò plus, vel fidei, vel authoritatis ineſſet. Concionem enim exorſus ab caeleſti carmine, quod natali ſalutis noſtrae nocte ſublime volitantes Angeli cecinere, laetam mundo pacẽ

an-

annuntiantes, venerabili ore ſic inſit. GLORIA IN EXCELSIS DEO ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS. Eo principio cùm animos omnium erexiſſet, pari deinceps grauitate peregit caetera, iuſſitq; omnes reputare, quanto ſuperûm beneficio ciuilis belli finis obtigiſſet, quod antea ſaepe diremptum, ſaepe renouatum, nouiſſime recruduiſſet, ijs animis, vt vincere alterutros, & deleri victos oporteret. Poſtquam ab Archiepiſcopo peroratum erat, profertur ſanctiſſimæ religionis volumen, quo res ſacra continebatur eo ritu, quem Ambroſiana Eccleſia proprium atq; ſolemnem ſeruat. Eo volumine tacto, iurauere Nouocomenſes, factam cum Pontifice, ſenatu, populoq; Mediolanenſi pacem, & conditiones, in quas ea conueniſſet, nuſquam ab ſua parte violatum iri; ſi violaſſent, vt Deus Optimus Maximus & Diui, quorum nomina & ſacra tetigiſſent, periurij pœnas expeterent, & rem Nouocomenſem irati perſequerentur. Viciſſim Archiepiſcopus & proximi, ſua carmina, suumq; iuſiurandum peregere. Compoſitis in hunc modum rebus & pace ſancita, magnum in vrbe gaudium fuit, ac vulgò, tunc demum veram eſſe pacem inter ſe ſe gratulabantur. Antea fraudes & dolos, & ſub nomine pacis, odium internecinum ſeu potius inſanam pereundi perdendiq; rabiem latitaſſe. Nunc auctoribus ſuperis, amica & ſincera & fida omnia eſſe. Haec inter ſe ſe gratulantes aiebant. Sed paullo poſt, incertum vnde, nouae ſuſpiciones Archiepiſcopi ani-

mum inuaſere, ex quibus timores aſſidui, variaeq; ſolicitudinũ formae, & atrox diligentia in ſuſpectos; eorum exulia, proſcriptiones, mortes, & omnia, quae principes audent, vbi quicquam aduerſus Imperij ſecuritatem increpuit. Ac primò quidem, fruſtra ſaeuire principem attoniti ciues crediderant; mox abreptus in vincula Rogerius Damianus, tormentisq; cruciatus aperuit inita conſilia de Pontifice occidendo, & Turrianis in Vrbem admittendis, & alia, quae tunc opprimere ſilentio tutius viſum. Acceſſere caeleſtes minae, prodigia, terraemotus, ingens vrbi maeſtitia, timor, ac prope luctus. Archiepiſcopus ipſe tamen interea, ſiue vt auerteret animos pauliſper à praeſentium contemplatione malorum, ſiue putans iratum profano Pontifici Numen eas calamitates immittere, ad componendum Eccleſiae ſtatum animum adiecit. Nam perdiu militaribus curis occupatus nihil egerat in ſacris rebus, cœperatq; pudere ipſum honoris, cuius tantummodo inſignia & adiunctas opes vſurparet. Itaque orſus ab ampliſſima actione, sacri regiminis curas, Prouincialem habere conuentũ decreuit, propterea quod ea res, tum ad celebritatem & famã illuſtris, tum ad ſananda vitia tollendasq; corruptelas inprimis opportuna videretur. Moniti patres, obedienter illi quidem conuenere, nec fere quiſquam detrectauit, quod in tanta perturbatione rerum, ac temporum licentia pene mirum fuit. Caeterum, primo conuentus die; cùm proceſſiſſet in ſuam ſedem Archiepiſcopus, caeteriq; mitrati minoribus ordine ſel-

lis

lis à caeremoniarum praefecto disponerentur, apparuit, quàm fœdi & abſurdi mores ex illa rerum colluuione in Epiſcoporũ etiam animos irrepſiſſent, Vercellarum Epiſcopus dextra Pontificem Othonem adſidere ſe aequum cenſens, locum eum antecapere feſtinarat; Brixienſis pari ſuperbia, corporis mole tardior praereptam ſibi ſedem fremere, fluentibuſq; buccis iacere conuicia in Vercellenſem, & cùm propius acceſſiſſet, iniecta manu conabatur aemulum diripere loco; viciſſim ille reſiſtere, ac tanto magis adhaerere ſedi, donec increbrescente fremitu, conuentus vniuerſi pudor aliquis oriretur. Is contentioni finis fuit, abijtq; Vercellenſis ex concilio ferociter exclamans, ire ſe Romàm ad Pontificem maximum; ibi iura & vindices fore aduerſus alieni iuri turbatores. Caetera tamen acta prudenter & modeſte, decretaq; conuentus illius recte comparaueris cum noſtri temporis Cõcilijs, quae iam totam Eccleſiaſticae diſciplinae philoſophiam conſumpſere. Primum omnium, inuocato Numine, cum ea precatione, vt ad ipſius gloriam piè ac ſancte congregati, recte omnia feliciterq; adminiſtrare poſſent, decretum fecere, vt ſi quis Acta concilij reſcindere, violare vmquam auderet, is procul arceretur à piorum conuentu, inter Eccleſiae Catholicae perduelles, infamis & ſceleratus haberetur. Inde ad conſultàndum auerſi, legem tulere de Federici Caeſaris decretis aduerſus haereticos, vt ea ſcilicet decreta perinde haberentur, ac ſi Concilij pars huius fuiſſent. Id caput & ea ſumma rerum omnium erat.

Nam, cùm diuerſae ſuperioribus annis haereticorum familiae per Italiam extitiſſent, eaeq; olim repreſſae, rurſus gliſcerent atque pullularent ab ſtirpe vitiorum, funditus hac lege conuellebantur, renouatis nimirũ edictis, quae grauiſſimas aduerſus ea monſtra pœnas intentabant. Tertium fuit decretum de duabus ſacrorum hominum familijs, Auguſtiniana ſcilicet ac Benedictina, quae familiae fundatae ſanctiſſimis olim inſtitutis, cùm diu fuiſſent Eccleſiae Catholicae lumina, degenerauerant, in mores diuerſos. Hos ordines in antiquũ redigere Patres auctore Archiepiſcopo magnum Eccleſiaſticae rei momentum putabant. Factum eſt decretum, vt quas leges, quaeue inſtituta parentes eorum Ordinum reliquiſſent, eas leges, & ea inſtituta religioſi homines intra ſua quique clauſtra pie ac ſancte cuſtodirent. Par corruptela, & labes erat in feminarum monaſterijs, quotidiano in publicum egreſſu, & viciſſim adito facili, nihil vt circa muliebre decus haberent fere clauſum atq; cuſtoditum. Quodq; in tali dedecore praecipue abominandũ erat, Monialium tecta, popinę amicorũ habebantur. Huic quoq; malo Patres obuiam ięre, decreto facto, ne feminarũ monaſteria viris paterent, neue ipſæ in publicum egrederentur. Longa inde ſeries decretorum fuit,
„ Sacri homines, ne alea, neue talis ludunto. Ne vena-
„ ticos canes alunto. Ne quicquam Eccleſiaſticae rei
„ quiſquam alienato, vel oppignerato. Si quis, cali-
„ ces, libros, aliaue ſacris faciundis apud ſe habuerit,

bimeſtri

„ bimeſtri ſpatio niſi reſtituerit ea, ſacrilegum caput di-
„ ris addictum eſto. Qui iuſiurandi fidem violaſſit,
„ huic nulla fides in publicis negotijs eſto, nominaq;
„ periurorum in Dioeceſanis conuentibus Epiſcopi pu-
„ blicanto. Legata pia qui non perſoluerint intra men-
„ ſem, eorum nomina Parochi ad Epiſcopos deferunto.
Alia multa decreuere Patres in hoc Prouinciali conuentu ad populorum ſalutem, ad Eccleſiae cultum, quae duae res, aut omiſſae penitus ex mortalium cura, aut perperam habitae laceſſere caeleſteis iras videbantur. Epiſcoporum nomina, qui Concilium illud obierint (et adfuiſſe frequentes conſtat) neſcio quo caſu ex actis excidêre. Nomina tantùm eorum reperi, qui pro canonicorum Collegijs ſcribendo affuiſſent. Ad fuere autem. Pro Collegio Brixienſi, Ioannes Farra. Pro Collegio Laudenſi, Iacobus Concius, & Petrus Calinteſta. Pro Collegio Derthonenſi, Andriolus Gauius & Amedeus Panis. Pro Collegio Haſtenſi Germanus Haſtenſis. Pro Collegio Taurinenſi, Barptolemaeus Prandus. Pro Collegio Aquenſi Vbertus Mereſcalcus. Pro Collegio Bergomenſi Lantellinus Adelaſius, & Ruba Caſtellus Eccleſiae illius Canonici. Pro Collegio Cremonenſi, Guezardus Perſius Archipresbyter. Pro Collegio Ticinenſi Archidiaconus, & Sabinus Canonicus. Pro Collegio Albenſi Archidiaconus, & Gulielmus Buſcitus. Pro Collegio Sauonenſi Anſelmus Caſtellus. Pro Collegio Intimilienſi Praepoſitus & Otho Canonicus, quem etiam Albigaunenſis Eccleſia ſibi legarat.

garat. Pro Collegio Alexandriæ Arpertirius Archidiaconus, Rufinus Archipresbyter, & Ioannes Merlanus. Peracto conuentu, Archiepiſcopus Otho, cùm ea videretur actione placaſſe Numen, ordinaſſe Rempublicam, emendaſſe Clerum, angebatur alia non leuiore cura firmandae ſucceſſionis, delecto in eam ſpem Matthaeo fratris F. capace, nec aſpernante. Nam iuueni ciuile ingenium, & cum ambitione patrui compoſitus animus, plurimaeq; inerant ad regendam fortunae magnitudinem, artes & dotes; procerum quoque corpus & dignitas oris apud multitudinis oculos maiora virtutibus, aſsignare illi non dubio ciuium fauore principatum videbantur. Sed ſumma rerum in ipſo vertebatur incipiendi diſcrimine, magnumque momentum in eo, ne per tot pericula, & conatus, nihil aliud quàm ſanguini ſuo quaeſiuiſſe Regnum crederetur. Itaque capto ad id quod iampridem agitabat ambitu, populi concilium vocat, praefatusq; fluxam ſibi aetatem, Matthæum populo Mediolanenſi commendauit, vt ſi dignum eum maioribus ſuis cenſerent, ſi maximis rebus aptum, ſi denique Vicecomitum nominis ad eam diem minime pœniteret, ne grauarentur eum vel accipere ſibi Ducem, vel creare. Ita Matthæus Vicecomes Ducis nomine rem Mediolanenſem ſub imperium accepit. Id tantummodo cauerunt Populus Senatusque Mediolanenſis, ne poteſtas ea vltra annum valeret; neq; Archiepiſcopus contra tetendit, gnarus primas regnādi ſpes in arduo eſſe, vbi ſemel ingreſſus fueris, vrbes,

ho-

homines, fortunam ipſam in poteſtate haberi. Quod ſi vnquam aliâs in alicuius noui principatus initijs, perſpici potuit, quanti momenti ſit, incepiſſe; certe id in huius Vicecomitis imperio perſpectum animaduerſumq; eſt; & varietas ea rerum humanarum, quã inani nomine fortunam appellamus, ſurgenti dominatui nimium fauere ſtatim viſa. Cùm enim praeter Ducem, eſſet vetuſto ciuitatis more legitima Praetoris iuriſdictio, Remp. q; Mediolanenſem pari fere poteſtate duo hi Magiſtratus adminiſtrarent, percommode ad initia rerum euenit, vt vacuum Duci Praetoris Tribunal hoc tempore relinqueretur. Praetor creatus erat Bernardinus Polenta Rauennatenſis, qui, ſiue collegae pertimeſcens opes, ſiue quapiam alia de cauſa, Magiſtratum accipere recuſauit. Peruſiam inde miſſi legati viri graues ex Dominicana familia, cũ ijs mandatis, vt parem aliquem huic magiſtratui virum conducerent, neminem vnum inuenere, quum aut impares vellent eam fortunam, aut capaces aſpernarentur. Ita ſumma rerum relicta penes Vicecomitem. de quo etiam ſuſpicio erat, minime, vt ego quidem arbitror, vana, occultas adhibuiſſe artes, quibus homines ab eo magiſtratu capeſſendo deterreret. Semeſtre ſpatium fuit, quo Vicecomes, Dux idem, & praetor per ſpeciem vtriuſq; fungendae vicis, imperium vſurpauit. Sed cùm annuus ipſi magiſtratus demandatus eſſet, nouis patrui artibus opus erat, vt neceſſaria firmandis rebus poteſtas prorogaretur. Id extorquere plebi minime difficile fuit ob beneficia,

quibus

quibus Vicecomitũ nomini deuincta iam tenebatur, ſimul quia praepotentis familiae terror imminebat; & quod amiſſuri erant, vendere vtilius arbitrabantur. Ac niſi affecti in hunc modum animi eſſent, potens erat Archiepiſcopi calliditas vertere ab imo omnia, & populares animos, quorum iamdiu tenebat habenas, flectere in quamcunque partem ei placitum fuiſſet. Igitur anno vertente poteſtatis, cùm populus decreuiſſet, vt XII. viri crearentur, quorum arbitrio, & prudentia Dux ciuitati daretur, egere cum illis Matthaeus, & Otho, ne nouum vllum Ducem nominarent, ſed reficerent veterem; id ad reip. commoda, & ſalutem pertinere, populum docerent. Refectus igitur Mattheus, haud quicquam ambigente prudentũ conſenſu, quin continuatio illa Magiſtratus inuadendi imperij tentamentum eſſet. Simul, quoniam ad noui dominatus lubrica, & incerta neceſſe erat, ex veteri legum corpore quaſdã immutari, demire leges, & nouas alias immiſceri, ſecretis omnia conſilijs diſpoſuit Otho, prout rebus conducere ſuis cum fratris filio prouiſum atq; meditatum habebat. Cùm arte Vicecomitũ eſſent haec acta tranſacta Mediolani, neque iam eſſet dubia dominatrici familiae poteſtas omnium rerum, ſiue plebis, ſiue potentiorum animos periclitarentur, exhibuit vrbi ſimplicitate ſua ridiculum ſpectaculum Henricus quidam Modoetienſis, cui viro ciues publice fidem dederant, vbi Mathęus ipſe Magiſtratu abijſſet, id imperium ei delaturos eſſe. Circumacto igitur anno, vir antiquus promiſſi fidem

exigebat, profectusq; Mediolanum, nunc ciuitatem promiſcue vniuerſam, nunc Matthaeum ipſum nominatim appellabat, vt ſibi faſces ſubmitteret. Addebat etiam in Vicecomites probra quae iuſtus dolor homini & facti indignitas ſuggerebat. Neſcire priuatos viuere; conſpiraſſe in patriae ſeruitium; eieciſſe Turrianos obtentu libertatis, nunc crudeliùs imperiū exercere. Meminiſſent vetera tyrannorū exempla; nemini potentiam ſcelere quaeſitam diuturnam vnquam fuiſſe. Ad ciues inde conuerſus monebat, ſub continuatione illa magiſtratus latere tyrannidem; proditam eſſe patriam; quorum, id culpa factum eſſet, Deum ipſum nunc eſſe teſtem, aliquando vindicem fore. Haec aliaq; dolenter memorans Henricus ille, nihil aliud profecit, quàm vt vulgi ſibilis exploderetur, licet ex diuerſo nonnulli, quibus altior erat Othonianarum artium intellectus, temporumque calamitatis, & ipſius, & Reip. miſererentur. Ac monuere hominem ſecreto viri graues & probi; faceſſeret ex ciuitate cum inutilibus querelis, & intempeſtiua libertate ne cum magiſtratu vitam quoque amitteret. Ita ille abijt, Matthaeusq; iterum Dux, vti dictum eſt, nominis eius fallacia imperium exercebat, & firmabat opes, quas manſere, donec more omnium humanarum rerum verterentur. Ferme ſub idem tempus, quo Vicecomes Magiſtratum hunc inierat, detecta eſt Bonifacij Abbatis coniuratio cum Demarcho Montisferrati, quae res magnum in Vrbe tumultum conciuit, &

Ee Vice-

Vicecomitis animum redegit eò, vt pericula dominationis vnà cum patruo agnoſcere ac deteſtari inciperet. Bonifacius Puſterula D. Celſi Abbas erat, cuius Sacerdotij opes ea tempeſtate longe maiores erant, quàm habentur hodie; necdum ſub Commendationis nomine à Monachorum alimentis, ad principum commoda, vel ornamenta transferri cœptae erant. Is Abbas, tùm inquietus ingenio, tum ferox opibus familiae ſimul, & monaſterij, non poterat intra votiua clauſtra legesq; ſe ſe continere dictitans identidem, malè ſibi fuiſſe conſultum à maioribus ſuis, quo tempore clauſtris ocioq; traderetur. Aptiorem fuiſſe gerendis rebus, & fortaſſe, quoniam in id reip. tempus incidiſſet, potuiſſe magnis conatibus inclareſcere, demum inuenire principatui viam. Aderant huic homini ſtudia quoque litterarum, non grauia illa & ſeuera, qualia Monaſterij Antiſtitem decerent, ſed amœna potius & voluptaria, faciendis nempe amatorijs verſiculis, tractandisque politicorum artibus, quae religioſo viro promptiſſima eſt ad exitium via. Quum igitur talis eſſet Abbas, haberetq; inſuper aſſeclas & amicos, quales in eà fortuna come ingenium & varius animus inuenire poſſet; coepit agitare cum suis de prodenda vrbe, accipiendoq; Demarcho Montisferrati. Ac ſucceſſiſſet fortaſſe, niſi Lanfrancus Motta ex gregalibus vnus, (incertum quonā indicio) coniectus in vincula, rem aperuiſſet. Abnuebat hic principiò etiam ea, quae manifeſta erant, de familiari amicitia cũ Ab-

bate

bate, de contubernio, de colloquijs, & alia, quae iudices probe nota ſibi, ad captandum reum ex arte per ambages inquirebant. Mox, vt equuleum & ignes, aliaq; carnificum ingenia vidit, animo repente conſternatus, edidit plura, quàm quae petebantur. Summa fuit; conſilium eſſe Abbati, corruptis portarum cuſtodibus, in Vrbem introducere Montisferrati Demarchum; iam inter eos agendae rei tempus, & ordinem, pretiumq; conueniſſe. Atq; inquirendo diligentius cuncta ſattellites, ita comperiebant. Albertũ Scaligerum praepotentem ea tempeſtate virum, & reip. Mediolanenſi nunquam amicum, fuiſſe ſolicitatum ab ipſo Abbate, vt Montisferrati Demarcho reconciliaret eorum animos, qui poſſent in re tanti moliminis, negotij aliquid exhibere. Praetorem Vercellarum aſſumptum in noui conſilij partem; cum eo communicatas fuiſſe conditiones, in quas Demarchus ab Abbate tantum munus accepturus eſſet. Conditiones autem huiuſmodi fuiſſe. Demarchus vt omni repente abrupta ſocietate Turrianorum, & foedere, quod cum illis ictum haberet, curas huc omnes auerteret, atque traderet huic ſe ſe facinori ſolutum & expeditum. Vbi rerum potiretur, attribueret in ſingulos annos Abbati duo millia ſextertiûm; ipſum & conſanguineos ipſius aleret, quamdiu bellum maneret. Numeraret item triginta millia ſextertiûm in eos eroganda, quorum fideli opera & miniſterio in proditione patriae vſus eſſet. Haec & alia Lanfrancus cùm aperuiſſet, ad eamq; confeſſionem congrue-

rent teſtimonia, litterae, ſuperior quoque Abbatis vita, mores, & olim excepta coniurationis indicia; non dubitauere Iudices, quin Abbatem damnarent poena, quam ſequi patriae proditorem oportebat. Sed obſtabat verecundia ſacerdotij, ſplendor hominis, natales, & late diffuſa per ciuitatem domus, quam eius ſupplicio viri alienare vniuerſam Vicecomites imperio naſcenti minime tutum arbitrabantur. Decurſum eſt eò, vt hominem in exilium mitterent; ac ne id quidem pro facinoris magnitudine & principū ira factum fuit. Statutus exilio locus, primò Laus Pompeia, deinde Brixia Cenomanorum; poſtremo reuocatur in patriam, dictitante Matthaeo, ferenda eſſe ciuium ingenia, magnarum animarum vitium cupidinem nouandi res, & redonandum eſſe tam nobile caput vrbi. Exibat interim annus, & Matthaeo, vel magiſtratu erat abeundum, vel afferenda vis patriae, retinendaq; per iniuriam poteſtas, vel nouis vtendum artibus, queis magiſtratus continuationem eblandirentur. Artes & blandimenta magis placuere, quamquam ad vim quoque ſufficeret, ſi vellet armis & opibus experiri, quae vtraque per otium pararat. Itaque reficitur in quinquennium, ſumma omnium fere voluntate, paucorum fremitu, qui patriae ſeruitium videntes, neque obuiam ire, neque libere promere dolorem ſuum audebant. Inſignis mihi viſa eſt forma Sacramēti, quo Matthaeus tertiū Dux populi Mediolanenſis iurauit, eū ſe magiſtratum adminiſtraturum eſſe pie atque ſalutariter, facturūmq; om-

nia

nia ſicuti patriae dignitas poſtularet. Id Sacramentum Franciſcus Legnanus iuriſconſultus ex xiiv. vnus compoſuerat in haec verba. Quod bonum felix, fauſtumq; ſit Eccleſiae populoq; Mediolanenſi, quodq; Deus optimus Maximus & ſancti tutelares huius vrbis probent, iurat Dux populi Mediolanenſis, & ſancte promittit, ſe vrbem hanc ex hoc die in quinque annos adminiſtraturum eſſe bona fide; ſine dolo malo, daturum operam, ne populus Archiepiſcopus, & eae leges, quibus adhuc vrbs ſtetit, detrimenti quicquam patiantur. Amicos & ſocios Reip. defenſurum ab omni iniuria; Montisferrati Demarchũ & eius aſſeclas iuſto pioq; bello perſecuturum eſſe donec ab ſtirpe deleuerit. In haec fere verba iurauit Vicecomes; & ſicuti iurarat, ita etiam reipſa dabat operã, vt boni regiminis exemplum ipſe eſſet. Neque deerat gloriae ſeges campuſq; virtuti, cui nobilitandae Hieroſolomytana etiam expeditio, magno principum apparatu, magniſq; per hoc tempus agitata conſilijs acceſſit. Eius expeditionis authores è Dominicana familia ſeueri homines & ſancti cùm Mediolanum veniſſent, ac tota paſſim vrbe concionabundi magnos feciſſent animorum motus, praebuere primò ſeditionis metũ, & auxerãt ſuſpicionem, poſtquam in Franciſcanam Ædem cogebant eos, qui nomina dediſſent. Tunc Vicecomes, miſſo repente illuc ſatellitio, duci nonnullos in vincula iubet, quo terrore, caeteri, quà cuique tutum fuit, abiere; nec Dominicani concionatores vltra tendebant. Haud mul-

tò deinde poſtea, Sulthanus ipſe minitari coepit, ſe reliquias omnes, omnia ſanctorum templa quae haberentur in finibus ſuis, eſſe contumelijs omnibus euerſurum atque diſſipaturum, ita, vt nomen & memoria Chriſtianae religionis in ea terra penitus extingueretur. Nec iam erant minae tantùm, denunciationesque ſacrilegij, ſed cum verborum fremitu ſaeua facta coniungebantur, quae Chriſtianos voluntarium ſumere exilium cogebant. Inde cura mota eſt ſacrorum Principi, vt obuiam iret barbaro, principesq; Chriſtianos, & militares viros, propoſitis caeleſtis indulgentiae praemijs in id bellum exciret. Indulgentiae ſignum & veluti pignus erat vnicuiq; Crucis nota; inde expeditioni quoq; cognomen manſit. Et alibi quidem alij apparatus, aliaue ſacrae expeditionis molimina, nec idem apud omnes animus erat. Mediolani, Pontifex Otho, & Matthaeus vnà cum Othone patruo dominus rerum, vt religionis famam ad principia noui dominatus opportunâ adipiſcerentur, totis viribus in id incubuere, ne cuiquã, vel principi, vel populo concederent, cuius armis, Chriſtiana res, in tali tempore magis adiuuaretur. Sed & Pontifex ipſe Max. haud alibi plus ſpei collocatum hoc tempore habuerat, & quòd Vicecomitum opes crederet praecipua iam eſſe ſubſidia Catholicae religionis, declarauerat, miſſa Mediolanum legatione cum litteris & mandatis, ad cogenda gentium aliarũ auxilia. Legatus erat Stephenardus quidam ex Dominicana familia, qui trinas ad Othonem Matthae-

umq;

umq; litteras attulit. In vnis earum erat narratio calamitatum & iniuriarum, quas barbarus Chriſtianis intuliſſet. Templa Religionum antiquiſſimarum, alia ſpoliata & diruta eſſe, alia, quae primos illos impetus effugiſſent, pari in dies furore ſpoliari ac deleri. Chriſtianos ipſos inquiri paſſim ad necem, & nihil habere tutum in ea terra, quae Chriſtum tulit. Dedecus id eſſe commune omnium, qui Chriſti fidem colant, proprium Eccleſiae, cuius ille parens & auctor, eoq; iure fraterna caritas inter omnes, qui ſub vno nomine ſalutem ſperent. Proinde cordi eſſe debere omnibus, qui ſe ſe dici Chriſtianos velint, vt Chriſti patriã, vt fratres ſuos, vt Eccleſiam deniq; totam vindicent ab tanta ignominia & calamitate. Quod ſi cuiquã, vel populo, vel principi capeſſere partẽ huius expeditionis, maxime vtile ſit ac decorũ, Mediolanenſes plane eſſe illos, quibus ante caeteros, haec petenda eſſe palma videretur. Inerant alia de Mediolanenſium opibus ac religione magnifice, de barbarorũ iniurijs dolenter, cùm obteſtatione ſuſcipiendum ad bellum, & vindicanda noſtrae ſalutis monumenta. Hae litterae communiter fuerant inſcriptae populo reip.q; Mediolanenſi; alterae Othonem Archiepiſcopum, tertiae Matthaeum alloquebantur in eam ſententiam vt pro nominis & imperij ſui magnitudine, tantae gloriae materiem amplecterentur. Recitatae ſunt in Concilio erectis omnium animis nouitate rei, & ſtudio pro ſe quiſque ſumendi tam pia arma; ſtimulosq; addidit ipſius legati vehemens in eandem ſententiam

oratio,

oratio, ſicuti vir erat ſeuere facundus, & ob raram animi pietatem, praecipua in barbarum ira. Tractando inde quotidianis inter ſe conſilijs omnia Vicecomites, quae ad rem bene ac feliciter adminiſtrandā pertinerent, ita ſtatuebant; opus eſſe capite aliquo & duce quem penes imperium & ſumma ſacrae huius expeditionis haberetur. Hunc, & nominis fama, & rei militaris peritia, opibus quoque parem tanto muneri, & cui parere caeteri principes vellent, integris animis omni poſthabita inani cura quaerendum eſſe. Si ſui iudicij res foret, Galliae Regi, qui tunc erat, neminem antelaturos. Haec inter ipſos in hunc modum agitata perſcribunt ad Pontificem maximū, adduntq; preces, vt ſi quid crederet fidelibus Eccleſiae ſocijs & amicis, Galliae Regem gerendo contra barbarum bello ducem crearet. Monuere ſimul, vt Piſanos, Genuenſes, Venetos, aliaſque maritimas ciuitates veteribus inter se diſſidentes odijs reconciliare ſtuderet, id ad Chriſtianae reip. commoda, gerendiq; belli opportunitates valde pertinere. Naues praeterea parari, arma, commeatum vt Pontifex idem iuberet, haud dubie coniunctis cum pietate artibus ſuadebant, quò digniores tantae vrbis dominatu viderentur facta fide tam attenti animi ad publicarū vtilitatum curam. Perferendis ad Pontificem litteris, & agendis cum eo, Ciuitatis nomine, quae agenda forent, Syndicum Reip. Mediolanenſis Pontidae Præfectum (id Monaſterio nomen) creauere. Ei viceni aſſes in ſingulos dies attributi; tantò aequiora tunc

erant

erant pretia rerum; an verò monetae maior aeſtimatio; hodie certe ne ſeruus quidem tam arcto commeatu mouerit ab domo pedem. Hic ſacrae expeditionis apparatus Mediolani erat; haec in publicum conſilia ſubleuandis Eccleſiae rebus Vicecomites agitabant, vt ſi cœpta feliciter caderent, Hieroſolymitanae terræ liberatores ipſi haberentur. Caeterùm, arcanæ dominationis artes, & eadem quae principio cura ſuberat faciendi ſibi magnum nomen, quod ſemper magnae fortunae firmamentum habitum fuit. Eodem tempore, quo haec fiebant, Matthaeus miſſa ad Arnulphum Imperatorem legatione, qualẽ vel alius principum aut Regum mittere poſſet, impetrauit ab eo Aquilae inſignia; paruam dictu rem, ſed ad id quod tunc quaerebatur, haud leuis momenti. Sic aucta fama, & opibus vnà cum fama confirmatis, nouum aliud facinus aggreditur, vt Vrbis Nouocomi Dux fieret eadem poteſtate, qua rem Mediolanenſem obtinebat. Ducto per occaſionem exercitu in eum locum, quem Prata D. Abundij vocant, in quinquennium creatus, Othorinum Burrum, cuius ſororem in matrimonio habebat, Vrbi ei Praetorẽ dedit; reſtituit Epiſcopum certamine partiũ exulantem; aperiri portas, quae ad eam diem clauſae ſteterant, dimitti captiuos, & alia iuſſit, queis eius quoq; populi fauorem ſibi conciliaret. Montisferrati Demarchus interea moritur, ille perennis Vicecomitum inimicus, proditor olim Archiepiſcopi, nuper in Matthaei necem, vt demonſtratum eſt, cum Abbate proditore coniuratus.

tus. Eius obitu viri magnum incrementum accepere Vicecomitum res;& fama felicitatis, pars virium fuit ad ea peragenda, quae reſtabant. Nam vnicum hoſtem videbatur amouiſſe fortuna, ne creſcenti quotidianis & diuinis auctibus potentiae quicquam obſtaret. Id homines more ſuo trahebant illuc, quò ſua quemq; ſpes, cupiditas, aut metus inclinabat, & tanto proniores erant in obſequium erga Vicecómitem, quanto maiorem fortunae indulgentiam cernebant. Ac tam effuſa ſtudia fuere non ſingulorum modò ciuium, ſed ciuitatum vniuerſarum, vt Ducem præterea eundem ſibi facerent Nouarienſes, Vercellenſes, Caſalenſes, Alexandrini; & ſecuta deinceps exemplũ omnis terra, quae paruerat Demarcho Montisferrati, ſe ſe vltrò ad Vicecomitem aggregabat. Ita Ducis nomen, annuusq, Magiſtratus, & temporaria illa poteſtas haud dubie verterat in ſpeciem iuſti dominatus & manſuri. Sed vnum deerat, authoritas nempe Caeſaris, qua ſine, fluxam & vanam, & non ſua vi ſubnixam potentiam, eadem hominum leuitas diſſolutura eſſe videbatur. Id Matthaeo valde moleſtum erat, ſed Othoni patruo, tanto magis; quia vergens iam ipſe ad finem, nota ſenum anxietate, conſtitutam videre domum, antequã decederet, optabat. Etiam ipſa monitus varietate rerum ſuarum angebatur; extorres Turriani, veteraq; & noua magnarum domorum exempla occurrebant animo; ne poſteritati ſuae tale quiddam accideret, miſere ſolicitus erat. Itaque vſus eſt arte, quam ſenex, & anxius & prudens, vel

facil-

facillimam eſſe, vel tutiſſimam putauit. Arnulphus erat Imperator, à quo genti Vicecomitum aquilae inſigne conceſſum fuiſſe demonſtraui. Huic Arnulpho, per amicos, quorum ſibi venales animos antea conciliarat, facile perſuadet, vt Matthaeum ſupremae ſuae poteſtatis Vicarium in terra Lombardia iubeat eſſe. Ac ne precario nominis eius honorem quaeſiuiſſe videretur, tenuit ſimul, vt Caeſar ipſe mitteret legatos, qui nomen atq; poteſtatem eam ad Matthaeum deferrent. Legati Mediolanum in id venere, quorum princeps erat Landulphus quidam medicae artis cõmendatione ab humili loco euectus in magnas opes, & ab Galiano Mediolanenſis agri pago ad curandas Caeſaris ipſius valetudines olim excitus. Is praecipuus inter Othonis amicos, diſpoſitis prius cum eo conſilijs, in frequenti populi Mediolanenſis conuentu depromſit recitauitq; Caeſaris litteras, quarum ſententia haec erat. Viri Mediolanenſes amici nobis admodumque cari. Maieſtas imperij Romani, atq; haec in terrarum orbem cura, quam ſuſtinemus, poſtulat à nobis, vt omnia, quae pertinent ad ſecuritatem & commoda noſtrorum, attente circumſpiciamus. Cúm igitur animaduerteremus accidere multa quotidie, quae, propter locorum interualla, vobis detrimentum, Maieſtati noſtrae moleſtiã afferrent, ideo quia, nec ſatis mature conſuleremur, & ſera plerunq; remedia malis adhiberentur; ſtatuimus iſtic eligere curarum & imperij noſtri vicarium, cui ſit apud vos ampla poteſtas omnium rerum, quo præ-

„ ſente, nos abſentes adſimus. Hoc porrò tantum mu-
„ nus, qui ſuſtinere poſſet, Matthaeum eſſe Vicecomitē
„ iudicauimus ex eo, quod iam vos ad ipſum, vrbis veſ-
„ trae regimen detuliſſetis, exemploq; veſtro caeterae
„ vrbes in eiuſdem viri fidem & poteſtatem, aliae ſta-
„ tim, aliae paulo poſt confugiſſent. Tam illuſtrem
„ Iuſubriae totius ſequi conſenſum, & eorum attineri
„ iudicijs, qui hominem ex propinquo noſſent, longe
„ tutius exiſtimauimus, quàm ſi iudicio conſilioq;
„ noſtro alium eligeremus. Sed nos quoque nouera-
„ mus praeclara Vicecomitis facta, ciuilem animum,
„ genus, & erga Romani maieſtatem imperij, fidem, cui
„ recte committeretur hoc munus. Proinde, tuemini
„ veſtrum iudicium, & quem vrbis veſtrae Ducem
„ creauiſtis, Imperij Vicarium inſuper habetote.

Recitatis in Concilio litteris, reſponſum legato eſt, gratiſſimum eſſe ciuitati, quòd Caeſar vtilitatum atque commodorum ipſius curam ageret, nec minus, quòd in conſtituendo ſummo Magiſtratu tantum tribueret vrbi Mediolano, vt electum ibi Ducem omnibus anteferret. Se verò tantò libentius obedientes fore Vicario, quanto magis laetari deberent quod Caeſarem ipſum in eo Magiſtratu veluti praeſentem habituri eſſent. Dicebantur haec ab ijs, quibus mandatū erat, vt legationi reſponderent, & huic reſponſo conſentanea erat litterarum ſententia, quas viciſſim ad Caeſarem parabant. Sed Matthaeus, ſua & Patrui arte compoſitus in magni voti diſſimulationem, perplexis eluctantibusque verbis abnuere cœpit, ſe

Ma-

Magiſtratum eum accepturum eſſe, niſi populus iuberet. Statim parati erant, qui populi totius nomine precibus miſeris Vicecomitem obteſtarentur ne modeſtia ſua Reip. officeret; tuncq; annuit, & Caeſaris Vicariũ dici ſe ſe eſt paſsus. Res in aula agebatur Othone coram; aderantq; Canonici, & vná cum primoribus vrbis, ſacrorum Ordinum Antiſtites: Matthaeus & legati dextra laeuaque Archiepiſcopum adſidendo, ſpeciem Ambroſiani Pontificatus ingentem fecerant etiam apud aſſuetos iamdiu faſtigium admirari illud. Poſtquam ea quae retuli dicta ſunt & acta, Guidus Stampa vir lingua moribusque aptus illiciendis animis, quo perorante Vicecomites adud Populum domi, apudq; principes externos, res ſaepe magnas erant aſſecuti, pauca quaedam dixit, quae congruentia tantarũ ſimulationũ arcanis domeſtico oratori praeſcripſerant Vicecomites ipſi ac dictarant. Ad regios legatos is primò conuerſus extulit adulatione maieſtatem & ſapientiam animumque Caeſaris in vicario illo munere per Inſubriam demandando. Quid enim auguſtius atque magnificentius quàm opes habere tantas, & tam vaſtos imperij fines, vt neceſſe ſit aſſumi vicarios & miniſtros & ſeruos, qui ipſi opibus & imperio, regum magnitudini ſimiles fiant? Quid porro ſapiens ac prouidum magis, quàm eum qui ſufficiat in omnia nutu vno, conſociare tamen humani generis regimen, & quærere adiumenta quò facilius & aequabilius cuncta ad miniſtrentur? Aequaſſe Caeſarem veteris Romani Imperij gloriam, ſub quo terrarum orbis vniuerſus

ceu,

ceu domus vna foret, faſceſque & ſecures traditae magiſtratibus alijs, quieſcente domi Senatu, regerent cuncta & obtinerent. Quin etiam imitari ſupremam & infinitam Numinis vim, quae ipſa gubernationem hominum inter homines ipſos diuidat, vnde tanta in terris dominantiũ multitudo. Alias apud alios eſſe opes & cuncta ad vnum referri. Proinde, quae fides Numini deberetur ab omnibus, qui iuſſu nutuque ipſius, humano generi praeſiderent, cum ea fide acturos eſſe Vicecomites erga Caeſarem, cuius iudicio & liberalitatę id domui munus daretur. Vicecomitem inde vtrumque alloquendo particeps conſiliorũ oratorque idem, nunc Archiepiſcopo gratulabatur Othoni, quòd ſacrarum rerum arbiter ipſe ac dominus, imperium, poteſtatemque alteram apud fratris filium videret: nunc Matthaeo plaudebat ipſi, quod ſuis officijs, & ſua conſtanti erga Caeſarem fide tantum decus iu familiam inferre potuiſſet. Ad populum Clerumq; Mediolanenſem reliqua erat oratio. Iam ipſos, inter Caeſaris imperium & Matthaei vicariam curam, fore beatos, fore florentes, procul ab omni dominantium iniuria, procul à calamitate, qua princeps ipſos externus & viles haberet vt alienos, & obnoxios vt ſuos. Felicis ac perfectae Reip. exemplar fore, vbi patruus Archiepiſcopus fratris filium ab effuſa dominationis licentia neceſſitudinis ac nominis eius maieſtate cohiberet; iſte Pontificem imperij opibus & armis tuerretur; ambo Caeſarem reſpicerent authorem eius pulcherrimi contextus,

coque

eoque reſpectu ſancte & integre & clementer in parte vtraque imperitaretur. Haec dicta ſunt ab Oratore domeſtico, Vicecomitum ipſorum haud dubie iuſſu; & callidiora fortaſſe alia, quae nec ſimplicibus nobis excogitare iam facile eſt. & praeſens tunc neceſſitas ſubijcere debuit ſtruentibus rem tantam ſcilicet vt per ſpeciem alienae fungendae vicis patriae imperium ſibi vſurparent. Iurauit inde Matthaeus ſanctiſſimum iusiurandum; quae iura, quaeue priuilegia & immunitates forent populo Cleroque Mediolanenſi, ea ſe ſe integra & inuiolata conſeruaturum; ſi quis tollere, ea vel infirmare vellet, ferro, & quacunque alia vi iturum obuiam. Poſtero die quàm haec acta erant, Manfredus Crepa Iuriſconſultus accepta ab Concilio poteſtate, iurauit Ciuitatis nomine apud oratores eosdem Regios in verba Caeſaris, fidemquè publicam obſtrinxit in eo, quod Vicario ipſius Vicecomiti parati ad omnia obedientesq; forent. Et Sacramentum idem ab reliquis Inſubriae ciuitatibus exegere quibus ab Concilio mandatum erat. Cùm Mediolani agerentur haec, talique caeremonia, ſimul Caeſar ab Inſubriae terris arceretur; ſimul Metropolis ipſa conatibus tentamentisque alijs ab familia vna petita olim ad ſeruitium, actione nunc iſta traheretur in compedes, & ſub modeſto Vicarij nomine terribile imperium fundaretur; Caeleſtinus ſacrorum principes, propter inſitam animo manſuetudinem depoſito Pontificatu, dedit exemplum, quod inter tot ſaecula primum vltimumq; tantae moderationis

ſiue

ſiue ſimplicitatis fuit. Petrus Moronus is antea vocitabatur, ex quo etiam Mediolano oriundum eum nonnulli exiſtimauere, propterea quod familia Moronorum clara Mediolani antiquitus habetur. Sed nihil pertinuit ad eam familiam Celeſtinus longe alia ſcilicet hinc ortus regione; nullumque fortaſſe etiam gentile vocabulum habenti, quod praeferret, ex monte in quo habitarat id Moroni cognomentum adhaeſit. Quocunque fuerit cognomine ac loco, ob innocentem certe piumq; animum, ex ipſa, in quam ſe ſe abdiderat ſolitudine ad ſummum Eccleſiae regimen vocatur. Ac mole ſtatim ea ſe ſe oneratum ingemiſcens, miſeram ſuam ſortem in omni colloquio ſimpliciſſime accuſabat, petens enixe ab amicis, vt ſe ſe conſilio, vt precibus apud Deum adiuuarent, quandoquidem in illud inexplicabile negotium, ob ſua, ſicut ipſe aiebat, peccata coniectus fuiſſet. Cùm ſe ipſe tantopere contemneret, ab alijs quoque contemni eſt cœptus, nec diu cunctati Patres abdicare Pontificatum monebant, cui ſuſtinendo deeſſe ſibi vires animumque fateretur. Et caeteri quidem proficiebant minus, confirmante nimirum ex diuerſo ac retinente Pontificem Carolo Siciliae Rege, dum metuit iſte ne diuinarum humanarumq; rerum arbitrium ad alios, qui non perinde fauerent ipſi, recideret. Vt verò Cardinalis Caietanus acceſſit, admouitque vario ſermone machinas quaſdam huiuſmodi; quòd munus occupando illud, peccaret in publicam ſalutem, quòd

obſta-

obſtaret ipſe quotidie ſuae ſaluti, quodq; non poſſet publica indignatio, talem Pontificem ferre diutius; impulit facile ſua iam ſponte labantem animum, vt abdicaret ſe ſe Pontificatu; quem deinde Caietanus aſſecutus geſſit plane diuerſus ab Caeleſtino; & Bonifacij adhuc artes narrantur. Sed Mediolani nouus Imperij Vicarius (inde enim ab patriae negotijs in communia haec & Romana fortè diuerteramus) ſtatim vt ingentem hunc ad ſua vota paſſum explicarat, ſumens ab fortuna animos, iam haud dubie principem dominumq; Inſubriae rerum agebat. Ac ſicuti olim in quinquennali vrbis praefectura vim iuſque vſurparat quaſi vicarius imperij eſſet; ita in ipſo nunc Vicarij iure totum vſurpans imperium, alter prope Caeſar Mediolani erat, ſuis & patrui conſilijs ad id mire inſtructus. Accedebat quó facilius deſtinata peragerēt, molle ac remiſſum Caeſaris ipſius ingenium, cui nimium imperij videretur etiam id, quod domi habebat, nedum vt externa & longinqua curâret. Archiepiſcopus interim Otho moritur ille tantarum rerum artifex & machinator; nec parua fortuna naſcentis imperij habita eſt, quod veluti expectauerit eum vitae finis, donec fundamenta iacta haec eſſent. LXXXVIII. annorum ſenex erat, capulare caput diù podagra & febri calamitatibusque preſſus alijs, quae ſub delicata veſte copioſoque victu inter edaces praecipue curas opulento corpori plurimae obrepunt. Ad V. Nonas Quinctileis aggrauante morborum cohorte tuſſiculaq; multùm ſaeuiente

ſtomachans ipſe, dictitanſque calores in vrbe eſſe nimios ad Clarae Vallis Monaſterium ſeceſſit. Ibi tot circa ſe medicamentarios habens, quot morborum formae erant, primis quidem diebus dictabat monita nonnulla & praecepta domeſticarum arcanarumq; rerum, tum ad imperij ſtabilitatem, tum ad diſciplinā & munimenta domus; mox vt adeſſe finem ſenſit, moriendi curae diſponebantur. Sacellum D. Agnetis inſtruxit quotidiano ad rem diuinam ſumptu; & Doctori Theologo ſtipem aſſignauit, vt in templo maximo diuinae ſcholae quotidie haberentur. Stipem etiam inſtituit attribuitq; aliam curandis pauperum vulneribus, quaeue alia ſanantur manu. Plura fortaſſe legare, & inſtituere volentem vita defecit. Eo mortuo Clerus ad Monaſterium proceſſit; & toto quantum intereſt ſpatio porrecta pompa deduxere cadauer in vrbem; ac templo maximo illatum ibi contra D. Agnetis aram humauere. Labare inde fortuna ſuperſtiti Matthaeo coepit, & ſeries ambiguarum rerum exorta Principem inuoluebat, donec eijceretur vrbe reſtitueretur q; rurſus. Eccleſiae ſtatus interea qualis ſolet eſſe, cùm domini certant inter ſe aut mutantur. Breuis poſt Othonem Rufino Lucenſi Pontificatus. Franciſco Fontanae longior, ſed haud in alium vſum, quàm vt plura pateretur. Et cumulus malorum fuit Gulielma, ſiue Gulielmina, quae ſpecie pietatis feminas & viros ad ſtupra congregabat occulto ad id ſpecu, & collega ſceleris eodemq; coniuge Saramita quodam, quem ſibi mulier elegerat

ad

ad corrumpendos viros,ſicut ipſa ſui ſexus corruptrix erat. Atq; tam felices aliquandiu fuere tegendo ſceleri,vt cùm Gulielma deceſſiſſet,ſanctorũ prope honoribus coleretur,iſq;Ciuitati aliquandiu miſerandus error fuit. Sexto poſtquam obierat anno, Satamita deprehenſus heres ſectae, & cognito flagitio effoſſa Gulielma & cremata eſt;eandemq; iudicij flammam ſubiere quotquot impliciti nefarijs illis ſacris erant. Quem caſum, & alias rerum vices,quae anteceſſere, quaeue inſecutae ſunt, & ex Turrianorum reditu Vicecomitis exilium, atque reditum huius ex illorum eiectione, cuncta cum fide, ſicuti poſt Archiepiſcopi Othonis mortem accidere, explicabo:

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS Liber Septimus.

POſtquam Archiepiſcopus Otho deceſſerat, non erat alia cura prior antiquiorq; Matthaeo, quàm vt ciuitates omneis, quae fauore aliquo imbutae Turrianorũ eſſent, belli terrore aggrederetur; vbi terruiſſet ſatis, inuitamenta pacis & amicitiae oſtentaret. Id ab Othone patruo ſecreto fuiſſe mandatum credebatur inter alia arcana imperij, quae vltimo ad Claram Vallem ſeceſſu moribundus ſenex aperuerat heredi, multumq; commendarat. Non autem exſpectauere Ciuitates, & vnà cũ ciuitatibus validiſſima quaeque municipia, dum moueretur aliquid; ſed vltro ſtatim nudauere animos, & defectionibus laceſſiuere quieſcentem, cùm funeſtam adhuc & atratam patrui deſiderio domum ille haberet. Bergomi Culleonum factio, quae rem trahebat ad Turrianos, pulſis vrbe Suardis, quam deditam ſibi familiam Vicecomes ibi conſtituerat, ſimul eiecto quem ipſe dederat

Prae-

Praetore, inuaſerant arcem; & Praetorem ab Cremona nouum aſciuerant. Infenſius Nouariae rebellatũ, vt Galeacius Matthaei filius aegre virato populi impetu praeceps inde abiret. Nec ad Ticinum quieti quicquam erat, concitante gentem Manfredo Beccaria, qui Turrianorum olim potentiae infeſtus, poſt quam verſa erat fortuna, mutauerat animum, tranſtuleratque odia in Vicecomitem, quaſi non hominũ ipſorum ſed dominationis inimicus. Iam ad Vercellas, ad Caſalem, ad Vigleuanum, ſpreta & repudiata Vicecomitis maieſtas; & ciuitatum earum pollicitationibus erecti Turrianorum animi. Leucenſes item in Abduae ripa, tractu terrarum & poſitione municipij, veterem exſulum toparchiam attingentes, manifeſte illuc inclinarant, praebuerantque tam aperta ſigna defectionis, vt diruto municipio, quicquid incolarum erat, in Madretiam vallem, quae cis flumen interiecta collibus eſt, deportarrentur ea lege ne remigrare in ſedes amplius eaſdem poſſent. Sed praecipua erat ob Laudenſium rebellionem cura & ſolicitudo. Namque vrbs ea, toties victa, toties rebellis, non ſine magnae rei fiducia, poſt tot infelices conatus, hoc tempore ſuſtuliſſe animos videbatur. Et ducto illuc exercitu, cùm poſt ancipitem pugnam, captiui recognoſcentur, repertus inter eos erat Imberaldus Turrianus, eumque Vicecomes ad Tritium in turris ima detrudi iuſſerat. Reperti ſimul erant nobiles aliquot Patauini, qui popularium ſuorum ductores aduerſus Metropolim ſubſidio Laudenſibus venerant.

rant. Inde metus Vicecomiti ingens, conſpiraſſe pro Turriano longinquas etiam Italiae ciuitates, & minimam partem eſſe mali quae deprehenſa teneretur. Philippus Languſcus praeterea, & Marchio Salinarum, Marchio Montisferrati paternarum inimicitiarum heres, magnarum domuũ, & magnorum odiorum nomina torquebant animum ſuſpicione ac metu, ne aduerſus tot coniuratos hoſtes vanum euaderet etiam ipſum Vicarij nomen, quod praeſidiũ munimentumque rebus, tanto nuper conſiliorum & ſimulationum apparatu quaeſitum inuentumque erat. Itaque, non ipſe ſolùm anxius trepidusq; ſed tota in mœrore ciuitas verſabatur, cùm finitimorum omniũ arma & conatus in hanc partem eſſe conuerſos appareret. Quod ſi qui erga nouum dominatum, vel inuidia, vel indignatione ſuffuſi aut accenſi, iucunde nõnunquam imminentia illa Vicecomiti pericla proſpectarent; dulce profecto illud ex altera parte contaminabant propoſita ſua cuique damna priuatarum rerum, non dubia vaſtitas ex bello tam atroci, perituraе domus, & capita obiectanda ferro. Matthaeus hiſce timoribus anxios primores eſſe vrbis videns, ipſeque multum timens triſtitiam & deſperationem, quae in verbis & vultu ſingulorum eminebat, vocato in Templum maximum Concilio talia quaedam dixit. Se ſe rem Mediolanenſẽ iuſto ac moderato regentem imperio, perſoluentem ſua iura ſubiectis ciuitatibus, bona fide colentem fœdera & ſocietates, vidiſſe repente cooriri rebelliones inimicitiasq; illas,

quas

quas ipſi quoque coõtras admirarentur. Id adeo communi imperitantium omnium conditione accidiſſe, quos tam bene quam malefacta premant ſemper, & rectis ſanctiſque artibus eiuſmodi praemia reddant homines ingrati. Non ſic apud Deum opt. max. quem etiam rerum euentu propediem eſſe declaraturum ſperaret, quod mores iſti hominum placere ſibi non poſſint. Caeterùm, & ſi praeter diuinae iuſtitiae fiduciam, humana quoque victoriae pignora in manibus habeat, paratum eſſe tamen dare pacem & veniam omnibus, qui pacem accipere & ferre ipſam queant. Daturum autem in quaſcunque velint conditiones, dummodo ne qua fieret iniuria Metropoli & imperio quod ipſe vicario ſuo munere tuendum haberet. Huic etiam tam moderatae profeſſioni ſuberat artificium, vt per ſpeciem agendi, quae publicae ſalutis cauſa in eo negocio agenda eſſent, Dux rectorq; populi in quinquennium aliud ipſe crearetur. Nam ad cal. Decembreis eius anni proximas finiebatur ea praefectura Vicecomiti; nec leue momentum in eo, ſi ad Caeſaris authoritatem, qua Vicarius Imperij erat appellatus, accederet hoc etiam vt pergeret regnare populi iuſſu. Tentari id agique cùm ſtatim homines ſua ſponte ſuſpicati eſſent, tum verò certum habuere, poſtquam Gulielmus Celer ex' intima Vicecomitis familiaritate monuit in eo conuentu principem audientibus qui aderant, irrita fore quaecunque agerentur niſi prorogata praefectura eſſet. Ita Dux populi Mediolanenſis Vicecomes in quinquennium

nium eſt refectus. Confirmatis in hunc modum pauliſper animis, & erecta adbonam ſpem nobilitate, duo potiſſimum ab illo agebantur; alterum quidem vt minueret ſibi hoſtes, alterum verò, vt noua praeſidia, & amicos pararet. Edixit primò cauitque publica fide ne cui Vercellenſi homini, ſiue Ticinenſi, ſiue Nouarienſi vlla in re noceretur, quandocunque in vrbe agroue Mediolanenſi reperti eſſent. Si quis aliquem eorum violaſſet, vt parricidij pœna teneretur. Fœdus inde cum Bononienſibus & Placentinis inijt, & quià nubilem domi filiam tunc forte habebat, in tanto rerum diſcrimine occaſione ea vſus, Albuinum Scaligerum ſibi generum aſciuit. Ab his veniebant quotidie peditum & equitum auxilia, dabatq; famae Vicecomes, aduerſus longinquum hoſtem, Caeſaris iuſſu copias eas parari. Parabantur aduerſus eos quibus oblata pace negligentiam ſimul afferre voluerat cauendi ne quid hoſtile interim paterentur. Nec tamen prouida viri conſilia fefellere coniuratos. Ad Ticinum ipſi quoque congregabantur molientes inter ſe atque agitantes longe aliud quàm quod in vrbe credebatur. Exiſtimabant enim ad priſtina tantummodo eſſe reditum, & veteribus ſuis haerere conſilijs rebelles illos, ſcilicet vt carperent modis omnibus obtererentque nouum dominatum, neq; iugum imponi ſibi id paterentur. Sed rebelles, feſſi conſilijs conatibusq; alijs abruperant omnia, ſpem inter & metũ; ac ſublato Vicecomite, necis vnius compendio longi ſu bſellij decidere litem ſtatuerant. Ea res inter ipſos

miro

miro ſilentio ſuppreſſa & occultata, non niſi poſtquā diſcuſſa abiectaq; eſt, em anauit. Diſcuſſa autem & oppreſſa eſt mole belli, quo Vicecomes totam eam coniuratorum manum repente circumuenit, donec ipſe quoque circumueniretur, & intentas in caput ſuum inſidias calamitate alia euitaret. Nam poſteaquam, & ab externo, & ab domeſtico milite, ſatis paratus ad rem gerendam fuit, omiſſa ſimulatione, quam ob metum aſſumpſerat, aggreditur aperto marte ciuitates infidas, ipſoſque dynaſtas capita rebellionis, ciuitatum earum ſtimulatores, immiſſo belli diſcrimine auertit ab ſpe inſidiarum, quibus in ficta pace locum fore exiſtimarant. Caeterùm, quia Mediolani primores vrbis, torpeſcebant adhuc propoſita ante oculos imagine belli, quod cum tota fere Inſubria, & cum alienigenarum etiam regulorum opibus gerendum erat; in publico conuentu, poſt quem ad arma iri oportebat, paratos ex primoribus ipſis habuit, qui acerbe in rebellium perfidiam ſordeſque & humilitatem, vera & falſa iaciendo, concitarent, ſimul indignitate rerum, ſimul ſpe victoriae animos, ac diſcuſſo torpore, Martiales impetus apud feſſa iam & varijs curis aegra pectora renouarent. Trintianus Gauacius, & Facius Puſterrula fuere, qui grauiſſime inuecti in rebelles inſtigatoreſque rebellium, effecere vt poſcerent vniuerſi iuberentq; bellum haud minore animorum impetu, quàm quo Vicecomes ipſe in eo negotio efferebatur. Et quoniam habito per vrbis regiones delectu, deſcriptiſque in ſingulas portas

quadringentenis, graue certamen ex eo ortum erat, quod pars vnaquaeque dare vrbano huic exercitui ducem volebat, curam eam ambitionis concepta publice in hoſtem ira diſcuſſit, & ſine mora egreſſi infeſta ſigna Ticinenſium portis intulere. Ibi vi ſumma gerebatur bellum, ſtatimque apparuit, vno veluti conſiliorum vinculo innexas eſſe ciuitates aduerſus Metropolim ſimul & Vicecomitem, conſilijsque ijsdem dynaſtas externos eſſe illigatos. Scilicet, vbi Mediolanenſes ad moenia illa ſucceſſere, quaſi dato omnibus ſigno, perſultabant illico campum, aderantq; multiplici prius, dein vno agmine, rebellium quos antea nominaui exercitus; eos dynaſtae ijdem ſequebantur cum ſua quiſque popularium manu, commilitones ſimul & duces. His acceſſerat Actius Eſtenſis, qui ſub Dmarchi nomine Ferrariam obtinebat, & finitimorum Cremonenſium ſtimulis compulſus in eadem arma erat. Ita duo maximi exercitus ex varijs hinc inde gentibus miſti, paribus etiam in vtraque parte damnis dimicabant, prout oppida, & arces, ipſa ue late diſperſa agmina occaſionem aliquã feciſſent; nuſquam ad vniuerſae rei conflictum veniebatur. Poſt ancipites aliquot pugnarum euentus, cœperant ſuperiores eſſe Vicecomes & Metropolitani; et pellebantur haud dubie coniurati niſi petita pace rem ad aequa deduxiſſent, vt pars ea, quae vincebat, aliquanto poſtea ſolitudine & exſilio teſtaretur humanarum rerum leuitatem. Cuius ſpectaculi tempus interea dum veniret, erant pleraque laeta Vicecomiti

tum

tum in vrbe domoque, tum ad exercitum; Eccleſiaeque ſtatus, non felix ille quidem, ſed tamen aliquis Mediolani erat. Rufinus Friſetius Lucenſis Archiepiſcopo ſucceſſerat Othoni dignus vtique tanto munere, & praebiturus egregij Pontificatus exemplar, ſi, aut in tempora commodiora incidiſſet, aut vixiſſet ipſe diutius. Forma illa temporum, & occupatus princeps inſania & furore patriae capiundae, perque negotium illud tota in armis & turbis ciuitas, ſine actione illuſtri, ſine memoria vlla, quae extet, tranſmiſere breuem vndecim menſium pontificatum; ſilentiumque & obſcuritas cum qua exiguum id temporis egit, etiam ipſius nomen comitata eſt. At Franciſcus Fontana totidem ſedendo annos, quot ille menſes ſederat, & plura, ſicut dixi, vidit Eccleſiae mala calamitatesque ciuitatis, neque actionum gloria vel magnitudine clarior fuit; ac de ignobili eius ad Angleriam fine poſtea memorabo. Matthaeus Vicecomes, in quem cuncta hoc tempore vergebant, & ab quo etiam cuncta proficiſcebantur, obſtupefactis terrore belli hoſtibus, & ad pacis petendae neceſſitatem adductis, appropinquante anno, qui ipſum ingenti caſu peſſumdaturus erat, altius aliquanto repentina & breui felicitate attollebatur, quò magis poſtea caſus ille mortalibus caeteris admirationi & exemplo eſſet. Quippe data Ciuitatibus venia, dynaſtiſque, foedere vel affinitate iunctis ſibi, dimiſſis per totam fere Inſubriam Magiſtratibus, & ordinato apud rebelles ciuilium rerum ſtatu, domique per om

nia clarus & ingens, ne res deeſſet vlla maieſtati augendae, arbiter pacis etiam ſumitur, quam Genuenſes & Veneti poſt mutuas clades conſenſu expetitam, fore vanam credebant, niſi interpoſita huius authoritate firmaretur. Venere Mediolanum Ciuitatum earum legati petentes ab Vicecomite, vt cupientibus inter ſe finire bellla duobus haud ignobilibus populis, vim nomenq; ſuum inſerere ne grauaretur, ſi ſtabilẽ eam fidamque pacem eſſe vellet. Neque princeps abnuit, & facta pax ipſo arbitro per praeconem in palatio vrbis promulgata eſt. ſub idem tempus Beatrix Actij Eſtenſis ſoror, quae Nino Gallurae Piſarum domino nupta prius fuerat, Galeacio Matthaei filio vxor datur, eſtque deducta Mediolanum ſponſa tanta publica gratulatione & apparatu, vt vrbs tota principis domus videretur. Inter haec breuiſſimi temporis gaudia & Vicecomitis fugam, prodijt e tenebris occultatum diu ſcelus, quod videri potuit portentum irae numinis in alia hominum ſcelera cladiſq; Vicecomiti imminentis, & miſeriarũ omnium, quae Vrbi aderant. Gulielma fuit plebeij generis mulierceula, quae ſtatim vt adoleuit, dictitans velle ſe domi manere virginem, exorauerat parentes, ne illud animi ſui votum impedirent. Ita adſpernata nuptiarum mentionem, conditioneque repudiata omni, ſub patrio tecto inter imitamenta pietatis agebat aeuum, nec corporis velamine, nec victu quotidiano, nec ſermonis forma diuerſa fortaſſe ab mulierculis alijs, quales etiam hodie multae intra domeſticos parietes refe-

runt

runt ſacrarum virginum inſtituta & cultum. Ad omnia templa & ſacella quotidie ibat, & crebris tota vicinitate colloquijs terens tempus, domiq; etiã quaeſita ſemper & appellata, muſſitantibus quamquam domeſticis, impune cuncta ſuo arbitratu agebat, quia caritatis & religionis eſſe negotia credebant, dictitante ſic ipſa, & verbum vſurpante iſtud. Tantum vtique tricarum, atque concurſationum, & ſermonum erat, vt natum inde prouerbiũ nondum apud noſtros homines exoleuerit. Dicunt enim, plus quàm Gulielminam habere negotij eum, qui circa inania diſtrictus curſitet ſemper ac vagetur. Gulielma haec, ſiue Gulielmina, poſt quam fama pietatis apud proximos, inde apud vicinos, per totam deinde vrbem celebrari cœpta eſt, paulatim in eam authoritatem venit artibus ſuis, & credulitate multorum, vt ſanctae uirginis haud dubie nomen obtineret. Atque increſcente quotidie magis, non ſolum errore ciuium, ſed etiam ipſius audacia, in eſſe quiddam ei diuinum, vel certe fauore Numinis ſupra communem humanae naturae conditionem animum mentemque eius attolli constans opinio erat. Quippe vaticinando ſaepe futura per ambages ac temere praedicendo multa, diuinauerat forte aliquid, & quae ſecus acciderant, flexa ad euentum interpretatione defendebantur. Iam ecſtaſes, & raptus, & omnia alienatae mentis ingenia fallaciaeque obuerſatae intuentium oculis, fidem fecerant, ſubduci mentem eius in celum, & ab corporis ſocietate ſemotam, commercio ſuperûm

frui,

frui, atque illic in ſinu gremioque diuinitatis perfundi delicijs & arcanis inenarrabilibus. Species quoque oris naturae ſorte cum dignitate quadam; & vbi ſuccedere cuncta feliciter vidit, habitus etiam, & inceſſus, & ſermo cõpoſita oĩa apte ad fallendum, vt quò inclinabant ſua ſponte ſimplicium animi, eodẽ ſimulatione inanium pertraherentur, & celeſtem ſpiritum in illud transfuſum eſſe corpus autumarent. Itaque, de rebus fere omnibus ipſa conſulebatur, & pabula diuerſa eadem habebat, queis alliceret vnum quemque ac detineret. Non viri ſolum graues & primariae matronae de ſerijs magnisq; negotijs ad eam referebant; ſed amatorias quoq; ſuas ſolicitudines, & liuores, & ambitionis odijque curas ad Galielminae perferre ſinum aſſueuerant quibus aliquis eiuſmodi morbus. Ad corporis denique morbos etiam, ad dubios, ſiue aduerſos quotidianae vitae, domeſticarumq; rerum caſus, petebatur ab ea ſubſidium, & precibus illius quamplurimi ſe ſe quotidie commendabant. Inſuper ampliſſima matrimonia, teſtamenta & hereditates, & voluntates vltimae morientium in ipſius plerumq; manu erant. Interdum autem, quo plus reuerentiae ex longinquo eſſet, per interpretes alias conſciasq; mulierculas ceu internuntias numinis conſulta & reſponſa ferebantur; ipſa abdito in cubili, quaſi ſatiata mortalium adſpectu & pertaeſa quotidianos cœtus delicato languore decumbebat. Et primores interim feminae, quaeſito per ambitionẽ aditu, ac noctibus inter ſeſe diuiſis, ad obſequia nutuſque

que decumbentis excubabant. Quibus ipſis in nocturna illa ſtatione mirifica ludibria obiiciebantur, vel ſplendore circa lectulũ excitato aliquo, vel exaudita tamquam e celo vocula, vel quaſi egreſſo in celum ſpiritu Gulielminae, membriſque per exceſſum reſolutis. Daemon profecto aliquis erat in parte tantarum ludificationum, & tragico mulieris ſceleri, quod ipſa talibus ſtruebat initiis, euocati lemures inſeruiebant. Ac lemurum vtique inſtar erant interpretes & conſciae illae quas dixi. Eae clam expreſſo & temperato altilium ſucco congerebant ipſi Gulielminae tenues ſub lodicem paſtillos, quibus diſſimulanter in os coniectis opipare nutriebatur, exeunte per vrbem interim miraculi huius fama, quod Gulielmina totos absq; cibo vllo menſes egiſſet. Nutritu namque contenta clandeſtino illo reiiciebat cibatum alium omnem, & alimoniam habere ſe celeſtem dictitabat; eratq; miraculo fides, quia callidiſſimae & curioſiſſimae matronarum, experimenti cauſa adſidendo vſque & vſque affirmabant, ſeſe nuſquam deiectis ab lectulo oculis vidiſſe ſumentem omnino nihil, & ieiuno ſemper ore. Haec aliquandiu vita Gulielminae fuerat; talia eius inſtituta & mores; in cuius feminae audacia & ab hiſce moribus inchoato ſcelere, illud inprimis admirari ſubit, quod loco nata humili, vnde, non niſi plebeios hauſiſſe ſpiritus potuerat, nullis inſtructa litteris, nullo rerũ vſu, expers moris conſuetudinisq; nobilium, ignara vitae communis muliercula, tantas, tam varias habuerit illecebras

&

& artes fallendis atq; ineſcandis eorum etiam animis, quos ad fallendum natura & conſuetudo imitatione domeſtica prouiſuq; omni inſtruit atq; ornat; quorum eſt ſuperbia & faſtus, quos delitiae ipſae clauſos impenetrabilesq; tenent. Coeperat primo fallere parentes, adſpernando nuptias, vota ceterarũ, deinde domeſticam eam fallaciam auxerat ſimulatione magnae pietatis; inde procedenti feliciter artificio publice fecerat gradum & ſtruxerat ſibi ad ſumma viam; poſtremò, daemones ipſi delectati flagitio, quod poſt tot flagitia nouum parabatur, in partem operis venereſicuti credidimus, & illius excetrae cœptis adfuerunt. Flagitium autem & portentum, & calamitas labesq; per eam mulierem inuecta vrbi ſic fuit. Andreas erat quidam Saramita Gulielminae amicus, quem illa ob aetatem integram rubrumq; capillum & callidos mores aſcitum ſibi & dilectum ad quotidiana miniſteria aſſiduum habebat. Sed intimum aliud ei occultumq; miniſterium apud dominam erat, explere quae fert inſania ſexus, atque iam inde à pueris ex ipſa vicinia ſicuti ſit gratus placitusq; virgini, effecerat, ne virgo illa vnquam fuiſſet. Ingenium homini nihilo ſegnius ad fallacias & dolos, illecebraſq; omnes quàm ipſius fuiſſe Gulielminae antea demonſtratum eſt. Salax in primis & vafer, & ganeo, fuſa per genas barba lacernaq; talari tegens habilem adhuc iuuentam ſimulatione varia erat aſſecutus, vt ſeuerus quidam & ſobrius & antiquus homo haberetur. Nouerat omneis domos, omnia diuerti

cula

cula vrbis, negotijs rebusq; omnibus aderat, ſiue aduocatus vltro, ſiue ſuae virginis nomine; ſic enim eam appellare impudentiſſime ſemper ſolitus fuit. Poterat verò etiam ipſe fingere colloquia cum ſuperis, & praedicere nonnulla, & mentiri viſiones inuſitatas; & quicquid denique aliud Gulielmina inter feminas audebat, id ipſum inter viros Saramita egregie imitabatur, quò denique tutius in publicum proferrent id quod diu fortaſſe intus coquebant. Fuerit ne mutua ſatietas & inhoneſtae libidinis furor, an contemptus & contumelia in vrbem ipſam, an omnia ſimul, neſcitur. Certe duo viliſſima capita Gulielmina iſta & Andreas coniurauere, vt inſtituerent nocturna bacchanalia, queis contaminarent omnem aetatem, viciſſimque ipſi contaminarentur; & inſtituerunt. Species nomenq; ſacrorum obtentui ſumpta, quaſi ſacra ea, quae in aperto fierent, nec pura, nec ſancta ſatis credi liceret; ſanctius auguſtiusque eſſe faciendum, ſi fortunis ſuis, & votis propitiũ eſſe Numen velint. Duae illae furiae, apud ſuum vtraque ſexum talia dictitando, praeparauerant multorum animos, vt quandocunque nefaria ſacra inchoaerentur, aperireturq; delubrum infame, darent nomina in nouos coetus, & ad cuncta obeunda ordine adeſſent. Extra Portam quae Noua dicitur, fuit locus, quem iſti Andreas & Gulielmina deſtinarant, myſteriis ſedem inanibus, & occaſione myſteriorum cubile inhoneſtatis. Flexuoſum os, informemq; aditum habebat ſpelunca obſita vepribus quibuſue aliis

inculta veſtiuntur, ad vſus fortaſſe bellicos olim extructum opus, deinde neglectum pace, quales paſſim circa pomoerium, etiam hodie cauernae conſpiciuntur, iamq; diſſoluta concameratio procumbebat in ruinas. Saramita corrogata ab ſuis ſtipe ſpecum cũ partemque campi circumiectã coemerat à magiſtratibus ſpecioſo in publicum hoc vſus titulo quòd ponere in parietinis illis Oratorium vellet inuitamentũ pietatis ad eos, qui per moenia quotidie inambularent. Fabris confeſtim adhibitis & purgato loco ſtetit aedicula profanatura vrbem & poſita ara valuiſq; & clauſtris additis, Saramita & Gulielma ſui iuris omnia fecere titulo vtentes alio, quod ſacra Aedes alioqui profanaretur. Paucos primo, deinde plusculos, deinde cohortẽ ſuam illã vniuerſam, neq, totã vno agmine, ſed ſubinde alios inducebant, donec per ſingulos in orbẽ turpitudo iret. Cuius ceremonia haec fuit. Prima infandi coetus nocte, vbi promiſcua virorũ & feminarum turba in templo ſtetit, occluſis valuis, trabeati & mitrati diuerſa in ſede Andreas & Gulielma, ab omnibus qui aderant, horribile ſingulatim iusiurandum exegere, nihil eorũ quae ibi fierent, cuiquam eſſe dicturos; ſi fidem eam fallerent, tum vti Deus opt. max. ſe familiam, ſuam, peſte, fame, malis omnibus contingeret atq; inſectaretur. Id ipſum, vt quiſque nouus gregalis, ſiue vir, ſiue femina, ſiue adoleſcens erat aſcitus conceptis verbis poſtea iurabant. Vbi iuratum ita eſt; tunc Antiſtites adolent ignibus aras, celebrantque cantu foediſſimi ritus horrenda

pri-

primordia, queis caetera turba ſuccinit, prout inſtituti monitiq; erant. Et compoſitum in haec verba melos erat. CRESCITE ET MVLTIPLICAMINI. Momento dein vno ſymphonia conquieſcit, ac lumine ſimul extincto omni, carmen diſſimile aliud, alioſque modos ineunt viri, feminaeque, & his interiecta rudior aetas. Quodque mihi verecundiam huius ſermonis auget, licentia tenebrarum & loci volutabatur in eadē humo, cum filia pater, & cum fratre ſoror, ſicuti facibus extinctis irruerant, & ſicuti myſteriorū eorum lege capitale erat aperuiſſe os, gemitumue vllum edidiſſe aduerſus eum qui primo corripuiſſet. Inſuper (honos auribus habitus ſit) alia quaedam fiebant, in quibus ne creſcendi quidem & multiplicandi excuſatio vlla titulusue eſſe poſſet. Caeterùm, antequam reliqua negotij huius peragam, minime diſtulerim id quod ad Patriae huius in tanto malo ſolatium aliquod magnopere pertinebat atq; in probatiſſimis repertū annalibus pene praetermiſi. Quippe talium rerū authores Saramitā & Gulielminam ex alieno hinc ſolo oriundos fuiſſe; ac ſicuti fuerant ipſi peregrinae ſtirpis, ita cœtus eos ex peregrinis inſtituiſſe, quorum affatim admanum fuerit in vrbe ſemper plena alienigenarum. Cùm igitur prima ſacrificiorum nocte, talia quaedam guſtanda & libanda concioni ſuae exhibuiſſent Andreas & Gulielma; per omneis deinde noctes, ad epulas vocati eaſdem velut ineſcatae beſtiae miſerabiliter ruebant. Gulielmina deinde poſt menſes aliquot, ſeu libidinis intemperantia, ſeu

prouidentia numinis, quò maturius tan dem retegendi ſceleris initium veniret, diem ſuum obijt, nihil imminuta fama & errore, quem de muliere illâ ciuitas accepiſſet. In eius funere tanta fuit inſania aſſeclarum, vt quibus ſtudijs, & qua admiratione celebrauerant viuentem, mortuam quoque in celum extollere conarentur, mentemque & ſpiritum eius ad ſupe ros haud dubie exceſſiſſe populo perſuaderent. Admouentes namque roſaria ſpurciſſimo cadaueri, feretrumq; coronantes, & eius contactu veluti ſacrata geſtamina rapientes auide, facere caeteros eadem, vt eſt procliuis ad talia populus, docebant. Simulata quinetiam coecitate, languoreue aliquo, nonnulli auſi ſunt illudere publicae credulitati tamquam adſpicerent repente lucem, exuerentque alij corporis alias calamitates, ob quas antea lux ipſa diſplicuiſſet. Et ad merita ſanctitatemq; Gulielminae referebantur cuncta, quaſi iam redditus Celo ſpiritus ea beneficia mortalibus ab Numine impetraret. Delata ipſa ad Claraeuallis monaſterium, ibique collocata in tumulo, non ſicuti cadauera caetera habebatur. Lychnuchus quotidie pendebat ibi aliquis, ardebatq; cerae multum, & votiuae tabellae caſuum variorum affigebantur ab illis, quibus ludibria iſta cordi erant; & coniuratis in eam fallaciam multis, cùm opinio quoq; publica confirmaretur, parum abfuerat, quin Gulielmae honoris cauſa publice etiã aliquid decerneretur. Sed iam tempus appetebat, quo recidere in capita impura fraudem, inſigneque aduerſus

talia

talia ſanciri documentum oporteret. Nunquá enim Deus falli & errare ſinit Eccleſiam in ijs, quae ad religionis & fidei ſummam ſpectant. Ac diſſimulans maieſtas illa ſaepe caetera mortalium flagitia, ſpatiumq; poenitentiae praebẽs, nuſquam in eo cunctata eſt, vbi de inducendo in Eccleſiam prauo cultu faſtisq; ſanctorum inquinandis ſcelere vel adulatione hominum ageretur. Mortuâ ſicut dix Gulielmina, cùm ſectam Saramita ſuperſtes obtineret, euenit quidam huiuſmodi caſus. Alexander erat Coppa negotiator praediues, & alioqui etiam honeſtus, ac rei ſuae bene gerens, niſi impudica vxor, bacchanalia frequentando illa, vulgandoq; ibi muliebre decus, labe ea fortunam honeſtatemq; domus conſpurcaſſet: Damnauerat ſaepe maritus infelix nocturnos mulieris egreſſus, multumq; clamitando dixerat, non placere ſibi tantam pietatem: ſi uellet ad templa ire, ſatis longos eſſe dies; & velle ſcire ipſum, cur ſilentia noctis & horae deſtinatae pecudum etiam quieti, cur tenebrae ad id ſacrificium delectae eſſent; cur ſexus, ne media quidem luce committendus turbis, per obſcurum exciretur domo? Mulier contra, nec voce, nec vultu ſuperiorem in iurgio paſſa eſſe maritum, aſſurgit etiam infeſtior atrociorq;. Quid ſibi quaereret inter feminarum ſacrificia delirus ſenex? cur non potius ageret negotium ſuum? Non mirum poſtea fore ſi fortuna domus verteretur, & Numinis irâ retro ſublabi aliquid inciperet, quandoquidem repente ditatus mercator ingrato aduerſus ſuperûm indulgentiam

tiam

tiam animo inquireret in eorum ſacra & ritus, minitari etiam auderet. Iturã ad nocturna ſe ſe ſacrificia more ſuo; & tanto promptius frequentiusq; ituram, quò magis ille minitaretur latraretque. Aliquoties ita iurgati fuerant maritus & vxor, cùm quidem remiſſum credo, viri ingenium malitioſe olim odorata illa ſciret probe aduerſus quem ſibi arietandum in eo certamine eſſet. Sed maritus, quando nihil profici verbis videret, omiſſa altercatione, fingens ſe eſſe victũ, nocte quadam, exeuntis vxoris veſtigia diſſimulanter & leniſſime ſubſecutus, tamdiu ſtetit ad valuas, donec ingredientibus per interualla multis, ipſe quoque ceu gregalium illorum vnus admitteretur. Abdidit in angulum ſe ſe, quem extrema luminis, corporaq; & vmbrae multorum obſcurâbant. Ibi tacitus inuolutuſq; palliolo, quid rerum ageretur, expectabat. Videt ſedentem in ſua ſede Saramitam, notátq; haud ignota ſibi multorum ora, & detractis velaminibus raſa capita mulierculcularum in coronae ſpeciem, quẽ Gulielmina ritum olim indiderat, ſiue vt ſacris illuderet ritibus, ſiue vt inſigni eo à ceteris diſtingueret ſuas. Haec omnia videbat hoſpes, mirabaturq; & inhorreſcebat ſimul. Mox impudicitiae praefatũculam, & geſtientes concepta libidine choros, audit, datoque ſigno, extingui lumẽ videt, nec vltra dubitauit, quorſum ſpectaret tam obſtinata pietas vxoris ſuae. Ea non procul ab marito forte conſtiterat, arripuitq; ille vt momento ſaltem illo ſubduceret complexibus alienis. Luctando cum adultera, tempuſq; ſicuti poterat

ex-

extrahendo, ſpatium illud, & fruſtra anhelantem libidinem mulieris eluſit; detraxitque annulum digito, quo poſtea teſte vteretur ad id quod parabat. Dimiſſo fœdo ſacrificio valuisq; patefactis, cùm caeteri exirent, exit ipſe quoq; & properus abit domum moeſto cogitans animo, quàm ſaepe miſera illa eſſet contrectata manibus alienis, & quàm deformis exitus impudicam maneret. Hinc recordatio cõiugalis thori, & liberi fortaſſe communes angebant; hinc dedecus & ira ſtimulabat. Et magnum interim ex ignominia dolorem ſolabatur hoc ipſo, quod reputaret, ignominiam eam communem ſibi eſſe cum multis. Interdum etiam, non ſatis certus vltionis, haeſitabat circa id, quod primo dedecoris adſpectu agitauiſſet tacitus ipſe ſecum, vt nimirum indignitatem foeditatemq; eam detegeret publice, ac Vicecomiti ipſi principi Ciuitatis magno aliquo exemplo vindicandam exhiberet. Tam varijs vno tempore motibus animi turbatus reliquum noctis egit maritus poſtquam ab lupanari redierat domum. Poſtero die poſcebat ab vxore annulum illum quendam operis encauſtici, grandiuſcula pala cum adamante turbinato, pondus quoq; deſignans, & diem notans ipſum, quo die id ab ſe munus accepiſſet. Adultera enimuero deprehenſa palleſcere, nectere moras, cauſari nonnihil, quaſi iam iamq; prolatura verſare dactyliothecam, ad extremum poſcere tempus, & dicere quod res iſtae minutae ſemper dum quererentur, fugitarent, eaedem poſtea non quaeſitae comparerent vltro. Sic

mulier

mulier aliquandiu aeſtuauerat ad annuli mentionem atq; tergiuerſata erat, cogitans ſcilicet interea quidlibet aliud quàm ſua mala, & Bacchanalium imminentem finem, & raptorem annuli illa in lucta maritum fuiſſe. Nec minus ipſe fluctuabat adhuc, eligens conſilia aliqua, deinde damnans, donec egreſſus animo ſortem ſpiritumq; inſtitoris, tale denique quiddã ſuſcepit. Conuiuium ſolenne parat quaſi natalitia daret, ſuo, vel vxoris nomine. Ei conuiuio adhibet propinquos & amicos, quorũ vxores, aut filias in lupanari viderat, & frequentes adfuere; ſimul ipſe cum vxore diſcumbebat. Poſtquam hilare ſunt epulati, hilaritaſque etiam in luſus, & iocos exceſsit; quin ſpectamus (inquit conuiuij pater) ludum nouum quendam & iucundum, mulierumq; noſtrarum capita ſicuti ſunt, ſubiecta oculis intuemur? Id modò cùm dixiſſet, iniecta in vxoris ſuae ſinciput manu, direptoque velamine, coronae circulum oſtendit, quàlis eſſe preſbyterorum ſolet. Quo ſpectaculo cùm obſtupefacti attonitiq; omneis ora obuerterent ſua, alijq; alios rogitarent quidnam rei eſſet, tunc Coppa; magis eſſe miraturos dixit, ſi ludum eundem mulieribus vnuſquisq; ſuis feciſſent. Iuuat experiri, ſtatimq; ridiculum viſu, nudus in orbem capillo vertex, & muliercularum crania apparuere mẽtita clericos. Voluerant illae quidem vnguibus, & ceruicum flexu, reluctationeq; nõnulla reijcere vel declinare dextras capiti imminentes, ſed corripiebantur atq; inhibebantur acrius hoc ipſo quod recuſabant. Tunc verò

Coppa

Coppa ille orſus ab ſuſpicionum ſuarum initijs, vt primò mulierem ſuam ab nocturnis egreſſibus coercere tentaſſet, vt diu ac nequicquam ſuper ea re iurgatus, deniq, veſtigijs inſidiatus ad cellam deueniſſet; ibi fanda; infanda quę ſibi accidiſsét ordine exponebat, promiſcuos cōcubitus, inceſtuoſa ſacra, tenebris ſtuprisq; inuolutos choros, ſuam quoque cum vxore luctam & temporis cauſa ſimulatos amplexus infelices & annulum ablatum qui teſtimonio etiam eſſe poſſet. Incendebat haec queſtu & lacrimis; non vxores, aut filias, aut ſorores, ſed furias & propudia, & inimicas ſuae quamque domus eſſe illas, quas in honore & caritate, quas in delitijs errore miſerando habuiſſent. Aduerſus quae, mulieres ipſae ne hiſcere quidem auſae ſtabant haud minus attonitae quàm viri. Videbant enim patefacta retecta eſſe cuncta, ſeq; deprehenſas. Inde maior etiam narrationi fides; ac vix temperauere quominus irruerent, ſuisque ipſi manibus concerpendo ſingulas obruerent dici eius atrocitate veterem coniuuij Lapytharum famam. Cohibiti ſunt ab indice eodem hospiteq; Coppa, qui rogabat, vt exemplo ſuo ſedate agerēt, & rem tam indignam iudicii potius via perſequerentur. Poſtquam ab eo impetu, quem dolor & ira concitarat, collegere pauliſper animos, ſententia communis omnium fuit, vt ad Matthaeum Vicecomitem res tota deferretur. Ille nouitate ac magnitudine flagitij, ſicuti par erat, vehementiſſime commotus, deteſtatuſq. verbo mulierum genus, indices eoſdem ad Sacrum Inquiſitorem ire

iubet, indicioq; delato paratos ad imperia illius eſſe. ſimul ipſe cũ eo de ea re colloquitur, & omnia quaecunque in id iudicium neceſſaria eſſe poſſint, pollicetur; pecuniam, arma, militem, vim authoritatemq; ſuam, totius imperij opes, imperiumq; ſi neceſſitas ita ferat, ipſum. Non tanta rerum mole tantoq; motu neceſſe erat. Pertractae ſtatim ad ſacra Tribunalia mulierculae, ad ſingula de quibus interrogabantur, ita reſpondebant, vt negotij ſeriem, initia, progreſſus participeſque omneis, Inquiſitor teneret magnibus, bacchanaliaq; ipſa, & lupanar veluti ante oculos haberet. Et quoniam in quaeſtione habenda impenſe data opera erat, vt quamminimo ſtrepitu res ageretur, oppreſſi ſunt affines ei ſceleri omneis antequam rem agi eam ſuſpicarentur. Callidiores promptioreſque aliqui, cùm ſuſpicati nonnihil, effugere voluiſſent, vel retracti ſunt equite immiſſo, vel in ipſo abeundi conatu retenti, vel vbi non comparuerant, extruſi, capti, producti ab ijs quos principis, aut Inquiſitoris edicta ex amicis, & hoſpitibus inimicos repente proditoreſque contaminatorum illorum fecere. Saramita ante omneis ipſe Gulielminae maritus, & collega, & miniſter, poſt eam heres inſtauratorque ſectae, magiſter libidinum, impoſtor, & ſycophanta, helluo, leno, foediorque dictu bellua; is igitur ſagaciſſime ſtatim odoratus Bacchanalium cladem, & periculum ſuum, mutando ſubinde latebras aliquãdiu cùm feſelliſſet; repertus denique eſt apud nobilem viduam indicio vetulae, tectum

inter

inter, & laquearia, quòſeſe abdiderat. Ita omneis, alius alia via cùm in carcerem veniſſent, rite interrogati, & confeſſi quicquid erat, damnantur flammis. Molles enim viri, & marcidae ſtupris adulterijſque mulierculae, & peregrinus fere ſanguis, ne Iudicum quidem oculos, adeò tormentorum adſpectum non tulere. Quae colluuies cùm incendio abſumeretur, non fuit ſpectaculum, quale ſolet eſſe, dum in eiuſmodi caſibus caetera adfluente multitudine, continent ſeſe domi, longinquoſue receſſus quaerunt, quos ob propinquitatem aliquis ignominiae dolor attingit. Parentes, & fratres, & mariti praecipua nomina caritatis coniunctioniſq; humanae aderant laeti ſpectaculo, cuius luctus aliàs nunquam finitur. Abruperat vnuſquiſque ſanguinis & naturae leges aduerſus ea corpora, quae ſeſe ab natura domoq; prius abrupiſſent. Saramita proprio & ſeparato rogo eſt crematus. Iuxta cineres eius paullo poſt cremauere Gulielminae oſſa cum tabulis & ſignis, & argento auroque omni, quae ſalutarium beneficiorum votiua ſcilicet monumenta circa tumulum pependerant. Ipſa quoque cella flagitiorum ſedes, & domus impuritatis, plebe cum ſecuribus, & dolabris accurrente momento pene vno deiecta eſt, & rudera cęmentaque omnia prius flammis vſtulata ijſdem in cloacas auehuntur, ne contactu ipſo, terrae ſuperficiem atq; ſuperfuſum hunc aera contaminarent. In hunc modum oppreſſa, & deleta eſt ſecta, & officina muliebriũ libidinum, quam mulier vna inſtituerat; non autem

deleta labes, & ignominia ſexus, per quem ea deformitas inuecta vrbi. Multa ſane probra coniecere in feminarū genus veteres, quiue ex noſtris ad contemplationem nequitiae ſexus illius aſſurrexere ex aliquo inter ſcribendum caſu. Per ſeria, per ludicra frequentiſſima ea inſectatio in omni litterarum genere reperietur, & ſeueritatis gloriam hinc quaeſiuere molles etiam viri. Non enim fortaſſe omnes oderunt adſpernanturue ſexum, ſed laſciuia quadam, & oſtentatione ingenij ludunt ſic in pompam, & ſpeciem, vt ad vetera maledicta cōtumeliaſque iam exoletas addant noui aliquid, & prioribus in excogitati; fitque quotidie hoc plaudente palam quidem fama, & approbatione communi, viritim autem in arcano abnuentibus ſingulis. Adeò ſexui illi deditus eſt noſter plerumque ſexus, hoc ipso deterior. Ego cùm Gulielminae ſcelus, ceterarumquę Gulielminarum furioſam inexplebilem libidinem, fraudeſque libidinis cauſa excogitatas, & prodita conculcata matrimonia, quaeſitam ante matrimonij tempus inhoneſtatem puellari etiam aetati, ſacris praeterea rebus facta ludibria, & religioni insultatum, & penatibus illatos ex lupanari alieni sanguinis heredes trāslatāque fortunam in adulterorum prolem; haec omnia cùm narrando alijs, & ab ijs qui olim narrauere repetendo mecum ipse reputarem, veteris poetae sensum interea saepe tacitus laudaui. Nam nimium generoso spiritu tragicus dixit Euripides, fuiſſe optabile hominum generi, vt quaepiam purior suscipiendis liberis

via

via daretur, ne perfidum impudicumque animal procreationis cauſa habendum in ſocietate vitae eſſet. Scilicet eius impudicitiam perfidiamq. animalis reſpicere debuit alter etiam pari generoſitate, & ſapientia vates, cùm videns cernensq; omnia ſine oculis, caneret; neminem vnum poſſe affirmare, cuiusnã hominis satu eſſet procreatus. Haec autem potius videbunt mariti, & conquerentur. Purgata ſicut dixi vrbe ſublatoque lupanari, lata lex eſt de peregrinis, datumque Magiſtratui negotium, vt nequem vltra octiduum commorari Mediolani pateretur, niſi cuius cauſam ipſe probaſſet, cognoſceret inſtituta ſingulorum, & vitam, conuenticula nocturnoſq; coetus prohiberet. Sed iam Turriani exules aderant magno, & vltimo ſociarum ciuitatum conatu ad eijciendum Vrbe Vicecomitem, cunctaque repetenda, & transferenda in Turrianorum domum, ſicut ex ea domo olim Vicecomes ipſe potentiam imperiumq; rapuerat, quod Turriani prius ipſi raptum ex calamitate ſeruitioque Reip. Mediolanenſis habuiſſent Ciuitates autem quae ad reducendos in patriam Imperiumq; Turrianos, extremo hoc conatu coniunxere arma, illae ſcilicet fuere. Cremona, Placentia, Ticinum, Nouaria, Vercellae, Lauſpompeia, Crema, & cum Demarcho Montisferrati Ricardus Languſcus, quem nouum ex hoſte amicum repente Vicecomes alienauerat, data alteri Zaccharina filia, cum deſponſa ei prius fuiſſet. Nec vrbes populiq; alij, qui in parte Vicecomitis habebantur, intacti nunc erant

ab

ab defectione & fauore in partem alteram; familiaeq; potentes ab potentioribus alijs familijs inde eiectae ſeſe ad Turrianos conferebant. Mediolani etiã in ipſa Imperij ſede, vbi ſpem, & aduerſus externa praeſidium eſſe oporteret, plena omnia rebellium erant, & detecta ibi nobilium coniuratione, dum punitur perfidia, plures ad rebellandum irritati. Domus ipſa principis agitabatur mutuis ſuſpicionibus, odijsque inteſtinis, & Petrum Vicecomitem patrem demortui Othonis, Matthaei patruum Galeacius Matthaei filius comprehensum repente, & cathenis oneratum clauſerat ferreo ſepto, ibique ceu nouum animal conficiebat tabe, & ſqualore: Nam ſicuti fit cùm praecipitia eſſe omnia ad exitium caeperunt, feſſus negotijs Matthaeus atque tot pertaeſus aerumnas, aſſumpto in ſolicitudinum partem filio, maxima, & praecipua quaeque ſegniter, incurioſe, remiſſe tranſmittebat. Et iuueniliter ferox ille ſine modo exercebat imperium, exiſtimans apud tam infidos animos opus eſſe terrore, vt alienis exemplis alij in obſequio fideque retinerentur. Quae iuuenis acerbitas, & patris vecordia pacatis etiam rebus inutilis eò adduxerat rem, vt non iam per coniurationes occultas coetusue clandeſtinos, ſed palam, aperte, confidenter de Vicecomite expellendo Turrianisque in vrbem admittendis conſilia agitarent. Anno hoc, qui milleſimus trecenteſimus alter ſalutis noſtrae erat ad x. cal. Maias in Aula publici cõſilij, quae paulo antea compoſitis adulatione publica plauſibus inchoanti imperium

rium

tium Matthaeo ſedes fuerat; in eadem ſede ſedentes principes vrbis ad populum tulere, vellent iuberent aduerſus Vicecomitem iniri fœdus, quod inter alias vrbes initum firmatumq; eſſet. Abſque mora dubitationeq; vlla illigauere ſe ſe foederi, tantaq, licentia & cõtemptu ruentis fortunae acta ea res eſt, vt venirent in vrbem fœderatorum aliorum legati, atque viciſſim hinc ad eas commearent. Exoleſcere inde quotidie magis, & vilius fieri Vicecomitum nomen; dilabi primo ſeruorum greges leuiſſimi ſemper & momento quolibet mutabiles, deinde alij, quos verecundia nõnulla tardarat; tum grauiſſimus etiam & intimus quiſque; poſtremo circumſpiciens ipſe neceſſitatem ſolitudinemq; ſuam vehementer cogitare de fuga cœpit. Bonacoſa Burra erat vxor huius Vicecomitis communium aliquot ei librorum parens & per mutuam concordiam dilecta: Hanc neque trahere ſecum volens comitem fugae, &, ſi domi relinqueretur, expoſitam fore ludibrijs inimicorum videns, intra ſacrarum virginũ aedes cum nobilibus aliquot ancillis abdidit. Monaſterij nomen eius in nullis vſquam reperire annalibus potui; tantùm extát apud omneis diſerte perſcriptum hoc, Bonacoſam Burram fugiente marito apud ſacras Virgines latitaſſe. Abdita ſic in tutum, vt ipſe rebatur, vxore Vicecomes cùm in ſingula momenta, & ab hoſte, & ab ciue, & ab domo ipſa creſceret metus, ſublatis, quae in illa trepidatione poterant auferri, vno, vel altero comite clandeſtinus, & ignotus vrbe exceſſit. Poſtquam appa-

rere

rere deſierat, primo quidem neſciebatur, quoniam ille fugam intendiſſet. Mox vulgatum eſt, Placentiam iuiſſe fretum amici alicuius ſubſidio, quem fidelem ibi potētéq; haberet. Sed inquirebat vltra perſequebaturque nemo: ſatis habebant, quod terrore ipſo capere fugae conſilium coegiſſent, quem per arma, & acies deijcere parati erant. Turriani fratres interea Caſſoni filij, quorum nomina haec fuere; Martinus, & Henricus, & Muſca, cum alijs ſuae gentis hominibus exercituque foederato, conſtiterant ad Laudem Pompeiam irrupturi quouismodo in vrbem, oppugnādoque, & obſidēdo quaeſituri in patrias ſedes aditum, niſi fuga Vicecomitis cuncta aperuiſſet. Ita ſine ſanguine ingreſſi rectà petiere dirutas ſuas aedes, quibus hodieque id nomen manet, ibique raptim collocato domicilio, fortunam haud dubie priorem, fauore nominis, & aſſe clarum opibus quaerebant. Sed in ciuitate, quae dominari ipſa volebat, non poterat id eſſe incruētum; ac duae factae protinus acies; vna propugnantium Turrianos, quos, & acciuerant, altera defendentium patriae libertatem, cuius repetendae tempus nunquam habituros eſſe aliud clamitabant, ſi nunc ceſſatum fuiſſet. Profecto nutantibus Turrianis, fugato, ſicuti demonſtratum eſt, Vicecomite, conſtitui hoc tempore ſtatus Reip. Mediolanenſis potuiſſet, Metropoliſque liberari, niſi poſt lapſas ſemel res olim, caput potius vnum eſſe magno huic corpori, regique ab vno totū ſemper iſtud ignota mortalibus diuinae prouidentiae diſpenſatione eſ-

ſet

ſet decretum. Non enim aliter quàm decreti eius lege ac potentia fieri potuit, vt gens tã auida libertatis, impatiens obſequij, domitrix expugnatrixque ciuitatum aliarum, dominatum acciperet Turrianorum prius, deinde Vicecomitum, deinde Turrianorum rurſus, & poſtea Vicecomitem iterum admitteret. Niſi fierent iſta diuinitus, & niſi vellet excelſa Numinis prouidentia populum hunc aſſuefacere domino vni, arbitriumque rerum ciuitati adimere, cui decora allia omnia contuliſſet, non defuerant animi ſpirituſque populo, & vires, queis duas iſtas familias nihil iuris habentes ad imperium, coercere potuiſſet etiam poenis, quibus alij liberi populi ſuos homines appetentes patriae dominatum aliquando coercuerunt. Noſtri, poſtquam ab exſilio Turrianos in vrbem recepere, primò quidem acerrime nitebantur, ne reditus eorum publicae libertati obeſſet; deinde veò ſuccubuere violẽtiae inexſuperabili, quae Metropolim imperio alieno addicebat; & ſub fallaci ducis ſiue rectoris nomine, quo iã decepti toties erãt, latitantem tyrannidem accepere, vt ne tyannide quidẽ excuſſa alia liberi eſſent. Acceptis autẽ ſicuti dicebam in vrbem Turrianis, cũ ciuile bellum eſſet ortum ex eo, quod pars generoſiſſima ciuium reduces in patriam vbique redonatos eos, ſub legibus ſub magiſtratibus volebat haberi communi cum ceteris iure; deterrimi quique reuocatis ita exulibus, imperium etiam vrbis dabant; fretus nouo hoc diſſidio Vicecomes auſus eſt e latebris prodire, quas petierat, ſpe-

rās, quia pertaesū Turrianorū eſſet, poſſe ſui deſiderium oriri. Eâ fiduciâ progreditur ad Pioltelum vſque, qui locus decem millia paſſuum ab vrbe abeſt. Legati Veneti qui per id tempus ad vtrumq; Mediolanenſium exercitum de pace venerant, impune venturum, dederant fidem. Ibi traditis depoſitisq; inſignibus abdicabat omni ſe ſe poteſtate, quam in populum Mediolanenſem vſurpaſſet; nec ea modeſtia profuit quicquam ad id cuius cauſa ſuſcepta erat. Direpta paulò poſt domus omni regio paratu ſupellectileq; referta, cui pepercerant ad eā diem ob Galeacrum credo filium, qui arma adhuc militemque retinebat. Tantiſper, iſta dum fierent, nullius imperio ſubiecta ciuitas, veteris Romanae Reip. inſtar habebatur, dominatoreſque ſuos, aut iā fugere vltro coegerat, aut perſequendo armis agebat ipſa in fugam. Deinde, ui vrgente illa, quae conſilijs armiſque omnibus excelſa imminet, fato, ſi dicere licet quodam, ne diu compos vnquam eſſet ſui Metropolis, ad accipiendos rurſus, quos ab reditu fugauerant Turrianos, pace inter ſe facta conſenſere primores plebis, Conciliumque omne vrbis. Ita reducti rursus in vrbem Turriani, & ab frequenti populo collocati in ijsdem dirutarum aedium veſtigiis, quae tecti ſatis adhuc domicilio præbebāt; & ſtudio impetuq; multitudinis noua deinde tecta ibi raptim excitabantur. Non dubius iam hinc reducis familiae gradus ad dominationem aditusque erat, haud ille quidem tranſitu ſtatim toto, repentinoque paſſu, ſed quo-

tidianis

tidianis per interualla progreſsibus, dum, vel conſenſu publico, vel propenſione ſtudiiſque ſingulorum, authoritas, & ſplendor aſſidue nonnullus accedit, vel etiam ipſi iam inde ab priore dominatu imbuti neceſſariis ad iſta artibus, arripiũt quotidie aliquid atque vſurpant, quo ſupra caeteros attollerentur: Celebre per calamitates etiam familiae nomen, & ipſa dirutarum aedium moles, areaque illa, veteris aedificij magnitudinem teſtata parietinis & ruderum aceruo; hinc vaſtae ſolitudinis campus, hinc ſuperſtes palatii brachium vitata iniuria capax dominorum, hinc ſurgens noua ab fundamentis Aula, conclaueque ſupergrediens alte vicina tecta, & concurſus illuc nobilium populique, in parte ſplẽdoris erãt, qui ad principia rerum plus confert ſaepe quàm arma, & omne uirorum robur. Praeterea, fratres ipſi egregie inter ſe concordes, modeſtique in alios, & inconcuſsi recentium certaminum recordatione laceſſebant obſequia, nec habebatur indigna domus in quam tranſiret fortuna, quae Vicecomitis fuiſſet. Initia certe conferendi in eam principatus eadem fuere. Dux Vrbis abſque mora Guidus creatur, qui poſtridie quàm nomen poteſtatemq. eam acceperat, ducto in Comenſes exercitu, profugum illuc Vicecomitem, atque rebellium eorum ope reparantem bellum fudit, ac fugauit. Hoc deinde duce bellica res Mediolani adminiſtrabatur; & facili confinio caetera eodem vergebant, vt parum abeſſet, quominus reſpiceret vnius nutum ciuitas, tot ſemper afflicta malis

dum pugnat aduerſus id malum. Sed adimebat ſenſum corruptae libertatis ſtrepitus armorum, & compoſitis domi rebus irritata omnia extra vrbem, contempta fœderis fides; & iam eaedem pro Vicecomite ciuitates, quae rebellione ſua fugere ipſum coegerant. Namque Albertus Scotus, qui Placentiam obtinebat, praecipuus foederis Turrianorumque reducendorum inſtigator, cùm omnes fere Inſubriae populos aduerſus Vicecomitem concitaſſet, idem, poſtquam exturbatus ille erat, reſtituere extorrem conabatur; alienabat ab Metropoli Turrianiſq; quas antea conciliauerat vrbes; & leuitate incredibili ſeſe poſtea rurſus cum Turrianorum nomine Mediolanẽſibusq; coniunxit. Nunc ſtimulis agitata eius pars maxima & validiſſima Insubrum circumſteterat armata vrbem, ac depellere inde vi tota Turrianos volebant. Quin etiam ingreſſi ſubita irruptione moenia die quodam Nouarienſes, & Cremonenſes, & Placentini Scoto eodem duce atrox per omneis vias praelium edidere; iamque capto, & communito Viridario, toti vrbi minitantes ab Portae nouae milite f-cto ex tranſuerſo impetu depulſi ſunt, & pars magna caeſi. In ea tumultuaria dimicatione repentinoq; conflictu, Andreas Vicecomes decicitur equo, & impacta in guttur lariſſa deijcitur. Guidum Turrianum inuectum in medios temere hoſtes, intentis in ipſum vndique gladijs eripuit diſcrimini equus ſuus; eumq; ferunt redijſſe poſtea in pugnam, ec caeſo Placentinorum globo intactum vulnere euaſiſſe.

Quod

Quod nimium fortaſſe aliàs in huiuſmodi bellicarum ciuiliumue rerum narratione praefatus ſum, aut ſubiecti, id ipſum inter negotia iſta hoc loco excuſare neceſſe habebam. Videor enim nunc, vt cùm maxime audire querelas, & cauillos indignantium, ideo quia pollicitus perſcripturũ me casus Eccleſiae Mediolanenſis, ſimilis fiam nihil iamdudum cogitãti tale, profanuſq; potius videri quiſpiam narrator poſſim. Sed eos qui iſta indignati erunt, etiam videre poſſe exiſtimo, circumſeſſa aſſidue Rep. ab hoſtibus, ipſaue circumſidente hoſtes, preſſa imperijs vrbe, vindicante libertatem, toties mutante ſtatum ſuũ, quid loci interea potuerit eſſe ſacris negotijs, quae nunquam niſi per negotiorum aliorum quietem exoriuntur, niſi cùm pars eorum fuere. Data inſuper venia ſcriptoribus fuit haec ſẽper, vt miſcendo aliena ſuis, illuſtriora omnia facerẽt; duoq; florẽtiſſimi rerum Romanarum authores, quorum alter perpetua & profluẽti laudatur vbertate, preſſis alter elegantibusq; verſutijs, horriduli, quidam, & ingrati hodie noſtris eſſent hominibus, niſi Carthago, & Saguntus, & Macedonia, Graecorũq; tumultus, & Armenii, & Parthi, & ipſa colluuies Hebreorum, & quicquid orbe toto incolitur ſiue noſcitatur, inter Caeſarum, & Quiritum inclyta facta, aſſumi litteris eorum potuiſſent. Rudis noſtra, & ſimpliciſſimae incomptae veritatis alumna narratio, non longinqua illa & peregrina diſcreta mari alpibuſque, & ſolitudinibus interiectis aſſumit, ſed

intra

intra patriae moenia conſiſtens, tractat diſcrimina vrbis, ciuium conſilia, & res geſtas, incurſus hoſtiles, Reip. formam, & priuatae quoque fortunae caſus, ſcelera hominum, & virtutes, quarum rerum viciſſitudini ineſt Eccleſiae ſtatus; neque aliter annales hiſtoriaeve ullae, ſacra religionesque peregerint, quàm profana etiam iſthaec percurrendo, & intexendo. Franciſcus Fontana, qui Friſetio mortuo, Eccleſiam hoc tẽpore noſtram Archiepicopus habebat, praeſederat prius Eccleſiae Meſſanẽſi, indeque pulſus, Nolanum aliquandiu populum rexerat nihilo feliciore ibi ob temporum inſaniam pontificatu, quàm apud Siculos olim, & poſtea apud Insubres; propriumque viri fuit huius, in magna paſtorali virtute magnoquè animo, lacrymas tantum, & lamenta dare ſubiectorum malis. Remedia caetera magnitudine malorum excludebantur; nec vnquam ille virtutis explicandae locum inuenit, cùm admiratione virtutis, ab Eccleſia translatus ad Eccleſiam, ceu remedium, aliquod vnicum, & diuinum perditis ea tẽpeſtate mortalium rebus ipſe admoueretur. Ab hoc Archiepiſcopo Fontana Gulielmus Bruſatus equeſtri dignitate ornatur, quod prodidere temporum eorum ſcriptores, neq; propter actionis, vt exiſtimo amplitudinem, neque propter hominis ipſius ſplendorem, sed quia familia ea Burſatorum, ob fidem erga Metropolim vnà cum familijs alijs eiecta Nouarienſi agro Mediolanum venerat, eiſque exulibus, tanquam in noua patria blandimenta honorum dabantur. Non

interim

interim Mediolani vlla erat ab armis quies, impetrate nimirum ſubinde Matthaeo ad reſurgendum auxilia aliqua ab ijsdem, vt dixi, qui ſtantem euerterant, viciſſimq; Metropoli ciente ſuas, & fidelium ſuorum vires, non tam aduersus Matthaeum, quàm aduersus eos, quorum ille fiducia praeſidioq; adhuc nitebatur. Tunc in foederis rebelles noua inibantur foedera cum ciuitatum earum rebellibus; & horum quotidie agmina Mediolanum in noſtra caſtra ſeſe conferebant. Venere inter caeteros, ab Nouaria Bruſatus ille quem ab Archiepiſcopo Fontana, equitem fuiſſe factum memoraui; Simon Carobianus ab Vercellis; Aduocatus Madius ab Como; aliunde alii acres bello, & cum ſua quiſq; clientum, ſiue conſanguineorum manu. Ioannes Montisferrati Demarchus quatuor millia peditum, & delectos equites duxit. Is cum familia ſua in aedibus Ambroſianis eſt diuerſatus. Exercitum Ticini reliquerat. Reip. nomine paratus alius exercitus fuit, facile ſuffecturus aduerſus eum motũ, etiã ſi nulla externa auxilia acceſſiſſent. Praecipua erat in Placentinos ira, quia ciuitas ea, nõ ſolùm ipſa deſciuiſſet, exuiſſetq; foederis fidem, ſed etiã hortatrix ad alias fuiſſet; princepsque gentis Albertus Scotus, mutando ſubinde ſocios, & amicos, leuitate ſua illa quodammodo illuſiſſe rebus videretur. Qua ira, Mediolanenses, ducto illuc exercitu, tantam agro Placentino vaſtitatem, tantumque vrbi terrorẽ intulere, vt Scotus, relicto principatu redigeret ſeſe in ordinem, vanosque suos mores, & illud mutabile

ingenium

ingenium transferret ad res priuatas, quas etiam repente pertaeſus, voluerat reſumere imperium, ſed faſtidio hominis, & Mediolanenſiũ metu ciues obſtitere. Vicecomes collectitio ſuo exercitu Belinzonã, inde Varisium vſque progeſſus, poſteaquam labi partes ſuas vidit, cœperat latitare rurſus & aliquãdiu nihil mouebat. Nec Turriani interea laeti detecto nobilium conſilio, qui delere internecione familiam, & patriã ſic liberare coniurarant. Inde exilia, & proſcriptiones, & peruagãte magnas domos pœna coniurationis, execratus paſſim dies ille, quo exſules eos in vrbem, poſtea in principem vrbis locum admiſiſſent. Cûm haec Mediolani forma rerum eſſet, ſacraeq; res & profanae, & ſemper admiſta domeſticis externa ſic haberentur, exibat annus humanae ſalutis milleſimus trecenteſimus octauus, quo non fere plenior alter Eccleſiae Mediolanenſi triſtium ambiguarumq; rerum fuit. Perculit exitus huius anni graui clade Turrianos, extinctis intra paucos dies, Muſca & Martino, viris acribus & inquietis magnae famae cupidine, vt cum eorum vita concidiſſe ſpes in poſterum & conſilia Domus viderentur. Muſca confectus aliquot tabe menſium obijt Octobri praecipitante, Martinus ineunte Nouembri, continuatis prope funeribus, quæ funera Ciuitatem in diuerſum affecere, prout oderant homines, aut fauebant. Etiam Eccleſiae ſtudia diſparia in mortuos apparuerunt. Nam ad priores exequias, ordines vniuerſi prodiere cum inſignibus ſuis, atq; pagatim ex agro ſuburbano ſacerdotes adfuere.

Stratum

Stratum erat feretrum verſicolori pretioſa pelle: conchiliatam vmbellam, quattuor viri militares totidem haſtis attollebant: corpus exanime purpurea in veſte Franciſcanae Aedi eſt illatum. Martino, neque Cleri, neque vmbellae honos idem fuit. Sed pompam aunere circumfuſi equites obuerſis in terram clypeis trahentes vexilla per vias. Huic priuato luctui, publicus Eccleſiae luctus adiungitur, detecto Dulcini cuiuſdam ſcelere, quod pertinuit ad vrbem deprauandam inficiendamq; religionem. Homo Mediolanenſis hic fuit Dulcinus; & qui rem tradidere, Fratrem vocant. Sed neque cuius ordinis fuerit, perſcriptum extat in vllis annalibus, neque nos ignorationem hanc eſſe iacturã vllorum hominum arbitramur. Secutus ab ineunte aetate ſanctiorem intra clauſtra vitam, aliquandiu ſteterat inter aequales abſque labe, non ſegnis idem ad litterarum ſtudia, quae in Monaſterijs celebrantur. Poſtea degenerauerat in perditos mores, & opiniones malas, & ſuam vrbe tota ſectam occulte proſeminabat, expertâ nimium ſaepe talium ingenorum importunitate, vt ſocios errorum quaerant. Sacri Quaeſitores, re comperta, cùm illico prehendi hominem iuſſiſſent, aufugit ille arreptâ ſecum mulierculâ, quam ſtupro ſimul, & diſciplina ſibi deuinctam habebat. Secuti deinde complures, qui, vel miſere corrupti, viam illam eſſe ſalutis opinarentur, vel deprehenſo ſcelerum magiſtro, perculſis ob conſcientiam animis, iudicij poenas timerent. Hi cũ duce ſuo, colles, qui ſunt circa Nouariam inſedere,

ſimplicesq; montanos in ſuum dogma trahebant, donec ſatellite immiſſo, capti ſunt ad vnum omnes, & in proxima Vercellarum vrbe cremati. Hoc ea tempeſtate triſte ſpectaculum, & exemplum Vrbs noſtra tulit. Inſequente anno, Franciſcus Archiepiſcopus moritur apud Angleriam in arce; cùm ciuiles turbas, atque temporum eorum mala pertaeſus, ibi hyemem ageret, captus etiam amœnitate loci. Namque Angleria in Verbani lacus littore ſita contra Aronam, fruitur Oppidi montiumque proſpectu, & late fluentibus aquarum ſpatijs, & puro ac patenti celo, nec alibi rigor anni minus ſentitur, vbi ſol curſum ſuum ad ſeptemtriones inflexit. Poſſeſſa fere ſemper antiquitus Archiepiſcopo Mediolanenſi, dein verſis rebus, & dilapſa veteris potentiae mole ſaepe principes mutauit, donec vnà cum reliquo Verbani lacus dominatu perueniret ad Comites Borromaeos, ac rurſus excideret ex ea domo rurſusque reſtitueretur vt memorabo ſi contigerit, vt noſtri acui varietates attingam. Tunc Pontifici noſtro manebat Angleria, ſimul aduerſus pericula munimentum, ſimul ad valetudinum & curarum incommoda ſeceſſus opportunus, quam vtramque commoditatem ſecutus hoc tempore Franciſcus ferebatur. Sed mors etiam ibi ſenem inuenit. Indoluere Mediolanenſes plus aliquanto quàm vt externus deceſſiſſe Pontifex videretur; nec fortaſſe noſtratium aliquis poſt Sanctorum aetates antea pari deſiderio celebratus erat. Adeò ille, cùm Ciuitate Parmenſis eſſet, vt pro Mediolanenſi ciue haberetur, effecerat

cerat comitate in omnes, nec ſe ſe partibus vllis adiungendo, quae duae res communia ſunt officia peregrinorum in aliena ciuitate, & vbique propria illius, qui Paſtor eſſe populorũ velit. Non tamen defuere veteris memoriae varietates, quae factioſum exulemque facerent, & Anglerienſem arcem exſilij ſedem Archiepiſcopo, non partem Eccleſiaſtici dominatus fuiſſe commentarentur. Corpus quod fuerat huius Archiepiſcopi, cùm Mediolanum ſepulturae cauſa deportaretur, miſta ciuium, & clericorum agmina duxere funus: tumulus in Templo maximo paratus erat: ibi peracta eſt ſepultura: nec de ſucceſſore dubitatum. Caſſonus Turrianus ex Ordinariorum Collegio ſupra ceteros eminebat dignitate vitae, & ingenuarum artium diſciplinis, quantum in ea temporum, & rerum perturbatione excellere quiſquam poſſet. Aderat familiae fauor, quae ſaeuos Reip. cauſâ perpeſſa caſus, hoc etiam poſcere ſolatium videbatur. Et Muſca pater recenti ſui nominis memoria, filio commendationem addebat. Atque ipſe manifeſtus erat, generis fiducia priuatam illam quietem detrectans, & ſplendidius ampliusq; nonnihil appetens, quám quantum illud Canonici Ordinarij nomen haberetur. Quippe diu cuſtoditus inter primores honor ad plebeios promiſcue vulgari cœptus erat; & dum turbatur haec Patria bellis, aliqui peruenerant in Collegium, quos optimates eſſe ſibi dedecoros putabant. Ita Caſſonũ, neq; obſcure, neq; indigne petentem, Patres Archiepiſcopũ renuntiauere, conſentientibus etiam eorũ ſuffragijs,

quos nuper in ordinem aſcitos, nobilitas multùm infra ſe deſpectando, penitus à ſe alienarat. Placabat, ſiue continebat offenſos eorum animos, reſurgens iterum in Guidone poſt Muſcam & Martinum potentia Turrianorum; eaq; Domus duplici nuper funere afflicta, dein excitata rurſus, terrore ſui nominis frenabat ciuium animos, veluti cùm vnus dominatur. Namq; Guido Franciſci F. Ducis nomine Remp. obtinebat, magni animi vir, & fraterna ad eam diem, ſicuti videbatur, in ſuos caritate; necdum venerant ea diſſidia, quae poſtea domum funditus vniuerſam euerterunt. Simul atq; ſui ſanguinis habere ſe Pontificem vidit, velut in libera ciuitate, tulit ad Populum, vellent iuberent, mitti publice legatos ad Sedis Apoſtolicæ legatum, vt, quem Canonici Ordinarij ſuo iure Archiepiſcopum Eccleſiae Mediolanenſis nominauiſſent, ei ratus honos fieret auctoritate ſuprema; ſubiecitque pauca de viri laudibus, & ſuae Domus aduerſis, & vt ea tandem conquieſceret. Decreta repente legatio, quam poſtularat, & clariſſimus quiſque in eam delecti, attributo ſexaginta dierum ſumptu, vt ſinguli ſenos equites ducerent; cumq; pecunia non ſuppeteret ex aerario, ab ipſo Guidone mutuam ſumpſere. Cortenae in Etruria legatus Apoſtolicus agebat. Eò Mediolanenſes iere, & expoſita nominatione Collegij, conſenſuq; Ciuitatis, vt rei totius auctor fieret, impetrauerunt. Sunt, qui Caſſonum ipſum iuiſſe vnà cum legatis tradant; inde domum redeuntem, in Clarae Vallis Monaſterio ſubſtitiſſe per aliquot dies; effuſa illuc

ciui-

ciuitate deductum in Vrbem; quomodo veteres imperatores triumphabant, inſtructa fuiſſe omnia Guidonis aſtu ad populũ alliciendum, cuius animi plerumq; capiuntur inanibus, neq; quicquam tantopere valet ibi, quàm ſpecies, & ea, quae ſenſibus hauriuntur. Ferme ſub ingreſſum hunc noui Pontificis in vrbem, cùm principum aliqui, ſeq; & patriam, & libertatem ſerò reſpicientes, aduocata in Palatium concione, de mutando Duce ſalubre conſilium expoſuiſſent, attonitos atq; trepidos ad eam rem animos inuenere multitudinis, haud alia magis gratia, quám ob recentem, ſicuti traditum eſt in capeſſendo Pontificatu ſplendorem & maieſtatem. Proponebant principes veterem illam, & in omni bene temperata ciuitate ſemper adhibitam rationem, ne magna imperia perpetua forent. Dulce libertatis nomen, inſtituta maiorum, pericula nimiarum opum, & quantó melius foret, eos imperare, qui viciſſim eſſe parendum ſcirent, quám vnum potiri rerum. Haec omnia primò clandeſtinis agitata ſermonibus, etiam libere memorabantur ab illis, qui nobilitate ingenita contemnere Turrianum poterant. Sed quia capta multitudo erat ſplendore nominis, fruſtra fuere. Inſidebat enim animis & adhuc obuerſabatur ante oculos illa ratò antea, poſtue ſpectata rerum & hominum amplitudo, cùm Archiepiſcopus Caſſonus & Guido Princeps, Metropolim hanc, & velut vna in domo conſtipatum honorum florem ſuo capite gerentes inueherentur. Illos ipſos abrogandi principatus auctores, meminerant, quaſi calones lixaſq; Tur-

Turrianorum inceſſiſſe. Strata coronis itinera, veſtiti parietes auro, egeſta in publicum omnia, quae priuatim ad magnificentiam & ornatum expetuntur, portae triumphales immiſtae caelo, celum ipſum, quacunq; pompa incederet, purpura ſiue linteo inumbratum, & tota denique illo die in equis ciuitas, deliberanti nunc, ſiue potius inſanienti populo caliginem offundebant, vt quos in tanto ſplendore conſpexerant, eos ſupra mortale faſtigium, animorum ſuorum exiſtimatione collocarent. Prope ſubibat religio ſtatuendi & committendi quod offendere Domum eam poſſet. Atque auxit admirationem, perculitq; vehementius animos ipſe Guido, cùm effatus pauca, vt poſitis ſtudijs, Ducem crearent optimum, è concione ſtatim abijſſet. Videbatur, Patriae ſalutem ante res omnes habuiſſe, deceſſiſſe Concilio, ne praeſens obſtaret libertati. Tantò promptius eum, non refecere modò, ſed perpetuum eſſe Ducem Reip. Mediolanenſis iuſſerunt. Caſſonus inde Archiepiſcopus ab Epiſcopo Nouarienſi, ſummi Pontificis nomine, ſacris initiatur, quæ ſollennia erant conſecrando populorum Paſtori. Caeremonia peracta eſt in Templo maximo, cuius ordinem antiquiſſimae tabulae ſic breuiter exſequuntur. Feciſſe Nouarienſem ad Aram cum ſymphonia & cantu. Prolato diplomate ſtolam albam indidiſſe Caſſono; Crucem tradidiſſe, quae praeferretur. Cùm Turriani tenentes in hunc modum vrbem vtroq. dominatu ſtarent in ſummo rerum culmine, Guido eſt auſus inſultare Vicecomiti, & afflictam illius fortunam inceſſere ludo, qui multarum

lacri-

lacrimarum ipſi praeſagium tulit. Scilicet vt eo praeſagio deuoueretur excidio tota Turrianorum Domus, atque ſuſpicionibus primò, deinde iniurijs in ſe ipſam concitata diſſiliret, & paulo antea felices illi, Caſſonus Archiepiſcopus, & Guido patriae pater habitus, duo inuicem exempla rerum humanarum fierent. Matthaeus Vicecomes, poſt opes acciſas morabatur in agro Veroneuſi, locoq; Nugarola nomen eſt, vbi ille, quaſi veterum philoſophorum vnus, caſum ſapienter aduerſum tolerabat. Illic in Atheſis ripa comite vno die quodam inambulantem conuenere qui tria ſimul haec Guidonis nomine percontarentur. Ecquid ageret? An ſperaret aliquando, ſe futurum eſſe Mediolani? Ac, ſi ſpem eam agitaret, quam fore ſui reditus diem, quodue tempus arbitraretur? Vt ibat, manu virgam tenens, ita reſponſum dedit, Guidoni quod referrent. Ipſos vidiſſe quid ageret. Credere ſe venturum in Patriam; & fore compotem Vrbis, tunc cùm peccata Turrianorum, in altera poſita diuinae librae lance, peccatis propenderent illis, quae ipſum expuliſſent. Non exulis eam, ſed veluti miſſam e celo fuiſſe vocem declarabunt ea, quae ſunt inſecuta. Iam enim fatum appetebat, non vanum atq; ſuperſtitioſum illud, quod plena errorum antiquitas, neceſſitatem & nexum eſſe cauſarum credidit, ſed vere ineluctabile aliud ex caeleſti in humanas fraudes ira, quae lentos ſaepe gradus mouet ex longinquo & inopinato. Neque tamen Vicecomes ipſe poſtea diu vitaturus erat idem telum, diùue melior erat futurus. Turriana

res ita deleta eſt, vti demonſtrabo. Fortè acciderat, vt rem Ferrarienſem, intercisa legitima & iuſta Ducum ſucceſſione, Romanus vindicaret, obturbantesq; Venetos, bello acerrimo perſequeretur. Et quia non ſatis proficiebant arma; Pontifici viſum, vti rem gereret alteris etiam armis, quae aqua & igni perduelles impios arcent; eiusq; rei cauſa, ſedens Mediolani Cardinalis Arnaldus edixerat cunctis per Italiam Epiſcopis, vti Bononiam conuenirent. Caſſonus Archiepiſcopus ad Concilium iuit ita, ſicuti oporteret conſpici tantae Vrbis Pontificem; & quò ſpectatior iret, additi equites ab Guidone, comitatus omnis ad regiae penè fortunae ſimilitudinem inſtructus. Fueritne vetus ſimultas, & odium iam inde á principio incluſum animis, qualia etiam inter proximos venena tecta ſaepe mutuis blandimentis nutriuntur: an ſubita res, an ſine re, mala ſuspicio, haud ego pro certo affirmauerim. Sanè poſtquam Caſſonus Archiepiſcopus ex Bononienſi illo conuentu Mediolanum redierat, infenſa & infida eſſe omnia, inter ipſum, & Guidonem cœpere, diuisaq; Domus in hunc, aut illum, euertere ſeipſam, & conuellere à fundamentis properabat. Tumere animi, mutari vultus, intermitti colloquia, declinari patruelium fratrum occurſus; ex vtraq; parte comparari gratiarum externarum ſubſidia, velut ad res nouas & magnas. Ciues reliqui, videbant quidem non ſanas eſſe mentes, ſed quid eſſet negotij, nondum plane ſuſpicabantur. Parari vim aliquam, aut timeri, ſimulari domeſticas inimicitias, & alijs imminere malum; vel ſi nihil ſimularetur,

laretur, armari Turrianos in mutuam perniciem apparebat. Quotidie noua hominum ora conſpiciebantur,& ex agris armati veniebant in vrbem. Cùm rebus & opinionibus huiuſmodi ſuspenſa ciuitas eſſet, erectiq; ſtarent omnes ad id quod fortuna ſpectaculum pararet, peperit denique Guidonis animus ea, quae iam dudum parturiebat. Ad Cal. Octobris, conuenire & adeſſe Turrianos omnes in Templum Maximum iubet; eſſe quae de reconciliandis animis & de maximis familiae rebus agere communiter velit. Spes iniecta concordiae, ſummum imperium, religio quoq; loci, & ad extremum, fiducia conſanguinitatis, fecit vt frequentes adeſſent, rati poſſe placari ſiquid inter ipſos eſſet offenſum; necdum interceſſiſſe tantas iniurias, vt ſub tutela Templi auguſtiſſimi violari deberent. Archiepiſcopus ipſe non recuſauit intereſſe conuentui. Poſtquam omnes adfuere, ceteris intactis, Archiepiſcopo fratribusq; manus inijciuntur. Ille cohibetur intra Palatium, appoſito etiam ad fores milite; fratres Angleriam in arcem aſportati & incluſi. His nomina fuere. Paganus, Eduardus, & Moſchinus. Napino, quem ſimul comprehendere deſtinatum erat, profuit illo die caſus, cùm forte in agro, volatu accipitrum oblectaretur. Nuntiato tumultu, proripuit ſe ſe repente Tricium, atq; ibi occupata & munita arce tranſitum illius tempeſtatis expectabat. Reliqui Turriani, cùm intra Archiepiſcopi domum ſtetiſſe iniuriam, ſeq; paucorũ periculo eſſe defunctos viderent, aliquantum ex ea ſollicitudine, quae nuper omnes habebat, remiſere. Reputabant,

tabant, non eſſe ſaeuitum in alicuius vitam, laxè cuſtodiri domi ſuae Pontificem; poſſe iuſtam ſubeſſe causã; & fortaſſe ſuſpiciones & odia potiſſimum huc vergebant. At Guido, poſtridie quàm haec erant geſta, conuocat iterum gentiles ſuos, & cùm illi non detrectaſſent, orationem habuit, qua pietatis ſimul, & grauiũ irarum ſigna permiſceret. Non dici poſſe quanta recuſatione animi, quantisq; dilationibus ad conſilium neceſſarium acceſſiſſet, vt ſacrae poteſtati, vt ſanguini ſuo faceret illud, quod pridie eſſe factum vidiſſent. Beneficijs ſuis ſemper ornatam domum, gratiam hanc referre propinquo, & parenti, & principi, vt in ipſius damna ſeſe cum hoſte conſociaret. Atque, Caſſonum Archiepiſcopum illum, à quo moneri & corrigi caeteros oporteret, vltro auctorem eſſe conſiliorum, vltro, quantum iu ipſo foret, iam Vicecomitem in vrbem introduxiſſe. Nam, ne ignoretis, inquit, Matthaei neptis deſponſa Moſchino eſt, huius noſtri Pontificis fratri: „Napino altera neptis eiuſdem Matthaei datur: Paga„nus Giberti Corregienſis affinem in matrimonium du„cit, quae connubia, inſtrumenta ſibi in nos Archiepiſ„copus qnaeſiuit. Et nuperrime ille; cùm Bononia m „Concilij cauſa proficiſceretur, iter illud à ſummis Ec„cleſiae rebus Apoſtolicisq; mandatis, conuertit ad ex„cidium veſtrum, & meum, & Patriae totius. Quippe „Parmae ſunt ab eo inita conſilia cum Corregienſi, vt ſi „ego ad Caſſanum acceſſiſſem, in traiectu Abduae flu„minis interficerer, & capite ſublato, Patriam hanc in„ter ſe diriperent hoſtes noſtri. Subiecit inde Guido,

huius

huius parati facinoris & initi conſilij teſtimonia & in dicia, quae haberet; ac nominatim, Philippo Languſco, & Antonio Laudenſi notam eſſe rem affirmauit. Erant in Concilio, praeter Turrianos, Tegnacca Palauicinus, Iacobus Moncia, Philippus Motta Principes Nobilitatis, alijq; praeterea, quos Turriani ſecum ob priuatas quisq; neceſſitudines & amicitias in eum locum adduxerant, ad caſuum atq; ſuſpicionum incerta. Hi magnopere cœpere Guidonem hortari, vt, & ſacrae dignitatis in Archiepiſcopo, & propinquitatis in fratribus meminiſſet. Reſpiceret communes atauos, & Patriam, & ſeipſum, neue ſe ſe demitteret eò, vnde receptum poſtea non haberet. Hoſtes illos ipſos, cum quibus Archiepiſcopi domum affinitatibus eſſe conſociatam indignaretur, poſſe connubiorum pignore, & caritate reconciliari. Sin animos gererent implacabiles & malignos, non offerendam illis in ſinum tantam eſſe fortunam, quanta maiorem optare ne ipſi quidem poſſent, ſi rueret in ſe domus, ac ſine vlla externa vi, domeſtico furore cruentaretur. Quòd inſtructum dolis flumen, & paratam in Abdua ſibi fuiſſe necem dicat, valde eſſe videndum, ne capitaliſſimæ ſint eorum inſidiae, qui tales ad metum inſidias proponant. An aliquid poſſe dici tam incredibile, quàm hoc? Guidoni Turriano, Principi Mediolanenſium; quem Vrbis arma circumſtent, antecedant, ſequantur, & tanta vndique cingat excelſae fortunae moles; huic igitur in ſuburbana prope aqua, fraudem & vim externam eſſe collocatam? Ac ſi tamen aliquid fuerit, po-

tius oportere ſanari lenibus remedijs animos', & venerari Deum, atq; tutelares vrbis Diuos, quòd arcana coniurationis retexerint, quàm vlciſcendo, aſſequi, vt aliud ex alio malum renaſcatur. Nam hunc ſemper coniurationum violenter oppreſſarum exitum fuiſſe. Guido reſpondit, cordi fore ſibi conſilium amantiſſime quod proponeretur, & habiturum eſſe rationem, vt ne Populo Mediolanenſi tam bene de ſe merito vlla in re diſpliceret. Interea, Caſſonus Archiepiſcopus cingebatur in dies acriore cuſtodia, Palatij valuas, aditusq; & exitus omneis obſidebant armati; conditiones variae proponebantur, quarum iniquitate, poteſtas auguſtiſſima redimeret illius domeſtici carceris ignominiam, & captiuos fratres. Conditiones autem eae quaenam fuerint, minime traditum eſt; ſed licet coniecturam capere de caeteris ex vna, qua fundos ad Saluanetium vberrimos ac late patentes in ea captiuitate dimiſiſſe Archiepiſcopum conſtat. Vicesimus iam erat dies à primo captiuitatis die, cùm legatus Apoſtolicus, quem ob rem Ferrarienſem, & Veneta arma, miſsum fuiſse memoraui, re comperta, Guidoni, & filijs eius cũ horrendo carmine ſacris interdixit. Eius interdicti auctoritas in oppido ſancti Michaelis publicis tabulis conſignata eſt, & Epiſcopo Nouocomenſi negotiũ datum, vt illo triſti munere defungeretur, atq; ſuperba ſubeundo limina, caeleſtes diras ad Guidonem & filios introferret. Enimverò, tunc maxime ſi vnquã alias eſt intellectum; quàm tremenda ſit poteſtas illius Apoſtolici fulminis, quo protinus concidunt, non af-

ſlata modò corpora, ſed vniuerſae domus, tota viciniтas, ipſe ciuitates eodē ictu, i& ſortis humanae commercium obmuteſcit. Statim vbi Guido cum ſua prole tergemina tactus eſt hoc fulmine, ceu deforme animal, omni paulatim dilabente miniſterio deſtituebatur. Abierunt ex aula, primò innocentiſſimus quisque, deinde his proximi, poſtremò ſeruorum vulgus, & amicorum intimi, raraq; per vrbem adulatio principem agnoſcebat. Paganus Turrianus erat Epiſcopus Patauij, columen familiae propter ſeueros mores & magnam famam, nec ſe ſe antea gentis ſuae turbis implicarat. Is, cognito rerum ſtatu, quae Mediolani gerebantur, &, quemadmodum Guido princeps Vrbis, Archiepiſcopo violato, meruiſſet extrema, dignam ſua grauitate actionem ſuſcepit placandorum animorum, & eius rei cauſa Mediolanum venit. Simul etiam vicinae Ciuitates erga Metropolin adulatione & ſtudio, vel quòd ſua intereſſe arbitrarentur, deſtinauere pacificatores legatos, quorum nomina in publicis taqulis hoc ordine ſunt reperta. LEGATI CIVITATVM AD PACEM INTER CASSONVM ARCHIEP. ET GVIDONEM DVCEM ET SECTATORES PARTIS VTRIVSQ; FACIENDAM. Philippus Languscus Legatus Ticini. Antonius Legatus Laudis Pompeiae. Gulielmus Bruſatus Legatus Nouariae. Simon Carrubianus legatus Vercellarum, Venturinus Bencionus Legatus Cremae. Vrbs Nouocomum, & Vrbs Bergomum binos legauere, quorum nomina ſunt omiſſa; titulus tantum modo

Lega-

Legationis manet. Harum Ciuitatum Legati cum Antiſtite Patauino communicantes quotidie conſilia, excuſantes iniuriam, auctorem iniuriae mitigãtes, omnem honeſtae ſatisfactionis viam, & inpoſterum ſtabilimenta pacis exſequebantur. Facilè partium animos in praeſentia compoſuere. Quippe Caſſono Archiepiſcopo magnum ad omnia vinculum erat, circumdata domus in carceris formam, incluſi carcere fratres, & procliuis ad vlteriora tranſitus: illum alterũ irata lux, alienata prope vita, & minitans quodammodo caelum, accipiendae paci facilem dabant. Et tamen neſcio quomodo non ſine magno Pontificis dedecore, Guido ſuperior in conditionibus fuit. Ad v. Cal. Nouembris in templo maximo facta qualiſcunq; pax inter Caſſonum & Guidonem, eiusq; pacis tabulae recitatae magna voce, vt omnes audirent. Iurauit Archiepiſcopus, ſe nulla in re aduerſarium fore Guidoni Turriano gentili ſuo; rem, ſalutẽ, commodaq; eius cum tota domo propugnaturum eſſe. Viciſſim ipſe Guido ſua carmina, ſuumq; iuſiurãdum peregit. Legati nihil iurauerunt; affirmauere tantùm, ſe ſuis & Ciuitatum ſuarum opibus adnixuros, vt ea, quae iurata eſſent, ſanctè inuiolateq; cuſtodirentur. Sed vana erãt omnia propter paratũ excidium imminentemq; finem vniuerſo Turrianorum dominatui, de quo Matthaeus Vicecomes olim in vatis prope modum cecinerat, cùm diceret; vbi Domus illa peccatis anteſtaret, tunc fore, vt pulſi pellerent expulſores, ipſeq; in Patriã rediret. Ea ſcilicet hora, idq; fatum, non iam appropin-

pinquabat, ſed erat in ipſo prope limine, rapidum idem & occultum, & poſt longa curricula inſidians vni iam pene momento. Fuerat inter conditiones, vt ab ea caeremonia quam retuli, protinus Archiepiſcopus in extremos prouinciae fines iret, abijtq; minitans Guidoni, & coquens in ipſo itinere conſilia rerum euertendarum. Potuit offenſus animus, & in ipſa concordiæ ſimulatione plenus irarum, alia quoq; ſecum agitaſſe pernicioſa & funeſta, quae poſcerent occaſionum interualla & maturitatem ſuam. Promptiſſimum omnium fuit, acceſſere externa arma in Italiam, & Henrico Lucimburgo, qui fuerat Romanorum Imperator electus, offerre ſpem alterius Imperij, diuiſam factionibus vrbem, ſub tyranno male quietos animos ciuium, atq; praeter vulgata haec, occultas etiam opportunitates notas ei, qui ſemper in hac vrbe, pars maxima rerum fuiſſet. Nec deerant velamenta conſilio, ſi ſine armis diſſimulanter ac tuto geri rem placeret. Namq; ferreo diademate coronari in Italia Caeſarem antiquus erat mos, idq; diadema Modoetiae veluti magnum Imperij ſacrum adſeruabatur. Poſſe Caeſarem, petendae coronae ſimulatione venire Mediolanum, & turbatis iam rebus, ſatis fore ſi conſpiceretur. Haud ſane diſplicet res Henrico, miſſaq; Romam legatione per ſpeciem obſequij, Apoſtolicam etiam auctoritatem inſerere conatibus, ob negotij magnitudinem, & varios hominum ſenſus decreuit. Perijt vt ſibi ad capeſſenda Imperij ſolennia venire in Italiam liceret. Id facilè impetratum

tratum. Cardinales etiam miſſi quatuor itineris comites. Ipse priusquam iter ingrederetur, Conſtantienſem Antiſtitem præmiſit, qui Ciuitates, & Principes Italici nominis doceret de aduentu ſuo, & quemadmodum ea pacata profectio, ſalutarisq; omnibus futura eſſet. Ac ceterae quidem per Italiam poteſtates, populiq; cuncti, quacunq; Conſtantienſis inceſſit, oſtendere laetos animos, aut ſimulauere. Mediolani Guido Turrianus, neque laetus fuit ea re, quae nuntiabatur, neque paruit notiſſimae regnantium arti, vt quod intus nō erat, id fronte ſaltem, & oculis, & aliquo ſermone mentiretur. Senſerat, ſiue ſuſpicabatur, Archiepiſcopi exulantis hanc eſſe machinationem; eum priuatas iniurias, familiae ruinis, & patriae ſeruitio vltum iuiſſe. Iam enim praeter Archiepiſcopi negotiationem & fremitum, & minas, quae ab exilio penetrabant in vrbem, ipſius quoq; proximi palam Henricum accerſebant. Et incluſi ad Angleriam fratres, Eduardus, Paganus, & Moſchinus, quamquam acerrime cuſtodirentur, quibuſcunq; poterant colloquijs & litteris miſcebant lacrimas & queſtus, probra in Guidonem, Caeſaris laudes: ipſius pene Ciuitatis voce liberator Henricus expetebatur. Guido, cùm partium ſuarum homines, in quibus ſpei plurimum habebat, ex vicinis ciuitatibus euocaſſet, atq; collato cum ijs capite, conſilia repellendi Caeſaris agitaret, triſte in eo conuentu reſponſum accepit. Conſensu namq; omnes, accipiendum eſſe patentibus portis, & negotium fore ſalutare totius Italiae rebus acclamauerunt. Quo responſo

con-

concidit animus Ducis,& adeſſe vltorem Archiepiſcopi Deum ſenſit; iamq; Caeſar aderat exunte Octobri Inſubriae limitem ingreſſus cum Germanorum principum,& Italicae nobilitatis cohorte. Proceres Eccleſiae, ciuitatum rectores, aut legati, noſtra cum exteris pompa Imperatorem deducebat, & quò propius incederet,eò plures confluebant. Ipſe comis alloquio, largus beneficijs, exhilarabat omnia; proſcriptos & exules in ſuam quemq; ciuitatem obuia liberalitate reducebat. Reſtituti praeter ceteros, Archiepiſcopus Rauennatenſis & Epiſcopus Tridenti;de Archiepiſcopo noſtro nihil eſſe traditum miror,cùm reductiones exulum aliorum ſint traditae & perſcriptae nominatim. Certè indicant Acta, Caſſonum Archiepiſcopum ab Caeſaris aduentu Mediolani reducem fuiſſe. Interea Matthaeus Vicecomes ille tanti nominis exul, cui quieſcenti triumphus ex victore olim hoſte pulcherrimus parabatur vnà cum Patriae dominatu,ſolerti conſilio fortunã ſuam adiuuit,fremente, ſicuti eſt animaduerſum, Archiepiſcopo Caſſono. Namq; Caſſonus, voluerat ille quidem perſequi ſuperbiam Guidonis,vlciſci contumelias, rerum ſummam aliò transferre; ceterùm, non erat ea res cordi, vt ſummum vrbis imperium ad aemulam ſuae genti domũ rediret. Euolui fortunae culmine Guidonẽ Turrianum;non autẽ pro Turriano dominari Vicecomitem volebat. Neq; recentes affinitates, & longinqua connubia, de quibus eſt demonſtratum,habebant eam caritatem,vt veteres atq; flagrantiſſimas inimicitias oblitterarent. Ac ſi ſubla-

tae forent inimicitiae, non tamen conſilium erat, Patriae principatum ei tradere, qui fuiſſet inimicus. Vicecomitis aſtus in ſtruẽdo ſibi ad Caeſarem, inde ad ſummam fortunam aditu, fuit huiuſmodi. Franciſcus Garbaniatenſis erat quidam in ipſo aetatis flore, cúm naturae muneribus excellens, tum ornamentis etiam illis, quae ipſi ſibi homines parant. Decorum corpus, dignitas oris, ſermo iucundus, ingenium ad omnia ſimulanda vel diſſimulanda promptum erat. Acceſſerant litterae interiores, diuq; verſatus in Patauino Gymnaſio, rationẽ Imperij, gentium inſtituta, vim naturae, diſſerendi ſubtilitatem, elegantis iudicij iuuenis comprehenderat. Poſt conſueta liberalium artium curricula, ciuilibus turbis immiſtus frequentarat partes maxime Gibellinas, & ob eam rem, aduerſae factionis opibus, ac potentia Turrianorum expulſus, Matthaeo comes exilij, reuolutus ad ſtudia litterarum, id malae fortunae ſolatium habebat. Sunt qui ſcribant, ob ingenij famam, aſcitũ fuiſſe inter eos, qui tradendis ſapientiae praeceptis, vel interpretãdo iuri ciuili per ea tempora Patauinae Academiae principes habebantur. Hunc ſibi Vicecomes, & vetuſtate amicitiae coniunctiſſimum, & ſtudijs iiſdem, aptum putauit ad ea exſequenda, quae deſtinabat. Itaque, cum eo collocutus de tota conſilij ſui ratione, rogat iuuenem, vt arma equumq; ſumat, & militariter ornatus, ſe ſe immiſceat in regium comitatum, quod perfacile foret, cùm alij quoq; reciperentur in eorum locum, quos longinquitas itineris, alijue caſus abſtuliſſent. Poſt ipſum habilitate

bilitate quadam ad Aulae conſuetudinem, & opportunitatibus alijs, quae in animo, quaeue extrinſecus adeſſent, innoteſcere primoribus, deinde per eos ad Regem introduci, leuem denique notitiam adducere in iura familiaris amicitiae. Id vbi ſucceſſiſſet, exponeret Regi, quomodo ſe ſe res tota Mediolanenſium haberet; oneraret merita inuidia Turrianos; nomen Vicecomitum extolleret, acſi quam de ipſo nominatim haberet honeſtam opinionem, parem in Regis animo ſenſum atq; miſericordiam afflictae virtutis excitare ſtuderet. Auctoritatem & pondus fore teſtimonio, quod vltro daretur abſenti, quodq; per fortuitos ſermones, dum nihil aliud quàm res ſimpliciter ipſae, & ea, quae fuiſſent geſta, memorarentur. Si quis eius commendationis & officij fructus extaret, fortunaq; melior ſequeretur; eum fructum, & eam fortunam ſciret Garbaniatenſis cum Vicecomitum Domo ſemper ſibi fore communem. Omnia ſicuti deſtinarat Vicecomes euenere; facilis iuueni aditus in regium comitatũ, mox apud Aulae principes gratia, inde familiaris cum ipſo Rege congreſſus, teſtimonio fides, exulis admiratio; tum, ea quae deinceps exponentur. Apud Haſtam vrbem agebat Henricus. Eò confeſtim euocari Matthaeum iubet tactus deſiderio viri propter ea, quae de ipſo Garbaniatenſis memorauerat. Neq; ille diſtulit iter. Benigne acceptus ita cum Caeſare egit, vt Garbaniatenſis minime adaequaſſe verbis animum exiſtimaretur. Ac tanta primo congreſſu fuit Henrici affabilitas erga Vicecomitem, vt, qui illic erant Archiep.

familiares aut propinqui non temperarent inuidia ſtimulante, quominus finito colloquio digredientem cõtumeliose inſectarentur, idq; Caeſar audiuit. Scilicet, ex tanta ſtatim comitate Regis in exulem, id quod futurum erat, augurabantur; ideo non continuere linguæ impetum, & animorum dolorem. Mox etiam Archiepiſcopus ipſe ſuperuenit, qui, ſiue ſuſpicatus latentem in proximo Vicecomitis fortunam, ſiue nondum plane ſuſpicatus, iungere cum eo ſtabilis amicitiae fœdus concupiuit. Nec ille abnuebat, gnarus primas dominandi ſpes omnibus auxilijs indigere. Et fortè aderant ex vtraque parte, quos ei fœderi ſanciundo intereſſe oporteret, qui omnes iurauere fore ſibi rata quaecunq; Caſſonus Archiepiſcopus & Matthaeus Vicecomes inter ſe pepigiſſent. Fœdus interpoſita Caeſaris auctoritate eſt initum, & obliuione praeteritorum indicta, hae conditiones inpoſterum placuere. Matthaeus vt in adminiſtratione Reip. nequid ſibi peteret nomine Ducis aut Vicarij, quae veterum certaminum atq; ſeditionum vocabula vrbem afflixiſſent. Staret ab Archiepiſcopo ſemper, domum eius, rem, Eccleſiamq; tueretur. Daret operam cum factione ſua quãtum poſſet eniti, vt Populi ſuffragijs eligeretur qui ſũmae rerum praeeſſet. Id Imperium eſſet annuum. Finitimae ciuitates ne laceſſerentur vllo bello donec in Archiepiſcopi fide manſiſſent. Reſtituerentur in vetus imperium, & Eccleſiae iuriſdictionem, Angleria, Vallis Aſſina, Varena, Trauallia, Derium, Bellanum, Leueũ, Caſtellantia, Mercurellum, Caſtanum, Variſium, Legna

num,

num, Concorretium, & cui ab opimo feraciq; agro Beatum pingue cognomen manet. Ea omnia, tempo-ſum & hominum iniurijs erepta Mediolanenſi Eccleſiae, promittebat Vicecomes adnixurum ſe ſuis opibus vt Archiepiſcopo, ſicut antea, parerent. Tritium verò & Bregnanum, & Vaprium, & Caſtelletum, fratribus Archiepiſcopi gentilitio iure poſſeſſa loca, ſi qua vis, aut iniuria, poteſtaſue tentauiſſet, obuiam ſeſe iturum idem recepit. Longa inde ſeries conditionum ſe-
» quebatur. Archiepiſcopo ſtipatores corporis aſſi-
» gnantor ex publico. Deriuationes aquarum ex Tici-
» no & Abdua fluminibus ad irrigandos Eccleſiae fun-
» dos, immunes ac liberae permittuntor. Archiepiſco-
» pus & Vicecomes, ad vitanda rixarum initia, ne fundũ,
» villam, domum, arcem, aedificanto, vel emunto, niſi
» duo millia paſſuum inter vtramq; poſſeſſionem inter-
» ſint. Fundos ad Saluanecium, quos Neapolio Pontifi-
» cis auus cum Celſiano Monaſterio permutauit, Vi-
» cecomes ne attingito, neue rem eam in controuerſiam
» vocato. Si quem Vicecomitem, aut ſiquem Turria-
» num in exſilium mitti contigerit, eius bona, Turriani
» exſulis, ad Caſſonum, Vicecomitis ad Matthaeum tran
» ſeunto. Si quae mulier, ex Vicecomitis domo nupſe-
» rit in Archiepiſcopi domum, ei mulieri dotis nomine
» dantor fundi, quos Matthaeus ad Bregnanum emptos
» habet; quod ſupra dotem ex agrorum pretio redunda
» bit, Turrianus refundito. Affinitates & connubia
» ſunto inter vtramq; domum; consociare ſanguinem,
» & miſcere, genus liceat. Archiepiſcopi arbitrium eſto,
quan-

quantas dari dotes iuſtum ſiet. Aduerſus ea, ſi quid ab alterutra parte commiſſum eſſet, ei qui receſſiſſet à conditionibus, lis aeſtimata floren. numm. XXX mill. eaq; mulcta vt toties exigeretur, quoties aliquid violatum eſſet, pepigere. Languſcus, & Aduocatus, & alij Guelfæ factionis homines aderant, cùm Archiſpiſcopum inter & Vicecomitem ea tranſigerentur. Hos tota res minime laetos habebat. Sed non erat id auctoritatis, vt praeſente Caeſare in tali negotio turbare quicquam poſſent. Conſilium quod poterant, vnicum iniere, tentandi ſi fortè à partibus Gibellinis ad Guelfas pellici ſe ſe Caeſar pateretur. Nam ſi eius rei facultatem aliquam haberent, poſſe Archiepiſcopum, poſſe Vicecomitem euerti ſummis Patriae rebus, quas iam inter ſe diuiſiſſent. Itaque cœpere varias iniicere moras, & ſtruere qualcunq; poſſent artes detinendo Caeſari, vt ſpatium haberent mouendi aliquid antequam ille Mediolanum veniret. Vercellis primo tentauere nonnihil, deinde cùm ibi parum procederet, Ticinum vti diuerteretur, ſuadebant. At Caſſonus Archiepiſcopus, & Matthaeus Vicecomes, artificio cognito, diiecere cunctationem, haec modò cùm dixiſſent; dolos ineſſe conſilijs, & ipſi Caeſari periculum in dilatione ſi ſegniter vrbem Mediolanum ingrederetur. Nam eſſe ibi nonnullos animo inimico, quorum anteuerti conatus oportet, & ne palam, aut occulte aliquid molirentur. Simul intulerant, ferream Coronam Imperij ſtabilimentum, fruſtra alijs quàm Gibellinae factionis opibus quaeri; hanc in ipſorum eſ-

ſe

ſe poteſtate ac manu. Ita Caeſar abrupit moras, repudiatisq; cunctatoribus, ex Vercellarũ vrbe, Nouariam, inde Mediolanum venit. Vicecomes pari cum Rege greſſu ſublimis ad dexteram equitabat. Reliqua exulum manus, vt quisque praecipuo odio pulſus à Turrianis fuerat, ita proximi ibant Regi; ſic traditum eſt. Quo magis miror, cùm pompa illa deſcriberetur, & incedentium ordo, praetermiſſum eſſe locum Archiepiſcopi, qui debuit inter primos eſſe, vel ob recentem gratiam, vel ob ſuam dignitatem, vel propter vrbem, in quam ibatur. Neque tamen ambigam, quin fuerit in reliquo ſacrorum procerum choro, qui Regẽ deducebant. Reliqui autem ſacri proceres fuere. Balduinus Archiepiſcopus Treuirorum. Papinianus Palmae. Gherardus Baſileae. Theobaldus Leodij. Legionenſis praeterea, & Conſtantienſis & cum Romana legatione longus Pontificum atque togatorum ordo. Nobilitas vniuerſa Mediolanenſis ad agri fines obuiã proceſſit; obſcurior turba more ſuo, moenia, tecta, vias impleuerat: cum Guidone tota Guelforum factio Caeſarem ad portam, quà ingreſſurus eſſet, expectauit. Superbum id viſum hoſpiti caeterisq; & auxerat offenſionem ipſe Guido, cùm in tanta publica gratulatione animaduerſus eſſet pene vnus obducta fronte confuſoq; vultu, dextera tenens vexillum, in quo Turrianae gentis inſignia depicta cernebantur. Nihil in tali tempore fieri alienius potuit, adeoq; irritauerat ea ſpecies animos, vt Germanorum aliquis arriperet id repente vexillum, & ignominioſe affligeret ad-

ter-

terram. Tunc Guido fremens & gemens deſcendit ex equo, pedemq; Caeſaris appropinquantis eſt, fortuna iam apertius minitante, deoſculatus. Ferunt, Henricum ſe ſe valde comem præbuiſſe Turriano, monuiſſe tantùm, vt in Caeſarum & Regum aduentu ſubmittere faſces diſceret, atq; addidiſſe vulgatum illud, ne aduerſus ſtimulum calces. His animis & hac frequentia Caeſar acceptus in vrbem, ferream Coronam ex Oppido Modoecia petere maturabat, eiq, negotio nihil eſſe prætuertendum ratus, iuſſit ſuo nomine dari litteras ad Archipresbyterũ, & Canonicos eius Eccleſiae, quarum litterarum ſententia haec fuit. Henricus Romanorum Rex Auguſtus Archipresbytero, & Canonicis Modoetiae, viris honeſtis. Sal. Quod caeteri ante nos fecere Romanorum Reges, id nobis etiam facere in animo eſt, vt ferream Coronam, quae in veſtri Templi theſauris adſeruatur, capiti noſtro rite imponendam curemus, cuius rei cauſa Italicum hoc iter eſt ſuſceptum: Cumq; nobis cordi ſit, vt omnia, quae ad eam rem pertinent, pro negotij dignitate adminiſtrentur; etiam colloqui vobiſcum de ratione caeremoniæ totius, & de Coronae ipſius antiquitate ac iure neceſſe habemus. Quare oportebit, Archipresbyterum vnà cum antiquiſſimis è Collegio venire quamprimum ad nos, & afferre litteras omneis, omnia priuilegia & monumenta, quibus ea caeremonia continetur. Id vt fiat magnopere vobis mandamus. Familiaribus verò noſtris, Alardo Robao, & Clephoni Gemulo, qui vobis has litteras reddent, fidem habebitis. Datae

Medio-

Mediolani.Cal.Ianuarij. Regni noſtri anno ſecundo Canonici litteris acceptis, regia mandata confeſtim exſequuntur. Mox ille Modoetiam iuit, vbi ſummo oppidanorum ſtudio adornata erant omnia celebrandae coronationi; Templumq; Baptiſtae, quod ibi religioſiſſimum antiquiſſimumq; eſt, regali inſtructum opulentia, Regis aduentum, & caeremoniae diem expectabat. Sed nulla prodidit hiſtoria, quo repentino caſu, quoue meditato conſilio factum fuerit, vt ea profectio, isq; apparatus ad irritum caderet, atque paulò poſt, conuerſo retrorſum itinere Caeſar Mediolani potius coronaretur. Modoetiae quod ſpatium Regia commorata eſt, id examinandis Turriani conſilijs, ineundisq; rationibus aduerſus illius meditamenta fuiſſe tranſactum; inde retro Mediolanum, vnde venerat, tetendiſſe Regem ferunt. Coronatus eſt in Baſilica Ambroſiana feſto Epiphaniae ſollenni, & Pontifices qui affuerunt, hoc ordine perhibentur. Archiepiſcopus Treuirorum. Archiepiſcop. Geneuenſis. Epiſcopus Brixiae Epiſcopus Vercellarum. Epiſcopus Nouariae. Epiſcopus Bergomi. Epiſcopus Laudis Pompeiae. Epiſcopus Patauij. Epiſcopus Veronae. Epiſcopus Mantuae. Epiſcopus Nouocomi. Epiſcopus Rhegii. Epiſcopus Mutinae. Epiſcopus Parmae. Epiſcopus Placentiae. Epiſcopus Derthonenſis. Tridentinus. Conſtantienſis. Baſileienſis. Haec apud Bernardinum Corium nomenclatura Pontificum eſt, in qua praetermiſſos eſſe non-

Ppp nullos

nullos reor, quippe qui, neque Germaniarum Antiſtites alios, neque Mediolanenſem Caſſonum videam in eo comparere numero, cùm tamen, & illos profectos e patria Caeſari comites itineris in Italiam veniſſe conſtet, & hunc in ſuam Eccleſiam hoc tempore fuiſſe reſtitutum cōiecturae omnes loquantur. Quorſum enim attinuerat confirmari pacem, iniri fœdus, & ex Caeſaris auctoritate quaſi diuidi rerum ſummam, Archiepiſcopum inter & Vicecomitem, vt ille poſtea in priſtina exilii calamitate, & ignominia relinqueretur? Laetiſſimae Caeſaris res, rerum initia tantarum, artes & praecepta regnandi, reducem Archiepiſcopum oſtentari popularibus, & in ſua collocari ſede poſtulabant. Caeterùm, ne qua Modoetienſi Templo fieret iniuria, neue municipes illi, iam inde à Longobardorum Imperio traditum ius amitterent; publicae tabulae confectae ſunt & recitatae: non oportere fraudi eſſe Modoetienſibus, quòd ſumendo ferreo diademati Caeſar Vrbem Mediolanū, & Baſilicam Ambroſianam elegiſſet. Larga deinde dona miſſa Modoetiam, non in Templum modò, ſed ciuibus priuatim, vt quiſq; ibi ea tempeſtate vir clariſſimus erat. Maiore in Mediolanenses liberalitate vſus, centum inſuper, & nonaginta nouem ornauit equeſtri dignitate, Matthaeoq; Vicecomiti principem eius Ordinis locum dedit.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Octauus.

IAM GVIDO Turrianus ceſſerat vrbis imperio, redactusq; erat ad res priuatas, non ſolùm ipſa Regis praeſentia, quae cuncta in ſe traheret, ſed ciuium etiam inclinatione, qui, vel ſtudiis erga Caeſarem, vel in Turrianum odiis, vel ſola rerum nouarum cupidine, regimen hoc externũ amplectebantur; ſui ciuis praefecturam, tyrannidem vocabant. Miſera ciuitas neque ibi repertura quietem erat. Poſt dominatum illum alienigenam, ſeruitij domeſtici neceſſitas inſtabat rurſus, & nouae ſeditiones, & veteres in Archiepiſcopum iniuriae, & ſemper vnius mali finis, vt grauius ex eo malum exſiſtat. Haec peragam ingenti calamitatum ſpectaculo, quaſi narrauerim ad huc vrbis otium, & pacis opera. Poſtquam Henricus Metropolim hanc, & cum ea reliquas Inſubriae Ciuitates, inteſtinis ipſarũ

certaminibus, Caſſonum Archiepiſcopum, & Matthaemum Vicecomitem, pulcherrimo Patriae munere ſibi obnoxios habebat, acceſſeratq; nomen Imperij, conſenſus Eccleſiae, Solenne Coronationis, haud dubie cuncta ipſi obediebant. Ciuitatibus dedit alijs alios Rectores; Mediolani Ioannem quendam hominem Gallum ſuo nomine Vicarium inſtituit. Is bimeſtri imperio nequam eſt repertus, Succeſſit alter Senenſis deterior etiam priore. De Caeſare ad Mediolanenſes, de Mediolanenſibus ad Caeſarem falsa referendo, ſuſpicionibus implebat animos; etiam Eccleſiae ſtatum & iura carpebat. Non Archiepiſcopus interea, non Vicecomes, quiue aderant huic aut illi, datam nuper inter ſe fidem admodum colebant; & celerrime res ad ſeditionem venit, qua Turriani deleti ſunt aut eiecti. Galeatius & Franceſchinus erant Mediolani principes iuuentutis; ille Matthaei filius, hic Guidonis; vterque ferox natalibus, & aetate, fortunaq; patris, alter quidem aduerſa, alter verò ſecunda. Turriano iuueni ſtimulabat animum tantarum amiſſarum opum acerba recordatio ſimul & adſpectus: Vicecomes videre patria in domo quàm exſpectare ſummum imperium malebat. Plenae Germanorum viae, braccati circùm tribunalia Magiſtratus, externi per omnia mores, corrupta barbaris modis rerum & hominum vocabula turbabant aſſuetos domeſticis imperijs & peregrinarum rerum impatientes. Parùm tangit eos quòd antiquis inimicitijs Penates vtrique diſſiderent, neque obſtant patrũ inter ip-

ſos

ſos funeſta conſilia & irae, quominus ipſi conſpirent, vt ſanguine Germanorum vrbs inundetur. Extra Portam Ticinenſem in cāpo fortè an ex deſtinato congreſſi, de ea re contulere ſermones, & poſtero die ſigno dato Ciuitas vniuerſa in armis fuit. Sed virilibus animis iuuenes puerili conſilio inſtruxerant rē. Cùm enim globos vterq; ſuos, & ad idonea loca diſpoſitos armatos haberent, aduerſus reliquae multitudinis trepidationem atque concurſum nihil prouiderant. Ita, cùm participes facinoris, vti moniti erant, gladios repente diſtrinxiſſent, ignari quoq; ſumunt tela quod cuique promtum erat, & vno penè temporis momento maior armatorum numerus, quid peterent, quòue dirigerent ictus ambigebant. Interea conſcij obtorpuerant manibus animiſque. Mox, temere ſiue aſtu conclamatum, rebellaſſe Turrianos à Caeſare, violaſſe ius hoſpitij, iuiſſe ad arma, vt hoſpitum, vt dominorum ſanguine macularent vrbem. Vox ea conuertit impetum repente omnem in Turrianorum genus, non ſecus atq; ſi intra aliena mœnia vel caſtra deprehenſi ſpeculatores & hoſtes eſſent. Galeatius ipſe diſſimulata coniuratione acerrime pugnabat vt in proditores, & ipſe ſocium prodiderat clamitans, ite mecum qui ſaluam eſſe vrbem, qui viuere Caeſarem vultis. Non ceſſabat Matthaeus Vicecomes in eo tumultu filiū inhibere, monebatq; identidem, vt ſe ſe eripere furentibus maturaret. Plus poterat impetus animi concitati, quam periculi metus, aut patris verecundia. Simul eò proceſſum

erat,

erat, vt aduerſus pericula ſubſidium ipſum eſſe diſcrimen arbitraretur, nec aliter poſſe maieſtatis atq; perduellionis crimen euitari, quàm ſi conuerſis armis à Germanorum caede, genti Turrianorum ad internecionem inſtaret. Franciſchinus & Simon Guidonis filij ſaucijs equis clam exiere porta quae D. Marci tunc dicebatur; ſeq; ad Montorfanũ in arcem aegre proripuerunt. Horum pater ipſe Guido cùm domi quaereretur ad necem, per aedium poſtica tranſgreſſus in vicinos hortos, gregali habitu per auerſum aliud hoſtiolum eſt emiſſus. Direpta domus, & Turrianorum caeſi quotquot improuiſum illum caſum effugere non potuerunt. Archiepiſcopum ipſum, quia gentis erat illius, ob nominis contagionem & inuidiam, haud procul à periculo abfuiſſe creditum eſt licet nulla nominatim eius in tali tempore calamitas tradita ſit. Caeſar, ſedato tumultu, Vicecomitem inculauit, ob Galeaciùm filium, à quo ſeditionis initiũ ortum eſſe arguebat. Suo benificio reductos in Patriam, cum Archiepiſcopo reconciliatos, ornatos etiã muneribus, aduerſus ipſum conſpiraſſe cũ illis, quos eorum cauſa inimicos haberet. Vicecomes ad ea, purgare iuuenem, transferre culpam omnem in Turrianos, profiteri, quemadmodum ipſe cum ſua prole totaq; domo ſemper in Caeſaris poteſtate futurus eſſet, & vitam citius, quàm fidem aut obſequium amiſſurus. Non tamen effugit, quominus paulo poſt, Haſtam ipſe, Galeacius filius Taruiſium ablegarentur, criminantibus nimias opes aemulis, & data occa

ſione, nihil omittentibus quo iam exulceratum animum aſperarent. Poſtea Garbaniatenſis idem, quo architectante Vicecomes primos ſibi gradus ad principatum ſtruxerat, quiq; velut appoſita machina Caeſaris animo poterat eum flectere quocunq; res ferret; ille igitur breui tempore diſſimulanter effecit, vt exul vterq; reuocarentur, & finis exilij, dominationis initium eſſet. Fere ſub eos dies, quibus ab eo paucorum menſium ſeceſſu Mediolanum redierant, Matthaeus Mediolani Vicarius iubetur, quo deinde gradu, filij nepotesq; & ſecuta poſteritas in ſummae potentiae faſtigium rediere, donec irrequieto rerum ciuilium orbe rurſus ad aequa deuoluerentur. Nempe ſic etiam Turrianis acciderat. Neſcitur autem, quanam recondita arte fecerit Caeſar, vt cùm initio deſtinaſſe videretur, admouere rerum ſummae Vicecomitem, imponeret tamen alios Vicarios vrbi, quorũ vt pœnituit, huc deniq; vertit rurſus animũ. Nec magis traditur, quae potiſſimum cauſae Matthaeum irritatarint, vt totam poſtea ſui dominatus vim conuerteret ad Archiepiſcopum euertendum, cum quo recens fœdus erat, quem etiam ſine foedere, ſacrum & ſanctum uereri, ius fasq; eſſet. Viciſſim Archiepiſcopus ipſe, cur a Matthaeo repente defecerit, & abruperint vterq, conditionum vincula, quibus vinculis in mutuam ſe ſe defenſionem, atq; ſocietatem implicarant, ignoratur. Niſi ſi fortè veterum inimicitiarum implacabilitas eſt quaedam infida poſt pacem, neſcia quietis, memor malorum, aliquando latens & inclusa.

cluſa, rurſus impetu manifeſto saeua & atrox. Et potuerant odijs inter ſe capitalibus diſſidere Turriani florentes, inquietante domum fortuna more ſuo vbi nimia coepit eſſe; iidem, vrgentibus aduerſis, ad ſuae propemodum extinctae familiae miſericordiã euicti, ſera iam concordia contra communem hoſtem coaleſcere debuerunt. Non vtique alia probabilior cauſa repentini diſſidij, quo Caſſonus Archiepiſcopus, extremas meruiſſe Vicecomitis iras, Vicecomes partam diuino beneficio potentiam inhumanis aduerſus Eccleſiam foedare modis potuere. Robertus Siciliae Rex aemulus Caeſari hoc tempore exortus, addiderat animos deſperatae Turrianorum genti; ad eum vndique congregabantur Guelfarum partium homines Archiepiſcopo concitante, ſi fortè illius opibus ad recuperandam fortunam, momentum efficere aliquod poſſent. Ac cernere tunc erat inſigni exemplo, quantum ad reconciliandos animos res aduersae valeant, cùm Simon & Franciſchinus filij Guidonis aſſidue ſtipati circa Caſſonum Archiepiſcopum, paternum hunc inimicum, vti patrem affectarentur, conſilia contra Vicecomitem ineuntes, quae vana erant. Et emolliuerat ante omnia Pontificis animum, quò placabilius teneriusq; reſpiceret gentiles ſuos, miſerabilis interitus ipſius Guidonis; atq; ſolicitabatur pectus eius caritate mortui, cum quo viuo certatum erat odijs, & pereundi perdendiq; insaniâ. Obierat Guido, cùm poſt indecoram ex vrbe fugam, in morbum incidiſſet, quem nouus animi dolor onerauerat,

vbi

vbi Roberti Regis auxilia, quae ſpes vnica Guelfis fuerant, cum Henrici copijs infeliciter dimicauere. Itaque anxius Archiepiſcopus miſericordia ſuorum, & quaſi ſepultae domus dolore, per omnia ſe ſe contorquebat meditamenta & vias, & artes, vt familiam paulò antea dominam Vrbis, nunc profugam & extorrem, diſſipatamq; recolligeret. Ea res, neq; caput neque pedes habebat. Namq; Siculi Regis, vti dictum eſt, auxiliares copiae caeſae apud Placentiam & fuſae ſpem pene vltimam deſtituerant. Languſcus & alii principes factionis capti in eo praelio, & in vincula Mediolanum rapti. Terror caeteris, & creſcente in dies Vicecomite, plena omnia deſperationis. Quippe ille, praeter quamquod haud dubie Mediolani rerum ſummam obtinebat, ſiue Caeſaris voluntas, ſiue ſtudia ciuium ſpectarentur, etiam in externa, vim & opes proferebat. Galeacium è filiis natu maximum foederatae ciuitates ex ercituum Imperatorem appellarant. Eundem Placentia ſibi Principem optarat. Marcus & Luchinus Galeacij fratres, & Garbaniatenſis ille, tantarum rerum inſtrumentum additi Galeacio conſiliorum participes adiutoresq; negotiorum, quò latius omnes imperij partes occuparentur. Aduerſus ea, quid conſilij, quid auxilij reliquum Archiepiſcopo, partibusue, quae verterant animos ad ſacram poteſtatem cùm ſpes caeteras amiſiſſent? Rationem hanc iniere tamen, vt nouas ab Rege Roberto ſuppetias, miſſa in id legatione poſtularent. Ac ne ob rem antea tam male geſtam,

irritae preces forent, addebant ad poſtulata id quod, ſicuti multum valuit ad impetrandum, ita in exitu detecta vanitate, cum ira contemptum in deſperatos excitauit. Oſtendebant namq; Regi, eſſe quamplurimos intra vrbis moenia, multos in agro Mediolanenſi, nonnullos etiam in Vicecomitis ipſius aula, qui reſtitui Guelfos, atq; Turrianum reſurgere nomē auerent. Cum his eſſe rem ita compoſitam, vt conſpectis auxiliorum vexillis, caperent arma, concitarent plebem, fortaſſe etiam aliquid amplius exſequerentur. Conſpici tantummodo ſigna & Guelfici nominis liberatores oportere. His alijsq; rationibus perſuaſum Regi Roberto eſt, vt lectiſſimas equitum turmas mitteret, queis vel peragi poſſe negotium crederet, vel ſi nihil efficeretur, haud vltra repugnandum neceſſitati eſſe, totamq; conuerſionem hanc Inſubriae rerum, non hominum temeritate, ſed diuino nutu factam interpretari. Equites fuere ad octingentos, habiti terrae robur, vnde mittebantur. Dux eorum, qui iudicio Regis & virtute ſua, ſpem fortunamq; Guelforum, & Regni magnitudinem in ſuo capite pulcherrime ferre vnus omnium Siculorum exiſtimaretur. vbi terram Inſubriam attigere, Ticinenſibus adiuncti (nam vrbs ea Guelforum erat) longo ambitu circumducuntur ad Legnanum, qui locus abeſt ab vrbe Mediolano XVI millia paſſuum, & pridem Archiepiſcopo ſubiectus, hoc tempore nō mutauerat fidem. Illuc exeunt contra & Vicecomitis copiae; ſed praeceptum erat, ne dimicarent in praeſentia,

ſentia, hoſtem tantummodo diſtinerent. Dimicatum tamen eſt, & aduerſa pugna Mediolanenſibus fuit, iamq; victores regij, quaſi reſtituto Turriano, ſummum ſe decus ad Regem ſuum eſſe relaturos putabant, ſiquidem haud vana reperirentur ea, in quorũ ſpem exciti ab domo veniſſent. Hoſte diſſipato, circumſpectantes omnia momenta, vident moueri nihil, nullum fieri concurſum ex agris, non aliquem ex vrbe tumultum nuntiari, & torpere ſibi quodammodo victoriam, quae ſi ſperata illa rerum & voluntatum inclinatione deſtitueretur in alieno ſolo, plane actum eſſe nihil intelligebant. Quò magis introſpicerent praeſentem rerum formam, eò minus praeparati quicquam oſtendebatur, atq; vt omnino deſperarent, ſubito Vicecomitis conſilio eſt effectum. Habebat in cuſtodia Philippum langušcum Ricardi patrem, cuius nutu res & animi Ticinenſium hoc tempore gubernabantur. Huic dici iubet, ſi ſaluus eſſe velit, ne cunctaretur admonere filium, vti Ticinenſes ab Legnano quamprimũ abducat. Scripſit captiuus ſenex ad filium totidem fere verbis. Quanti patris caput aeſtimaret, tantum adniteretur, vt protinus Ticinenſes ab externo illo hoſte ſegregati domũ irent; ex huius rei momento ſibi pendere vitam; plura ſcribi non poſſe, neq; attinere; periturum eſſe patrem, ni filius ſtrenue agat. Statim patria caritas accenderat iuuenem. Ita praeter caeteram ſolitudinem, Ticinenſium etiam digreſſu nudati regij frementes in Archiepiſcopum, caeteroſq; Turrianos, abiere. At

Vicecomes, magno repente periculo liberatus, reputans ipſe ſecum, haud aliis, quàm Archiepiſcopi conſiliis & artibus adminiſtrari potuiſſe rem tantam, ac profectò niſi mature obuiam iretur, inquietum illum animum, perpetuam naſcenti dominationi calamitatem fore; coepit ita hominem inſectari, vt aerumnis conficere velle videretur, quoniam, ſi manifeſta caedes patraretur, minus id ſibi ad famam hominũ, & rerum initia vtile futurum putaret. Ac ne iniurias quidem & omne contumeliarum genus, per ſe, vel per suos, directò in Archiepiſcopum inferebat; sed ſaepius mouebat ea, quorũ ſenſus & dolor ex lõginquo ad illum perueniret; interdũ etiam ipſius capiti & vitae periculorũ minas aperte intentabat. Et prompti erant ad omnia, qui tali in negotio demereri Principem geſtirent, atque adeo ſeruili more, de ſuo ſemper adderent ad ea, quae Princeps innueret, ſiue imperaret. Habitabat Archiepiſcopus in ea vrbis regione, quae dicitur Orientalis, conducto domicilio Philippi cuiusdam Vaprienſis, quia credo tutius ibi munimentum aduerſus imminentia, & quia meminerat Eccleſiaſticas aedes ſub Guidone antea ſibi carcerem fuiſſe, atq; ſubierat animum cura, ne Vicecomes id ipſum imitaretur. Nec ideo violentiam effugit. In conductitio illo tecto Pontifex hoc tempore cùm ſederet, Balatronus Matthaei filius quoddam huiuſmodi facinus auſus fuit. Collecto iuuenum grege, quorum nomina suo loco deinde referentur, ſilentio noctis pontificias illas aedes ita cinxit armatorũ

corona,

corona, vt quacuuq; aliquis exiret, à circumſedentibus exciperetur. Hac poſita indagine, per ſcalas euadit in aedium ſumma cum promptiſſimis, & vbi diduxere leniter tegulas, in laquearia ſeſe, inde quà peruium fuit in impluuium ſurdo veſtigio pari lenitate demittunt. Subeunt eò complures inuenta via, & breuis horae momento pontificia domus plena iuuenum inſolentium fuit. Occupant alii ianuarum clauſtra, cubiculorum fores alii pulſant & effringunt, ſopitamq; repentino terrore familiam, quà cuique ſors obtigit, ſine certamine captiuam agunt. Archiepiſcopus ipſe ab iis, qui conclaue irruperant lectulo alligatur. Caetera deinde aguntur hoſtilem in modum, egeſtae pecuniae, direpta ſupellex, & quae non poterant auferri, ea per lasciuiam effuſa & conculcata. Pauci qui caritate domini ruptis vinculis, obuiam ire voluerunt, conciſi vulneribus; & periiſſe in ea nocturna iniuria duos Archiepiſcopi familiares conſtat. Hactenus Pontifici inſultatum. Poſtero die, ille minime ambigens facinoris auctorem, ipſoſq; miniſtros, & ſi venerant in diuerſa ora & vultus aſſimulati barba & capillo, ſuſpectans tamen & recognoſcens, alios quidem ſtatim, alios vero poſtea, conſilium iniit, vt ex vrbe abiret. Funeſto illo ludo denuntiari ſibi necem crediderat, & trepidi ſuo quiſq; caſu familiares, minime eſſe cunctandum ſuadebant. Cum trepido & exiguo comitatu Pontifex abiit, ac pęne fugienti receptaculum fuit Caſſanenſe caſtellum, quod poſitum in Abduae Ripa, tunc Eccleſiaſti-

cae

cae ditionis erat, & loci illius homines praecipua in Archiepiſcopum fide, dum ſui Principis vitam tegerent, infeſtam Vicecomitis potentiam haud magnopere reſpiciebant. Egreſſo Pontifice, irritata ſunt odia, quæ ſedare debuerat, vel iam ſatiata contumelijs ira, vel voluntarius ille diſceſſus, & veluti facta confeſſio, cedendum eſſe potentiori. Quotquot Archiepiſcopi negotia procurabant in vrbe, vexati ſunt, & pulſati, donec procuratione abſiſterent, aut occurrente alia iniuriarum materie, ſicuti fit, obliuioni traderentur. Ad Archiepiſcopum deinde ipſum inſectandum incubuere illi, queis curæ erat, non exſequi modò Vicecomitis imperia, ſed voluntatem quoque tacitam, & nutus omnes interpretari. Hi cum machinis, & telis, & omni oppugnandarum arcium inſtrumento ad Caſſanum profecti, circumſeſſa arce, & ponte occupato, ſubegere Pontificem incluſum, vt ſaluti ſuæ conſulens, nocturno tempore per auerſam, occultiſſimamque portam exiret. Ac fortaſſe præbebantur vltro fugiendi tempora & occaſiones ab emiſſarijs illis, & ſatis habebant pepuliſſe loco; ſanguinem & caput cùm viderentur appetere, fortaſſe non appetebant. Ex illa Caſſanenſi fuga Cremonam tetendit, execrantibus quacunq; incederet, paganis impia conſilia, ſacrilegasque manus, ob quas animarum Paſtori, nulla in ſede conquieſcere licitum eſſet. Execratio maior paullo poſt eſt inſecuta per vniuerſam Inſubriam apud omnes, quicunq; integros à partium contagione animos haberent.

Etiam

Etiam alieni & infenſi, temporum dedecus, & negotij indignitatem agnoſcebant. Cùm enim Epiſcopus Sabinenſis Pontificis Max legatus iret ad Caeſarem, mandaſſetq; Pont. Max. Archepiſcopo Caſſono, vt ei legato Mediolani occurreret, atque vt inter ſe colloquerentur, fruſtra id Sedis Apoſtolicae mandatum fuit. Nec ſolùm fruſtra fuit, ſed etiam quia fortè diuulgatum erat, congreſſuros eſſe Mediolani Legatum Apoſtolicum, & vrbis eius Pontificem, cępere Magiſtratus, & præfecti tota Vicecomitis factio, quendam huiuſmodi ſermonem ferre palàm ac diſſipare. Si veniret in vrbem Archiepiſcopus, non temperaturos eſſe manibus, omnino fore vt moreretur. Ea fàma & ſermonibus ipſi ſuis, quaſi iam præſentem inimicum haberent, magis adhuc exaſperati, ſedulò deinceps omnia conquiſiuere, quae nuntiata exuli, deſperationem & maciem, & tabem extremam afferre poſſent. Intercepta vectigalia, captae arces, occupati fūdi, tabularia direpta, ſpoliatae aedes, immunitatum Eccleſiaſticarum omne genus violentiſſime ſublatum, & nuda quodammodo Eccleſia, nudū Archiepiſcopi nomen abiectum oſtentui. Demum in contumeliam huius nuditatis, ſacrae virgines expulſae monaſterijs, & quibuſdam earum admota tormenta vt neſcioquid exprimeretur. Inceſſere poſtea per vrbem & agros vagae ac deſertae, quod etiam in horum temporum diſciplina periculoſum foret. Tot damna, tot iniuriae, cladesq; & ſuper omnia, calamitas exilij, perpulere Caſſonum, vt quod aduerſus ea

telum

telum habebat, id vibraret. Vicecomitem prohibuit communione ſacrorum, eiq; interdicto cunctos illigauit, qui fuiſſent eiuſmodi rerum adiutores & miniſtri. Totam Principis domum percuſſit anathemate, quod longo carmine effatum extat horrido temporum illorum ſermone. Sentẽtia fuit huiusmodi.
» Caſſonus Archiepiſcopus viris vtinam prouidis
» Matthaeo Vicecomiti Vicario, Conſiliarijs, & Con-
» ſulibus, & Concilio Reip. Mediol. Galeacio Lu-
» chino, & Balatroni Matthaei filijs. QVOMO-
» DO SEDET SOLA CIVITAS PLENA PO-
» PVLO FACTA EST QVASI VIDVA O VOS
» OMNES QVI TRANSITIS PER VIAM ASPI-
» CITE ET VIDETE SI EST DOLOR
» SICVT DOLOR MEVS. Vrbs olim felix
» & inclyta, nunc iacet praeda illis, qui Rectorum
» nomine tyrannidem exercent; iacet veluti truncum
» ſine capite corpus, relicta crudelius habitãda, quàm
» ſi deleta foret. Eiecto Paſtore laceratur Eccleſia:
» Mediolani patitur ea, quae non expectaret inter bar-
» baros: & haec ipſa veſtris manibus, aut impulſu;
» certe non prohibuiſtis. Tu Balatrone, patris impij
» peſſima proles, cùm nos in aedibus Philippi Vapri-
» enſis moraremur, veniſti eò dux agminis nocturni;
» nos, familiamq; noſtram vinxiſti, ſpoliauiſti, &
» ſunt adhuc ibi ſanguinis veſtigia, quem Vrſinus Mu-
» linanus, & Bonauentura Mantuanus, veſtro ferro cõ
» foſſi noſtri familiares effuderunt. Participes ſcele-
» ris & ſocij fuiſtis, vos Odoarde Pirouane, Pagane

Man-

„Mandelle, Ingreſſone Soreſina, Zardine Beſana,
„Martine Montorſane, Balatrone Beccaria, Philip-
„pe Lomati, Zamba Pontirole, Corradine Co-
„menſis, Iacobole Vapri, Coppine & Zofrandine
„Prealones, Scaldamacia Meda, Papine Taberna,
„Franciſce Vituone, Ambroſi Derle, Petre &
„Ioannes Malnepotes, Mazola Meratenſis, Leo Graſel
„le, Plantelli fratres, Cauallioni fratres, Pagane Sca-
„rauacie, Ardigane Rhaudenſis cum filio, Vicentio-
„le & Antoniole Marliani, Pagane Rhaudenſis,
„& aſſeclae veſtrûm omnium ad trecentos. Tanta ma-
„nu fuit opus, vt Epiſcopus inermis opprimeretur. Ip
„ſum Epiſcopum oportuit poſtero die clandeſtino
„egreſſu ſalutem petere, ne ſcilicet interfectus nocen-
„tiores vos faceret. Quid deinde vobis inauſum atq;
„intemeratum fuit? Corradinum Camerium Vica-
„rium noſtrum, & Galuaneum Medicen Praepoſitū
„Sancti Donati, ex Brollienſi Xenodochio, in quo ſe-
„dentes Eccleſiae negotia prócurabant, exturbauiſtis
„intentato mortis metu. Caſſanenſem arcem, in quā
„confugeramus, obſidione cinxiſtis; vt nuſquam niſi
„in fuga praeſidium eſſet, effeciſtis. Si rediremus in
„vrbem, manibus veſtris concerpturos eſſe Paſtorem,
„vna voce conclamare, non exhorruere vobis animi.
„Tu Mule Gropelle, arcem noſtram, quae eſt ad Caſſa
„num, Tu Lodriſi Vicecomes, eam, quae ad Abia-
„tum eſt, occupauiſti. Tu Matthaee, rem vniuer-
„ſam Anglerienſem, Leucenſem, Bellanenſem, Valla-
„ſinenſem, Caſtanenſem, Traualienſem, Brebienſem,

,, quae arces & loca ſunt antiquitus Eccleſiaſtici noſtri
,, iuris, tenes. Eidem tibi decumae noſtrae Liſantinae,
,, reditus noſtri Variſienſes, portoria noſtra Mercurio-
,, lana, noſtrae piſcationes ad Puſianum exiguntur. Tu
,, Luchine fili domum noſtram Coyranam foribus ef-
,, fractis inuaſiſti quomodo barbari hoſtes agunt. Tu
,, Creſſone Cribelle, montes noſtros, Derium, Geſſanũ,
,, Mugiaſcam, Varenam; tu Faciole Puſterla Falegium
,, noſtrum potiris. Adeo nihil eſt penſi vobis, quid fu-
,, turum ſit extremo ſaeculorũ die, quidue nunc aeter-
,, nus Iudex talia vidẽs hominum ſcelera, viciſſim pa-
,, ret. Neque in mea ſolùm & meos, meq; ipſum in-
,, iuriae veſtrae deſaeuierunt, ſed cum ipſa Eccleſia, cũ
,, religione ipſa bellum impium atq; nefarium ſuſce-
,, piſtis. Eccleſiaſticos homines, nullam aliam ob cau
,, ſam, quàm quia nomine hoc cẽſebantur, conieciſtis
,, in vincula, tributa vobis ferre coegiſtis, itaut, ex vni-
,, uerſa Dioeceſi decẽ millia nummûm aureorũ aerario
,, veſtro reficerentur. Tantidẽ ordo Franciſcanorũ, tan
,, tidem Humiliati ſe ſe redemerunt, & quicquid prae-
,, terea conditum in cellis horreiſue habebant, immiſ-
,, ſo milite diſſipauiſtis. Litteras publicas Eccleſiae
,, Mediolanenſis, & monumenta priuilegiorum, immu-
,, nitatũ, iurium, quae monumenta & litterae adſerua
,, bantur in S. Radegundae Monaſterio, Beltramus
,, Prandebonus, cui mandatum erat, ingreſſus ea clau-
,, ſtra, per vim abſtulit; & Monaſterij Maioris virgines
,, cum antiſtite ſua, quas vobis adſpicere fas non eſſet,
,, contrectauere carnifices veſtri. Matthaee Vice-

comes,

„ comes, voſque ceteri, qui tenetis vrbem. Haec om-
„ nia veſtro nutu ſunt adminiſtrata. Vos rei ſcelerũ
„ tantorum eſtis. Quamobrem decreui ego Caſſonus
„ Archiepiſcopus Eccleſiae Mediolanenſis, arborem
„ excindere, quae fructus bonos non facit, & aucto-
„ ritate, quae mihi conceſſa eſt, ferire anathemate vos
„ omnes, & arcere communione ſacrorum, ea lege, vt ſi
„ contumaces & inemendatos vltima dies oppreſſerit,
„ intra ſacratos fines veſtra corpora ſepeliri non de-
„ beant, idq; anathema nunc à me vobis infligitur. Te
„ verò Matthaee tantò magis ferimus, quia fueras caele
„ ſtibus diris addictus iam inde ab eo tempore, quo ſu-
„ perioris Archiepiſcopi Vicarium Generalem ex ciui
„ tate praecipitem eieciſti. Erat Matthaeo politicum ingenium, nec extra ſuſpiciones atq; coniecturas ambiguae religionis, nec ſine cura, quod ad eius rei famam attineret. Rem Eccleſiaſticam ita tractabat, vt ſuperiora declarant; rurſus videri ſe pium volebat & erat fortaſſe; ſed in eo negotio ſua plerumq; principibus via, cumq; recte ſentiant, regnandi ſaepe conſilijs & artibus abducuntur ab eo quod intus alunt. Vicecomes id recti prauiq; confinium nimia licentia tranſgreſſus, eò deniq; proceſſit, vt à Pont. max. Haereticus appellaretur. Nunc Archiepiſcopi diris implicitus, neq; reuocabat exulem, neq; ſarciebat Eccleſiae damna plenus artium ſenex, auidus potentiae, blandus alloquio ſemper & vultu; benignitas & magnificentia factorum, dominationis vtilitatibus regebantur. Ceterùm, quò plus inuidiae parari, ſibi ob

Archiepiſcopi calamitatem & anathematis infamiã videbat, eò magis firmare opes, proferre imperium, munire domum affinitatibus aduerſus pericula & caſus imminentes. Quippe ſenſerat etiam incommodos de ſua religione ſermones haberi Romae, & parare Pontificem max. ea, quae in Catholicae fidei rebelles vltima ſunt Apoſtolicae Sedi. Prima munimenta quaeſiuit, vt ſubigeret vrbem Ticinum, qua ſubacta, Alexandrini ſocietatem & foedus expetiuere; nec Parma cunctata eſt. Inde ſe ille pro Caeſaris Vicario, principem dominumq; Mediolanenſium appellauit. Ad exigenda vectigalia, premendamq; oneribus vrbem, obtentui erant reſidua certamina cum Guelfis, quos fractos iam ſatis atq; debilitatos, penitus eſſe delendos memorabat. In omnibus rebus ſpecies & pompa Principatus erat. Praetoria cohors, octoginta ſerui, ephoebi nobiles, caetera aulae; & quia ſeptuageſimum iam annum egreſſus vitali calore deſtituebatur, fouendo ſeni conquirebantur lectiſſima puellarum corpora, eaeq; ſimul cubabant. Iuuenes filij, Galeacius, Marcus, Luchinus, Stephanus & Ioannes agebant pari magnificentia & luxu. Ceteris cordi paternae potentiae moles, & pars dominatus, domeſtica pariter & externa, & propaganda ſucceſſio; Ioannes ad ſpem & occaſionem Eccleſiaſticarum opum atra in toga domi caelebs manebat. In hanc domũ ita ſtabilitam atq; firmatam vndique confluebant omnia quò felicior hominum more diceretur. Et

erat eiuſmodi rerum curſus, vt vel anathematis poenam haud quaquam meruiſſe Vicecomitem, vel fluxam & infidam eſſe fortunam exiſtimarent quae circa caput impium ſic luderet; ac diuerſus poſtea ludus expectabatur. Derthona & Alexandria penè certatim in idem imperium conceſſere: ſimul potiundae Liguriae ſpes affulgebat. Turbata, illic omnia ciuilibus diſſidijs, petita Vicecomiti nurus ex Auria domo, & Marcum filium pulſi principes ex vrbe Genua ſibi Ducem aſciuerant. Haud dubie Regnum Italiae quaerebatur. Ea tentamenta Pontificem maximum, pro paterna in vniuerſos cura minime quietum habebant. Nam praeter Eccleſiaſticae rei lacerationem, infeſtamq; ſacrorum hominum vitam, & nominatim Archiepiſcopi exilium indignum, etiam neceſſe erat ſuo nomine diſplicere naſcentem in Italia tyrannidem, vti tunc dicebatur. Vt enim exortus Mediolani Vicecomes, alia atq; alia appetendo loca, impotenter agebat; ita tyranni minores in aliis vrbibus, pari violentia, ciuium & Eccleſiae res in ſe trahebant, hominibus ipſis ſuperbe abutebantur. Itaq; Pont. max. iuſſit admoneri Matthaeum & caeteros; niſi communi cum caeteris iure viuere aſſueſcerent, abſtinerentq; deinceps animos ab omni Eccleſiaſtico negotio, acturum ſe ſuo iure, & Apſtolica arma moturum in rebelles. Illi, traditos à Caeſare dominatus obtinere ſe ſe, nec poſſe ſuas opes à Pont. max. labefactari, vel infringi, vana ſimul & impia reſponderunt. Denunciata communiter haec & reſponſa;

maio-

maiora ſeparatim in Vicecomitem mouebantur, & maiore ipſe contumacia vſurus erat. Iam enim agebatur in occulto reus atrocium culparum, ad quas facilè trãſitur ab tali ingenio, talibusq; artificijs, quale ingenium & artificia in hoc homine fuiſſe demonſtraui. An verò innoxia mens homini, ſanum de religione iudicium, & inimici, cum alia re laedere non poſſent, illud ad criminandum arripuere, quod probabile eſſet in tali vitae forma, quodq; etiam ſi refelleretur, inureret tamen eam notam Vicecomitum nomini, quae cuncta deformaret. Equidem malim hoc verũ eſſe propter magnae familiae poſteros, qui ſicuti veteris fortunae reliquijs ciuitatem noſtram ornant, ita maiorum religionem teſtantur ſua. Non tamen omittam rem demonſtrare ſicuti geſta eſt. Bonifacius Farra, & Laurentius Gallina Guelfi homines, poſt res ſuas afflictas, deſperata Patria, commigrauerant Romã, & propter polita ingenia, bonarumq; artium diſciplinas nacti locum in aula, dextere ac liberaliter agendo, peruenerant illuc, vt gratia, & fide, & auctoritate apud Pontif. max. inter primos eſſent. Hi coepere criminari Vicecomitem, quòd ad tyrannica facta impios de religione ſenſus adiungeret, quodq; vno verbo manifeſtis indicijs Haereticus eſſe conuinceretur. Haereſim illius eſſe de RESVRRECTIONE MORTVORVM. Ab eodem ſolere Daemonas euocari. Haec duo capita litteris atq; teſtimonijs arguebant. Reliqua memorare ſatis erat nota omnibus crimina ſimul & firmamenta criminationis

nationis huius. Quid enim de altera vita, deq; vno & vero Deo ſtatutum habere poſſe illum, qui ſua ſede pellat Epiſcopos, quaerat ad necem, in exilium agat? Hunc eſſe hominem, qui poſteaquam prouinciam inuaſerit, ſit ſacra omnia depraedatus, ſacrorum adminiſtros omni crudelitate vexarit; adoleſcentulas etiam, quae perpetuo ſeſe voto virginitatis obligaſſent, eiecerit extra monaſteria, & earum pietatem atq; pudicitiam habuerit ſuae libidinis incitamentum. Ob tot infanda facinora damnatum anathemate, communione ſacrorũ excluſum, ſpernere caeleſtes poenas; dummodo procedat ad tyrannidem via, penſi praeterea nihil habere. Profectò, qui ſic viuat, eum, non verbis, ſed quae praedicatio ſit grauior, profiteri reipſa, & veluti concionari diuerſum quiddam à catholico ſenſu fideq; communi; & ſuis gaudentem inſtitutis, publicam Eccleſiae diſciplinam irridere. Neque verò imbutum erroribus animum temperari ſaltem in eo, vt propria ſit peſtis ipſius, inteſtinumq; malum; ad prolem vniuerſam, paternae inſaniae manaſſe cõtagionem, in patris mores & inſtituta filios abiiſſe. Parati erant alij, qui iactarent eadem in omnibus circulis, & facilè commoto ad eius negotij curam Pontifice, eſſe res in quaeſtione publicisq; tabulis coepit. Patres etiam ſuper eo negotio aliquoties conuenerant, & re conſiderata, ſtatuerant, non ſanam mentem eſſe Vicecomiti, compererantq; inquirendo, foueri opibus ipſius haereticos, turbari Quaeſitorũ

officia,

officia;& Gulielminam infame monſtrum, de cuius ſecta & fine demonſtratum eſt; perdiu ſub eiusdem vmbra,& tutela latitaſſe. Poſteaquam teſtimonia & indicia,ſententiaeq; Patrum congruebant,& vndiq; manifeſta teneri res videbatur, Matthaeum Vicecomitem Pontifex max. procul ab omni ſacrato limine,omniq; piorum coetu eſſe remouendum decreuit,ipſum, & filios eius, & quotquot impliciti conſilijs,ſiue miniſteriis talium rerum q; actionum eſſent. Ea tremenda ſententia perſcripta eſt, & promulgata ſolennibus verbis, & ſi quae alia miſceri ob rerum atrocitatem oporteret. Sed aduerſus caeleſtes illas minas, pontificioſq; terrores, & quouis bello funeſtiora pericula,Vicecomiti ſenſum auferebat dulcedo Regni;atq; obdurando paulatim proceſſerat in eã miſeriam,vt impune diſſimulari talia poſſe arbitraretur. Et Numinis irae cunctabantur paulisper, quò grauiores incumberent tempore ſuo, & oblitum officij Principem, ſicuti iuſtum eſſet, admonerent. Interea,res Eccleſiae Mediolanenſis, nihilo meliore erant conditione ac ſtatu, quám ſub tali domino eſſe oporteret. Tamquam in Mahometana,vel Caluinica vrbe,intermiſſa ſacra,fugitiui ſacerdotes,aut prohibiti fuga, Pontifex adhuc exul; & quò foedior erat forma Ciuitatis, eò magis irritabatur Principis animus,quia recidere in ſe omne dedecus,inuidiamq; ſentiebat. Ceterùm, quia non erat obſcurum, qui motus,quaeue pericula ſequerẽtur illam anathematis poenam,inſtitit adhuc agere multa & parare,quò

tutior

tutior foret. Caput erat, minores Italiae tyrannos, & dominos vrbium conciliare ſibi, tum ne victi religione, Romana arma ſequerentur, tum vt ſecum arma & vires contra Romanum aſſociarent. Eius rei cauſa, Soncinum, qui locus eſt in agro Cremonenſi, concilio principum indicto, conuenere frequenteis, quippe in id ipſum iam anteà callide & ambitioſe praeparati. Namq; Vicecomes, cùm ſemper, vti dictum eſt, aptus illiciendis animis, tum hoc tempore praeſertim in id ipſum intenderat artes ſuas, & alijs ad alios blandimentis vtens, Canem Scaligerum in omni congreſſu dulciſſimam ſibi prolem appellabat, propterea quod id nomen vtriusque aetati conſentaneum eſſet. In eo Soncinate conuentu, ad firmandos in ſe animos alienandosq; ab Eccleſia, orationē habuit huiusmodi. Neceſſariò fuiſſe conueniendum in vnam sedē, vt coram agerent ea, quae non fuiſſent committenda litteris aut legatis. Agendum autem eſſe de ea re, quomodo partos feliciſſime principatus etiam tueri feliciter poſſint aduerſus communem hoſtem atq; ſub Religionis titulo latentem inuidiam. Pontificem Romanum nulla laceſſitum ipſorum iniuria vel culpa, tantùm Archiepiſcopi Caſſoni, reliquorumq; Guelforum ſtudio, inimicum repente exortum, vim ſuam Apoſtolicam occupaſſe in eo, vt Gibellini nominis opes deleat atq; euertat. Communiter vniuerſis intentaſſe tyrannidis crimen, ſibi praecipuum ex religionis crimine dedecus eſſe quaeſitū, & eo dedecore, quantū in ipso Pontifice ſit, armatas in ſe res omnes,

Sſſ impe-

imperium, amicos, vitam quoq; ſi Deo placeret, ereptam. Haec eò pertinere, vt anathematis poena perterrefacti principes dereſerent vltro caput ſuum, & veluti languentia membra deſererētur viciſſim à capite, diremptiq; ſic omnes ab ope mutua iacerent praedae illis, qui pulſi ſceleribus ſuis atq; debellati perditae ſuae fortunae vindicem Romanum inuocauiſſent. Sed vi & concordia contra artes enitendum eſſe fortibus viris, cauendumq; ne ſi pertimuerint, opprimantur ac pereant ſuo metu. Quae Romanus interminetur, neque tanti facienda, vt reſiſtendi mentē conſiliumq; adimant, neque tam parui, vt neglecta ſerpant latius, & inſanabile poſtea malum fiant. Monere ſingulos, vt quanti ſuam quisque incolumitatē ducat, tam intrepido animo incumbant ad communem ſalutem, & gerendae rei conſilia quae habeant acerrima & fortiſſima cum ſuarum quisque virium parte conferre in medium velint. Paſſerinus Mantuanus erat in eo conuentu. Is pro ea auctoritate, quā omnes ei poſt Matthaeū haud dubie praecipuā tribuebant, dicere orſus, non modò Vicecomitis cōſilium probauit, ſed fuit etiam infeſtior quàm fuerat ille; Pontificemq; Romanum & Eccleſiae nomen eſt inſectatus oratione ſua, quomodo ſi nihil ibi ſupra conſuetudinem hominum aliorum eſſet, & ſtudia quae mortales alios habent, in illa quoq; ſuprema poteſtate verſarentur. Eius Paſſerini orationem in hanc ſententiam fuiſſe memoriae proditum eſt. Siquis principum eſſet auidus exitij ſui, velletq; fortu-

nam

nam eam amittere,quam diuino nutu & naſcendi ſor te eſſet aſſecutus,hunc debere non admittere penitus in animũ ea , quae parens publicae ſalutis Matthaeus amantiſſime ac ſapientiſſime propoſuiſſet. Pontificẽ max.hominem eſſe factioſum , partium ducem ,inimicum imperio, nomenq; illud ſanctiſſimum commodauiſſe Guelfis ad ſatianda odia ; colluſionem eſſe mutuam inter Romanum & Turrianos , vt ſi factio ſuſtulerit cornua, tota ſit in huius poteſtate , viciſſim ,, iſte ad tollenda cornua ſit adiumento . Iam de iactatione minarum,inquit,& caeleſti periculo,quod denuntiatur,cùm idem ſentiam , quod à Matthaeo dici audiſtis,eadem me putate dicere quae Matthaeus dixit . Nihil,neq; timendum cenſeo magnopere, neq; contemnendum, ne metu impediantur malorum remedia , contemptu malum creſcat . Hoc amplius cenſeo, vt Canis Scaliger gerendo bello dux creetur. Inclyta erat Scaligeri fama , nec fere militaribus factis & magnitudine animi clarior quiſquam ea tempeſtate habebatur, oderatq; idem acerbiſſime Turrianos,& Caſſonum Archiepiſcopum,cuius potiſſimum inſtinctu ea gliſcere pericula principibus Italiae viris putabat . Imperium tamen illud & adminiſtrandi belli ſummam aliquãdiu recuſauit,dictitans alios eſſe potiores,& magnifice diſſerens,quas ob cauſas ſibi quemque praeferret . Ea oratione acuit magis principum ſtudia quàm reſtinxit , ſummaq; voluntate rẽ omnes ad eum detulere. Ita Scaliger foederis aduerſus Pontificem impij dux creatur magno dedecore vr-

bis Mediolani, vnde conſilia haec manabant. Sed dedecus erat maius, idemq; ſtimulus audendi omnia quòd anathemate damnata iam ſaepius ciuitas contraxerat quaſi habitũ impietatis, & irato Deo cuncta quotidie ruebãt in peius. Interea Caſſonus moritur ex Archiepiſcopo Mediolanenſi Aquileiae Patriarcha, vir, ſuis & familiae rebus vtramq; fortunam expertus. Natus in familia dominatrice obtinuerat honorẽ, qui natales etiam infimos aequare principibus poſſet. Principi ſimul & Archiepiſcopo plauſerat ciuitas. Dein verſa protinus omnia: diſſidium capitale cum proximis: captiui fratres: cuſtoditus ipſe domi: mox exſul, & dum vult iniurias perſequi, genus ipſe ſuum euertit, quodq; fuit miſerrimum omnium, fortunam quam ſuis abſtulerat, inimici communes tenuere. Iidem poſtea nouum amicum, veterem hoſtem dominatui ſuo ludibriũ habuere, pulſumq; rurſus, in aliena terra coegere mori tam prope ab exule quàm fuerat olim à patriae domino & regnatore. Is Caſſoni finis fuit: Matthaeus deuicto in hunc modum Archiepiſcopo, ſecundam ex Pont. Max. palmã petebat, vt quemadmodum illum eieciſſet, ita aduerſus hunc immobilis ipſe atq; reſtare inuictus poſſet. Huius tantae atq; tam impiae rei ſpes vniuerſa poſita erat in eo, ſi praeter foederatorum auxilia ſatis ipſe ſuo marte foret inſtructus ad repellendum hoſtem, cuius arma primo ſtatim motu ipſam concrepare victoriam atq; triumphum viderentur. Simul, vt antea demonſtraui, etiam ſi nullum à Pontifice bellum immine-

mineret, inuaſerat animum cupido Italiae capiundae, ſcilicet vt omiſſo Principis nomine, Rex appellaretur, quemadmodum ex Vicario ſe ipse Principem feciſſet. His animis, ſex millia peditum cum equitatu quantum efficere maximum potuit, in Ligures miſit, vbi Marcus filius ſtrenue rem gerebat. Negotium autem erat illud plenum opportunitatum maximarum ſiue mari bellum veniret, ſiue à Pontifice maximo copiae terreſtres in Mediolanenſem agrum immitterentur. Sed quanta cura Vicecomiti Genuae potiundae, tanta ſolicitudine Genuenſes ipſi tuebantur vrbem, & acciuerant auxilia, quibus impetum facile ſuſtinerent. Hoc tẽpore Vicecomiti deceſſerat vxor, cum qua vixerat mira concordia, & ſuper id, quod nihil magnopere ad Genuam procedebat, etiam domeſtico afflictus luctu, dedere paulatim religionibus animum creditus politici ſupercilij ſenex, aut coepit, aut ſimulauit. Quippe etiam Scaliger deſerta foederis fide perculerat hominem, atq; varias voluenti cogitationes occurſabant interdũ mortuus in exilio Archiepiſcopus, Apoſtolicę dirae, ſtatus Eccleſia praeſens, omiſſa ſacra, tot in Deũ iniuriae, nõ quidũ vt palam excitaretur aliqua mutatione vehementi, ad quã homines eiusmodi fere non deſcendunt, ſed tamen vt acrius introſpicientibus eſſe commotum appareret. Bonacoſa Burra (id nomen mortuae Principis vxori) ſepulta eſt in Euſtorgiana Aede, qualibus debuit exſequijs in Ciuitate, quae iaceret anathemate defixa, in qua gratificari rerum domino religionem

ſuam,

ſuam, aut vellent ſacerdotum plerique, aut cogerentur. Annus hic erat humanae ſalutis milleſimus treconteſimus decimus nonus, quo anno, tantam fuiſſe frigoris vim ferunt, vt Padus (rarum illi flumini) gelu duratis aquis, tutos onuſtis quoq; plauſtris inceſſus praeberet. Mendici homines, quá quisque fortè conſtiterat, reperiebãtur exanimati, cùm defecta inſuper alimentis corpora concaleſcere nuſquam poſſent. Conſtitit, obriguiſſe multos ante foculum, aut ſub lodice, & quia panes ipſi ſtatim e furno lapideſcebant, inter mandendi conatum pleriq; efflabant animam. Magis etiam horribile ſpectaculum alij fuere, quos in colloquio ſiue actione aliquã, vita repente deſtituit, ita, vt oculos, ora, manusq; in quo pręriguerant habitu & motu defixas non niſi poſtea deprehenſa mors teneret. Implicito bellis conſilijsq; ſuis Principe, clauſá Eccleſia, paſtore profugo, nulla erãnt publica ſubſidia plebi, & noua haec peſtilentia populum abſumebat. Quaſi piaculum caeleſtium iratum eo tempore quaeſiuiſſe Matthaeus eſt viſus, cùm theſauros Templi Modoetienſis, quos Turriani ante ſextum & quadrageſimũ annum oppignorauerant, ſua pecunia redemiſſet. Id pietatis opus re ipſa liberale, magnificum etiam in ſpeciem fuit. Namq; Modoetiam eius rei cauſa Vicecomes ipſe profectus, depoſuit ſua manu theſauros in Ara, & Praeſidem eius Templi Diuum clara voce eſt precatus, vt ſi ei cordi fuiſſet, ſua illa munera & ſuos honores in priſtinam reſtitui ſedem, cuius opera & pietate id factum

eſſet,

eſſet, hunc, prolem, eius, & ſubiectas imperio gentes benigne tueretur. Haec ita precatus, admonuit ſeuere Templi ſacerdotes, vti theſauros illos quam diligētiſſime in poſterum cuſtodirent. Regum & Reginarum eſſe dona venerandae antiquitatis, quae moueri ſua ſede & alienari ſit nefas. Talibus dictis, & multo magis liberalitate ipſa commouerat omniū animos, vt largus idem piuſque praedicaretur. Namq; ſex, & viginti millia florenorum in eam redemptionem inſumpta fuiſſe conſtabat, quae ſumma ad eorum tēporum aeſtimationē debuit longe maior eſſe quàm eſſet, poſtquā aucta rerum pretia & noui orbis aurifodinae metallis honorem imminuerunt. Interea Pontifex max. ad vindicandas Mediolanenſis Eccleſiae contumelias delendamq; Vicecomitis tyrannidē, foedus inijt cum Ruperto Apuliae Rege, quoniam ad eam diem Apoſtolicis denūciationibus & anathematis poena profici nihil potuiſſet. Etiam Rex Galliae ſocia arma iunxerat, isq; mille equites ducibus Philippo, & Carlotto, & Bernardo Margolio propinquis ſuis miſerat Auenionem cum eiuſmodi mandatis, vt ad omnia, quae Romanus imperaret, praeſto eſſent. Pontifex laetus his animis coaleſcentium Regum ad Eccleſiae defenſionem, auxiliares haſce copias cum eo exercitu, quem e ſuis ciuitatibus iam antea conſcriptum habebat, duci in Inſubres iubet. Rerum ſumma permiſſa Philippo Valeſio; huic reliqui duces parere iuſſi; mandatum, vt domitis Eccleſiae perduellibus Metropolis Ambroſiana redigeretur in antiquū

ſtatum.

ſtatum, & Matthaeus ille Vicecomes exſueretur ea potentia, quam per inſectationem & damna rerum Eccleſiaſticarum exerceret; omnino Guelfi, quae ſemper Apoſtolicae Sedi fidae & addictae partes fuiſſent, in priſtinae fortunae locum reſtituerentur. Addita promiſſa rerum ingentium, quae quiſque virtutis & fidei pręmia ſequerẽtur; pecuniae praeſentis attributum, quantum ad ſtipendium militi, quantum ducibus ad magnificentiã aſſignari, Romanae maieſtatis erat. Circa Iunij menſis initium in terram Inſubriam peruenere. Aduentus eorum, metu vel per laetitiam acceptus, vt quique Guelfi erant, aut Gibellini; ſed Matthaeus ante omnes ancipiti cura diſtrahebatur; daret ne ſe ſe Pontifici, & qualibet conditione pacem acciperet, an potius iret contra, & fortunam experiretur. Imperij retinendi pertinacia, animus impatiens aequi, parata quoq; ſubſidia & egregie firmata Domus huc trahebant. Propendebat in partem alteram, ſpretum antea, nunc terribile Pontificis nomen, quem ſocij Reges ſequerentur, cuius arma iam Inſubriam tenerent. Itaq; tertiã quandam conſilij viam ſecutus, nec ſine pacis cura, nec extra belli meditamenta erat. Pontifex ipſe, antequam ferro decerneret, miſit è Cardinalium numero Pogiettum inclyti nominis hominem, qui tentaret adhuc animos hortamentis & auctoritate; ſi abrupta omnia & deſperata oſtenderentur, ad regendum cõſilio bellum adeſſet. Is Valentiae conſedit. Eò citati ſtatim e Clero qui deferebãtur in Matthaei gratiam

tiam & animarum ſuarum exitium ſpernere edicta, ſacris impijs operari, atque inter caeteros hi vocabantur; Abbas D. Ambroſij, Abbas D. Simpliciani, Abbas D. Dionyſij, Abbas D. Vincentij, potentes homines in Eccleſiae rebus, & ob callida ingenia frequentes apud Matthaeum, ciuilium negotiorum arbitri, impliciti fallacijs & mercatibus Aulae. Hi cùm ad legatum obedienter irent, vſus Matthaeus hominum opportunitate, mandauit, vt de sua erga Sedem Apoſtolicam pietate prolixe teſtificarentur ac docerent, quemadmodum ad omnia iuſta & legitima paratus eſſet. Ac dextere liberaliterq; agendo rem eam Abbates, pene legatum in ſpem adduxerant, poſſe authoritate finiri bellum antequam inciperetur. Id Cardinalis omni victoria, quae per acies veniret, longe fore glorioſius putabat. Sed ne aſtute compoſita, credita ſimpliciter reciderent ad ſedis Apoſtolicae poſtea detrimentum ludibriumne legationis, Parmenſem Episcopum, qui penitus conſilia Vicecomitis exploraret, miſit. Is cum Vicecomite congreſſus, quandiu res erat in verborum officijs, nihil plane deſiderabat quod amabilius ab ſene illo reuerentiusue dici poſſet. Vbi Parmenſis attigit exſiliũ Archiepiſcopi, remq; Turrianorum vniuersam & libertatem vrbis, tunc enimuerò frons & oculi pro reſponſo fuere. Mox & reſponſum, quale vultus ille denunciarat, redditur. Regnare ſe Caeſaris beneficio, Romana poſtulata non satis poſſe mirari. Is colloquio finis. Abiiſſe inde rectà Parmenſem tradunt.

Ttt velut

ab ſcelerata vrbe & inimica Deo, vitantem moenia & congreſſus; etiam in Monaſterio D. Simpliciani ſubſtitiſſe cùm veniret, atq; Matthaeum illuc euocaſſe, ne ingreſſus vrbem ipſe contaminaretur. Cùm in hunc modum ſpes tentata pacis eſſet, pars vtraque violentior ad bellum exarſere. Legatus Raimondum Cardonum & Pagannm Turrianum ad fines euaſtandos vrbesq; tentandas illico deſtinauit. Ab Vicecomite, prouiſu periculi parata erant præſidia & munimenta, queis cuncta defenderentur; neque mos antiquus omittebatur feriundi hoſtem auro, quo ſaepe telo rem antea feliciter adminiſtraſſet. Corruptelis atq; proditionibus & caedibus omnia permiſcebantur. Et Inſubria tota peſſumibat, dum duo maximi exercitus principum etiam maximorũ pugnant pro Religione ac dominatu, quacunque ſors, ſiue impetus tulit. Coeperat ſtatim ea rerum forma diſplicere Pontifici max. bellumq; nollet ſuſcepiſſe. Nam ſuper id quod nulla dum operaepretia ad vniuerſae rei ſummam fiebant; etiam ad famam hominum memoriamq; poſteritatis exiſtimabat incommodum fore ſuo nomini, ſi tantum fieret Chriſtiani ſanguinis in ſuo Pontificatu, quantum obſtinatus hoſtis & commiſſarum iam aliquot pugnarum euentus, ante victoriam effundendum eſſe oſtendebant. Ideo componendae rei, atq; reconciliandae concordiae rationem rurſus omnem exquirebat; ac tentata iam fruſtra religione Matthaei, & caeleſtium minarum terrore nequicquam admoto placuit, euocari

cari duodecim primos Reip. Mediolanenſis, ſi fortè hominum illorum aequitate conuenire aliquid poſſet. Id negotij datum Legato, editaq; ſimul ei, quae Mediolanenſibus viris promittere deberet Apoſtolicae Sedis nomine, quaeue ab illis viciſſim efflagitaret. Exciti duodecim ad Valentiam haud grauate conuenere; & data fides erat, impune venturos atq; abituros vti veniſſent. Non ſubtraham illuſtribus familijs honores ſuos, praetermittendo nomina duodecim illorum, quae ſcriptores alij ſuis annalibus intexuere. Fuerunt autem huiusmodi. Gulielmus Puſterula. Franciſcus Vicecomes. Franciſcus Garbaniatenſis: Andreas Hortus. Imberaldus Mandellus. Mucius Moncia. Ricardus Pirouanus. Stephanus Vicomercatus. Gulielmus Caſatus. Lucas Cribellus. Bellinus Petraſancta. Othorinus Burrus. Homines erant nobiles, diuitijs insuper & vitae fama nacti authoritatẽ in ciuitate, quanta cuiquam eſſe poteſt, vbi rerũ vnus potitur. Turbatas Eccleſiae res iidem, eiectum Archiepiſcopum, & ſpreta ſummi Pontificis imperia, veluti communem temporum ignominiam, & praecipuum Patriae dedecus interpretabantur. Acceptis à Pontifice prius, dein etiam à legato literis, vt cum bona Matthaei pace proficiſcerentur, agitauere; neque abnuit Princeps, ſiue, ne fruſtra repugnãdo, animos eorum magis etiam ab ſe alienaret, ſiue quia negotiationis huius moras interea fore bello vtiles ſperaret. Ac nunquam oblitus eius lenitatis, qua tegere ſuum animum, & ad omnia, quae expedirent,

conformare, natura vel vſu inſtructus erat, Ambroſium Alliatenſē ſcribam ſuum intimū euntibus adiunxit, quod veluti datum eorum honori ac dignitati opportunitatem inſuper habebat aliam, vt explorator, vtque vinculum foret ad omnia, quae agenda eſſent. Marcus etiam Matthaei filius, ferocia ſua, vel ſicuti credidere quidam, occulto patris mandato, cùm iam iamq; ituri eſſent, haud ambigue minitabundus monuerat, vt meminiſſent officij, ſcirentq; conſcium ipſum, & in tempore vindicem fore, quicquid ageretur. Haec occurſu de induſtria quaeſito, haec, vt quisque fortè inciderat, non nemine etiam in aulam euocato iecerat atrocior vultu, quàm verba erant. Caeteri, iuueniles minas tranſmiſere virilibus animis; apud Franciſcum Vicecomitem tantopere caedē valuere, vt ex medio itinere retro domum rediret, deſerto turpius comitatu, quàm ſi pedem efferre domo recuſauiſſet. Vndecim viri, poſtquam Valentiam ad Legatum peruenere, comite accepti, poſt dierum aliquot quietem, in concilium vocantur, & cùm aſſediſſent omnes, legatus in hanc ſententiam eſſe locutus fertur. Optatiſſimam ſibi rem accidiſſe, vt Mediolanenſis Reip. capita, virosq; prudentiſſimos haberet in conſpectu, quos docere poſſet de paterna voluntate ſummi Pontificis erga rē Mediolanenſem, ac de optima ſepe finiendarum calamitatum, quam in eorum prudentia & aequitate collocatam haberet. Mouiſſe Romanum arma, non odio cuiusquam, vel cupidine alieni imperij, ſed neceſſaria cura

tol-

tollendi peſſimum exemplum, ne quis aliena per vim inuaderet, vtq; ſicuti verbũ Euangelicum habet, quæ ſunt Caeſaris Caeſari reddantur, quae ſunt Dei, Deo. Si iam inde á principio facultatem eorum praeſentium habuiſſet Apoſtolica Sedes, pro bello pacem ad eam diem haud dubie futuram fuiſſe. Facta quae ſint, infecta reddi non poſſe conſilijs hominum; poſſe quidem prouideri ne talia inpoſterum fiant. Culpam & initium omnium malorum ad Vicecomitem pertinere; ſed illum quoque non potuiſſe facere quae feciſſet, niſi multorum ope ſubniteretur. Et quamquam ille cum ſua domo ſit anathemate damnatus, plures tamen potuiſſe damnari, conſiliis implicitos atque permiſtos, adiutores rerum, inſtrumenta belli, quod ille aduerſus Eccleſiam gerat. Neminem ſe vnum accusare, rogare tamen vniuerſos, vt quibus conſiliis, quibusue miniſterijs & artibus antea bellum adiuuiſſent, iisdem adniterentur ad pacem sancte ac ſincere faciendam, quae redactâ in antiquum decus Italiâ, etiam ipſis eſſet allatura libertatem, quod vnicum ciuile bonum ab omnibus mortalibus tanti aeſtimetur. Ac, ne putetis, inquit, rem adeo pretioſam & expetitam, nimium magno vobis emendam eſſe; nihil aliud poſtulamus, quàm hoc ipsum, vt liberi velitis eſſe. Deſinite parere Vicecomiti, legibus vtimini veſtris; & acta res erit. Nullos ſibi fasces, nullã vmbram imperij poſtulat ſibi Romanus in veſtra ciuitate; satis regnabit, ſi quiete, ſi catholicae disciplinae conuenienter agere voletis. forſitan exſpectet

aliquis

„ aliquis veſtrum, vt Turrianis aliquid caueamus: vide-
„ te, quàm vilia ſint caetera pacanti Metropolim Am-
„ broſianam Paſtori ſummo & ſancto. Remouet eos
„ homines vltra centeſimum ab vrbe veſtra miliare;
„ neque pax aliter fiet, quàm ſi tanto interuallo diſiun-
„ cti manere velint. Quos tamen odio Turrianorum
„ expuliſtis, hos redire in patriam aequum cenſet. Vi-
„ cecomitem & alios, quicunq; culpis illius affines vnà
„ cum eo damnati ſunt & notati, abſoluit aeternis vin-
„ culis, & anathematis poena, dummodo tamen Vi-
„ cecomes ipſe in animum inducat Romam accedere
„ ſupplex, ibi pacem Apoſtolicae ſedis expoſcere pre-
„ cibus ob vetera, in poſterum obſequium profiteri. Sic
„ erit bello finis, & inclytae olim religionis Ciuitas
„ tranquilla pace fruetur, decederq; vobis infamia,
„ quam adhuc meremini rebelles Eccleſiae Catholicæ,
„ prohibiti ſacris, ab coetu commercioq; piorum re-
„ moti. Alioqui nos iuſte pieque ſuſcepta arma, pa-
„ ribus animis ad finem vſque, ſicuti decet in tali cauſa
„ retinebimus, aderitq; illud ipſum pro quo dimicatur
„ Numen. Haec vbi dixit legatus, inſtitit hortari Me-
diolanenſes illos, vt ante omnia, precibus accuratiſ-
ſimis diuinum ſpiritum inuocarent ad rem bene ſalu
tariterq; conſultandam, id in omni negotio primum
eſſe, ſine quo mortalium prudentia conſtare non poſ-
ſit. Erat in eo numero Franciscus Garbaniatenſis
ille, de cuius animo & fortuna, & immortali erga Vi-
cecomitem merito antea demonſtratum eſt. Is me-
riti ſui largus, vt plerique, & fortaſſe nō iniquus aeſti-
mator,

mator, praemia quaedam ingentia ſibi deſtinarat, quae poſtquam obtigere minora votis, ac praeſertim, vbi gerendo bello Dux alius eſt creatus, verterat repente animum, infenſusque Vicecomiti premebat dolorem, donec aliqua nocendi opportunitas, quam ſedulò captabat, veniret. Ea, quae nunc offerebatur, haud ſegniter vſus, demonſtrando collegis pericula quae imminerent, conquerendo Vicecomitis iniurias erga Mediolanenſem Eccleſiam, Patriae ſeruitium & alia perturbandis animis, facilè omneis ſuarum irarum impleuit, vt imperium abrogandum eſſe Vicecomiti quacunque vi poſſet, cenſerent. Si nihil authoritate proficeretur, ciuitatem vniuerſam in tyrannum armare decreuerunt; atq; vbi ea ſterit ſententia, Garbaniatēſis idē fertur ad Collegas ita locutus eſſe.
„ Viri Mediolanenſes, & ſocij cariſſimi. Cū in tenebris, &
„ denſa caligine demerſis animis iaceremus, diuinae
„ bonitati placitum eſt, immittere ſuae lucis radios, vt
„ ſalutem ac libertatem, pacemque & vitam & laudem
„ amplecteremur. Vos oro quaesoque, tantum hoc
„ celeſte beneficium conſtantia veſtra firmum ratumq;
„ efficite. Nam quod diuini muneris erat, vt ad ea,
„ quae nobis vtilia & honeſta eſſent, excitaremur, id
„ iam factum eſt; reliqua conſenſum, operam, fidemq;
„ veſtram requirunt, quae ſi deficient; ne Deus quidē
„ ignauos & vaecordes adiuuabit. Ante omnia, ſilentio
„ eſt opus interea dum gerendae rei dies venit. Vbi
„ dies venerit, ſicuti viros, ſicuti Mediolanenſes decet,
„ agemus Reſponſum inde Legato eſt; fore Mediola-
nenſes

nenſes in poteſtate ſummi Pontificis, & imperata facturos; caetera ipſe exſequeretur. *Ita* Mediolanum redeunt; obſirmatisq; in hanc ſententiam animis, id quod ſibi de pace cum Pontifice facienda decretum eſſet, Vicecomiti renuntiauere; se inuitos quicquam quod minus placeret ipſi dicturos, ſed patriae caritate ſubigi, quam ſi neceſſe ſit, vel ſuo ipſorum interitu eſſe ſaluam velint. Vnam viam manere ſalutis, vt cum ſacrorũ Principe redeant in gratiam, id fixũ ſibi eſſe ac deſtinatum. Vicecomes ad ea conſternatus animo, confuſo vultu, pauca & incerta quaedam reſpondit; non ſe pacem abnuere dummodo Reſp. maneret eodem ſtatu, quo tunc eſſet; optare, vt qua fide ipse in alios egiſſet, ea ſibi fides ab alijs praeſtaretur. Perſonabat interim vrbs tota crebris vocibus pacem expoſcentium, & pueri feminaeq; fauſtos in Pontificem & Eccleſiam tollere clamores non ceſſabant, vbi ſemel is rumor emanarat. Quò magis fama increbreſcit, eò plus terroris, atq; perturbationis eſt apud Vicecomitem; ac ſaepe ille profitebatur; ſi quid minus religioſe, ſiquid irreuerenter in sacra ſacrorumue praeſides factum eſſet, nullam ſuam culpam eſſe talium rerum; velle ſe, vti catholice ac pie vixiſſet, ita Catholicum piumque mori; eius rei teſtem Deum inuocabat. Haec publice priuatimq; conteſtans in omni ſermone, nihil tamen afferebat ad comprimendum tumultum, qui violentior in dies excitabatur. Itaque auerſus ad fortiora remedia, exciuit exfinitimis vrbibus Gibellino, qui poſtquam

fre-

frequentes adfuere ; collocuti cum eo aduocant ipſi duodecim viros, & grauiſſime conqueruntur, quód priuato conſilio de pace egerint . Non illis Eccleſiam & ſacra eſſe potiora quàm ſibi, ſed turbulentos homines egiſſe omnia dolo malo , & fortaſſe futurum, vt illos poeniteret. Simul in Pontificem inuecti ſunt tam aſpere atq; acerbe, vt Matthaeus ipſe caſtigaret licentiam , atq; rogaret, vt ſalutis ſuae cauſa , linguae parumper temperarent. Dimiſſis poſtea xii. Viris, Matthaeo ſuadebant, vt illos quidem in vincula conijceret, armatorum verò manus ad reliquae multitudinis terrorem in vrbe diſpoſitas haberet, Galeaciumq; filiũ, qui Placentiae tunc curabat, illico domum euocaret. Non placuit prehendi xii. viros, ne res ea maioris in vrbe tumultus cauſa eſſet: diſpoſiti ſũt locis opportunis armati: Galeacius adfuit, licet antea ſuſpectus, tamquam patris ſenecta detineri dominatum aegre pateretur. In eum ſtatim auerſi omnes; & ille magnifice diſſerebat de Gibellinae factionis potentia, patris imperio, & quemadmodum confideret fore breui, vt tumultus ille conticeſceret. Ferunt, cùm in Patris conſpectum frequenti Gibellinorũ corona deductus eſſet, obortas vtrinque lacrimas, ac deprecante Galeacio veniam errori, ſi quid fortè contra patriam pietatem egiſſet, aliquandiu nihil effatũ ſenem; poſtea precibus adſtantium animo mitigato, dixiſſe, filiorum eſſe neminem, cui ſpes ſuae magis inniterentur. Ab eo congreſſu, Galeacius haud dubia

patris voluntate, rerum omnium arbiter, & familiae munimentum, agit cum xii viris, comiterque ſimul & elate percunctatur, quidnam eſſet illud, quod audiret moueri per ipſos aduerſus dominum ſuum Patrem, quodue cum Romano legato nuper egiſſent. Illi reſponderunt, nihil actum ab ſe niſi bona fide, & Patriae cura, quam rebus omnibus anteferrẽt. Legatum Apoſtolicum, virum eſſe grauem, amantem publicae quietis, dignum, cuius fidei cuncta permitterẽtur. Galeacius enimuero, pari grauitate, pergerent ait; ſe quoq; nec Patri, nec Patriae defuturum. Ceſſit inde Matthaeus omni rerum adminiſtratione, ſeq; totum in ſacra & religionem auertit. Ad omnia templa ibat, & die quodam, aduocato in templum maximum Populo Cleroq; Mediolanenſi, poſitis humi genibus, ad radices Arae maximae, ſymbolum Apoſtolorum, elata quantum poterat voce recitauit. Tum conuerſus ad multitudinem ſtupentem nouitate rei, ſumma item contentione vocis, dixit, ſe, vti catholice pieque vixiſſet, ita catholice pieq; moriturum eſſe; calumnias, queis ſuam ipſius famam homines aliqui dehoneſtaſſent, iudicaturum eſſe Deum extremo ſaeculorum die; tunc, inquit, cùm omnia mortalium in aperto erunt. Haec vti dicta actaq; erant, publicis tabulis conſignari voluit cum hac ipſa conteſtatione; Matthaeum Vicecomitem nõ aliam profiteri religionem & fidem, quàm quae verbis illis contineretur, vti palam prima poſtrema recitata eſſent. Poſtero die, quàm hoc de ſe ſpectaculum

multi-

multitudini exhibuerat Vicecomes, velut alie iata mente Modoetiam ſe ſe prorpuit citato equo, ibiq; adorato Numine incidit in morbum, ex quo paulo poſt moritur. Mortuus eſt ad Creſcentiacum in aedibus Monachorum, tria millia paſſuum ab vrbe, cùm aeger illuc ab Modoetia deportatus eſſet. Haud ego affirmauerim in huius hominis fine id quod etiam in medio rerum curſu, relinqui à nobis ambiguum decuit; fueritne vtique in religionis negotio prauus ille & malus, an odio tantúm inuidiaq; cōtraxerit immeritam hanc labem. Non ſcriptores ſolùm, ſed res ipſae trahunt vtroque, & paria in contrarijs partibus momenta rationum occurrunt, quae proponere lubet, vt potius alij ſententiam tulerint, quàm, vel litterae noſtrae maculam vllam tanti viri manibus inurant, ſi caruit hac interiore culpa, vel dedecus eleuent, ſi reuera contumaces homini aduerſus Eccleſiae dogmata ſenſus fuere. Primùm omnium initia Principatus iuxtà ſanctitatem acta cauſam agunt, vindicantque ipſum ab fama, quae inueterauit. Interesse ille rei diuinae quotidie, reuerenter inſeruire ſacrificanti, curare ſaepe myſterijs animum, & formata ſicut aſſolet in Principis mores familia, ſtatis horis in domeſtico ſacello religioſiſſimae preces, ipſo modos ineunte, canebantur Grauiſſimi ſcriptores, cùm mentiendi cauſas procul haberent, haec ipſa tradidere ſicut retuli. Iam facilis alloquio & ab innocentia paupertateq; leniſſimus, quotidiana etiam ſtipe leuabat egentes, quae licet poſſint eſſe officia diuerſae cuiuſ-

dam virtutis, & animi nihil aliud quàm à natura rectè informati, rarum tamen eſt, vt eadem ab chriſtiana, & catholica perfectione ſeparata reperiantur. Ire frequenter ad templa ſupplicatum, eadem ornare donis, diuinum per omnia cultum amplificare ac tueri, profectò non ſunt eius, qui, vel iam finxerit ſibi peruerſas de ſuperis opiniones, vel ad eas facilè degenerare poſſit. Hactenus exiſtimo purgari ac defendi poſſe Vicecomitis manes ab ea labe, quæ ſemel inuſta fortaſſe nunquam eluetur apud homines; vtinã apud Deum diuerſo iuditio res agatur. Rurſus animum in hoc negotio meum reſtringunt timore ac moeſtitia & ſuſpicione, profugus Archiepiſcopus huius iniuriâ, vaſtatio & ſolitudo rerum Eccleſiaſticarum, Apoſtolicae poenae, contemptus earum. Quaſi neque Deus vſquam, neque Dei Vicarius eſſet, ita ſumpta contra Romanum arma, concitata factio velut in communem hoſtem, perſeueratum ad vltimum, donec vita ſuperfuerit. Sunt haec ipſa quoque perſcripta in annalibus illis, vnde propter incorruptae fidei famam petuntur antiquitates vrbis, neque debuere praetermitti ab eo, qui profeſſus eſſet perſcripturum ſe omnia, quae ad religionem & Eccleſiam hanc pertinerent. Caeterùm, de ea re, vt cuicunque viſum fuerit, ſtatuet. Poſtquam Matthaeus expirauit, filij ſedulò celauere mortem, donec prouiſis, quae tempus monebat, falli diutius fama non potuit. Corpus exanime clam tumulo eſt illatum, quia timebatur, ne Pontifex iratus, anathematis obtentu,

cadauer

cadauer proiici inſepultum iuberet. Neſcitur, vtra in Aede ſitum fuerit, ad Creſcentiacumne, vbi etiam obierat, an uerò ad Claram Vallem, vbi pleriquePrincipum tunc ſibi ſepulturae ſedem eligebant. Authores vtroque trahunt. Non iam arbitror ego fore legentibus ingratum, aut ab Eccleſiae rebus alienum, ſi narrauero, quae fuerit Mediolani fortuna pontificijs armis poſt Matthaei mortem, quomodo relictae ſine capite partes egerint, qui motus vrbis ad noui Principatus initia; implicita omnia rebus Ambroſianis, quarum illa, ſiue gloria, ſiue calamitas propria ſemper fuit, vt cum principum negotijs, cum ciuilium rerum varietate iungerentur. Extincto igitur Matthaeo, creuerant coniuratis animi, manebant odia; delere tyrannidem, ac, ne ſuccedente Galeacio, Metropolim paterentur fieri Vicecomitũ hereditatẽ, agitabant. Hi cõſilia ſua omnia perferebant ad Cardinalem Legatum, & ipſe viciſſim legatus omnem gerendae rei ſpem in eorum conſenſu ac fide poſitam habebat. Ab altera parte Galeacius tradito per manus, & iam haud dubie poſſeſſo imperio, caput rerũ erat; domi ciuium motus, foris hoſtem, quantum omni bellica, & ciuili ratione poſſet aſſequi vná cum Marco fratre ſuſtinebat. Reliqua nobilium ſiue plebis multitudo, partim erat coniuratorum & Legati; plures ituram in ſæcula potentiam, & imminentẽ vrbi dominatum cernebant, eamq; ſpem, aut metũ ſequebantur. Etiam Eccleſiaſtici homines, & hic aliud agens Clerus, in Pontificem, aut in Galeacium

diuiſus

diuiſus erat, tanto magis incertus & fluctuans, quia nouus Archiepiſcopus Aicardus, cùm Guelfarum partium eſſet, nõ poterat inire Pontificatum, magisq; turbabat animos exſul, quàm ab eo quicquam ad regendum Eccleſiae ſtatum afferebatur. In ea rerum colluuione Canonicos Modoetienſes inceſſerat metus, ne ad templi ſui thesauros antea quoq; ſublatos inde & oppigneratos, licentia perueniret. Ob eam rem habito inter ſe conſilio, ſtatuerunt pretioſiſſima quaeque ſub terram, eſſe defodienda, delectis e Collegio quatuor viris, qui defodiendi curam haberent, eoq; miniſterio defuncti digrederentur ſeorſim in longinqua loca, & circa ſupremam vitae horam, rẽ aperirent ei, quem grauiſſimum virum, optimumq; iudicaſſent. Ita res commiſſa quatuor Canonicis eſt; reliqui conſenſere vltro vt celarentur. Ea occultatio theſauri, idq; Canonicorum inter ipſos decretum factum eſt anno milleſimo viceſimo tertio ſalutis humanae, menſe Ianuario, cùm paullo antea foede direpto Oppido Mediolanenſes, Baſilicâ tantùm abſtinuiſſent. Inſequente Februario, Marcus & Luchinus Galeacij fratres commiſſa cum Pontificijs pugna, circa flumen Abduam, duos e coniuratis Cribellum & Garbaniatenſem interfecere, clamitante Marco inter feriendum; Viuat Eccleſia, & patriae proditores moriantur. Pontificij tamẽ eo praelio ſuperiores fuere, captaq; Modoetia, Garbaniatẽſis cadauer ibi in D. Ioannis Aede ſepelierũt. Et armis quidẽ ſic certabatur; certamen aliud verborũ erat, cùm pars vtraq; allicere

ad

ad ſe partis alterius fautores conaretur. *Pro* Vicecomite prẽſabãt amici vel propinqui promiſſis aut minis: Põtificẽ & religionẽ, Eccleſiamq;, & alterius vitae poenas in rebelles concionabundi ſacerdotes inculcabant, eaq; audita, terrore obiecto, vel pietate ingenita perpulere multos, vt in ſanctiora caſtra tranſirent. Modoetiae poſita ſumma rerum erat, caputq; fiebat ibi pugnantium pro Eccleſia, non tamen ea frequentia & ardore, quem grauiſſimus quisque in tali cauſa deſideraret. Ac reperio, Aicardum *A*rchiepiſcopum, quia non ſatis impigre res adminiſtraretur, Modoetiae concionatum eſſe totidem verbis.

„ Viri Mediolanenſes, & quotquot pro Catholica Ec„ cleſia aduerſus impios arma ſuſcepiſtis. Vos quidem „ cupidine ſalutis & ſtudio recti veniſtis in haec ca„ ſtra, ſed non veniſſe ſatius erat, quàm lente ſic agen„ do tradere victoriam hoſti. prodere publicã cauſam, „ iſtaq; lentitudine & proditione laceſſere diuinas iras, „ ſicuti vos facere animaduerto. Proinde, quae am„ plius dicam accipite, vocemq; meam, non vt miſeri „ hominis vocem, ſed quaſi miſſam e caelo condite in „ animum veſtrum, & attendite quae me vobiscum „ agere Deus iubet. Niſi bellum hoc alijs animis geri„ tur; victoria penes alios erit, vosq; ludibrium & prae„ da hoſti, exemplo eritis, pigritiam & ſegnitiem in „ Dei negotio plecti ſicuti caetera mortalium ſcelera, „ magnumque ipſam & inexpiabile ſcelus eſſe. Vult „ ſane Deus Eccleſiam ſuam manere incolumem; ſed „ nunquam per vos erit incolumis donec ſic agetis, &

inuen-

„ inuenta quà Diuinae maieſtati placitum erit, diuerſa
„ via, ne Romana ſacra polluantur, proiicie mini qui
„ miniſterij pulcherrimi gloriam ita contempſiſtis.

Seuerus homo & ſpectatae religionis erat Aicardus, magna in vulgus fama, propterea quod ex minore Franciſcano factus Archiepiſcopus retinebat Ordinis inſtituta & antiquam diſciplinam. Non tamen potuit excutere fatalem torporem ex militaribus animis, miraq; ſocordia res omneis agebantur. Tunc Robertus Siciliae Rex olim icto cum Romanis foedere, fautor antiquus Archiepiſcopi Caſſoni Turrianorumq; reliquorum, cognito rerum ſtatu, timens id quod futurum erat, Raimondum Cardonam cum ſexcentis equitibus miſit, vt ea manu rem Eccleſiaſticam adiuuaret. Cardono ſtatim deditur Alexandria, eaq; Pontificis nomine communitur. Inde Modoetiam auxiliares peruenere. Laetus aduentus eorum fuit, ſpesq; illa commouit parumper animos, ac deinceps aliquanto plus in Pontificio exercitu, ſtrenuitatis erat. Paulo poſt, Paganus Turrianus Epiſcopus Patauij, & cum eo, Frãciſcus & Simon filij Guidonis peruagati terras omnes amicorum, atque corrogatis in vltimi certaminis fortunam trecentis equitibus, eodem ſubiere. Horum aduentu, res ad ſeditionem venit; & quo die Oppidum intrauerunt, ibi in campo, qui D. Franciſci campus dicitur, irritatis animis acre praelium fuit, praelioq; cõmiſſo, conuerſis repente ſignis, ad Vicecomitem tranſiere quicunque Turrianum nomen ob veteres inimi-

titias auerſabantur. Caeteri iam decernere de ſumma rerum auebant; ac duo præſertim Galielmi, Puſterla, & Caſatus, quorum maximè conſilio Eccleſiaſtica res nitebatur, eiuſmodi ſententias dicebant, vt quamprimum Vrbs Mediolanum obſidione cingeretur. Contra ea Gardonus, munimenta vrbis, & nimium ſerae ſpei moras proponebat. Dum hæc inter Eccleſiaſticos agitantur, Vicecomes anteuertit, omni connixus ope ad hoſtem ex Oppido Modoetia detrahendum. Marcus,& Luchinus in expeditionem eam iere. Pugna proſpera Eccleſiaſticis fuit, vtenteſque rerum curſu ducunt ipſi ad Vrbē oppugnandam,& triduo poſtquam pugnatum erat, ipſis mœnibus inſtiterunt. Tunc Vicecomes in magno metu de ſumma rerum eſſe coepit, & concione aduocata, diſſeruit apta tempori. Non ſe bellum gerere cum Eccleſia, ſed defendere communem patriam velle; ac ſi vera loqui debeat, nihil ſpectare magis arma ſua, quàm vt res Eccleſiaſtica Mediolanenſis, ab externis iniurijs tuta, & incolumis maneret. Eſſe Theutonas, eſſe barbaros in hoſtium exercitu, qui ſi vrbem ingrediantur, ſacros, & ſacra omnia videat eorum furori prædam fore. Proponerent ſibi ante oculos, tot Sanctorum Reliquias, & cęleſtia pignora, tantum Eccleſiaſtici argenti, ſupellectiliſque religioſæ, templa ipſa, & aras, ſimulacra Diuum, vel marmore ſculpta, vel expreſſa coloribus; cuncta, ſimul auaritiae materiem, ſimul impietati

Xxx ludi-

ludibrium parari, niſi, quanta vi barbarus inſtet, tanta ipſi barbarum repellant. Neque verò ſpem reſpicerent eam, quòd Romanis auſpicijs ab ea parte geratur res, quodque religionis adeſſe vindices dicantur. In pace, ſpecioſum & magnificum eſſe Pontificum nomen, atque ipſos tunc agere clementer & iuſte; bellorum iras iiſdem nihilo mitiores, & auidas in ſacrilegia militares manus, non poſſe cohiberi ſi quis velit. Ab eiuſmodi dictis, cúm mœnia, & portæ ſtationibus atque præſidijs firmarentur, omniq; alio repellẽdorum hoſtium apparatu militariter occupata Ciuitas egregiam Principi fidem oſtentaret, Heluetij, qui ſub Galeacio ſtipendia faciebant, accepta ab Eccleſiaſticis pecunia, capere, vel interficere ipſum agitauerunt. Atque non fruſtra id incœptum fuiſſet, niſi Ioannes Galeacij frater, quamuis Eccleſiaſtica in toga, belli neceſsitatibus intentus, re cognita, cum amicorum repente manu impetũ in proditores dediſſet, qui caeſi, vel capti, ſpem obſeſſoribus ingentem illam ademerunt. Inde, cum trepidatione diſsidium ortum inter ipſos, & ſicuti lingua moribuſq; diſſoni erant, ita ſeorſim inire conſilia, variiſque furere voluntatibus cœperunt. Gliſcentem ſua ſponte ſeditionem irritabant obſidionis tædia; neque ſiſti res potuit, vbi Caſtroneus quidam (id nomen viro) Legati fratris filius, ad eruptionem ex vrbe factam acriter pugnans vnà cum primoribus ceciderat. Nocturno agmine Modoetiam eunt, idq; ſtatim Oppidum, fortuna commutata Vicecomes obſidebat.

debat. Rurſus auxiliis ab legato miſsis, ipſe retro Mediolanum compellitur. Variante ſuas vices bello, nihil certi, per totum eum annũ apud alterutros erat; incendiis, & rapinis cuncta inuoluebantur abſque diſcrimine vllo ſacræ an profanæ res eſſent. Tota belli moles ad Modoetiam, vicinaque loca, Vicomercatum, Caratum, & Decium conſtiterat, & veſtigia cladis eo tractu parietinæ templorum adhuc manent. Inſequens annus graui clade rem Eccleſiaſticam afflixit, cum ad Vaprium in Abduæ fluminis ripa pugnatum eſſet; neque ſcriptores æquales eorum temporum, in re tradenda, quicquam omiſere quod horribile, ac memorabile viſu, vel dictu accidere in prœliis poſſit. Semiuiua corpora ſepulta mortuorũ cumulis, inflatũ humano ſanguine flumen, & Bergomi, decẽ inde paſſuũ millia clamores prœlij eius auditos prodidere. Addunt etiam prodigia, quorum illud, & ſpectantium multitudine, & rei, quæ portendebatur, euentu, certiſſimum fuit. Cum enim Modoetiæ, in campo, quod Pratum appellatur, ea fortè ipſa hora, qua duo exercitus ad Vaprium confligebant, iniretur equitum numerus, qui mittendi illuc ſubſidio Pontificiis eſſent, quoddam huiuſmodi ſpectaculum obuerſatum fuiſſe oculis fertur. Ingens vulturum multitudo per ſublime volitans cum triſti clangore, primò campum inumbrauit. Dein ſcinduntur in duo agmina, conſiſtuntque velut contrariæ acies, hinc ad orientem Solem, inde ad meridiẽ obiecta aduerſa regione Mediolanum verſus. Is

minor erat numerus, & Vicecomitis copias, ſicut ab euentu creditum eſt, repræſentabat. Poſtquam ita conſtitere aues atrae & ſtridulæ, concurrunt inter ſeſe roſtris, veluti telis, & acerrime rem gerunt. Prætcrquam quod ſuſtulerāt omneis ad id ſpectaculum ora, cadebant etiam ante oculos aligeri milites laniati, & cruenti, totoque campo plumæ volitantes cernebantur. Adnotatum eſt, certaminis victoriam penes minorem aciem fuiſſe, moxq; Franciſcanae Aedis turrim, & vicinarum arborum cacumina gregatim inſedere. Pars altera ita diſſipata eſt, vt vultures, terni, quaternive non amplius, hac, illacq; diſpergerentur. Horæ ferme ſpatium, ea tenuit pugna, nuntiataque poſtmodum Vaprienſi clade, interpretatio prodigij facilis fuit. Adeò reſponderunt omnia, ſimilique ad Vaprium fortuna diſſipati ſunt Eccleſiaſtici, atque Modoetiæ volucrum prælio, ſuperior multitudini paucitas, & hinc incolume ſtabileque agmen, inde conſternatio, & fuga ſpectata fuerat penitus ad humanæ dimicationis formam. Sanè quæſitum eſt aliis ante me ſcriptoribus rerum, ecquid valeant prodigia, ſuntque pleni libri exemplorum ex omni memoria, quomodo præſenſerint mortales, aut viderint diuinitus ea, quæ poſt tempus aliquod euentura eſſent, quaeue diuerſos apud homines, & locorum interuallo diſcretos agerentur. Mutæ ſæpe animantes, cęlo, ſiue terra, vel aqua, vel igni, vel etiam elementa hæc ipſa denuntiaſſe res futuras, oſtendiſſe remotas exiſtimantur. Cantu, ſiue volatu,

tripudijs,

tripudiis, extis, alijſque modis innumerabilibus, internecionem exercituum aut triumphos cùm praecepiſſent animis Imperatores, ei prodigio cõgruit euẽtus, neque alibi ludificatio maior apud antiquitatem. Si gutta ſanguinis in exangui corpore conſpecta eſſet, ſi manaſſet ſudor ex marmore, vel ligno, ſi prodijſſet anguis alicunde, prodigium erat, & quales negotiorũ euentus ab eiuſmodi oſtentis erant in ſpe, vel metu, tales etiam interdum ſequebantur. Iam auditae voces e caelo maiores & auguſtiores humanis, obuerſata oculis ſimulacra, viſaeque ſpecies dimicantium, hominum etiam ipſorum vaticinia, clades & victoriae non abſonae vaticiniis, conſtituta generis eius diſciplina, collegia denique Sacerdotum adhibita procurandis eiuſmodi religionibus prope abiguunt dubitantes, & quaſi ſuo iure fidei partem petunt. Sed priſcarum vanitatum alia quoq; monſtra reperientur, neque mirum fuit, inanes ſibi formas, & conſentanea formis interpretamenta figurare quĩ coeci penitus eſſent in ſumma religionis, ipſasq; pecudes, & ſi quae sunt viliora, conſecrata diuinis honoribus colerent vt Numen. Ab eo ſcilicet fonte caetera mentium ludibria, & deliramenta manabant. Caeterùm nihil arbitror eſſe abſurdius, quam viſis, atque portentis dedere animum, & ſi quid quamque rem anteceſſerit, arbitrari, vel hoc ſecurum eſſe, quia factum ſit illud, vel vt poſteriora ſequerentur, priora extitiſſe. Permeant omnia curſus ſuos, neque mutatur quicquam in naturae rebus, niſi regẽs eam Deus

annue-

annuerit. Annuere porrò non niſi ſumma, & arcana ratione credere oportet intuentes maieſtatem illam infinitam, quantum aſſequi humana mens poteſt. Extitere temporibus Hebraicis diuini Vates, ac deinceps alij, queis praesaga pectora diuinitus obtigerunt, itemque prænuntia ſigna venturarum rerum miſſa de caelo nonnunquam, semperque vaticino hoc munere defungentur quibus aeterna prouidentia tale delegare miniſterium voluerit, & vocalia saxa ſi Deus volet, fient. Vt quidem, vel suopte nutu, vel inſtinctu caeleſti paſſim vaticinentur homines, inanimaq; & animata, ſicuti captæ ſuperſtitione mentes, in metu, vel gaudio credere amant, non dici poteſt, ad quantam ſocordiã ea credulitas accedat. Neq; ſi vultures infeſtis concurrere roſtris, minorque numerus auium illarum, examen maius afflixit, qua hora Vicecomitis copiæ, numero ſuperiores Eccleſiaſticos fugauere, ideò trahenda res in religionẽ fuit, & magni prodigij nomen vſurpandum, quod feciſſe Scriptores eorum temporum video. Fortaſſe enim volucres irritatæ per laſciuiam, certauere morſibus; & dulcedine fingendi, cætera in miraculum aucta, vt tradita per manus vanitas, veluti contagio quædam ad hiſtoriam vſq; perueniret. Sic nimirum inſerere diuina humanis amat mortalitas, & ſemel in prodigium accepta gliſcunt poſtea ſermonibus, neque ſimplicitatum humanarum eſt finis. Me longius prouexit alterius etiam prodigij nouitas, quod huic vulturum oſtento ſubiici-

tur

tur ab eo Scriptore, qui rem ſibi compertiſſimam referre ait. Henricus quidam cognomento Flandrenſis fuerat in Eccleſiaſtico exercitu, cùm ad Vaprium infeliciter dimicatum eſſet. Hunc acie diſiecta, & cæſa fugientem poſtridie per deuia Modoetiam veniſſe refert ducibus itineris duobus, qui ſe ſe repente obtulerint, ſtiterint incolumem ad oppidi moenia, deinde abierint ex oculis nihil vnquam effati. Ipſum ingreſſum in Oppidum, cùm trepidi illic omneis ob cladem acceptam afflictarentur, iuſſiſſe bono animo eſſe vniuerſos, ac ſperare ſalua fore omnia; ſic iubere Deum, & Oppidi tutelarem Baptiſtam. Namque ſe cúm ab heſterna infelici pugna per calles incertos in obſcuram ſyluam deueniſſet, ibique curſu, & metu fatigatus iaceret, vidiſſe repēte torrida macie ſenem, à quo deductus in tutum, traditusque duobus illis fuerit, & de ſalute Oppidi curaque Praecurſoris ita renunciare iuſſus. Ardicius Concorretius refert Scribam ſe publicum tunc fuiſſe Modoetiæ, hominemq; vidiſſe illum, & audiuiſſe cùm ea renunciaret. Si vera res fuit, profecto, multo ſanguine, multaque clade ſtare Modoetienſi populo miraculum illud, & certa illa ad extremum ſalus debebat. Namque, dum Legatus Apoſtolicus, & Galeacius Vicecomes omni inuicem ope connituntur ad obtinendum Oppidum, Oppidani ipſi deſtituti in medio per anni fere ſpatium pertulere omnia, quæ accidere obſeſſis poſſent. Ac neſcio fueritne ſalus, nō capi Modoetiam ab Vicecomite, cùm qui retinebant eam Eccleſiaſtici ſaeuirent

intra

intra muros atrocius, quàm capto Oppido ſæuire Vicecomes potuiſſet. Defenſa funeſte Modoetia per Eccleſiaſticos, irrito Vicecomitis circa eam conatu, grauibus vtrinque damnis, pars etiam vtraque pacé expetebat, quam Vicecomes ne nimium cupiſſe videretur, tali commento eſt vſus. Raimondum Cardonum ex Pontificio exercitu Siculorum auxiliorum ducem habebat in cuſtodia, virum dexterrimæ humanitatis, & ea morum parte principum negotijs aptum; nec magnum ex redemptione pretium ſperabatur. Eum per fidiſſimos ſibi homines interrogari iubet, ſi dimiſſus fuerit ex cuſtodia, ſoſpeſque reſtiturus ad ſuos, velitne apud Pontificem Max. fidus internuntius eſſe conciliandae pacis, & ecquam in ea renauare liberatori ſuo operam velit. Cum ille diceret, facturum ſe omnia cum cura, & fide quae imperata forent, viam etiam aliquam inuẽturum arte ſua, quò facilius honeſtiusq; conueniret res; laxatis vltro cuſtodijs datur captiuo fugiendi locus, inſtructusq; ſecretis à Vicecomite mandatis, tamquam ruptis vinculis, eluctatusque fuga ſaeuas hoſtium manus, Placentiam ad Cardinalem legatum peruenit. Benigne acceptus exponit belli difficultates, Vicecomitis copias, fortunam, & rei militaris vſum, & parata ei ad victoriam omnia, nec poſſe Modoetiam vltra per Eccleſiaſticos retineri. Cùm haec aliaque dicta terrore Romanum ac deſperatione impleuiſſent, inſtitit vnà cum eodem artifice quaerere, quae via, quodue conſilium honeſtae pacis foret, quae ratio flectendi Pontificis

tificis

tificis ipſius animum, vt abduci inde exercitum pateretur. Paratum erat compoſitumq; cum Vicecomite, quod in tali ſermone natum ex re ipſa videri conſilium poſſet. Iturum ſe recta Aucnionem ait Cardona, ſi videatur, ibi rerum faciem, praeſentiaq; ſimul & futura mala demonſtrando ſperare à Pontifice impetraturum, vt pacem nihil habituram indignitatis malit quàm in parte floretiſſima Italiae tantã hominũ ſtragem, & incerto armorum exitu, certa detrimenta etiam Apoſtolicae authoritatis. Iret igitur annuente legato, proficiſcitur; ac, ſiue mutato inter eundum conſilio, ſiue à Vicecomite ita regere negotium iuſſus; ad Pontificem vbi peruenit, profert vltro conditiones, quibus finiri exitiabile bellum poſſit, aperitque quomodo ſit ipſe ab hoſte pacis tentandae cauſa e carcere dimiſſus. Conditiones erant huiuſmodi. Mediolanum & Cremonam haberet Vicecomes; Eccleſiae Vicarius appellaretur: Ad omnia bella, quae intra Longobardorum fines gererentur à Pontifice Max. praeſto eſſet; quingentos cataphractos equites mitteret ad ea bella ſtipendijsq; ſuis aleret. Conditiones eae placuerant Pontifici, quia vectigalem Eccleſiae ſic fieri Galeacium apparebat. Sed cùm de pace nihil ab Romano tranſigi poſſet inconſulto Siciliae Rege, qui fuerat in parte belli, isque conditionibus adderet hoc, vt Vicecomes pari ſecum animo foret hoſtis Caeſari, ſpem pacis ea res turbauit. Sub anni finem, quo haec geſta sunt; Aichinus Vercellenſis vnus e quatuor Canonicis, qui de occultãdo Modoe-

tienſi theſauro, ſicuti dictum eſt, inter ſe conſciuerant, cùm inſtare ſibi ſupremum diem ſentiret, rogat ſuos, vt Aicardum Archiepiſcopum ad ſe adducant; eſſe quae de magnis Eccleſiae rebus agere cum eo velit. Aicardus, mutans in ea rerum perturbatione crebro ſedem exſilij ſui tunc apud Cardinalẽ Legatum, vbi moribundus etiam Canonicus, erat, neque recuſauit accedere quá lectulo humili decumbebat Sacerdos. Poſcit ille vocibus intermortuis, dari ſibi fidem, ſanctum fore ſilentium eius rei, quam ſibi pari fide cuſtoditam, nunc ſit morte appropinquante, neceſſario officio enunciaturus. Vbi data fides, & arbitris remotis, dicere ſiquid haberet, eſt iuſſus, indicat locum, in quo defoſſi iaceant theſauri Modoetienſes, & quid ipſi viciſſim Archiepiſcopo circa vitae finẽ ſuper ea occultatione faciendum ſit, monet ex iuriſiurandi formula, quo ſeſe Canonici quatuor obligaſſent. Promittente Archiepiſcopo religioſiſſime omnia cuſtoditum iri, nec niſi vrgente vltima hora arcanum ſe illud eſſe cuiquam enunciaturum, quieto, quod ad eam rem attinebat animo Canonicus ille obit ſuũm diem. Nolim equidem credere factum eſſe dolo malo, ſiue per leuitatem ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, vt obſtrictam ſacerdoti morienti fidem ſuper tanta re praeſertim, fallere atque prodere ille pro nihilo haberet. Sed quoquo modo, quaue de cauſa fecerit, conſtat non expectauiſſe dum Canonicus expiraret; ſtatim ab eo colloquio, rem totam ſicuti ſibi commiſſa creditaq; eſſet, Cardinali legato aperuiſſe. Aiebant

bant qui poſtea fruſtrationem eam, ſicuti fit, in ſermonibus habuere; minime fuiſſe mirum, vel potius valde mirum fuiſſe, quòd ab clauſtris homo reticere nihil potuiſſet. Legatus etiam ipſe, re comperta, veluti ſi hereditas obueniſſet, ita mittit propere Modoetiam promptiſſimos e ſuis, qui cōprehenſis Templi cuſtodibus, & effoſſo theſauro cum ea praeda redeant ad ſe. Factum vt imperarat. Pretioſae res, quae naturae vel artis eſſe miracula tunc dicebantur, ac citra miraculum etiam aeſtimatione hominum pretioſae, tū alia cara pietati, monumenta quoq; clarorum ingeniorum, & vno verbo, quicquid illa Baptiſtae Aedes per plura iam ſaecula pio certamine Regū, Pontificū, Caeſarum adepta erat, id rerum poſtquam in conſpectu Cardinalis ſtetit, neſciebat primò, quid faceret theſauris eiuſmodi, & quaſi effodientium ipſe foret vnus, aeſtuabat. Demum occurrit animo tale conſilium, quod ab ipſa ſumptum ambitione & placendi cura, dedecus homini probrumq; & ignominiam inuenit. Mittit ad Pontificem maximum omnia illa cum litteris, in quibus erat, quomodo ſibi tantarum rerum fieri compotem contigiſſet. Canonici Sacerdotis nomen, genus ſimul & patria, morbus eius, aetas, hoſpitium in quo fortè decubuiſſet aeger, vt euocatus ad eum Archiepiſcopus Aicardus acceſſiſſet, quae dicta inter eos, quae petita fides & obligata, quomodo ſtatim eadem irrita per egregiū Archiepiſcopum; & denique quomodo miſſi ab ſe repererint illico theſauros in latebra quā Canonicus

oſtendiſſet; hęc omnia legatus ille veluti texeret annales quoſdam, ad Pontificem, addens muneri pretium accuratiſſime perſcripſit. Orabat ad extremum, vt obuia superûm benignitate delatas opes acciperet obuio ipſe etiam ſinu. Sic fauere Deum eius Pontificatui, vt abditi ſub terram thesauri recluderentur, nudaretq; vltro ſua viſcera tellus, quò ille beatior foret. At Pontifex, vt res inſpexit eas, accepitq; violati sacramenti ſeriem & ordinem, inhorruit primò perculſus atq; cõfuſus à atrocitate negotij; deinde exciri cõfeſtim iubet ab oppido Modoetia Canonicos eius Tẽpli cum Antiſtite ſuo; ſimul grauiſſime increpat legatum; rem eum, neque recte, neq; ordine, neque pie adminiſtraſſe demonſtrat. Poſtquam adfuere Canonici Modoetienſes, omnia thesauri vaſa parteſque ſingulatim exſcriptae & exſignatae illis attribuuntur, eiusq; aſſignationis publicae tabulae confectae per Ioannem Caſtellanum cum Apoſtolica execratione ſiquis in poſterum eos attingere atque violare theſauros auderet. Mandatum inde Canonicis ab Pontifice eſt, vt quamdiu maneret bellum, depoſitos in Auenionenſi ſacrario theſauros relinquerent; bello finito referrent domum atque reſtituerent eos in priſtinam ſedem. Depoſiti ſunt & religioſiſſime cuſtoditi, paceq; poſtea firmata relati Modoetiam, ſicuti ſuo loco demonſtrabitur. Nunc, ob eam, quam dixi cauſam impedita negotiatione Cardonae, gerebatur bellum infenſius aliquanto quàm antea, & Galeacius in magna victoriae ſpe, iam coeperat conſultare cum ſuis, an

Oppi-

oppidum Modoetiam, excepta Baptiſtae Aede totũ à fundamentis deleret. Cùm de ea re conſilia Princeps agitaret, apparuiſſe fertur ei per quietem Diuus ipſe, atque ita eſſe hominem affatus. Delere tu Modoetiam noſtram, & ſuperſtitem populo relinquere
» Aedem meditaris? At ego Oppidi ſimul & Aedis de-
» fenſor, vt ab iſta mente deſiſtas, moneo. Si deſtiteris,
» Oppidoq; meo parcere animus tuus volet; at ego fa-
» ciam, vt Modoetia ſine ſanguine & ſtrage cadat in ius-
» ditionemque tuam, victoriaq; tibi incruenta dabitur.
» Sin pergis de mea Modoetia cogitare dure atq; crudeliter, victoria iſta tibi nunquam obtinget. Ab hac viſione caeleſtique per quietem alloquio Vicecomes vt euigilauit, ratus inane eſſe negotium, ludibriumq; ſomniantis animi, qualia multa pleno vel inani ſtomacho reliquiae diurnarum rerum efficere ſolent, nihilo mitius de Modoetia ipſa cogitabat. Poſtea, cùm inſequenti nocte ſpecies eadem obuerſata eſſet, ſtatuit parcere Oppido, ſi potitus foret; neque parcere ſolùm, ſed illud indulgentia fouere omni, dirutaq; reſtituere, & tantum addere ornamentorum, quantas iniurias, & quanta damna bellum intuliſſet. Ita ſubita voluntatum, & animorum inclinatione, quae videretur non carere miraculo, deditur Oppidum Vicecomiti, qui nocturnae viſionis memor, caeleſteq; munus agnoſcens, nec violauit ibi quicquam, & vt priſtina etiam frequentia rediret, propoſuit ampla praemia, ſi qui aufugerant redire illuc vellent, praeconesque ob id ipſum in vicina loca ſunt dimiſſi. Profecto diuinam

fuiſſe

fuiſſe rem diceremus, niſi Galeacius poſtea ipſe ibidē Modoetię traditus in vincula cum fratribus ſuis, calamitate hac, miraculi gratiam & fidem imminuiſſet. An potius miraculi pars hoc ipſum fuit, vt quoddam illius populi vaticinium tali Vicecomitum exitu comprobaretur? Cùm enim Galeacius aedificaret arcem, quae ſemiruta manet in hunc diem, obſcuriſſimaeque latumiae ſimul inaedificarentur; Oppidani cernentes ingrati operis molem, iratas huiuſmodi voces iacie-
„ bant. Has ſibi fratribuſque ſuis latumias Galeacius
„ ponit. Faxit Deus vt fabrica ſit ipſorum capiti, ratumq; omen fuit. Taedet me pudetq; referre vltra prodigioſi quicquam, ne fortè recipiendo in hiſtoriā temere aliquid, etiam veris abrogauerim fidem. Sed non debui rurſus omittere quae ſcriptores aequales huic aetati conſenſu tradidere, cùm nullo modo probabile fiat, potuiſſe ſic coniurare omnes vt mentirentur, ſiue potuiſſe ſic decipi, vt ab alijs ementita pro veris admitterent. Theſauros illos Modoetienſes, de quibus antea memoraui, tradunt ab homine intelligente rerum earum fortè inſpectos, cùm adhuc Auenione ſeruarentur, pepuliſſe animum habendi ſtudio, non pio illo vel erudito quia ſacra multa & antiqua ineſſent, ſed ſordido & furaci, quia plurimae vendibiles gemmae, plurimumq; aurū & argentum internitéret. Eam ſibi praedam homo ille cùm deſtinaſſet, leuē primò cū Canonicis notitiā adduxiſſe in familiaris amicitię cōſuetudinē, deinde claues ſacrarij paraſſe adulterinas, & capto ad rem peragendam tempore

ſuſtuliſſe

ſuſtuliſſe ſacra illa vaſa, & abijſſe feſtinantem vt ex vrbe ſe ſe proriperet. Ad portam, quae Rhodani dicitur, ingenti trepidatione progreſſum vidiſſe in pontis aditu, quo committitur flumen, ſpecies hominum armatorum interminitantium, niſi regrederetur. Eo terriculamento reiectum ab tranſitu pontis, aliam, ac ſubinde aliam adiſſe portam, donec ad omneis exitus eadem occurrente cum minis armatura ſtatuit in vrbe vendere quod efferre non poterat, redactumq; inde pretium aut abdere poſtea ſub terram, aut exportare aliquò, quaſi vindex Numen fallere poſſet ea ſceleris via. Vanus erat nomine florentinus homo, qui Aueniοne faciebat aurificinam forte antea notus furi, & furem ipſe nouerat viciſſim; nec debuit primũ hoc inter eos commercium eſſe quod memorabo, ſicuti vltimum fuit. Hunc Florentinum aurificem adit ſacrilegus ille, & ait eſſe ſibi quaedã emblemmata quaſdam nec valorũ cruſtas, & vaſa nõnulla, quae vetuſtas diſſoluerit, margaritarum praeterea nonnihil, & omnino pleraque fragmenta rerum antiquarum; ea ſi poſſit aequa conditione diſtrahere, ſiue commutare, facturum libenter, ſimulq; nonnihil profert experimenti cauſa, quod probum viſum artifici, ac poſſe aliquid conuenire reſpondit. Veniret poſtero die, & afferret; ſe ſe praeſentem pecuniam illico numeraturum aeſtimaturumq; tanti ſingula, quanti praeterea nemo. Vulgabatur interea per vrbem, theſauros illos Modoetienſes, clam fuiſſe ſublatos e ſacrario, nec ad quos pertineat id facinus indicia vlla extare. Pericu-

culerat is rumor animum aurificis, & profectò deſcriptionem illam fragminum huc pertinere ratus, ſtatuit non eſſe ſibi faciendum, vt tali ſe ſe negotio implicaret; poſſe furti alieni poenam in ſuum recidere caput; & fortaſſe suberat metus, ne alia cum homine eodem negotia occultata feliciter ad eum diem, emanarent. Refert illico rem in Aulam ad iudices, quae dicta ſibi de gemmis auroq; venali, quid viciſſim ipſe reſponderit, ad quam horam, quemue hominem exſpectet, ordine cuncta exponit. Miſſi confeſtim ſatellites obſedere diuerticula, & angulos, circa indicis tabernam, & cúm paullo poſtea fur adueniſſet, exponeretque fragmenta, coorti repente varijs e locis lictores hominem comprehendunt, & abducunt iniectis vinculis; neque vilis animus tormenta exspectauit. Confeſſus abſque mora flagitium, & indicatâ latebrâ, in quam theſauros abdidiſſet, poſtquam erutae res & prolatae, damnatur vt diſtentus in tabula raptatusq; iumento per viam, secto demũ in quatuor partes corpore ſacrilegij poenas luat. Id ſupplicium ſumptum eodem die, quo facinus deprehenſum, & vt in partem vtramq; nobile exemplum eſſet arcendis ſceleribus, praemium indici decretum duceni floreni in ſingulos annos, & honeſtus in Pontificis familia locus; praeferendis Imperij falcibus alij eſſe adhibitum ferunt. Theſauri verò ipſi, ne ſemper expoſiti furum ingenijs manerent, in praeferrata capſa ſumma teſtudine Templi maximi ſuſpenſi contra aram maximam, quà ſcilicet omnium oculis coſtodirentur,

rentur; ac fuere ibi, donec pace per Italiam parta,
ſicuti poſtea demonſtrabimus,
reſtituerentur in ſuam
ſedem.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLNENSIS

Liber Nonus.

EA quae de Modoetienſi theſauro retulimus, accidere Auenione anno ſalutis milleſimo trecenteſimo viceſimo ſexto, cùm ibi Sedis Apoſtolicæ domicilium eſſet. At in Eccleſia Mediolanenſi nihilo tranquilliora negotia ſtatusve melior durabat, quàm ille, vnde narratio diuerterat ad theſauri miracula & caſus; noſtriq; fama Cleri, quò magis progreditur annalium ordo, vehementius ingrauescit, vel ſcribentium licentiâ, qui nominibus eum inuidioſis onerauere, deſertorem atq; rebellem appellando, vel rerum ipſarum natura & conditione, quæ fiebant. Ludouicus Bauariç Dux, quem ideo Bauarum dixere, aemulo profligato adeptus Imperiũ, erat à Pontifice Ioanne Anathemate damnatus, atq; capitales cum eo inimicitias gerebat, ita vt exturbare alter alterum agitarent, vsusq; demum Apoſtolico iure

iure Pontifex, imperium Caesari abrogarat. Huius arma Galeacius cùm in Inſubriam aduerſus Pontificem exciuiſſet, prodiere obuiam Clerici; Pontificiisq; hoſtem, Eccleſiae perduellem, carentem communione ſacrorum ſub vmbella in Palatium deduxere. Atque id parum fuerat, niſi etiam petenti poſtea, vt more maiorum coronaretur, ambitioſe id ipsum, & impie conceſſiſſent. Coronatus eſt in Baſilica Ambroſiana; & quia nullus tunc Mediolani Archiepiſcopus erat, Aicardo, ſicuti dictum eſt, exulante, solēnia sacri eius obijt Arretinus quidam Episcopus cum trium aliorum praeterea miniſterio, quos omneis oportuit etiam ipſo nequiores eſſe, cui caeremoniam impiam, neſcio, ſcelere ne, an per leuitatem gratificabantur. Sed Episcopum quoq; illum Arretinum, qui caeremoniae caput fuit, inuenio fuiſſe iam antea à Pontifice exauthoratum, debuitq; ſicut arbitror, pretio, vel contumacia, huc deſcendiſſe. Nec de Pasquale Placentinorum Episcopo (is quoq; enim ad fuit) fama melior extat. Caeterùm ea coronatio Caesaris adulterini facta per Episcopos item adulterinos haud dubie Galeacium ipsum euertit. Namq; Bauarus, exulcerato ſuspicionibus, & calumnijs ipſorum inter ſe fratrum animo, Galeacium, & fratres, excepto Marco, qui accusator extiterat repente comprehensos, in Modoetiensem arcem, quae Vicecomitum excidio fatalis habita fuerat, coniecit. Ac tanta fuit ira, vt ne Ioanni quidem ipſi parceretur, quem vel praesens, vel ſperata & deſtina

ea conſenſu omnium dignitas defendere debebat: Erat enim ex Mediolanenſis Eccleſiae Canonicis ampliſſimo tunc honoris gradu, quem Principes etiam appetebant, & Pontificatum Ambroſianum ob vitae ſplendorem propediem habiturus eſſe credebatur. Is vnà cum caeteris fratribus à Bauaro coniectus in vincula, documẽto potuit eſſe, quàm infida ſit gratia queſita per ſcelus, atque per diuinarum legum iniuriam; & praemium hoc fuit obſequij quo Caeſarem contra Pontificis authoritatem coronarant. Quae omnia quomodo acta ſint narrabo; neque fraternorũ odiorũ tantùm inſigne & lugubre exemplũ proponã, ſed maius atque luctuoſius aliud ad cõſiderandas potentiorũ artes, vbi vitae miſerorũ inſidiantes, & innoxio nimium gaudentes ſanguine nominibus honeſtis tegere diram ſitim volunt. Erat Marcus inter Matthaei filios ſtrenuus manu, conſilio bonus, atque per ſuperiora bella egregiam & fidelem Galeacio fratri operam nauarat. Sed quaecunq; ille praemia acciperet, querebatur ſemper, non pro meritis tractari ſe ſe, quae humani animi ſuperbia Regum ſaepe domos compleuit aeterno luctu, priuatis que etiam miſeriores effecit. Socium querelarum habebat Ludriſium patruelem ſuum, qui expeditionum itẽ comes nihilo feliciorem ſibi virtutem fidemque ſuam exiſtimabat eſſe in aula, quae propter genus & ſanguinem prolixe agere ſecum deberet etiam ſi in otio & deſidia agerent vitam. Ita patrueles duo natura queruli & ſuperbi addente animos virtute & gloria

cum

cùm iactando ſermonibus iſta quotidianis viciſſim ac cenderentur, cepere denique ab ipſa deſperatione conſiliũ, vt ruina domus opprimerent miſerias & angores, & ignominias, vt ipſi interpretabantur, ſuas. Siue verum erat, ſiue conditio temporum, & ea, quae tunc agitabantur negotia, fecerant ſimile veri, detulere ad Caesarem hoc Galeacij crimen, quod ille clã inito fœdere cum Pontifice Ioanne pararet dedere Metropolim ei, compellere omnia sub nutum arbitriumq; eius. Nihil poterat accuſatione tali capitalius eſſe ad inflammandum ira animum Caeſaris, cùm prae magnitudine criminis eius, caetera maieſtatis crimina, rebellionesq; & proditiones aliae tamquã inania transmitterentur. Dummodo ſubiecti, vel populi, vel principes, ſeruarent in eo negotio fidem, vt ab Imperij nomine contra Sedem Apoſtolicam ſtarent poterant caetera ferre agerê ſuo arbitratu; rurſus in ea parte commiſſum offenſumue aliquid, ſuſpectos ad omnia, inuiſos, execrabilesq; faciebat. Cùm tanta eſſet atrocitas & inuidia criminis apud Caeſaris eius aures, iamq; alteras & tertias ab Ludriſio & Marco ſuper ea re literas accepiſſet, temperauerat irae tamen, ſcripſeratq; ipſe communiter ad Galeacium & Marcum humaniſſime cum adhortatione ea, vt mutuae concordiae, fideiq; erga ſe memores eſſe vellent; ipſum fore quamprimum in Italia, & digna omnibus praemia perſoluturum. Vt autem deſcendit in Italiam, & Mediolani, ſicut dixi, coronatus, aliquandiu ibi poſtea morabatur, tunc verò non deſiſtebant Ludriſi-

us

us, & Marcus deferre, & arguere, & demonſtrare ex compoſito cuncta, per quae praeſens Caeſar, non ad ipſa modo criminis cubilia deduceretur, ſed crimen proditionemq; totam, ſuis veluti manibus cõtrectaret. Interdum enim etiam, quò plus authoritatis accuſationi eſſet, laudabant fratris ad caetera fidem, id quaſi miſerantes vnum, quod ad ſuam & familiae perniciem conſilia illa inſana admitteret in animum. Neque fallebat Galeacium, quibus inſectationibus peteretur, dictitabatq; identidem, Marcum fratrem confodere ſuo pugione ſeipſum; & Marcus aiebat viciſſim, habiturum propediem eſſe Galeacium eam ſolitudinem, quam vltro ipſe quaeſiuiſſet. Fratres haec inter ſe cauillabantur alte exulceratis animis, alterius quidē inuidia & aemulatione ob maligne communicatam ſecum fortunam paternae hereditatis, alterius verò dolore & metu, quòd ab eiuſdem ſanguinis homine vniuerſae domui exitium quaereretur. Nec deerant vt opinor in alterutra parte infidi amici accendendis offenſionibus acres, quorum ſtimulis vterque augerent, ille calumniam, hic incitamenta calumniae & cauſas. Bauarus enimuero condens profunde in animum, & ſecreta ſecum aeſtimatione penſans ea, quae dicerentur, parcus, vrbis compoſitus vultu, iam apud ſe quid facto opus eſſet nemine ſuſpicante deſtinarat. Vinculis & venenis, quae ſemper inſtrumenta dominantibus fuere, ſtatuit inimicam emendare domum, eaque in omneis Vicecomites diſciplina nullam eſſe meliorem. Nam ne Marco quidem ipſi & Ludriſio

accuſatoribus abeſſe proditionem ſuſpicabatur hoc ipſo, quod proditores ſui ſanguinis extitiſſent. Offenſione nimirum aliqua irritatos detuliſſe communis conſilij indicium; vbi placati eſſent animi, fidem & caritatem inter ipſos, perfidiam & odia in alienos fore. Et quamquam Galeacium vnum accuſatione illa inſectarentur, familiam totam eſſe morbo contactam eodem, qui nec fortuitus repentinusque aliquis, ſed naturali per omnes illos contagione diffuſus eſſet. Maio ineunte venerat Caeſar Mediolanum. Cal. Iunij fuerat coronatus. Reliquos inde aeſtiuos menſes cùm per Inſubriam ageret, Stephanum in familiam aſciuit, qui Vicecomitum fratrum natu minimus erat; praeficiturq; ille miniſterio intimo & periculoſo tractandi pocula & praeguſtandi potiones Principis, quod tamen in aula illa non fiebat ſemper ſed Germanica fere ſimplicitate bibebatur, & otioſa plerumq; praefectura illa erat. Nouus familiaris & pincerna miſer, prout compoſita res erat, adſpergitur repente crebris aulae ſuſurris quaſi principi venenũ pararet, ſcilicet vt ſuſpicionis eius obtentu ipſe veneno mox abſumeretur; praebebatq; criminationi ei materiam nota iam alia & vulgata in Galeacium accuſatio. Cùm iunior Vicecomes apertis iam quoque ſermònibus tanti cogitati ſceleris palam reus ageretur, die quodam epulante in publico Caeſare, pòtionem, quam ille oblaturus principi erat, medicauere furtim qui negotij ſibi id ſumpſerant. Caeſar, vbi ſcyphum accepit, reddidit pincernae Vicecomiti

ver-

us, & Marcus deferre, & arguere, & demonſtrare ex compoſito cuncta, per quae praeſens Caeſar, non ad ipſa modo criminis cubilia deduceretur, ſed crimen proditionemq; totam, ſuis veluti manibus cõtrectaret. Interdum enim etiam, quò plus authoritatis accuſationi eſſet, laudabant fratris ad caetera fidem, id quaſi miſerantes vnum, quod ad ſuam & familiae perniciem conſilia illa inſana admitteret in animum. Neque fallebat Galeacium, quibus inſectationibus peteretur, dictitabatq; identidem, Marcum fratrem confodere ſuo pugione ſeipſum; & Marcus aiebat viciſſim, habiturum propediem eſſe Galeacium eam ſolitudinem, quam vltro ipſe quaeſiuiſſet. Fratres haec inter ſe cauillabantur alte exulceratis animis, alterius quidẽ inuidia & aemulatione ob maligne communicatam ſecum fortunam paternae hereditatis, alterius verò dolore & metu, quòd ab eiuſdem ſanguinis homine vniuerſae domui exitium quaereretur. Nec deerant vt opinor in alterutra parte infidi amici accendendis offenſionibus acres, quorum ſtimulis vterque augerent, ille calumniam, hic incitamenta calumniae & cauſas. Bauarus enimuero condens profunde in animum, & ſecreta ſecum aeſtimatione penſans ea, quae dicerentur, parcus, vrbis compoſitus vultu, iam apud ſe quid facto opus eſſet nemine ſuſpicante deſtinarat. Vinculis & venenis, quae ſemper inſtrumenta dominantibus fuere, ſtatuit inimicam emendare domum, eaque in omneis Vicecomites diſciplina nullam eſſe meliorem. Nam ne Marco quidem ipſi & Ludriſio

accu-

accuſatoribus abeſſe proditionem ſuſpicabatur hoc ipſo, quod proditores ſui ſanguinis extitiſſent. Offenſione nimirum aliqua irritatos detuliſſe communis conſilij indicium; vbi placati eſſent animi, fidem & caritatem inter ipſos, perfidiam & odia in alienos fore. Et quamquam Galeacium vnum accuſatione illa inſectarentur, familiam totam eſſe morbo contactam eodem, qui nec fortuitus repentinusque aliquis, ſed naturali per omnes illos contagione diffuſus eſſet. Maio ineunte venerat Caeſar Mediolanum. Cal. Iunij fuerat coronatus. Reliquos inde aeſtiuos menſes cùm per Inſubriam ageret, Stephanum in familiam aſciuit, qui Vicecomitum fratrum natu minimus erat; praeficiturq; ille miniſterio intimo & periculoſo tractandi pocula & praeguſtandi potiones Principis, quod tamen in aula illa non fiebat ſemper sed Germanica fere ſimplicitate bibebatur, & otioſa plerumq; praefectura illa erat. Nouus familiaris & pincerna miſer, prout compoſita res erat, adſpergitur repente crebris aulae ſuſurris quaſi principi venenũ pararet, ſcilicet vt ſuſpicionis eius obtentu ipſe veneno mox abſumeretur; praebebatq; criminationi ei materiam nota iam alia & vulgata in Galeacium accuſatio. Cùm iunior Vicecomes apertis iam quoque ſermònibus tanti cogitati ſceleris palam reus ageretur, die quodam epulante in publico Caeſare, pòtionem, quam ille oblaturus principi erat, medicauere furtim qui negotij ſibi id ſumpſerant. Caeſar, vbi ſcyphum accepit, reddidit pincernae Vicecomiti

ver-

verboque eſt ad hortatus, vt malam opinionem rumoreſq; maleuolorum dilueret, queis ipſe diffamaretur. Rapidum inerat violentumq; virus, quo iuueniliter & impige hauſto Vicecomes cum vertigine protinus oculorum animique agere ore ſpumas retrorſumq; inclinari. Ad cũ verò adſpectũ conſcij ignariq; pariter inhorruere omneis ſtetereq; eodem vultu. Mox, in miſericordiae vicem, quae tam indigne pereunti debebatur, & multorum fortaſſe tangebat pectora, ſucceſſere probra & contumeliae, quales aliorum adulatio, ſenſus aliorum iactare poterant in eum, qui ſternere ſuper dapes exanimem Imperatorẽ voluiſſet, atrocius infeſtiusque quàm ſi ferro aggrederetur. Effertur moribũdus iuuenis ex aula ſeruaturque in experimentũ tantummodo & quaeſtionẽ, quaſi veriſimile fieret, potuiſſe quemquam inducere animũ vt inter tot adſtantium manus armatosq́; cuſtodes, patraret facinus, quo protinus detecto, acceſſio ipſe necis fieret. Cur non potius miſcuiſſet venenator dediſſetq; lentum aliquid, quo ſenſim irrepente, fortuitus morbus adſimularetur? aut ſi tanta rabies animo, tantusque furor, vt nece ſua quaereret palã Imperatori necem; & inde gloriam, quidni irrueret gladio, remq; deſperate peragerect, ſicuti noſtra etiam aetate vilis vna manus ſepto armatis Regi abſtulit vitam. Sed Stephanus in angulum fortaſſe projectus aliquem luctatusque acerbiſſime cum extremo ſpiritu per aliquot horas, antequam eius diej ſol occideret, vitẽ fine eripitur tormentis, quae iudices & ſcri-

bae,

bae,totusq; ille carnificum chorus exquiſitiſſima iam excogitarat ad eliciendam, vt ipſi aiebant, veritatem, quo conſilio, cuius inſtinctu, quibuſue adiutoribus & conſcijs veneficium inſtruxiſſet cùm, alioqui apud veneficij authorem haec ipſa iactari ipſimet ſcirent. Quia iuuenis approperata torminibus intimis, morte iudicium eluſerat, perijſſe ſibi magnam hereditatem eputabant. Quaerente enim Caeſare effugia tã foedae ſuſpicionis ac declinante inhumani facinoris inuidiam, dixerant palam atq; affirmauerant, quòd ſuſcepti aduerſus eum ſceleris ordinem,& conſilia omnia, totamq, flagitio illigatam Vicecomitum gentem interrogato ſcelerato homine exhiberent. Ac breui eo ſpatio quaerendis indicijs, adornandisq; teſtibus occupati cum carnifice maximo ſatellites minores curſitarunt, ſudarunt, non parum inflati facillimo interim ad principem aditu crebrisq; cum eo collocutionibus, vnde collecta admiratione & authoritate, regnauerunt fere ipſi paucarum illarum horarum vſura, aulaq; tota die illo ipsorum fuit. Vidit Deus, multique mortalium ſenſere flagitia, quae per licentiam negotij dieiq; illius admiſit forenſe miniſterium; diesq; vnus ille inuenta apud principem gratia, miniſtrorum eorum aliquibus peperit opes, quas nunquam alioqui adepturi erant. Adeo largus poſtea Caeſar fuit in eos, qui aliquomodo bene meriti fuerant de trepidatione illa ſua, tunc ſcilicet cùm corruente inter officij ſui perfunctionem pincerna, eoq; deinde agente animam, interioribus conſcie-

tiae ſtimulis agitaretur, quaſi deſignatus, ipſe omnium oculis impoſtor & ſycophanta ſimulq; venenator & parricida familiaris ſui. Fortaſſe enim, ſicut in eiuſmodi negotijs vſu venit, texendo & componendo ſecum ipſe formam ſeriemque ueneficij, expeditiora cuncta ad latendum fallendumq; propoſuerat animo, quàm re deinde peractâ ipsâ in experiendo ſuccedebant. Et hoc ipſo creſcebat metus, ne fraus tam indigna detegeretur, quòd timeri poſſe videbatur exitium, ſi detecta foret, tenente vrbem fratre iuuenis perempti, vrbeq; ipſa adſpernatura & vindicatura infamem dolum. Poſtquam infelici fato Vicecomitis, & potentia ſua Caeſar, & arte miniſtrorum, communem in eo negotio famam aliqua ex parte fefellit, caetera deinde quae petita fuerant facinoris eius pretia, & emolumenta in facili fuere. Ceu participes authoresq; veneficij, Galeacius princeps vrbis, & templi maximi Canonicus Ioannes, & Azo, repente, comprehenſi Modoetiam in arcem adſportantur abſque tumultu vllo. Conticuerat namq; Ciuitas obiecta fama tam atroci, tituloq; captiuitatis tã iuſto, quòd diluiſſet vna domus Caeſari venenum, ac numine vindice ſcelus in miniſtrum recidiſſet. Cuſtodiae autem & ſtationes & omne militare praeſidium obtorpuerant armati Caeſaris praeſentia & maieſtate, quem circumſtabat exercitus maior; cuius nutum & imperium reſpicere ciues coepiſſent. Capta ſic, & afflicta Vicecomitum domo Bauarus principatuq; deleto illo omni rem Mediolanenſem in Romani Imperij

perij ius ditionemque vindicarat, ſicuti corraſa inde, & ablata gentis eiuſdem olim artificijs fuiſſet, nouoq; conſtituto regimine in Hetruriam abijt. Ab eius diſceſſu Vicarius Mediolani relictus eſt Gulielmus Monfortius, non ille quidem ſicuti Matthaeus antea, & Archiepiſcopus Otho, parans cogitansue tale quiddam, vt ex fiduciaria perpetuam ſibi prouinciam faceret, Imperioq; ipſi per ſpeciem eius fungendæ vicis inſidiaretur; sed ipſa cum Imperatore concordia fideque erga eum infeſtus vrbi. Nam ſicuti Bauarus ille, inducto in Eccleſiam diſſidio, laceratoq; Pontificatu, acta omnia nomenq; & authoritatem Nicolai pſeudopontificis obſtinate tuebatur; ita Vicario huic vnicus gratiæ locus apud principem, & præcipua benemerendi materies ab impietate flagitioque eodem erat. Quippe ciuitatibus etiam ipſis idem peccandi locus; neque copioſior alia ſeditionum materies, dum, vel ſpreto in gratiam Caeſaris Ioanne, iuſſa nutumq; Nicolai reſpiciunt, vel pro eo aduerſus hunc nituntur. Vrbem itaque noſtram ab iuſto veroq; Pontificatu Vicarius ille alienabat, haud ſine quotidianis, vt credere licet iniurijs, multaq; violentia, tum in res ſacras, tum in homines ipſos, qui curae, & adminiſtrationi ſacrorum præeſſent. Quodque argumento eſſe poſſit, cordi fuiſſe ei, vt caeterae quoque vrbes alienarentur; reperio Temacoldum quendam apud Laudem Pompeiam ex piſtore familiarem Viſtarinorum, deinde proditorem, vrbe capta illa, ſcripſiſſe illico ad Monfortium hunc, vt mitteret auxilia ſibi ab Medio-

lano, quibus tueri Caeſaris nomine vrbem poſſet aduerſus Romanum. Flexit poſtea Bauarus animum ſuum ob Caſtrucij Caſtracanis preces, vt mandaret e cuſtodia captiuos dimitti. Lucae princeps, erat Caſtracanis, qui ſuper aſſidua poſtulata de captiuorum ſalute, defectionis etiam metu Caesarem perculerat. Eo nimirum metu ſunt dimiſſi, haud tamen ſine grandis pecuniae pactione, quae ſeuere deinde exacta eſt & pernumerata ad reruntium; ipſiq; fratres in Hetruriã ad Caeſarem vocari. Galeacius egregia militari fama, & fortuitis idem ornamentis eximius, in itinere, moerore eſt abſumptus, ſecuta interpretatione, extinctum fuiſſe iuuenem Caeſari ipſius dolo. Caeteri, cùm ad Brauarum peruenissent, non procul á captiuis in aula hab bantur, cuſtodibus appoſitis, qui verba & ſuspiria & vultus inceſſusq; ſingulorum diſſimulanter obſeruarent ceu ſcriptores annalium, & ſatellites ijdem ad retrahendum expediti ſiquis vnus veſtigia paulo longius moueret; & Galeatius cum veneni fama, recenti ſui caſus exemplo terrebat fratres.
Aliquanto poſtea rei bellicæ neceſſitates, & Caſtracanis eiuſdem arma impulere Caeſarem vt etiam Mediolanũ redire Vicecomites pateretur, ibique, Vicariũ eſſe ſuum Azonem iuberet. Sexaginta millia Florenorũ ei rei pretiũ fuere; quae pecunia dum expeditur vniuerſa & affertur, Marcus Vicecomes inimicus, & accuſator antea fratrum ſuorum, poſtea rebus aduerſis ad miſericordiá euictus, apud Caeſarẽ obſes fuit. Ac ſi cuti, neutra in parte modus eſt vllus apud regios animos,

mos, onerare miſerijs, ſiue beneficiis extollere domum aliquam inſtituerunt, tam effuſus nunc Cæſar in Vicecomites eoſdem, quàm antea ſaeuus, & atrox, alleuatam ſemel ex calamitate gentem adiuuabat modis omnibus, vt ad fortunam reſurgere poſſent eã ex qua direpti violentia ipſius forent. Ioannes Galeacij frater erat ex templi maximi Canonicis, vt memoraui, quo non contentus ordine, maius, ampliuſq; illud appetiuerat olim, vt in Cardinalium numerum cooptaretur; id familiae, in qua natus eſſet, id ſplendori etiam ſuo tribui aequum cenſebat. Verùm, quia nondum aſſequi recta via ordinem eum potuerat, qua poſſe videbatur via, ſtatuit aſſequi, vſuſque opportunitate, & indulgentia hac noua Caeſaris erga domum ſuam, tenuit commendatione fauoreq; eius, vt Cardinalis fieret ab Nicolao, qui Bauari opibus contra Ioannem Pont. Max. excitatus turbabat cuncta peruerſo & adulterino pontificatu. Tradunt alij, Cardinalem Ioannem, emiſſe quidem praeſenti pecunia eam dignitatem, ſed ipſi Bauaro, non autem Nicolao pretium eſſe perſolutum. Quippe laborantē, vti dictum eſt, rei pecuniariæ difficultate eum, dediſſe neceſsitati ſuæ, & precibus amicorũ, vt quando reſtituiſſet in patriam honoreque Vicecomites, nouum etiã adderet hoc decus. Ita hominem Nicolao commendaſſe abſque repulſa cooptandum in Patres; pro eo cõueniſſe vt totidem millia Florenorum ab nouo Cardinale repraeſentarentur, quot paulo antea millibus reditum in patriam, ipſe fratreſque emiſſent. Neque

mirari

mirari oportet ſuffeciſſe domum hiſce pecuniarum erogationibus etiam in ipſa exſilij calamitate, intuētes ſcilicet magnitudinem vrbis, in quam dominata eſſet haec familia, in quam dominari pararet rurſus. Additur Cardinali huic Ioāni ſumma per Inſubriam poteſtas, Legatuſque Pontificis appellatur, quæ tam ſancta iuſtaque erant omnia, quàm etiam Pontifex ipſe iuſtus, & ſanctus, neq; diuturna, ſicuti demonſtrabitur, fuere. Nunc quaſi Imperium vere Pontificium illud, eaque legitima poteſtas eſſet, ita pro Apoſtolicae poteſtatis iure ſacris rebus Cardinalis Ioannes aliquandiu ſeſe immiſcebat. Ac reperio, ſcriptas ab eo litteras eſſe, queis Mediolanenſem Eccleſiam affatur, vt princeps, itemque de noua ſua dignitate litteras alias ſeparatim; et quemadmodum à Domino ſuo Papa, (id enim verbum vſurpauit) Cardinalis Legatuſque factus eſſet. Litteræ ipſæ ſunt datæ Piſis; annus, & menſis, & dies addita; erantque inſcriptæ Dominis viginti quatuor viris adminiſtratoribus Reip. Mediolanenſis amicis cariſsimis. In iiſdem Litteris erat, Azonem ſuum nouo Cæſaris munere Vicarium eſſe renunciatum. Nondum enim ipſi Mediolanum redierant, ſiue detenti per aliquot dies obſequiis, & adulatione erga Cæſarem, ſiue ob eam morati cauſam, vt vno tēpore Vicecomites duo, poteſtatem alter nomenque Cæſaris ferens, alter poteſtati, faſtigioque Regum, (ſi verus eſſet honos purpuræ) æquiparatus, venirent. Venêre circa Februarij menſis initium; & interea dum Mediolani pompa

adorna-

adornatur, ad Modoetiā ſubſtitere per aliquot dies, dein exculta in triumphi modum vrbe aderant. Nullos tamē reperio Clericorum Ordines proceſſiſſe obuiam, quia ſcilicet factum ab falſo Pontifice Cardinalem vt credere velim, abominabantur. Id vtique notaſſe debui, quia, cùm Modoetiam antea proficiſcerētur, totum eum cum populo Clerum obuiam fuiſſe ſcriptores retulerunt, nec tale quicquam in deſcribendo ad Metropolim ingreſſu iidem addidere. Per hunc modum reſtituto Ciuitatis regimine, cui Mediolanenſes vtcunque iam aſſueuiſſent, Cæſare abſente, Vicecomitibus poſt grauem caſum ad nouae fortunae principia manſuetis, & modeſtis, ſi non tota quies, certe nec turbulentia extrema Mediolani erat; Monfortioque, etiam illo digreſſo ab Vrbe, violente minus agitabantur ſacra falſi Pontificis ſtudio, cuius propugnatorem acerrimum eum fuiſſe demonſtraui. Nondum annus exierat ab reditu Vicecomitum Vrbeque in priſtinum ſtatum redacta, cùm male gerenti in Hetruria rem Bauaro, negotijſque illic admodum infidis tetigerat animum terræ Inſubriæ memoria, & redire cupiebat huc, oblitus vt opinor, quale ſui deſiderium in terra eadem reliquiſſet. Siue memor potius erat, & quemadmodum depoſuerat ipſe omnem ex animo fortaſſe offenſionem, ita placatos eſſe animos aliorum credebat, quos perculerat nece proximorū, & exilij malis, & pecuniæ fortunarumque damno, quos è ſummo detractos loco miſerat in vincula, quibus dederat venenum, ſtruxeratque ſimul veneni

crimen.

crimen; quorum denique animos terrore mortis, & excidio domus, & peremptorum fratrum exemplo torſerat acrius quàm ſi corpora ipſa peremiſſet, ne ſuperſtites inter regia ſeuitia extra patriam traherétur. Hæc fortaſſe meminerat Bauarus illata ab ſe mala Vicecomitũ domui; ſed quia malefacta deinde beneficijs emendarat, ideo ceſſiſſe priora poſtremis, praeſentisq; iucunditate fortunae veterem ollitterarum eſſe ſenſum autumebat. Atqui non ea plerunq; moderatio animi humani eſt, qui repetens ab ipſa etiam obliuione voluenſq; iras renouat ipſe ſuos impetus tunc maxime cùm plane deſederunt. Minima saepe res, & homo vnus, praeteruolansq; forte imago, iactumue temere verbum, ceu ſcintilla aliqua incendia irarum excitauit, quae reſtinxerat dies, oppreſſeratue gratia ſecuta offenſam. Vicecomites autem iſti, quoties ipſi ſe ſe numerarent, fratres abeſſe ſibi duos iniuria Caeſaris videbánt. Et quantulum abfuiſſe, vt ipſi quoque dum carcere detinentur, dum ſequuntur inimicam aulam perirent inter quotidianos cibos eodem telo? Quód euaſiſſent, quòd ſpirarent, Caſtrucij eſſe beneficium, neque gratuitum id, ſed emptum auro, expreſſumq; amici illius armis. Purpura verò interdum etiã ipſa ſordebat profani Pontificis munus, idq; multarum mercium aeſtimatione ac pretio repenſum. Ob haec, occurſante animis dolore & ira, ſaepius iniurias quam beneficia Caeſaris reputabant; cumq; de illius conſilio ac cupiditate redeundi ſuſpicati quippiam eſſent, parabant ſe ſe ad prohibendum, eoq; apparatu

mites

mites & blandi erga ciuitatem erant. Simul irritus Nicolai pontificatus vanaq; illius authoritas abolebatur, exoleſcebat; ſanctior veriorq; firmabatur alter, vt nouo certamine imminente, paratae aduerſus Caeſarem Cleri etiam & Eccleſiae opes forent. Inde Metropoli rebusque Ambroſianis adimebantur flagitia & labes, quae Vicarius antea Monfortius, & praesens cum exercitu Caeſar, totaq; ea in Sedem Apoſtolicam coniurata factio impoſuiſſet. Statuerat Caeſar ad Modoetiam agere quod temporis moraturus in Insubria erat; ac de conſilio eo iam ad oppidanos illos fuerant perlatae litterae ſignificantes, hoſpitem fore grauem neminj, potiusque commoda & honores additurum Reip. ipſorum, qualia vel olim munificentia & liberalitate Caeſarum accepiſſent. Quod vbi compertũ *Ioanni* & Azoni Vicecomitibus, mittunt ipſi Modoetiã Bonninum Mantegatium, & Paganum Mandellum; atque per eos monent hortãturq; Modoetienſes, vt ſi ſaluam eſſe Metropolim, ſi ſalui ipſi eſſe velint, ne recipiant oppido Bauarum; dolos & artes, perfidiamq; eius in amicos proponunt; ſe viciſſim parata in id inſtructaq; habituros eſſe omnia, vt ab vrbe intercludatur. In id hac data fide & accepta, ſimul ad Modoetiam, ſimul ad vrbem munimenta quaecunque nouerat illa aetas Bauaro aduentanti opponebantur. Ille relicto in Etruria Epiſcopo Arretino, quẽ Mediolani antea coronationis impię participẽ fuiſſe demonſtraui, reuerſus in Inſubres, cúm ad Padi ripas perueniſſet, ſenſit in hoſtico

ſe eſſe. Nauigium namq; nullum traijciendo flumini repererat, pontonesq; ad certa loca publico ſumptu parati ſemper aliâs in viatorum traiectus, nunc apparere deſierant. Id ſuſpicandi principium, & pacati nihil ea res oſtendebat. Traiecere tamen aegre repertis vadis equites; ceteri coniectis in vtres veſtimẽtis, ſiue prompta ad id materia fabricatis alueis informibus, qui aquae vtcunque innare poſſent. Quò magis deinde procedebat exercitus, eò infeſtiora omnia reperiebantur. Nihil pecoris, aut frumenti, reliquiue commeatus in agris; & homines ipſi commigrauerant in vrbes munitas, vt vaſta deſertaq; cuncta tamquã infeſtiſſimo venienti hoſti relinquerent. Attonito ſic agmine Caeſar attonitus ipſe progreditur, etiam perculſus magnopere hoc ipſo, quod ab Vicario ſuo Vicecomite nullos interea occurſus, inuitationemq; nullam, honorificum aut hoſpitale nihil adeſſe videbat; profectò rebellionẽ, vltionẽ, duellum, pericula adeſſe; & ſerò iam ipſe cõſiderare cęperat capitaliſſimas in animo humano recordationes iniuriarum, maleq; vllis meritis iniri gratiam homine ab illo, quẽ olim oblitus gratiae meritiq. omnis inſectatus ſies. Dubitandi finis fuit, vbi baleares funditoreſq; aliquot Italici generis, quos in exercitu Cęſar habebat, digreſſi agmine tranſfugere Mediolanum; & quotidie Germanorum etiam aliqui illuc ad ſtipendia opulentiora ibant. Obfirmauerat tamen Bauarus animum in eam ſententiam, ne ſtringeret gladium, priuſquam ab Modoetia ſeſe excluſum videret. Igitur ab Laude Pompeia

peia (regione enim ea tetenderat) citato profectus agmine Modoetiam, exhorruit illico, non ob clauſas tantummodo portas diſpoſitosq; in moenibus armatos, ſed etiam, quia intumeſcente repente Lambro flumine ob immodicos imbres, & extra ripas diffluente quantum antea numquam, nullo modo potuit ab ea parte ſuccedere ad arcem; idque apud eos qui tunc erant homines, Baptiſtae miraculum habitum eſt, cuius numine defensum id oppidum aliquando etiam aliâs fuit. Tentatis inde Caeſar aliquandiu per colloquia oppidanis, poſtquam modeſti nihil reſpondebatur, cernens ex eius oppidi munimentis & contumacia qui animi, quiue apparatus ad vrbem eſſent, cōditionem omnem accepturus erat, alicubiq; quieturus ſi tranſigere honeſte poſſet. Qua cognita per transfugas animi eius inclinatione, Ioannes & Azo, tributum annuum & praeſentis pecuniae modicum quid obtulere ei, ſi, quod antea cōceſſiſſet Vicarij munus atq; poteſtatem nouo firmare diplomate & abire uellet; extatq; diploma magnificum verbis, inane reipſa, quia Sedis Apoſtolicae hoſtis, praueq; coronatus & anathemate illigatus Caeſar ille erat. Ceterùm ea res, quòd Bauarus ab vrbe reiectus fuiſſet, Pontificem Ioannem Metropoli Vicecomitibusq; placare coeperat; atq; id fuit initium auferendi turpia vincula Clero Eccleſiaeq; Mediolanenſi, queis ad eum diem adſtricta ciuitas tenebatur. Inchoata quin etiam eiusmodi reconciliatione, Cardinalis Ioannes abdicauit ſe ultro dignitate falſa, riteq; ac iuſte nominis eiuſ-

dem honorem à vero Pontifice impetrauit, & Nouarienſis inſuper Epiſcopus ab eo eſt creatus. Per haec & alia fortunae incrementa Vicecomites excitati rurſus; & firmatâ nouis opibus potentiâ excoluit Azo vrbem operibus, quorum magnificentia ne noſtrae quidem aetati ſine admiratione fuit. Neq; profana tantùm illi curae erant. In Palatio, quae nunc Regia eſt, D. Gothardo aedem poſuit, ſecutus id nomẽ eamq; religionem, propterea quod magnis ipſe articulorum doloribus laboraret. Templum autem ipſum ornauit ſanctorum reliquijs, & omni ſacrae ſupellectilis apparatu, non ad vſus modò quotidianos, ſed ad magnificentiam quoq; & ſplendorem. Ac, ne qua hominum iniuria, quantum in praeſentia prouideri poſſet, noceret ei ſacrae ſupellectili, quicquamue auferret, deſcribi ſingula vaſa, & appendi iuſſit; omniaq; cum ſuo quodq; pondere & figura in publicas tabulas ex ipſius authoritate Pontificis relata ſunt. Quae quidẽ literae repertae poſtea in tabulario Cardinalis Ioannis, & annaliũ memoria cuſtoditae, credere cogunt, fuiſſe Azonẽ in Eccleſiae rebus magna diligentia & pietate; referamque ego feriẽ ipſarum, prout extant. Ea eſt huiuſmodi. Azo Vicecomes extructa D.
„ Gottardi Aede poſuit ibi argẽtea vaſa haec attribuitq;
„ tẽpli cuſtodibus corã Omnibeno Cardinalis Ioãnis cu-
„ biculario, & coram antiſtite Fratrum minorũ. Calicem
„ argenteum cũ patella pondo marcarũ octo, vnciarum
„ ſeptem. Calicem alterum argenteum orbiculato ope-
„ re & encauſtico cum inſignibus gentilitioq; ſtemmate

Sa-

„ Sabaudiae Ducum, Vicecomitumq; & Gallurae;
„ pendit marcas treis, vncias ſex. Calicem tertium
„ inciſa pietatis figura, marcarum ſex, vnciarũ ſeptem.
„ Calicem quartum opere circinnato. Crucem par-
„ uam inauratam pendente ex ea Chriſto liberato-
„ re. Crucem alteram e cryſtallo cum emblemmatis
„ argenteis inauratis ſigilliſq; pluribus. Crucem ex
„ electro ſimili artificio fabrefactam. Formae maioris
„ crucem marcarum XXXII. vnciarum II. totam ex ar-
„ gento ad collocanda altaris myſteria in Tabernaculi
„ formam. Crucem aliam argento ſolidam inauratam
„ collocandam in ara cum pedamento cymatijsq; & le-
„ unculis quattuor inſignia Vicecomitum ferentibus.
„ Sitellam argenteam in aquae luſtralis vſum. Acerram
„ argenteam ſeruando thuri, adolendae arae. Acerram
„ alteram e Cryſtallo. Cryſtallinos vrceolos duos ar-
„ gento caelatos. Patellas duas argenteas. Patellam ex
„ iaſpide. Candelabra tria cryſtallina caelata argento.
„ Quatuor argẽteos vultus, quos Azo conflandos cura-
„ uit, vt repraeſentarent ora virginum inclytarum, quae
„ Vrſula duce amplexae Chriſti fidem, barbarica tor-
„ menta contempſere. Praeter haec argentea vaſa ſu-
pellectilemq; poſuit in eadem Aede Azo multam pretioſam veſtem, ad ſacra facienda; relq; ſingulas Gufredolus Puſterula literis conſignauit eo fere ordine quo retulimus. Hoc fere tempore, quo ſacram D. Gothardo aedem extruxerat ornaueratq; Azo, Cardinalis Ioannes Epiſcopusq; Nouariae erexerat ani-

mum

mũ ad curam cogitationemq; hanc, vt ab Nouarienſi Eccleſia ad Mediolanenſem tranſiret. Pulcrum ſcilicet videbatur, in eadem vrbe regnare familiam eãdem vtroque dominatu, ſi ſacra patruus, profana fratris filius adminiſtrarent. Et inuitabat occaſio iãdudũ exulantis Archiepiſcopi Aicardi, qui propter factionum certamina nunquam in ſua conſidere ſede potuiſſet. Nec ipſe fortaſſe iam magnopere venire in vrbem curabat, in qua domus eadem auctis opibus dominaretur, cuius potentia fuiſſet excluſus. Agitata res per idoneos homines, cõmunesq; amicos ita conuenit, vt Eccleſiae commutarentur, traderetq; Ioannes Aicardo Nouarienſem; hic Mediolanenſem Ioanni, penſione interpoſita mille florenorum nummûm. Quae pacta conuenta cum Pont. max. rata habuiſſet, Aicardus Nouariam, Ioannes Mediolanum, alter auctus honore, alter diminutus, conceſſere. Venienti Mediolanum Archiepiſcopo Cardinaliq; Ioanni obuiam egreſſi Ticinenſi Porta ſacri ordines certauere gratulatione & pompa cum nobilitate populoque vniuerſo, & Azonis ipſius aulâ, quae diei laetitiam eius effuſiſſime concelebrauit. Is autem dies fuit ad XIII. Cal. Febr. anni CIↃ CCCXXXIV. Quo die Aicardus etiam ab Nouarienſi Clero populoque, eſt acceptus. Extruxit Archiepiſcopus Cardinaliſq; Ioannes proprias ſibi aedes, quae poſtea domicilio Canonicorum attributae fuerunt, & via hodie interiecta ab regia dirimuntur. Regiam ipſam Azo aedificauerat, qui etiã propugnacula mutulasq; addidit moenibus

nibus vrbis,& pomoerium, hoc eſt,omne ſpatium circa muros,ab omni alio aedificio vacuum fecit. Reſtituit idē Marianae Aedis turrim vetuſtate collapſam; induxitq; aquas in vrbem,quae per Nilum & Cloacam maximam lutulentae hodie & ſordibus inquinatae decurrunt. Ferme ſub eos dies, quibus permutatio Eccleſiarum facta erat,veneratq. Mediolanum Archiepiſcopus Vicecomes, mortuo apud Auenionem in Gallia pontifice Ioanne, ſuffectoq, in eius locum Benedicto, Canonici Modoetienſes in ſpem venere, poſſe ab hoc pontifice,vel propter inclytā ipſius pietatem,vel ob noui ſumiq; honoris gratulationem impetrari,vt referri Modoetiam eius Baſilicae theſauros, qui Auenione adſeruabantur, iuberet. De ea re, primùm omnium retulere ad Cardinalem Archiepiſcopumq; Ioannem,eiusq; opem implorauere. Nimium diu vetuſtiſſimae religionis Baſilicam caruiſſe ornamentis illis; ſqualere ſacros parietes; imminutam eſſe populi pietatem,templi quoq; cultum; & ſacerdotes ipſos minus alacriter iam, & minus religioſe conuenire ad canendas preces, quia ſanctiſſimi ſui tutelaris monumenta illa eſſe apud alienos ingemiſcant. Ne tutelarem quidem ipſum arbitrari perinde atque olim adeſſe ſibi propitio ac praeſenti Numine, quia ſpoliatam eſſe Aedem ſinant thesauris, propter quos antea inuiſebatur. Potuiſſe, dum belli tumultibus Italia permisceretur, ferre deſiderium, atque thesauros ibi ſinere eſſe, quò minus peruadere licentiae militaris poſſet. Nunc pacatis omnibus, et reddita per

Ita-

Italiam ſecuritate, aequum videri, vt reſtituatur etiam Modoetienſi Baſilicae ſuum decus. Haec, et alia, cùm expoſuiſſent Archiepiſcopo Ioanni Canonici Modoetienſes, peterentq; vt legationi, quam ſuper ea re miſſuri eſſent, vellet authoritate ſua ipse addere honorem, annuit libens, ſuoq; & principis Azonis nomine ire, legatos iuſſit. Iere ex Collegio, Gratianus Arona, & Franciſcus Liprandus cum litteris ad Pontificem, vt ſciret Canonicos eſſe Modoetienſes ipſos, & petendi theſauri causa miſſos ab Archiepiſcopo ſimul, & ab Azone principe, & ab ſuo ipſorum collegio. Addita ſupplex obſecratio, vt beatiſſimi Pontificatus initio, Chriſti Vicarius annueret piorum hominum votis, & theſauros, quibus tamdiu caruiſſet inclyti nominis Baſilica, referri illuc, vnde per iniuriam ablati eſſent, vellet. Alteras quoque litteras attulere ad principes aulae viros, quò faciliores apud Pontificem aditus inuenirent; & Ioanni praeſertim Cardinali Columnae commendabantur. Is Canonicos ad Pontificem introduxit, expoſuitq; quid petentes veniſſent. Benigne ſunt auditi; sed reſponſum, verborum comitate magis quàm exitu rei gratum acceperunt. Haec enim verba Pontificis fuere; velle se quidem, vt theſauri, quorum causa venerit honeſta & sacra legatio, reſtituantur in suam sedem; sed nondum maturum eius rei tempus adueniſſe. Fore se in tempore memorem eorum poſtulati, litterisque Vicecomitum benigne reſcripturum. Ea cùm dixiſſet, dari ſibi litteras iuſſit continentes publicam authoritatem & actionem,

qua theſauri olim ipſi traditi, & depoſiti apud Antiſtitem Canonicoſq; Templi maximi Auenionenſis fuiſſent: Cùm traditæ eſſent litteræ, Canonici pro re ipſa ſpem incertam ferentes rediere domum. Anno ſal. CIↃ.CCCXXXV. legatio hæc ierat redieratq; Anno, qui ſequebatur, Archiepiſcopus parta per Luchinum fratrem ad Parabiagum victoria, poſuit in loco prælij nobile templum D. Ambroſio parenti vrbis; eiq; templo ex Victoria ipſa cognomen fuit, & inſtituit, vt Decuriones vrbis cum Præfecto quotannis mitterent ad id templum ampla dona, quæ monumento eſſent, præſenti Diui eius ope ſeruatam vrbem. Memorant, in medio pugnae eius ardore, ſpeciem quandam obuerſatam eſſe omnium oculis, tamquam D. ipſum Ambroſium equo inſidentem flagelloque inſequentem hoſtes viderent, eoq; terrore contrariam aciem eſſe diſſipatam. Azo poſtea ipſe moritur in medio ætatis flore, non ſine ſacrorum etiam ordinum luctu propter vnicam eius viri religionem, & beneficum largumq; animum erga res Eccleſiaſticas, quas pari cura cum Ioanne Archiepiſcopo tutatus fuerat. Sepultus eſt in ipſa D. Gottardi Æde, quam ſui Principatus initio ad orientale Palatij latus excitarat. Ac ducente funus Archiepiſcopo patruo, Clerus adſuit vniuerſus, neque vocatus ille, vt adſolet, ſed vltro effuſis erga principem ſtudijs, & pietate in eum, qua funeris etiam horas, vt fama eſt, anteuenere. Per Vicecomitis huius tem-

pora Mediolanenſes bellum geſſere cum Ioanne Rege Boemie qui Tridento ab Vrbe Brixiam in Cenomanos cùm deſcendiſſet; peregrini nominis fauore, & nouarum rerum illecebra quadam apud inquietos, pleraque Inſubrum adiunxerat ſibi, & repentinus prope ille Longobardorum Rex aliquandiu erat. Aduerſus eum Regem cum Scaligero, cum Eſtenſe cum Gonzaga fœdus initum; diuiſę fœderis lege cum regulis vrbes, quæ Metropoli, quaeue parti alteri victoriae præmium forent; Bergomum, & Cremona, & Vercellae, & Placentia, & Laus Pompeia, & Brixia, & Comum, deiecto barbaro, caſibuſue, & pactionibus alijs in ius ditionemq; Mediolaneuſium redactae: Nec ſine clade exercitus noſtri cum eo hoſte dimicatum; Teutoneſque interea ipſis aliquando mœnibus vrbis inſtitere. Quae omnia, cùm auſpicio conſilijſq; Azonis adminiſtrarentur, clarum eius nomen etiam apud exteros fuerat; & quando caput huic vrbi eſſe vnum oporteret, rerum ei ſummam permiſerant haud illibenter. Fortuna Principi, ſicut publice laeta, ita improſpera priuatim fuit, ob domeſticos hoſtes, Ludriſium, & Marcum; quorum ille, poſt conceptas ſemel in patruelis fortunam iras, manſerat implacabilis, & & collectitij ductor exercitus irrumpere in vrbem tẽtarat; hic florenti domui infeſtus, dein ob Cæſaris iniurias adducto ad miſericordiam animo, rurſus, poſtquam laeta redierant, atrox, non tam imperio, quàm vitae fratris erat inſidiatus. Et vterque, rerũ exitu infelices, captiuꝰ alter ad Parabiagũ in prælio, alter

in-

in tentati ſceleris poenam ex palatij feneſtra praecipitatus, lugubrem ei principi de ſuo ſanguine victoriam exhibuere. Etiam funeſtum aliud ſui ſanguinis flagitium dedecuſque viderat Azo, ortum ab Marci eiuſdem libidine ſimul & ſaeuitia. Namque is, Biciam Othorini Vicecomitis patruelis ſui vxorē cùm ad ſe pellexiſſet, incluſamque ad Roſatum arci ſubdidiſſe ſibi partum compeiiſſet; ipſam, & infantem, & furti miniſtram ancillam deiecerat è feneſtra in foſſam caſtello circumiectā; idq; inceſtuoſum, & crudele facinus principē affecerat moerore. Nam praeterquamquod erat ipſe natura inimicus omnium inhoneſtarum rerum, etiam impoſitam ab Bicia illa impudica labem familiae, ſuae videbat. Agebat octauū trigeſimum annum Azo tunc cùm eſt mortuus, communi ſtatura, criſpante capillo, iucundus adſpectu, facie vergente ad rotundum, ſi numiſmati fides, quod iſta ſcribentes ante oculos habebamus. Poſtquā Azo nulla relicta liberûm ſtirpe deceſſit, non dubitauere Decuriones & principes vrbis Mediolani, quin regimen arbitriumq; rerum ad Ioannem Archiepiſcopum deferrent; fratremq; ipſius Luchinum imperij collegam nominauere. Sed Ioannes Luchino permiſit omnia profana, ſtatumq; ciuilē voluit in eius eſſe poteſtate; ſibi ſatis graue onus Eccleſiae gubernationem eſſe aiebat, & crebrae voces illius audiebantur. Non eſſe mentem vnius tantae molis capacem; male coniungi ſacra cum profanis, & fratrem Luchinum melius Reip. manu diuiſis rebus executurum. Haec

verba Pontificis erant; caeterùm non abſtinuit, quominus, & conſilio, quandocunq; res ferret, & authoritate adiuuaret Luchinum, imperiumq; commune duorum fratrum fuit. In quibuſdam etiam annalibus, omiſſa Luchini mentione, perſcriptum Ioannis principis, & Archiepiſcopi nomen inueni. Contaminauit huius initia principatus Inſubriamq; fere totam ſimile monſtrum ei, cùm infamis Gulielmina sãctitatis opinione alliceret mortales, ſtuprisq; & adulterijs illigaret, idque flagitium, Archiepiscopi Ioannis prouidentià, conſilioq; & authoritate diſcuſſum fuit. Corigioſirda eſt in Cremonenſium finibus vix noti nominis pagus antea, ſed malae famae poſt vnius feminae ſcelus, quod memorabo. Adoleſcentula ibi quaedam loco nata obſcuro forma fuit eximia, totoq; corporis habitu, & gratia morum ac venuſtate, quales corporis animiq; dotes in agreſti illa nobiles etiã feminae cum inuidia & admiratione ſermonibus ferrent. Auxerat hanc ſui admirationem honeſtatis famâ, & famâ mox alia, tamquam pertaesa excelſo animo cupiditates & vota feminarum aliarum, nouis ſe ſe votis obligaſſet, atq; virginale decus in magno expetentium ſibi tale matrimoniũ ambitu, ſeruare intactum vellet. Adſpernata muliebrem mundum, quem parentes laeti virginis indole & forma, ſupra fortunam etiam praebebant, coeperat vti cultu atro & exoleto, psallere domi nocturnis horis; nouis macerare ieiunijs corpus; rarus ſermo niſi de rebus diuinis; vno verbo, ſanctimoniae exemplum perdita adoleſcen-

leſcentula erat. Et cùm ita viueret, non forma, non decor priſtinus ille elanguerat. Credidere vulgo, non fuiſſe ea ſimulata imitamenta ſanctitatis, & celeſti fortaſſe flamma tactum illud ſimplex initio purumq. pectus exardeſcere ſic ad veram pietatem. Ipſa interim illigata occulto ſacrilegio clerici vnius, impure ſceleratèq. agebat, & aliquandiu nihil aliud inter eos, quàm flagitioſa conſuetudo ſtupri erat, nihil tale ſuſpicante hominum fama. Poſtea, ſatietate ac taedio ſceleris eius, vel quia feliciter latebant, nihil iam artibus eſſe ſuis imperuium exiſtimãtes, impura mulier cum Clerico impuro prodire velut uitae ſanctioris auctores in publicum decreuere. Progreſſi audacter, compoſitiq; palam ad omnem imaginem ſeueritatis, in arcano viuentes arbitratu ſuo, concionanteſq. paſſim effecere aſſeclarum ad decem fere millia. Hi nihil honeſti priuatim agentes, in hominum conſpectu verberabant ſeſe, ac ſeminudi incedebant; & ſocietas illa officina ſcelerum omnium erat. Late peruagati caeteras Inſubrum vrbes, in Metropolim quoque penetrarant, & magnę generis eius corruptelae Mediolani iam fiebant. Diſiecta ſunt ea quoq; bacchanalia per Archiepiſcopum Ioãnem, & eius monitu Cremonenſium Epiſcopus impurae ſectae authores in vrbe ſua comprehenſos damnauit igni. Principum poſtea virorum precibus ei poenae fuiſſe ereptos memorant. Eodem tempore ſcelus aliud Mediolani extitit inſidiantium vtriuſque principis vitae, quorum exitus fuit eiuſmodi, vt ingemiſce-

gemiſceret Eccleſia pertinaciae eorum, & furori, cũ quo addictas ſempiternis ignibus animas inter ſupplicia corporum efflauere. Numquam enim, cùm tormentis lacerarentur, adduci potuere denuntiatione vlla, precibuſue, & ſolitis hortamentis, vt ſalutare Chriſti nomen pronuntiarent, ſiue ut erigerent animum, ad futurae vitae cogitationem, qua obſtinatione meriti ſunt, vt poſt ſupplicium inhumati laniamenta coruis relinquerentur. Franciſcus Puſterula erat fauore Vicecomitum prouectus ad opes, quas non facile Mediolanenſium ullus aequaret; & parem opibus in aula gratiam authoritatemque obtinebat. Hic, ſiue offenſione accepta aliqua, ſiue, quia ſatietas, & deinde odium capit etiam aulicos homines, cùm á principibus ſuis omnia acceperunt, non minus profectò quám principes ipſos, poſtquam omnia dederunt; hic igitur, Vicecomitem tollere vtrumque agitauit, & ſacram profanamq, aulã vacuam dare, ſi deſtinata proſpere ſucceſſiſſent. Fratrem habebat nomine Iulianum conſilij huius participem, & pro neceſſitudine ac caritate fidum ſibi ad omnia ſicut ipſe arbitrabatur: Per eum adiungit ſibi Galeacium & Bernabouem, & Pallam, & Martinum Liprandos fratres; Borolum quoque Caſtelletum & Beltramolũ Amicum, auctos item omneis Vicecomitum eorumdem beneficijs, & poſt beneficia nihilo amabilius cogitantes. Hi ſimul omneis coniurauere vt principem vtrumq; interficerent, & nihil iam aliud quàm idoneam tanto facinori occaſionem expectabant. Interea,

rea Iulianus, incertum, leuitate animi, an erga Principem, fide, an veró etiam á fratre offenſus, rem aperuit Alpinolo Caſato, hic Ramengo fratri, & ſtatim res coepta diuulgari. Quòd vbi Franciſcus ipſe coniurationis princeps, negotium ire per ora hominum ſenſit, ſublatis repente rebus aufugit. Poſtquam ille non cōparebat, Alpinolus, & Ramengus, id quod antea reticuerant, detulere vltro ad Vicecomites; petita prius venia, ne ſibi fraudi eſſet quòd deferre cunctati eſſent. Ita coniurati reliqui, miſſo protinus milite prætoriano comprehenduntur, atque conijciuntur in vincula, primoque tormentorum adſpectu rem confeſſi, redactis in publicum bonis, fame perimuntur, quae ſupplicij fœditas adſperſiſſe Ioannis Pontificatui labem eſt viſa. Et hi quidem, Christiano tamen ritu expiatis animis, inter lentae mortis ſpatia non perijſſe morte altera crediti ſunt; Franciſcus Puſterula cum filijs duobus deprehenſi apud Piſas, & Mediolanum raptati aeternùm periere, cùm diuinarum ſalutariùmq; rerum mentionem omnem inter ſupplicium adſpernati eſſent. Alij, non Puſterularum hanc fuiſſe calamitatē tradunt, ſed Beltramoli cognomine Amici, qui fuit unus e coniuratis. Hic propter cæteram ſuam indignitatem, ſordidumq. genus, à principe Luchino reſeruatus in carnificinae miniſterium cum lancinaſſet ſtrenue corpora nobilium virorum, praemium nauatae operae id exſpectarat, deſponderatque ſibi, vt ſaluus ipſe dimitteretur. Sed principem multa ſimul in illud vile caput aſperabant; ſordes hominis,

minis, male collocata in eum beneficia, pudor ob nutritum domi proditorem, & quòd eum ab cellae vinariae doliorumq; præfectura productum extuliſſet in aulam, ibiq. mutata veſte baiulum conſilijs ac negotijs immiſcuiſſet; qualis inſania, dominantiū, neque tunc cœpta eſt ſpectari, neque deſita. Tot ſimul indignitates, & ſuae deniq; ſenſus indignitatis in eo extollendo homine accenderant Vicecomiti animum, vt poſtquam carnificem eū fecerat infamaueratq. ſpurco miniſterio, carnificis etiam alterius manu ſuſpenſum iniectoq; pede praefocatum exhibere populo ſtatuiſſet. Addita inſuper proditori baiulo ignominia, quae gratiſsima ſpectātibus fuit. Ad furcam, quæ poſita ei ſeparatim extra vrbem ſtabat, traxere illigati aſini toto colligentem corpore cœnum, & ſordes, per quas trahebatur, incuſſoque, & deuoluto per ſaxa capite cruentantem vias. Caeterùm, ego nō affirmauerim, ſupplicij ne acerbitate illa, an impia ſtoliditate contumaciaque hominis factum fuerit id quod non ſine mœſtitia, & horrore ego referam. Memorant perſtitiſſe in eo, vt ab Sāctae Crucis adſpectu proterue rictum auerteret, ingerenteſque ſeſe hortatores cōſputaret ſub ipſo carnificis pondere, cùm ab eo calcante humeros damnata orco anima exprimeretur. Quod portentum abominati Magiſtratus vetuere tumulo inferri cadauer, vetuere deduci paribulo, penditque inde, donec ipſa dies, & pabulis eiuſmodi volucres aſſuetae abſumerent quod pendebat, quodue fluebat in terram. Punita in hunc modum coniuratione,

iuratione, minime tamen laeti Vicecomites erant, téterq; & horrendus exitus Beltramoli Amici ceu prodigium aliquod ciuiũ animis haerebat. Plena vrbs timorum & ſuſpicionum, tum apud principes, ne pars minima inſidiarum detecta eſſet, tum apud coniuratorum propinquos, & neceſſarios, ne participes fuiſſe conſiliorum exiſtimarentur. Suſpenſamq., & ſolicitam ita Ciuitatim inſuper moeror ille aggrauabat, quòd inchoata quamquam, vt dixi, poſt reiectum ab Vrbe Bauarum, reconciliatione cum Põtifice maximo, nondum tamen ea res perfecta erat; nondum abſoluta Ciuitas interdicti pœna, quam Pontifex Ioannes ob admiſſas aemuli Nicolai temporibus culpas inflixiſſet. Vercellinus erat ex Vicecomitum genere vir pius, nec vlla ſui parte indecorus domui, quae iam patriae ſeſe dominam feciſſet, quamue ſacra nunc, & profana omnia praeſidem & moderaticem intuerentur. Moerens iſte gemensque tali rerum ſtatu petijt ab Archiepiſcopo Ioanne, vt ad Pontificem Max. legati de abſolutione mitterentur. Miſſi ſunt Gulielmus Calix, & Leo Dugnanus, & Maſſinus Sampſon cum precibus huiuſmodi. Ne Chriſti Vicarius Metropolim Ambroſianam, & Vicecomitum domũ temporum neceſsitate prolapſas, diuino nunc beneficio reſurgentes ad obſequium, pro paterna ſua erga omneis benignitate repudiaret. Si contumacia coacti aliena deliquiſſent fortè aliquid, tanto promptioribus animis obediendo & obſequendo, id ipſum eſſe correcturos. Pontifex max reconciliandae tantae vr-

Digitized by

bis occaſionem amplexus, de ea re ad Senatum retuſit. Patres relationem accepere laetis animis; factumq; decretum de pace cum Vicecomitibus ineunda reſtituendaq; Metropoli in veterem ſacrorũ vſum, & piacula dicta vrbi ſunt hiſce uerbis. Populus Clerusq;
„ Mediolanenſis, & corporis vtriuſq principes, propte-
„ reaquod publico conſilio deſciuerunt ab Eccleſiae Ro
„ manae authoritate, Bauarumq; Sedis Apoſtolicae re-
„ bellem, & Pſeudeopontificem Nicolaum propugnare
„ aliquandiu voluerunt; numquam amplius talia eſſe
„ facturos promittunt, & quicquid antea commiſere,
„ errore humano, & improuido caſu, violentiaq; impe-
„ titantis eſſe commiſſum quàm ſancte affirmant, &
„ Pont. Max annuit paterna ſua clementia, & facilita-
„ te, vt ea ſicuti dicuntur, credat. Id vt manifeſte con-
„ ſtet apud eos, qui nunc ſunt homines, alijſue poſt ſae-
„ culis erunt; iubet hoſce Mediolanenſes extruere pu-
„ blico ſumptu ſacella duo, quae poenitentiae obſequij
„ que ipſorum erga Sedem Apoſtolicam ſempiterna
„ monumenta eſſe debebunt. Ea porrò ſacella dicabun-
„ tur D. Benedicto & extruentur in Diui Ambroſij
„ Aede: annuis ad ſacra faciunda vectigalibus in-
„ ſtruentur: Sacerdotes vtrumque ſuos habebit: an-
„ niuerſario D. Benedicti die res diuina fiet ad ea ſacel-
„ la ſolenni ritu, eiq; Sacro Praefectum vrbis aliosq;
„ Magiſtratus intereſſe oportebit. Eo die duobus
„ millibus pauperum benigne fiet Reipub. Mediola-
„ nenſis nomine; ſingulos panes ſinguli accipient;
„ vnciae duodenae tritici ſingulis panibus inerunt.

Haec

„ Hæc omnia ſi faxint Mediolanenſes; tum verò, ſicuti
„ maiores ipſorum, cari filij, & ſerui fideles Apoſtoli-
„ cae Sedis erunt. Facta omnia, ſicuti Romanus imperarat, Eccleſiaeq; Ambroſianae pax data. Pontifex quin etiam ipſe Benedictus, biennio poſt, Mediolanum venit, eſtq; acceptus, nō ea modò, quae Pontifici Max. debebatur magnificentia, & gratulatione, ſed etiam effuſiore quodam ſtudio, quaſi liberator vrbis, & Viccecomitum domui fundator Principatus. Nam antea, fluctuantibus, & incertis Eccleſię rebus, imperium quoque eſſe incertum, & anceps oportebat. Etiam Archiepiſcopus Ioannes, licet ab Nouarienſis Eccleſiae Pontificatu ad Metropolim Abroſianam rite atq; interpoſita ſummi Pontificis authoritate tranſiſſet, eaq; Viccecomitis cum Aicardo exule permutatio legitima Eccleſiarum haberetur; nulla tamen de ea re publica monumenta, nullumue diploma proferre Apoſtolicum poterat, & mancus ab ea parte Pontificatus erat. Datae ſunt ab eodem Pontifice litterae, quae commutationem eiuſmodi ſancirent Apoſtolicae Sedis nomine, ratamq; haberent. In eo reconciliatae gratiae feruore, ſpes facta eſt Archiepiſcopo Ioanni etiā impetrandi rem antea nequicquam agitatam, vt ſcilicet theſauri illi Modoetienſes referri illuc poſſent. vnde ablati olim fuerant; & varijs in aliena terra caſibus iactati. Vocatis igitur ad ſe Canonicis, Archiepiſcopus, cùm ſua de theſauro recuperando conſilia, ſpemq; de ea re conceptam expoſuiſſet, iubet eos perferre ad ſe exemplum litterarum, quae

ſingulas theſauri partes exſcriptas atq. exſignatas continebant, prout ſcilicet confectae eae tabulae fuerant, tunc cùm theſauri ipſi ab Ioanne uigeſimo altero Collegio Auenionenſi cuſtodiendi traderentur. Poſtquam attulere Canonici Modoetienſes earum litterarum exemplum, ſubſignauit Archiepiſcopus id exemplum ſua manu, tabulaſq. publicas eiuſmodi ſubſignationis iuſsit confici per Petrum Vercellenſem, qui ipſi A. Actis erat.. Has litteras, aliaſq; commendatitias tradidit Ioanni Baldirono Modoetienſi, qui profectus Archiepiſcopi Municipijq. ſui nomine, ſine mora Auenionem, facilè á Pont. Max. impetrauit, vt referri Modoetiam theſauros annueret, eoſq; anno milleſimo trecẽteſimo quadrageſimo quarto, die, qui Sanctæ Crucis inuentioni ſacer erat, traditos eſſe Matthaeo Veronenſium Epiſcopo reperi in vrbis eius annalibus; ab eo tranſmiſſos eſſe Modoetiam in eadem arca, in qua conditi fuiſſent, cum Auenione aſſeruarentur. Alij, non ſtatim eos eſſe tranſmiſſos tradunt ab Epiſcopo Veronense ſicut retuli; ſed Epiſcopum, poſtquam ſibi traditi fuiſſent à Pont. Max. miſiſſe de ea re litteras ad Archiep. Ioannem, vt diceret ipſe, quid fieri vellet. Archiepiſcopi deinde iuſſu Canonicos miſiſſe Gratianum Aronenſem e ſuo Collegio; datas huic ab Archiepiſcopo ſimul, & Luchino litteras, quæ legationi fidẽ adſtruerent, miſſumq. cum eo Guidũ Calicẽ principũ ipſorũ nomine, quò plus etiam authoritatis poſtulato eſſet; legationem hanc Mediolanũ redijſſe cũ theſauris, &

ad vitanda latrocinia profectionem expectaſſe legati, quem Pontifex in Apuliam ad coronandum ibi Regem mittebat. Caeterùm, ſiue miſsi ſtatim theſauri Mediolanum fuerint ab Epiſcopo Veronenſe, ſiue, miſſis Aucnionem legatis relati domum, illud cõſtat, Archiepiſcopum Ioannem, ſimul atque arcam in poteſtate habuerit, unà cum praecipuis eClero proceſſiſſe Modoctiam, atq. ibi ſingulas res in ara maxima collocaſſe ſua manu, prout à miniſtris ex arca depróptæ ordine in manum tradebantur, remq. teſtato deſcriptam ſicuti geſta fuiſſet; ſcribas, Petrum Vercellenſem, & Othorinum Niguardam fuiſſe. Si uelim ego in Eccleſiaſtico hoc opere prætermittere quicquid Archiepiscoporum principumue poſteris, minus fortaſſe placiturum credam, ne honeſta quidem, & glorioſa fidem habebunt. Et memorari triſtes ambiguosue domorum casus oportet, vt magna earumdem decora, magnisq. conſilijs & virtutibus adminiſtratae res cum fide atque auctoritate accipiantur. Perculit enim hoc tempore Vicecomitum domum caſus inhoneſtus, de quo Bernardinus Corius refert proximus memoriae temporum eorum ſcriptor; referamq. ego, quia notabile cuſtodiendis matrimonijs exemplum erit, & quia calamitas ea perpetuum Archiepiſcopo Ioanni moerorem attuliſſe viſa eſt, ob labem quae ſibi impoſita per mulierculae vnius intemperantiam videbatur. Fuſca Fliſca, quam alio nomine Iſabellam appellabant, erat Luchini principis vxor, nullius quidem antea flagitij comperta, ſed

ſed procaciore ſemper cultu, quám honeſtam matronam deceret; concurſatrix eadem et vaga, & amica celebritatum omnium, quod ferme muliebre malum eſt. Haec mulier, cùm audiret celebrari ſermonibus eius caeremoniæ apparatum, qua Venetijs ſacro Aſcenſionis die, darentur nuptialia dona pelago, mira cupiditate exarſerat viſendi ſpectaculi eius, facileq; ab Luchino coniuge impetrauit, vt cum feminarum aliarum grege illucuſque deportaretur. Elegit ipſa quas voluit ex familia ſua, caeteraq; nobilitate multas adultas virgines, & matronas quibus forma virginum duraret, eique mulierum turbae, ſexus virilis nobilitas aggregauerat ſe ſe, ſiue erga principis vxorem obſequio, ſiue iuuenilibus quiſque ſtudijs erga muliebrem eum comitatum. Ad Laudem Pompeiá paratis inſtructisq; nauibus commiſere ſe ſe flumini; ac ne ſingulos exequar muliebris agminis inceſſus & dedecora omnia; Corij verbum huiuſmodi eſt; dormitaſſe cum Vgolino Iſabellam vxorem Vicecomitis, ceteramq; turbam virorum, & mulierum nihilo honeſtius inter ſe egiſſe. Negotium fuiſſe tam effræne, & incautum, vt antequam peregrinabunda illa multitudo cum Duce ſua rediret domum, noſceret ſuam vnaquaeq; domus calamitatem; ac poſtquam redierant, parante Luchino venenum in adulteram ſuam, anteuerterit ipſa maritumq; ſuſtulerit. Creditum id publice dictumq; eſt; nec caeteri perinde ſegnes ad vindicandam mulierum ſuarum impudicitiam fuere; veneniquè moras adſpernati quidam, violenter & palam

lam

Iam exercuere iras. Sublato igitur per adulteræ vxoris dolum Luchino, imperium, & ſumma rerum omnium ad Ioannem Archiepiſcopum venit, & ſtatim exacto in ipſius verba Sacramento, cuncta ei obediebant. Manſere autem tunc haec ſubiectae Vicecomiti vrbes. Mediolanum, Crema, Haſta, Alexandria, Alba, Vercellae, Nouaria, Bobium, Bergomum, Nouocomum, Brixia, Cremona, Placentia, Parma, Laus Pompeia, Hae tunc vrbes Archiepiſcopo Ioanni Sacramentum dixere; ciuiliaque iam hinc Eccleſiaſticis multo magis etiam quàm antea immiſcentur vnica rerum ſerie & contextu caſuum, atq; conſiliorũ vno, cùm Princeps Archiepiſcopusq; idem cuncta moderaretur, cunctaq; ageret ad regiæ propè magnitudinis formam. Tranſtulerat is ſedem in Palatium, cuius veſtigia iuxta D. Georgij Ædem monſtrantur in hunc diem; inde iura populis dabantur; Metropolis illuc vniuerſa ſpectabat. Ibi tractabantur fœdera, ſocietates, arma, ceremoniae, ritusque ſacrorum; potentiaque tanta finitimis etiam principibus terrori erat; nec niſi quibus amicitia fœdusve cum Vicecomite intercederet, ſtabilem eſſe ſibi fortunam putabant. Itaque principis Archiepiſcopiq. huius aula, ueluti totius Italiae forum habebatur; ac foedus expetiuere cum eo, Sabaudus, & Gebennenſis, quae maximae potentię maximiq; terroris nomina inter dominantes erant. At Genuenſes, antea bellare cum Vicecomitibus ſoliti, & per id maxime tempus irritatis ad bellum animis, exterriti iam, & attoniti tantis

opibus

timæ prolis, ſanguiniſque veri Vicecomitum inchoharentur. Extruxitque etiam interea D. Mariae Virgini Aedem ad Garignanum, aſſignatis in templi cultum fundis quos, & immunes onerum tributorumq; omnium eſſe voluit; eiq. decreto, & actioni Decuriones vrbis adfuere. Sed ob captam occupatamque Bononiam imminebant Romani Pontificis irae Principi ſimul, & vrbi; veterumque etiam offenſarum renouatâ per eam occaſionem memoriâ, ſimul ciuitatē iuſſerat vniuerſam carere communione ſacrorum & iure, ſimul iubebat Vicecomitem alterutro regimine contentum, partem omittere alteram, profana, ſiue ſacra mallet. Quae mandata ferens legatus vbi Mediolanum venit, primò quidem ille benigne ab Vicecomite Archiepiſcopo accipitur, & amica erant omnia, donec ad mandata ipſa depromenda oratio coepta eſt accommodari. Vt verò triſte verbum enuntiatum eſt, nihil quidem acerbe Vicomes hoſtiliterue eſt effatus; ceterùm infenſo voluens animo reſponſum, quod re ipſa, quàm verbis atrocius foret, die feſto, qui proximus aderat, reſponſa daturum ſe ait, quae Pontifici Max. legatus referret. Eo die adeſſet in templo maximo; velle ſe ibi coram Patria, & coram Parēte vrbis Ambroſio reſponſa ea pronuntiare. Statuto die legatus templum ingreditur; ibique Vicecomes, re diuina peracta, quam apparatiſſime, ſacrificali, ſicuti ſtabat ornatu conſedit ante aram, cumq. diripuiſſet ab latere gladium, quo ſuccinctus erat, altera manu Crucem tenens, dixit, inſignia ea ſuae eſſe poteſtatis, &

donec ſpiritus maneret, cruce gladioq; partem imperij vtramq; defenſurum. Iret legatus, & Pontifici ſuo renunciaret viſa ſimul, & audita. Viſa res indigna Põtifici, nouaque percitus ira, iubet Vicecomitem ſiſtere ad Tribunal Apoſtolicę Sedis, ni faciat, anathematis pœna damnat adhuc hominem, oneratq. diris & Eccleſiae Catholicae hoſtem appellat. Enimvero Vicecomes, ad ea nihil in ſpeciem animo turbato, dixit iturum ſe vtique, & imperata facturum. Mox duodecim millia peditum, equitum ſex iubet eſſe in procinctu, vt ſecum eant, maioremq. porrò numerum armare pergit. Simul, praemiſsis Auenionem hominibus ſuis, qui commeatum aliaq. neceſſaria expedirent, terruerat eo apparatu Pontificis animum auláq. totam, & Auenione, tamquam expectatione noui hoſtis trepidabatur. Namq. curatores illi, qui præmiſſi erant, emendo frumenta, conducendoq; aedes, & congerendo in ſuas apothecas quicquid vſpiam in mortalium aliméta venale proſtaret, largeq. per omnia pecuniam effundendo, fecerant annonae penuriã, & praebuerant ſpeciem haud dubie cum exercitu ſuo venientis Regis. Tunc Pontifex, vocatos ad ſe Vicecomitis homines interrogat, quantum pecuniæ ad eã diem inſumpſiſſent, illiſq. profitentibus quadraginta millia florenorum, rependi ex pontificio aerario ſummam eam, Vicecomitemque ipſum admoneri iuſſit, vt ea profectione ſuperſederet, iſque ſuperſedit. Ita liberatus etiam ipſe non minore cura, quàm quæ Pontificis compreſſerat iras, ad vrbis, &

imperii

imperij ſtatum, & diſciplinam, atque perpetuitatem domi ſtabiliendam intenderat animum, req; cum Decurionibus vrbis communicata, Municipale ius omne Mediolanenſium, quod inter tantas Reip. commutationes, tantoſq; dominantium, & ſubiectorum caſus prope exoleuerat, reſtituit, ac promulgauit, parata ei rei quiete haud tamē in longum tempus. Nam sēper poſtea, corrigere, vel addere aliquid, prout tempora, & res monebant, inſtitē: e quibus ea prouidentia in vrbe, & poteſtas, ſaepeque publici concilij authoritate variata res eſt, donec auorum noſtrorū memoria Ludouicus Sfortia ſuae domus euerſor, corpus municipalium legum firmauit; alijque poſt eum etiam principes expoliendo operi curam animumq; aduerterunt. Sed initia iuris deſcribendi nobis ab Longobardorum temporibus manauere, cùm ſcilicet Iuſtiniani legibus ad eorum aduentum vrbi noſtrae fortaſſe ignotis, certe non receptis, darentur ab nouo, & externo repentinoq. dominatu propria quaedam iura, & leges, quae manſere donec id imperium. Eo per Carolum Magnū deleto, Lotharius Imperator praeſcripſit inſtituitque nōnulla, quae beneficiarias praecipue conceſſiones, & omnia generis eius iura, terminos, fines, vim, officium, authoritatemq; continerēt. Inde poſt vtriuſque Berengarij vanas in Italiam impreſſiones, translatis in Germaniam rebus, dedit quaſdam Metropoli leges idem ille qui ſtrauit euertitq. vrbem Aenobarbus. Ex ruinis verò illis, poſtquam aſſurrexere maiores noſtri, conſtantia eadem, & ſapientia,

qua nouam ex barbarica ſtrage excitare vrbem potuerant, iura etiam condidere ſibi, nec ſemel ad id reip. conſtituendae munus adiecere animos, conferendo pro ſe quiſque in medium quae ſaluberrima excogitauiſſent. Ab Aenobarbi fine, libertate vſurpata, deinde inter ipſas Vicecomitum Turrianorumq; factiones, decreuere multa, & ſciuere, quae ne ſecutæ quidem repudiauere aetates, & manent adhuc. Omnia, quę cadunt in hominum vitam ſtatumq. ciuilem, iudicia, lites, pretia rerum, & mercimonia, culpas, & pœnas, & quicquid vſpiam in communi conſuetudine eſſe controuerſioſum poteſt, comprehenderunt vnico municipalium legum volumine, & capitibus de vnaquaq. re editis, incluſaq. in id volumen ſcena rerum cunctarum, quæ inter homines aguntur, ſiue peccantur, contrahuntur, aut ambiguntur, damna, & iniurias, licentiamq. omnem inter ſe mortalium coercuere. Quae coercitiones, & decreta, retenta diu, & cuſtodita, ſemperque aucta, & amplificata, cùm ſub Matthęi denique filijs prope intercidiſſēt, Luchinuſq. etiam neſcio quo ſpiritu ea ſuſtuliſſet, ab Archiepiſcopo Ioanne hoc tempore, ſicut dixi, reſtituebantur. Volebat is ita reſtitui ſemel ac ſanciri municipalia haec iura, vt abrogari poſtea tolliq; ſiue conuelli nuſquam poſſent. Ideo Decuriones vrbis exciuit ad ſingula capita recognoſcenda, & inſpicienda ſecum; eadem in octingentorum Concilio propoſita ſunt; eadem adhibitis ex vnaquaq; vrbis regione prudentibus uiris agitata, & conſultata. Referebant hi ad ſuos, nec graue

principi.

principi, Decurionibuſue vrbis, Concilioue octingentorum, cognoſcere quid ſuper tanta re quiſque afferret ac ſentiret. Fortaſſe etiam nobilium familiarum poſteri minime aſpernati erunt iſtud qualecunque hiſtoriae obſequium, ſi retulero prudentum virorum nomina, quorum opera, & conſilio Princeps Archiepiſcopus que idem in ea iuris deſcriptione eſt vſus. Compoſuerant primò digeſſerantque capita, Leo Dugnanus, Signorolus Amedeus, Manfredus Sarazonus. Eraſmus Aliprandus, Iacobinus Boſſus, Philippus Catiola, Francius Bripius. Iacobinus Vibragerius, Iacobinus Panigarola, Beltraminus Gironus, Ioannolus Paganus. Hi ſeriem rerum edidere primi cum præfatione tituloque hoc. Quod Deo optimo maximo glorioſum, Reip. Eccleſiaeq. Mediolanenſi ſalutare eſſet, ipſos eam diſciplinam, & ea decreta compoſuiſſe regendæ ciuitati, rationemque habuiſſe, vt ex vetuſti codicis authoritate, ordineque ac præſcripto cuncta moderarentur. Iuriſconſulti ſunt adhibiti, Laurentius Bernadigius, Aramaninus Alemanius, Ambroſius Septala, Franciſcolus Capra, Aſtolpholus Lampugnanus, Franciſcus Sulbiagus, Franzus Spanciota, Antoniolus Reſta, Ruminus Porrus, Philippus Capellus, Carneuarius Mandellus. Singularũ vrbis regionum homines ſingulares fuere, Tobiolus Aliprandus, Iacobinus, Petrus & Gremolus Panigarolae, Rogerius Eccleſia, Franciſcus Oſius, Rugerius Boſſus, Eraſmus Aliprandus, Othorinus Burrus, Guidetus Puſterula, Maſſeolus Morigia, Palea Graſſus, ſuę

quiſque

quiſque Portæ nomen,& authoritatem ei negotio addentes; & alicunde bini aderant. Et ſtatum quidẽ, formamque, & iura ciuitatis conſtituerat hoc modo Archiepiſcopus, nulla re omiſſa, quae prouidenda animaduertendaque eſſet; negotia vero externa, ob captam ſicuti dixi Bononiam, haud tam facilè conſtituebantur. Et Pontificis Maximi propter eam rem indignatio, hoc ipſo accendebatur, quod repreſſa fuerat tamquam metu, cùm nimirum Archiepiſcopus hoſtiles illos apparatus Auenionem præmiſiſſet Apoſtolico mandato eluſo hoſtiliter ipſe ſubſecuturus. Quò magis ille ardeſceret iuſta iura, Bononiáue depellere Vicecomitem deſtinaret, Florentinorum insuper aſſiduæ preces & querelæ efficiebant. Nã ea ciuitas, vetere Guelfarũ partiũ aduerſus Gibellinos odio, sẽper infenſa Vicecomitum nomini, tantam in vicino vrbem habere inimicam, certam Reip. ſuae eſſe perniciem putans, non deſiſtebat obsecrare Chriſti Vicarium, vt communem eum hoſtem deijcere inde maturaret. Sed in Pontificia tunc aula erat Auenione Gulielmus Griſans Abbas S. Victoris ex Gallica Vrbe Maſſilia, summa apud Pontificem gratia, & authoritate, qui poſtea fuit Vrbanus Quintus. Demonſtrando is magna pericula belli, & difficultates, exitumq; ancipitem, tum Pontificis ipſius ad quieta conſilia vertebat animum; tum Florentinorum querelas eleuabat. Eos damnis odijsque suis irritatos trahere velle secum Apoſtolicam sedem; non eadem decora Sedi Apoſtolicae, & populo vni turbulento. Quin potius via ali-

qua

qua commodior iniretur; ac ſe ſe interea pacis agitā-
dæ internuntium offerebat, exitu fortaſſe meliore,
quàm quo internuntij priores rediſſent. Itaque Me-
diolanum ipſe mittitur repetendæ Bononiae, & agi-
tandae pacis, mandataq. libera afferebat, vt ſalua Se-
dis Apoſtolicae dignitate tranſigere poſſet etiam re
infecta, quae negotij erat caput. Fortaſſe alia quædā
etiam occulta pacta, ſermonesque fuere occulti in-
ter legatum eum Abbatem, & Ioannem Archiepiſco-
pum, quibus sermonibus et pactis negotium mutuo
& arcano conſenſu composuere impeditum illud, an-
ceps, deteriusque ſemper factum dum agitatur. In pre-
sentia nihil aliud ex eorum colloquijs, totaque nego-
tiatione arripere potuit hominum ſolertia, nihilue po-
ſtea aliud vulgauit cuncta nudans dies, quám ea ipsa
quæ in media luce palam agebantur. Haberet ſibi Vi-
cecomes vrbem Bononiam, ipſe heredesq. eius, ac te-
ſtandi causa, iuris eam eſſe Pōtificij, dena millia flore-
norum quotannis Apoſtolicae Sedi tributum ferrent.
Coleret piè ac religioſè Vicecomes Apoſtolicam Se-
dem, & Pōtifices ipſi viciſſim Archiepiſcopo Medio-
lanenſi, domuique Vicecomitum fauerent paterne,
ac beneuole, ſiquidem fide ac obsequio merita
eſſet. In eas conditiones pax conuenit, &
Archiepiſcopus Mediolanenſis princeps Bononiae
appellatus. Vrbs liberata Apoſtolico interdicto;
quae pœna temporibus illis toties irrogata Metro-
poli, toties ablata, mirari cogit, aut tam pronam
fuiſſe Ciuitatem ad peccandum, aut tam saepe re

lap-

lapſos, veniae ſubinde locum apud ſedem Apoſtolicam inuenire potuiſſe. Dum Mediolani agitantur iſta, & fiunt, ſtruebantur in diuerſa parte incrementa Mediolanenſi imperio, quae Metropolim tam alte attollerent, quàm euecta antea numquam fuiſſet. Veneta Claſsis in Sardoo mari, commiſſo cum Genuenſibus prælio, nauibus eorũ captis aut demersis caeſoq; Ligurum exercitu, circumseſſa deinde etiam vrbe, & commeatibus intercluſis, minitabatur extrema, ei populo; plena ibi omnia cladis, et luctus, desperationisque erant. Neque spes ulla relinquebatur ex Vicecomite populoq. Mediolanenſi, cùm poſtea quàm in ditionem se se cõtulerãt noſtrã, iam ultro desciuiſſent, et interfecto, quem Archiepiſcopus dederat Rectore vrbis, praetorem ſibi nouum creaſſent arbitratu ſuo. Attamen, neceſſitate cogente implorare auxilium etiã ab iratis, ſiue, quia ſperarent, translatam impretantium ritu omnem eſſe iram ab miſeris in eam partem, cuius tanta victoria eſſet, per intermiſſa cuſtodijs loca miſſis ad Vicecomitem legatis, ſimul errori, veniam, ſimul tradita denuo vrbe praeſidium ab eo ſalutemq; petiere. Minime fallebat obſeſſos ea opinio, quam de Archiepiſcopi ira erga Venetorum fortunam et victoriam conceperant animis; & curſum eum rerum in æmula ſui principatus Republica non minus profecto ille oderat quám Genuenses ipſi, quibus dies vltima, niſi per Metropolim ſtetiſſet, aderat. Itaque oblitus priora Vicecomes, vel certe, tamquam oblitus, claſsẽ quantam maximam poteſt aduerſus Venetos mittit,

magnoq.

magnoq. praelio victor, capto etiam imperatore Veneto, Liguſtici maris potens efficitur, inſularumq; & ciuitatum per oram eam dominus. Acceſſit quarta Sardiniae pars, quam tenuerat hereditario iure ob matrimonium cum Nini Galluræ filia. Ioannes Vicecomes, his editis operibus, & aucto quod acceperat imperio, prolatisque finibus, & bello clarus & pace moritur anno Sal. cIↄ ccc liv. ab ea quoque parte felix, quòd inito aduerſus ipſum fœdere, factaq. maximorum principum coniuratione, cui reſiſtere non potuiſſet, ante tanti diſcriminis tempus exceſſit. Pietatis quoque laudem ſcriptores ei tribuunt, quod propinquante fine, cura nulla maior fuerit tot negotijs implicito homini, quám vt omnibus Eccleſiae myſterijs expiaretur. Et inſtituerat ipſe ſolenne anniuerſarium, vt ſtato die ſacroſancta Altaris myſteria per vrbem, Clero vniuerſo pompam deducente geſtarentur; quæ pompa, quo primum die ducta ab ipſo eſt, centum millia mortalium interfuere. Cernitur in templo maximo tumulus huius Archiepiſcopi, carmine addito, quo ſubiectae vrbes lõgo ordine numerantur cum inſectatione vanitatis humanarum rerũ, quòd dominum tot terrarum parua nunc arca includat, & gignente ſibi ſupplicia corpore ab vermibus laceretur. Tanta fuit eius fama per gentes, vt nullus praeterea Regum principumue tempeſtate illa ſermonibus celebraretur, auerſis nimirum in vnius admirationem omnium animis, ob ſplendorem, & magnificentiam, qua nemo eum aequauit. Clemens

animus erga ſubiectorum errores; prolixa in Chriſti pauperes liberalitas erat ei; ac niſi Sedi Apoſtolicæ moleſtus fuiſſet, pauci erant in Mediolanen. Archiepiſcoporũ numero, quos regnãdi prudẽtia cõferre cũ Vicecomite hoc poſſemus. Eo mortuo, Robertus Vicecomes Archiepiſcopus eſt factus, isque rẽ Eccleſiaſticã Mediolanenſem tenuit; reliqua diuiſa ſunt inter Stephani Vicecomitis filios, prout Patrui teſtamento factæ partes erant. Matthaeo (is ſtirpis maximus erat) ceſſere, Laus Pompeia, Placentia, Bononia, Maſſa, Bobium, Pontremulum, & Sancti Donnini vicus. Bernabos haec accepit; Cremonam, Cremam, Soncinum, Bergomum, Brixiam, Vallemcamonicã, Ripaltam, & Carauagium, & pleraque minora oppida, & quacunque Benacus pertingit. Galeacii reliquum fuit imperium. Genuam, vt communi iure haberent, ipſi inter ſe fratres conſciuere. Metropolim quoque ipſam promiſcuo imperio per Prætorem regendam eſſe decreuerunt. Ita, mortuo quamquã Ioanne, potentia domus priſtina manebat, niſi quod ab omnibus caput & ſplendor ille rerum deſiderabatur. Ferme ſub Archiepiſcopi Ioannis obitum, Carolus Imperator Mediolanum venit, eſtq; ab Archiepiſcopo Roberto in Baſilica Ambroſiana rite coronatus; & viciſſim ipſe Vicecomites fratres, ſuos in Mediolanenſi prouincia Vicarios appellauit. Nec multo poſtea, fratrum eorum maximus moritur, ex intemperantia, ſicuti creditum eſt, libidinis, conſtuprator illuſtrium feminarum. Ea vulgatior fama fuit,

exhauſtum immodico turpitudinis vſu iuuenem, ignominioſe obiiſſe; ceterùm, alij prodidere, repertas in tabulario Euſtorgiano tabulas teſtamenti, quo Valentina mater, dolos, & inſidias fratrum in filij ſui vitam, muliebriter infenſa execraretur. Mortuus eſt ad Seronum, duodecimo ab vrbe lapide, cùm ob amores libidinesque ſuas eò ſeſe abdidiſſet; proceſſitq. Clerus illuc vniuerſus funeris cauſa, & deductũ in vrbem cadauer, tumulo maiorum intulere. Matthaeo hoc extincto, ſiue ſua intemperantia eum, ſiue fratrum dolus abſtulit, reliqui duo Galeacius, & Bernabos imperium tenebant. Id per vrbium nomina regionumque fines diuiſiſſe ac laceraſſe non contenti, etiam diuiſione inter ſe Portarum vrbis lacerauere. Tonſa, & Orientalis, & Noua, & Romana Bernaboui euenerunt: Cumanam, & Vercellenſem, et Ticinenſẽ, et quæ Iouis dicitur, Galeacius accepit; quaſi partibus euertere vellent id quod raptum totũ ex alieno occupatumque temere ab initio erat. Cùm iuueniliter & inconſulte ita ipſi inſtituiſſent rem, imminutaque diſſidio domus, amicis dolori eſſet, alijs ludibrio, nec populus ipſe interim Eccleſiaue Mediolanenſis, gemino illo principatu lætari poſſet; ſtatim extrinſecus aduenere calamitates, & negotia, quae conſulere in commune fratres coegerunt. Alioqui dominatus iſte per duorum Archiepiſcoporum violentiam, interiecto alterius patre, alterius fratris filio raptus ex Caeſarum incuria, temporumque conditione, perierat ob diſcordes nepotum animos; ac re-

dierat pene domus in antiquũ eũ ſtatũ, cùm Vbertus, & Berta, & nondũ Decij Canonicus Otho apud Maſſinum inter ſaxa & rupes onera fortaſse tantummodo nobilitatis ſentirent. Et fuit omne periculum ex auaritia, quæ ſemper inimica rebus omnibus honeſtis, tum verò fit ipſa ſibi ridiculum ſimul, & capitale malum, vbi ad imperij negotia tabes iſta peruenit. Dum autem diuiſo imperio, diuiſaque etiam vrbe fratres, vterque ſibi cupidiſſime tenderent, neutro ſatis per ſe tuto, damna, & pericula haec appetiuere ambos. Leonardus erat quidam Archiepiſcopi Ioannis filius, nihilo melior, quàm reperta ſemper fuerit eiuſmodi proles, quæ cũ ſcelere ignominiaq. parentum procreatur, ſemperq. parentibus id flagitium fit pœna, ſpectatis omni ſemper aetate nõnullorum exemplis, quos ob admiſſam in sacra toga turpitudinem, & quaeſitos inter caſtimoniae vota liberos, puniere poſtea liberorum ipſorum ſcelera, miſeriaeq; & finis. Leonardus hic Archiepiſcopi Ioannis filius delitiæ parentis aliquandiu ſpesq. & cura, deinde deſperatio, & luctus, & pudor, tantas in Nouarienſi Praetura, viuo adhuc eo, flagitiorum omnium deformitates, libidine, rapiniſq; explicarat, vt ſuae miſeræ libidinis flagitium id abominaretur pater; nec videre amplius ſpurium, nec audire nomen eius vellet. Ea ipſa patris alienatio trucem ſua ſponte animum irritarat, libenterque nimium illius odio patrueles omnes teneros adultosve deleſſet, ne ſanguinis nominisque Vicecomitũ quiſquam

quam relinqueretur. Obſtiterat attentus ad custo-
diam ſalutemque iuuenum, & vigil, & acer, & in
nulla curarum parte remiſſus ſenex. Vt ille deceſſe-
rat, & rapax cupîdo fratrum, ipſos ab mutua direme-
rat ope, deijcere vtrumque imperio agitabat, & ex-
cito in id Ioanne Demarcho Montisferrati, tam ho-
ſtili animo pares conatus cum proſpero etiam euen-
tu adiecit. Ticinum, Alba, Haſta, & quaecunq;
fère in ſubalpinis per Galeacium tenebantur, capta
incurſu vno. Simul, Genuenſes, & omnis illa ora,
tractuſq; Ligurum, qua leuitate tradiderant Ioanni
Archiepiſcopo ſuam Remp. eâ in conſtantiam ver-
sâ rebellauerunt. Nouariam, & Vercellas, cunctaque
camporum Demarchus idem inuaſit. Bononiam,
Pontifex maximus, damnata Clementis facilitate re-
petebat; fœderataque iam inde ab Genuenſi caſu
contra Ioannem Archiepiſcopum Veneta arma, mor-
te paulisper ſuſpenſa hoſtis, acrius infenſiusque ad-
uerſus iuuentam & diſcordiam heredum moueban-
tur. Quae, ſicut exitialia, Vicecomitum dominatui,
ita vrbem, agrumque Mediolanenſem exercebant in-
ter diſcordes dominos & belli mala, quorum culpam
Galeacius in Bernabouem, hic in illum conferebant,
cùm verius de vtroque Metropolis conqueri poſſet.
Profectò, magnopere ego abeſſe velim a ſuſpicione
flagitij, tamquam, aut Vicecomitũ horum, aut fami-
liarũ aliarũ ſeruire voluiſſe memorijs videar, opuſq;
Metropoli deſtinatum inquinaſſe adulatione erga
ſingulas domos; quae ipſæ, negotijs & curis cupidi-

tatibuſue

tatibuſue nunc occupatae alijs, nec requirunt fortaſſe iſta, nec pertinere ad ſe iam putant. Sed ſicuti parantem à principio me rē tantummodo hiſce litteris complecti Eccleſiaſticam, idque etiam initio operis profeſſum, profana deinde, & ciuilia, & bellica paulatim inuoluerunt; ita ciuilibus iſtis bellicisve noſtrę vrbis caſibus, res, & nomina caſusque familiarum obrepunt, & gentem nominaſſe toties vnam pudet. Atqui non aliter conſtare ſeries Eccleſiae rerum poterat; non aliter explicari quomodo patria per omne tempus egerit, quidue ſit paſſa, quaſue pertulerit maximarum rerum difficultates, vt in eum ſtatum, quo nunc ſtat floretque, perduceretur. Siue immutabili diuinae prouidentiae lege ac nutu, quo cuncta mortalium reguntur, ſiue, per nutum legemq. eandem, temporum miſeria, ciuitatis ipſius vitio, potuerat ſic ſupra ceteros efferre ſeſe vna domus. Ea deinde, ſicuti dominantes ſolent, trahendo in ſe res omneis, ciuitatis ipſius vim nomēq. occuparat, nec opes tantùm & vires, ſed conſilia etiam aliena, & fortuna quodammodo vrbis, fiebant eius familiæ felicitas, & prouidentia. Rurſus, errores, & calamitates eorum in ciuitatem exonerabantur, & luebat Metropolis quicquid vna domus peccabat. Ita proſpera vel aduerſa Vicecomitum iſtorum narramus, tamquam miſerias gloriasve vrbis, cuius periculis adminiſtrata omnia fuerunt, in quam damna cuncta recidebant. Bernabos & Galeatius, vbi cadentem hoſtium impetu ſuæ domus fortunam, & intenta vndique in ſe arma conſpe-

ſpexerunt, tum ſponte ſua, tum precibus amicorum non iam aliena exempla fraternæ diſcordiae, ſed domeſticam praeſentemque perniciem, inſtantia ſimul, & futura mala proponentium, poſitis odijs, quae infida ſocietas imperij aluerat, quaeue etiam ſecuta diuiſionem erant; vnam illico domum ex duabus, vnicum imperium, animumque ſibi vnum fecere. Non portas iam regioneſque vrbis rapiunt auiditate dominandi, ſed diuidunt ſibi pericula, & hoſtem; ipſaque ciuitas, antea diuiſa factionibus inter fratres, cõmuni periculo vrgente, fit exercitus acieſque vna. Tota protinus in equis, & in armis fuit, iamdudum aſſueta bello, & militariter intenta, parataque ad omneis motus. Exit Ticinenſi porta Galeacius cum vrbani exercitus parte, populabundoſq; Lando quodam duce Theutonas, praelio ad Caſoratum vno caedit aut fugat. Emiſerant fœderati barbaricam eam manum, vt vaſtatione agrorum, incendijſque villarũ terrore vrbi iniecto, motus aliquis ciuium aduerſus Vicecomitem vtrumque excitaretur. Quae res, ſi ex ipſorum animi ſententia cecidiſſet, haud poſtea difficilem in diſcordi duorum fratrum dominatu defectionem fore vniuersam ſperabant. Exitu populationis ſenſere, nequaquam tam diſſoluta, & proiecta omnia eſſe Mediolani, quàm creditum initio fuerat. Exit verò ſimul etiam cum exercitu alio Bernabos, ijs animis, vt Mantuae principem, cui ſpes & arma fœderatorum præcipuè nitebantur, clade aliqua propria ab fœderis eius ſocietate retardaret, idque eſt

aſſecutus

aſſecutus, tum robore exercitus ſui, tum Clerici vnius proditione, quo tradente, caſtella aliquot capta; vnde Mantuano terror, & iniecta rebus mora, quae petita erat. Maior ea, & praeſentior fuit, vbi Galeatius, in diuerſa parte, tempore eodem, geſta felicius re, fortunam ſuam, & fratris, ex abiecta prope, & deſperata, florentem quodammodo, & auctioré excitaſſe eſt viſus. Namque, dum Mantuanum, & dolis, & armis Bernabos vrget, obſeſſa per alterum illum, receptaque Papia eſt, & quò illuſtrius, glorioſiusq; reciperetur, hoſtes ipſi adiuuere. Cùm enim in facienda deditione, Ticinenſes, Galeatij pertimuiſſent iras, ob atrocia multa, quae, dum obſiderentur, auſi erant, eoque metu, miſſis occulte ad Bernabouem legatis tradere ſeſe potius huic voluiſſent, reiecit eos ipſe ad fratrem, vltroque deprecator irarum fuit. Ea repente æquitas, idque liberale certamen erat inter diſcordes nuper, & certamine auaritiae infenſos. Addidit verò etiam Galeatius recepta ſic vrbe nobile facinus, quo plebis iuxta & nobilitatis ei⁹ mirifice ſibi deuinxit animos coniecto in vincula Iacobo Buſſolario, Monacho, quem hominem, ob male partas opes & ſcelera publice inuiſum, turbasque in ipſo diſcrimine concitantem, cinxit indagine per fratres alios Humiliatos, & cathenis iniectis, miſit Vercellas in Monaſterium, vnde erat; ibique ille, rata apud Patres captiuitate, clauſtris incluſus arctioribus eſt, quã quae ad eam diem fugitarat. De Fratre iſto Iacobo referam, quae ſcriptores ante me alij citrá Ordinis

illius

illius offenſionem prouidere. Nam, non ſolùm, vitia erunt donec homines, ſicut ille ait, ſed etiam, vbi probi ſint, & honeſti multi, ibi perditum fere, & nequam eſſe non neminem, iam inde à proditore Iuda fert ſermo etiam quotidianus. In Fratre Iacobo Buſſolario fuere omnia praeter pium religioſumq; animum. Animus callidus, ambitioſus, quantęcunque fortunae capax, impatiens eius in qua natus erat, quamue dare clauſtra, & Ordo ille vniuerſus poſſet; artes, & litterae ei, tum celebratae inter ſuos, tum gratae in vulgus, tum principum ſenſibus accōmodatae. Concionator ante omnia magnus habebatur. Sed praecipua gloria ſtudiumq; eius, conſultare de Rep. de bello, de cauſa imperij, de omni ciuium iure; & ferme ad aſtus, & dolos, ad ſaeua, & tyrannica conſilia inclinabat, vel hac morum ſuorum parte nulli faſtiditus dominationi, & frequens arcanis. Hominem hunc iamdiu quaeritantem negotij aliquid effugiaq; ab Monaſterio & diuerticula, Montisferrati Demarchus, captâ Papiâ, praefecerat ei vrbi gubernatoremq; ibi appellarat. Sęuum ingenium irritatum longa poteſtatis cupidine, Monaſterijque neceſsitatibus, & priuatae vitae miſerijs, vbi materiē diu quaeſitam, vbi imperium habuit, exercuit ita, quaſi tyrannorū aliorū infantiam atq; ſimplicitatē vltro increpare videretur. Et erat plane noua forma tyrānidis, vbi concionibus ſimul, & gladio, per ſaeuitiam libidinemq; omnem, & rurſus imitatione pietatis imperitans Frater, corpora, & fortunas animoſque om-

nium in poteſtate habebat. Feruntq; memorabile illud, & nulla fortaſſe vnquam antea violentia tyrannorum factum; vt ſcilicet, poſteaquam, caedibus, & rapinis totaq. poteſtatis vi debacchatus fuerat, concionando denique die quodam in hoſtem, coegerit orationis vi matronas depromere vltro, & in belli vſus conferre quicquid pretioſi abditum haberent. Adeò, cùm rerum atrocitate ſecundus nemini eſſet, ſuperabat omneis hoc ipſo verborum telo, quo vulnerás hominum pectora poterat auertere animos etiam ab malorum ſenſu quae interim patiebantur; nec mala ea eſſe, ſed medicinam, & ſalutẽ probabat. Execrabantur hominem eundem ob impia facinora, & miraculo ſapientiae ſuſpiciebant, donec ſera flagitiorum poena irretitum contemplere denique cuncti, vinclaque ea nimis molle eſſe ſupplicium aiebant. Recepta Papia, punito fratre hoc Buſſolario, conterrito Mantuae Principe, caeſa fugataque Theutonum manu, & per haec omnia, foederatorum aduerſus Metropolim fractis acciſiſq.rebus, nihil tamẽ magnopere eſſe effectum videbatur ob nouum ſuper vrbe Bononia certamen, quo Mediolanenſium arma cum grauiore nunc periculo occupabantur. Namque vrbem eam, ab Ioanne, ſicuti demonſtrauimus, Archiepiſcopo occupatam, ab Clemente Pontifice maximo vindicatam, ab eiuſdem Legato traditã rurſus attributamq; Vicecomiti, Apoſtolica Sedes hoc tempore, armis ſimul, & interdictis aſſerebat; eiuſq; Legatus Aegidius Cardinalis, Picenum cum imperio fere vni-

uerſum

uerſum tenens, non bello ſolùm ad repellendum inde Viceeomitē nitebatur aperto, ſed occultis etiam artibus, quae videri fraudes potuere, niſi conſuetudo militaris, & cauſae aequitas, conſilij potius & prudentiae nomen dediſſet. Aegidij Cardinalis dolus, ſiue militare conſilium, quo Vicecomites in eo Bononienſi negotio eluſit, fuit res quædam huiuſmodi. Vrbem Bononiam, iam inde ab eo tempore, quo diſcedens ex vita patruus Archiepiſcopus, diſcordes inter ſe iuuenes atque ad lacerandā diſſidio Metropolim, ſuâ quemque auaritiâ inſtinctos reliquit, permiſerāt Ioanni cuidam Olegianenſi regendam imperio, & tuendam, experti fortaſſe antea fidem hominis in minoribus rebus, & parem animum in re illa tanta, tāq. ancipiti ſperantes. Ille enimuero, inutilem in tali negotio ſtultamque fidem eſſe exiſtimans, praeclara occaſione eſt vſus, ſeq; ex Praetore dominum eius urbis fecit. Quamdiu manebat diſcordia inter fratres, damnaque & clades, obſtrepente inuidia non ſentiebantur, id ſicuti pleraque alia damnum in leui habitum eſt. Vt autem, alio ſuper alium exoriente metu, & ab vniuerſa ruina periculo imminente, reſipiſcentes poſitis vanis inter ſe certaminibus, aduerſus externū hoſtem, & aduerſus tot ingruentia arma coaluere, tunc amiſſa Bononia momentis æſtimabatur ſuis, & recuperare vtique eam volebant. Magnificum id quidem, & vtile, ſed adeo difficile, & impeditum, vt neque eſſe tentandum videretur. Nam proditor Olegianenſis, egregie ſeſe munierat, tum foederatorum

auxilijs, tum ciuium ipſorum fide; & procul ab domo inter hoſtilia omnia gerenda res Vicecomiti Mediolanenſibusque erat. Ac niſi eſſent haec ipſa tam infeſta & deſperata, deſperatiſſimum infeſtiſſimumq. erat illud, quod, vbi depuliſſent vrbe proditorem, bellum ex ea victoria cum Pont. Max. reſtare aliud idéq; viderent. Itaque impares ei negotio vi aperta, ad fraudem iere, quæ hoſte ab alio felicior in ipſos parabatur; ſuntq; inter Vicecomites, & Olegianenſem, & Sedis Apoſtolicæ legatum tentata paria conatibus ijsdem, euentu diſſimili, vt Bernabos, & Galeatius proditorem fallere ſuum vellent, ipſi fallerentur ab Legato, fraudeq; detecta, res ad Bononiam aperto Marte gereretur. Et Vicecomitum quidem dolus in Olegianenſem, exitusque doli is fuit, vt pace inita cum eo, miſſisque etiam aduerſus Romanum legatum auxilijs, incautum deinde ſic, & nihil iam ab Mediolano timentem opprimere conarentur; & poſtquam non ſucceſſerat, mouerent denique arma in fidei deſertorẽ. Legatus verò vbi hoſtem vtrumq. poſt fraudes irritas, toto virium conatu de ſua Bononia inter ſe dimicantes, plusque ſpei in parte eſſe Vicecomitum vidit, iamquam mutuatus artem, inito etiam ipſe cum his fœdere, diſſoluit ficta ſocietate res eorum ſecundas, deinde translato ad Olegianenſem ſubſidio, retentam ab eo exigua in ſpe Bononiam ex pacto accepit. Bellum inde cum Apoſtolica Sede gerebant Vicecomites noſtri, ductoq; in Bononienſem agrum exercitu Bernabos, oppidis arcibus, caſtellisq; captis, ſecundiore

ali-

aliquandiu vtebatur fortuna, quàm quæ armis deberi illis videretur. Non tamen ijdem interea, quamquam bello occupati impio, deſtiterant regnantium more dare vrbi ſignificationes pietatis; publicorumq; operum magnificentia detinebant ſiue erigebant ciuium animos, quæ ſemper fuit ars & cura principibus, ſemperq; violentis & impijs rebus præclara & ſpecioſa multa tyranni etiam addere conſueuerunt. Xenodochia, & valetudinaria Mediolani Bernabos inſtituit, ſub D. Catharinæ nomine vnum, ſub D. Iacobi aliud, ſub D. Ambroſij tertium, & quæ Mala Statio hodie iuxta forum maximum dicitur, vt aeris alieni cauſa nexi, defectique vitae alimentis, ſubſidio aliquo publico ſuſtentarentur. Arcem Iouis Galeatius inchoauit, quæ poſtea communiter ab vtroque Vicecomite abſoluta munimentum eadem & terror vrbis, poſt Philippi Mariæ deniq; mortem, detrectante id iugum populo, diruta eſt, & rurſus inſtaurata per generum eius Sfortiam. Galeatij etiam opus fuit Palatium in Arena æmulum magnificentiæ alterius illius, quod ab Azone cum D. Gothardi Aede prius extructũ fuiſſe demonſtraui. Iuxta D. Ioannis Aedem, quæ ad Concam dicitur, palatium aliud Bernabos, perducta ad Romanam vſque turrim xyſto cum ea turri coniunxit, muroque eſt amplexus quicquid inde spatij per foſſæ ambitum ad vſq; D. Stephani Baſilicam excurrit, & eius veſtigia muri in hunc diem cernuntur. His aliiſque perfectis operibus, Galeatius, & Bernabos, rem deinde longe pulcherrionam aggreſſi, Ticinenſe

Gym-

Gymnaſium inſtituerunt, quod hodie ſeminariũ noſtri Senatus, Magiſtratuumque vrbis, idemq; nationibus exteris bonarum artium emporium, tot ab primordio ſui, ad hanc ætatem edidit decora pacis, & litterarum fere miracula, vt ſcholae pene illæ totam diſciplinis ſuis excoluiſſe Italiam merito dici poſſint. Neque tamen dici illud poteſt, pluſne nominis & famæ Gymnaſio ipſi attulerit, eorum claritudo, & fama, qui diuerſis tẽporibus in ſuo quisque genere principes Academiam obtinuere, an eorum rurſus nomẽ & gloria, qui ab Magiſtris huiuſmodi prodierunt. Adeò, pares in vtraque parte palmae virorum ſpectantur, & sapientiæ flos occurſat ex omnibus prouincijs accuratiſſimo ſemper delectu petitus cõductusq; huc expoliendæ iuuentuti, rurſusq; ex ipſa iuuentute, prouentu felici ſparſus in omneis terras, quacunque litterarum, & ciuilis diſciplinæ aliquid ſedet. Incertũ & ambiguum id quoque dictu, maiora ne præmia, vel ad opes, & ſplendorem, vel ad ſapientiæ teſtimonium magnitudinemque nominis, abſtulerint ſibi poſteriſque ſuis ex Ticinenſi Gymnaſio, Doctores ipſi, an alumna Doctorum, & velut Academiæ proles iuuentus elato hinc per omneis gloriæ vias pede plus eiuſmodi præmiorum inuenerit. Nam Magiſtri ſimul & diſcipuli, purpurâ & lato clauo, quibuſve alijs fulgere inſignibus glorioſa mortalitas amat, & domum, & patriam vnde erant, auxere ad certamen. Statque, & his & illis gloria in aequo, niſi quod aſſidue ſuboleſcens atque inexhauſta iuuenum multitudo, decora omnia

latius

latius occupauit, maiorque Cardinalium, & Senatorum populus numerari parte in iſta poteſt. Pontifices Maximi prodiere ab hiſce scholis, quodq; longe auguſtius etiam cenſeri oportet, prodiere Sancti. Tantum porro voluminum ex eodem fonte manauit ad illuſtrandas artium optimarum diſciplinas, vt ſi alibi ceſſatum à ſcriptis eſſet potuerit hæc ſufficere bibliotheca generi humano. Quam Academiae felicitatem, & tanta per omnia ætates incrementa intuentes Caeſares, & Pontifices, quiue alij facultatem indulgendi aliquid habebant, ornauere eam immunitatibus, & priuilegijs, quæ magnitudinem, & gloriam eius teſtarentur ſimul & augerent. Et noſtræ Ciuitatis clariſſimi ciues, quibus opes in id animique ſuppeditarunt, haud ampliorem vllum de patria benemerendi locum exiſtimauere eſſe, quàm ſi ad Ticinum in ipſa Gymnaſij ſede Collegia fundarent, in quibus ſue gentis iuuenes ſtudiorum cauſa alerentur. Hinc Mariana, & Caſtelleonea, & Griphia, Boſſiaque hoſpitalitas laceſſit, & vocat hodie illuc familiarum earum prolem; & generoſi fundatores illecebra talis hoſpitij Muſas atque ſapientiam penatibus inducunt ſuis, etiam poſtquam ipſorum nomina audiri deſiere. Sed Collegia quoque iſta iam fere deſiere audiri, poſtquam Sanctus Carolus Borromæus, & Pius V. Pont. Max. poſito ibidem vterque regalis magnificentiae Collegio, Academiam quodammodo ipsam ad ſuae Ciuitatis, & patriae adoleſcentes transferre potuerũt, vt largius ibi opulentiusq. quam in patria haberentur:

Stant

Stant exceſſae moles, altitudine & maieſtate ſua cō-feſſae Romani Pontificatus opes, et multo magis inclytas conditorum animas, quae talibus docuere monumentis, quos opum earum eſſe exitus oporteret. Aluntur ibi principum diſciplina et ritu nobiles adoleſcentes, quibus nobilitas ipſa oneri erat; et ditati interim Academiae diſciplinis, domos fere ſuas augent opibus, per quas nepotes alij ſubſidia et alimēta ea repudiabunt. Bernabos, et Galeatius anno ſalutis milleſimo tercenteſimo ſexageſimo, id Ticinenſe Gymnaſium aperuere; vnde Metropoli Senatores, et Magiſtratus, vnde haec etiam, quae inter ſacra dominatur prudentia iuris, & omne aequi ac iniqui discrimen uenit. Ac principio quidem, ſicuti rerum omniū initia et elementa habentur, horridum, et rude quiddam ſcholae illae Ticinenſes fuerunt: principeſque ipſi magnificum & ingens neſcioquid se se afferre exiſtimauerunt,, cùm Dialecticos, & Medicos, & Philoſophos, et iuriſconſultos ad inchoandam Academiam praeſto ſibi eſſe profiterentur, et de ea re edicta promulgarent. Poſtea, res in tantam frequentiam venit, vt claſſes ibi profitentium habeantur, et cuius modò rei diſcipulus eſſe poſſit, eius ſint etiam interpretes, et magiſtri, tum matutini, tum verpertini, tum primores, et ante ſignani, tum alij extra ordinem: quod factum ita inſtitutumque credo eſt, præſertim, vt varietate docentium, proteruiae ac ſatietati iuuentutis obuiam iretur. Antequàm ſcholae iſtae, Vicecomitum cura inſtitutae eſſent, peregrinabantur ſtu-

diorum

diorum cauſa iuuenes noſtri, cœtuſque & ſcholas procul ab domo alienas frequentabant. Reuocauere Bernabos & Galeatius edicto vniuerſos; & domeſtica diſciplina erudiri deinceps ad Ticinum iuſſerunt. Eae litterae ſunt datæ ad. I I I. Cal. Nouembris eius anni quo Academia ipſa fundata apertaque erat. Vrbs autem Ticinum eſt, electa, ideò, quia praeter amoenam, cœli temperiem & acceſſus illuc ex tota Inſubria faciles, locus eſſe videbatur ciuili comitate, & ſuburbanâ licentiâ recte compoſitus aptusq; Metropolitanae iuuentuti. Nam aetatē egreſsam adoleſcentiae rudimenta, iuuenili ferocia exultantem, ignaram obſequij, comiter atq; hilare habendā eſſe cenſebant inter ſtudia ſapientiae, & vitiorum neceſſitates quas ſecum ipſa affert.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimus.

PER haec pacis opera, Vicecomites, in medio belli diſcrimine, cùm famam ſibi inter ciues, & apud exteros ingentem quaeſiuiſſent, munierant etiam interea ſeſe magnarum domorum affinitatibus, quae apud principes vincula laxantur adſtringunturue dominationis vtilitate vel damno; tantique ſunt inter eos neceſsitudines iſtae connubiorum, quantũ ortæ in diem cauſae momentũ fecere. Quippe, ſi nullis aliorum exẽplis ea regiorum animorũ ſpectata ſæuitia eſſet, poterat generis huius celebre documentum fieri ipſa Vicecomitum domus, cui grande ſubſidium inſtrumentumque rerum matrimonia petebantur, dein extincto primae gratulationis calore, odia tantùm ex affinitate & mutuae fraudes manebant. Catharinam Matthaei

thaci iunioris filiam Vgolino Gonzaghae deſp ondè-
runt adhuc infantem, pariq; aetate filia Franciſci Car-
rarienſis eſt diſponſa Marco Bernabouis filio item in-
fanti. Priori matrimonio dotem dixere pagos, & op-
pida nonnulla; quid ipſi ab Carrariēſe accepiſſent, in-
certum fuit: dies nuptijs vtriſque eſt dicta cùm pri-
mùm infantes adoleuiſsent. Aliud etiam puerile ma-
trimonium feſtinauere, pactâ Montisferrati Demar-
cho Mariâ Galeatij filia quadrienni, tamquam ad fi-
niendas veteres cum ea domo inimicitias vnicũ puel-
la illa placamen foret. Maiorque ſponſa, & præſi-
dium domui maius ex Gallia aderat Iſabella Regis ſo-
ror nupta Ioanni Galeatio Galeatij f. præter regij ſan-
guinis gloriam, dotem quoque ferens, qua Viceco-
mites in Galliam vſque opes protulere. Nam ſo-
roris ſuae virum Rex Carolus Comitem Virtutum ap
pellabat; qui titulus, & dynaſtia ſecuta maritum eſt;
cætera matrimoniorum cōpendia, quae petita erant,
irrita fuerunt, ſiue etiam in contrarium cecidere, cùm
ſcilicet ipſaemet quaeſitae res, incitamenta irarum, &
cauſae bellorum fierent. Maria Galeatij filia, quae Mō-
tis Ferrati Demarcho ad placandas inimicitias pacta
erat, ſtatim mortua acrius de integro odium in ea par
te excitauit, eruperuntq; irae, quas interiecta pauliſ-
per infans morata erat. Et affines reliqui, vno om-
neis animo conſilioque, poſt habita re vxoria, ſepoſi-
toque procul ab omni bellica conſultatione mulier-
cularum reſpectu, iunxere cũ Ægidio Cardinale Ro-
manoq; legato arma, poſtquam Vicecomites vrbi

Bononiae recipiendae acrius inſiſtebant; tantoque promptius iunxere, quia connubiorum tunc denique artem intelligebant. Fallaci ſe ſe neceſſitudine comprehenſos fuiſſe, & illigatos, vt ad eum tantae capiẽdae vrbis conatum obnoxij immobileſq; haberentur. Itaque, nuptiarum fœdera feminis relinquentes, ſtrenue bellum in Vicecomitem vtrumq; parabant; domumque eam, unde vxores, aut nurus acceperant; dederantque viciſſim, parati erãt delere, dum metuũt, ne nimium ipſa attolleretur. Paribus in generos ſoceroſque animis, Bernabos, & Galeatius, cognita eorum aduerſus imperium potentiamq; ſuam inuidia, quoniã ſummis humanae beneuolentiae pignoribus eos conciliare non potuiſſent, coercere magna aliqua clade geſtiebãt, obliti puellarum, quae ipſae, oblitae paterni tecti, tecta potius reſpiciebãt ea, in quæ venerant iam, vel in quae iturae ex pacto fuiſſent. Metropolis verò ipſa, & vrbs Mediolanum, Ambroſianaque hæc Eccleſia, cùm paulò antea, laetitijs, & publica propter eas nuptias gratulatione exultaſſet, ſimilisue fuiſſet exultanti, repentino propter mutata omnia luctu miſerrime conflictabatur. Nam, & manente Sedis Apoſtolicae indignatione, dirae manebant adhuc, & tamquam in damnatam execrabilemq; gentem, hoſtium iniuriae feliciter nimium, & abſque vlla mutua ipſorum clade procedere incipiebant. Iniuria, & clades illata per hoc tempus Inſubriae terris, & agro Mediolanenſi grauiſſima fuit illa cùm Anglorum copiae truces ingenijs & irritata ſaeuitia,

quòd

quò l Gallico bello ſtipendia nulla ab ſuo Rege acceperiſſent, oſtentante prædam inſtiganteq. animos Sabaudo, irrupere. Vaſtata per eos, & direpta omnia tam immanibus modis, vt dubitari poſſet, rapiendi ne magis libidine veniſsent, ac ſæuiendi in corpora, poſtquam nihil erat vltra quod raperetur. Alexandrina via populabundo agmine ingreſſi Longobardorum fines, abſque diſcrimine vllo, miſtam virorum, & feminarum, & teneræ, grandiſue ætatis, ſtragem edidere quacunque inceſſerunt. Quæ non poterant auferre, fracta, & comminuta coniiciebant in caeſorum aceruos; & vbi ad Monaſterium fortè deuenerant aliquod, ſi corpora erant opportuna turpitudini, fœdabantur; niſi libido ſaeuitiam morata erat, squalida, contemptaque ora puniebantur nece. Et cõſtitit, trucidatas eſſe nonnullas, poſtquam ſub barbara inhoneſtate ingemuerant. Ea barbarica irruptio fulguris pene inſtar eſt peruagata Mediol. agrum; ac ſicuti ſui aduentus famam copiæ illae Britannorum anteceſſerãt, ita noſtros apparatus vitauere celeritate eadem, cùm, & ex agris, & ex vrbe aduerſus eum hoſtem armati ad ſigna cogerentur, adeoq; terror ipſis inſtitit moenibus vrbis, vt Gallaratum, & Setonum cincta muris loca nudarentur, ne barbari arces ſibi eas occuparent. Iam enim, & Caſtrum nouum in Derthonenſi agro, & Romagnanum in Nouarienſi, & alias alibi arces occuparant, in quas collata, deinde præda omni ſimul abdidere ſeſe ſubſidium non leue fœderatis, & formidabile

dabile momentum ijſdem, ſi gens pretio venalis, & amica plus offerenti, trãſiret in partem alteram, ſicuti poſtea corrupti per Galeatium tranſiere. Nunc, & barbari timebantur ex vicinis Metropoli caſtellis, & quotidianae municipiorum, oppidorumq; defectiones timorem augebant, improſpero ſimul omni fere Mediolanenſium conatu, quamcunq; in partem arma Vicecomites tuliſſent. Defecere Vogherienſes, & Caſalenſes, & Garlaſchum, & Sala, & loca alia, non quidem ſuo nomine, ſuiſque viribus vnquam aeſtimata ſupra locorum humilium vilitatem; ſed tanquam in aegro corpore, quicquid aggrauaret, maius quám pro re ipſa damnum periculumq; habebatur. Et vulnerabat maxime animos, quòd ad Montisferrati Demarchum ea loca deſciuiſſent, quae ſemper inimica domus auxerat viciſſim odia, poſtquam, mortua, ſicut dictum eſt, infante, a primis humanæ beneuolentiae vinculis, ad vltimas mutuarum inſectationum acerbitates laxati inſtinctique animi erant. Guelfi Brixienſes etiam ad Demarchum eundem ceteroſque fœderatos vrbem vertere eam conati, manifeſteque rebelles, hoc ipſo victoriæ ſpeciem habebant, quod poterant aliquandiu pugnare cum Metropoli. Victi ſunt, non tam ab exercitu noſtro, quàm orta forte peſtilentia, quę adſidentes mœnibus fœderatos abire inde coegit. Sed accepta mox ad Mutinam clades documento fuit, nequaquam Mediolanenſium cauſa id malum hoſti diuinitus fuiſſe immiſſum, ſicuti propter ipſius rei opportunitatem inter-

preṫati

pretati erant. Namq; caeſa ibi magna exercitus parte, Bernaboue pene oppreſſo ipſo, captis primoribus vrbis, intelligere potuerunt, arcano fortaſſe alio diuinae prouidentiae nutu tabem eam excitatam nihil ad ipſorum commoda pertinuiſſe. Mediolani interim congruentia omnia tam infauſtis rebus erant; ſummaq; ciuium voluptas ſpectandis eorum ſuppliciis, quorum domeſtico latrocinio vaſtata Ciuitas erat, dũ foris bella haec gerit. Picardonus Vaſallus, qui per nomen munuſq; curandi rationes principum, afflixerat multas innoxias domos, pecuniamque ſibi ingentem fecerat, extra Portam Ticinenſem ad Vigintinum, fractis laqueo ceruicibus e furca pependit. In alia calcitrauit furca Gherardus Bruſatus; ſatelliteſq; & Scribæ ad quinquaginta, effoſſis oculis, dimiſſi per vrbem, cœno, fuſtibuſq; obruebantur, permiſſâ hac licentia plebi, ſolatioque ob latrocinia, & fraudes, quas ab illa hominum fæce perpeſſa erat. Dederat Bernabos ea ſolatia vrbi, poſtquam amiſſo ad Mutinam exercitu, perculſis omnum animis, ſeditio fortaſſe nonnulla timebatur. Paullo poſtea, Britannorum copiae, quas fœderatis aduerſus Vicecomites adiunctas fuiſſe demonſtrauimus, oblata per Galeacium ſtipendij largioris illecebra, quàm quod inde accipiebant, alienantur, & militiam relinquere ſeſe ingratam dictitantes, tranſtulere ſigna in partem cui terrori ad eam diem fuerant. Hos caſus alternante bello dimicabatur inter Pont. max. & Vicecomites; atque propter id certamen Italia fere tota in armis erat, dum

Bono.

Bononia defenditur aut oppugnatur, dumq; vrbem eam, in hac vel illa manere parte, principes ceteri, vti le ſiue aequum cenſent. Anno octauo, poſtquam id bellum ſuſceptum initumq; erat, pacem iniere in has leges. Traderet Bernabos caſtella omnia & arces, quas in Bononienſi agro captas haberet. Pontificis nomine viciſſim ei perſoluerentur quingenta millia florenorum nummûm. Ea peccuniae ſumma donec perſoluta decem penſionibus eſſet, Vrbs Bononia teneretur ab Arduino Cardinale Cluniacenſe, neque Bernabos praeſidia deduceret ex arcibus & caſtellis, oppidiſue, antequam pecunia pernumerata eſſet. Si qui captiui Mediolanenſes, aut ſi quae Vicecomitis arces in poteſtate Pontificiorum eſſent, eae arces, iique captiui reſtituerentur. Ante omnia redderetur vrbi Mediolano ſacrorum vſus, omneq; interdictum tolleretur, & ſuo ritu legitime, ac iuſte frequentaretur Eccleſia Mediolanẽſis, manerẽtq. Metropoli Ambroſianae iura omnia quæcunq; antiquitus fuiſſent. Earum rerum cauſa Cardinalis ipſe Arduinus Mediolanum venit, connixo ſuis etiam opibus Vicecomite, vt Legatus Apoſtolicus quam magnificentiſſime acciperetur. Exhibiti publice ludi, conuiuiaq. & certamina equeſtria, in quibus, atro candidoque colore diſtincti equites, atque in duas turmas diuiſi iucundum Legato ſpectaculũ praebuere. Cumque per eos forte dies auctus filiola Vicecomes eſſet, optauit vt ea per legatum eundem ſacris lymphis ablueretur; annuitque ipſe, & ſancto illo

pignore

pignore priuatim etiam inter eos amicitia conciliata eſt; glorioſa & iucunda cuncta in põpam magis quàm fida, & duratura. Quippe tota etiam legatio, & mutuo conſenſu ſcriptae conditiones irritae futuræ erãt: neque ſatis conſtat inter ſcriptores, vtrius partis culpa fuerit in diſſoluenda pace, quæ certe diu non manſit. Bernardinus Corius, ſimplicitate magis equidẽ arbitror ſua, quàm adulatione in Vicecomitum genus, aut in res Eccleſiaſticas maleuolentiâ, Clericorũ fuiſſe culpam ait; eos poſt habentes vtilia rectis diſceſſiſſe à conditionibus, & coalitam pacem ſine cauſa abrupiſſe. Sed potuit fortaſſe conferri iuſtius id ipſum in Vicecomites ipſos, quos auiti ſpiritus, & domeſtica exẽpla quidlibet audendi, Matthaeus & Ioannes, per dominationis inſaniam culpis erga ſedem Apoſtolicam hereditarijs iſtis aſſuefeciſſent. Vrbem namque eam Bononiam ab Archiepiſcopo patruo interceptam vſq; poſſeſſam perdidiſſe ipſos culpã fore quandam ſcilicet inexpiabilem, ſibiq; & maioribus ſuis turpe flagitium exiſtimabant. Hinc illa erga Sedem Apoſtolicam leuitas & contumacia, contemptuſq; pacis & conditionum omnium, quaecunque vrbis eius imperium aliò transtuliſſent. Ita dominantium inſaniâ, Mediolanenſes, poſt exigui temporis pacem, in bellum rurſus coacti impium infelicia arma retinebant, ne modeſto vnquam otio & Catholica tranquillitate frui ciuitas poſſet. Domus autem ipſa Vicecomitum, quam olim coerceri Reip. Maieſtate non difficile fuiſſet, iam ciuium indulgen-

tiâ, conditione temporum, artibus ſuis, ſupra Remp. euecta erat. Atque faſtiditis nunc aequalium Regulorum affinitatibus, quae notis inter pares miſerijs aemulationeq. & liuore, & vbi periculi tempus veniſſet, manifeſtâ perfidia corrumperentur, ad matrimonia diuerſa quaedam adiecerant animos, quibus initis, neq; fraudem ab maritalibus familijs, neque ſub earum tutela vim ab alijs timere vllam poſſent. Namque cum Auſtriacis Archiducibus in Germania conſociauere ſanguinem, quae Domus incorruptae nobilitatis fons, Caeſarum Regumque procreatrix, grauida imperijs, ſatura gloriae, ſinceram amicitiae fidem & vndiq; ſecuritatem ipſa ſui nominis magnitudine polliceri videretur. Virida Bernabouis filia data eſt Leupoldo Alberti filio, cuius matrimonij pignus, non ad praeſentis modò fortunae ſtatũ, ſed in futura quoque ſecula praeſidium domui fuit. Inde enim ortus eſt Erneſtus, Erneſto Federicus Imperator, Federico Maximilianus, ab cuius ſtirpe prodijt Imperium, quo nullum vnquã fuit maius inter homines, ſi orbis vtriuſque ſubiecta ei hodie Regna numerentur. Alia Bernabouis eiuſdem filia Thadea nomine nupſit Bauariae Ducis filio, viciſſimq. nurum ſibi Bernabos ex ea domo petijt, vel mortua interim vel ſpreta Carrarienſi puella, quae filio eius Marco deſponſa prius fuerat. Violantam Galeatij filiam Lionello Angliae Regis filio dederunt; eaq; matrimonia, nõ ſicuti priora, vanum ſine exitu, ſine mutua caritate nomen fuere, ſed fida & cũ ſuo quodq; fructu ob partis alterius,

&

& Auſtriacorum praecipuè magnitudinem, qui minorem domum, poſtquam ſibi iunxerant, volebant etiam eſſe ſaluam. Et vrbs ipsa, partim laetabatur adiunctis ſibi per matrimonia tanta praeſidijs, partim, vt exiſtimo, occulte anxia erat nimiam principum domui acceſſiſſe confidentiam videns. Qui laeti, quiue ſoliciti erant, certatim omneis plauſere nuptijs eiuſmodi; ſpõſæq. dũ ad maritos deducũtur, ſiue accipiũtur in vrbẽ, exhauſit ex priuatorũ domibus adulatio quicquid fere quotidianae & aſſiduæ bellorum neceſſitates, tributaq; & hoſtiles incurſus reliquum feciſſent. Volebant enim, & vrbem, & ipſos, quamſplendidiſſime apparere, ſiue luxuriâ, ſiue magnanimitate, quae propria ſemper populi huius fuit; prouocabantq; ſumptuum & opulentiae certamen Regna prouinciaeque huc alienae nuptiarum earum occaſione confluentes. Rodulphus Leopoldi patruus, magno Germaniae procerum ornatiſſimoq; comitatu cùm Mediolanum ad viſendam ſpõſam, & firmanda pacta veniſſet, ibi eſt mortuus, & in D. Ioannis Aede ad Concam illatus tumulo non ſine funeris honore, quem, & hoſpitij comitas erga principem externum, & Auſtriaci nominis magnitudo poſtularet. Et ſponſa quidem illa in Germaniam poſtea deducta eſt, cingentibus latera, hinc patre, hinc patruo, totaq; proſequente nobilitate Mediolanenſi, donec ad prouinciae fines egreſſi Auſtriaci puellam excepere. Ad Violantam verò Galeacij deducendã profectus Mediolanum ex Anglia Lionellus, cùm In-

ſulae Regniq; fere opes in vrbem tranſtuliſſe diceretur, haud tamen eius aduentus vtilis Metropoli fuit, volentibus ſcilicet noſtris etiam oſtentare plura, & pugnare cum barbarico illo faſtu. Ad Templi maximi valuas nuptiale ſacrum fuiſſe peractum tradunt ab Epiſcopo Nouarienſe, poſtquam is in Ara maxima ſolenni ritu perlitarat; Bernabouem patruum puellæ digitum tenuiſſe dum ab Epiſcopo illo annulus ritè inderetur. Epulum in Arenæ Aula fuit, tanto apparatu, tantaq; ferinae & manſuetae carnis pompâ, vt ſingula fercula ſinguloſq; miſſus dignos hiſtoria iudicauerint qui res eius aeui litteris prodidere. Nos potius indignati ſumus, multumq; miſerati patriae vicem, cùm eos luxuriae annales inſpiceremus. Scilicet, ſolidos apros auro gemmisque diſtinctos, & altilium omne genus cum ſua quodq; caelatura, & coronamento illatos menſis, cùmq; ordine cuncta inferrentur, ſimul inducta in aulam multa deinceps venaticorum canum paria, vt noſcerent conuiuae moloſſos pecudum earum laniſtas, quas ipſi lancinarent. His ipſis aurea ſubligacula gemmatasque bracchas, & torques, & collaria ſiue millos, pene, vt canibus fortunam in qua incedebant, conuiuium omne inuidere cogeretur, cùm nihilo parcius exculti viri fœminæque eſſent. Ampliorē equorū ornatū, qui dorſo impoſita fercula deuehebant in conclaue, rurſusq; fulgentes magis atrienſes, qui iumenta ipſa tenebant ſatis. Centum amplius equos, vt quique induſtii erant, dono datos à Principe cū phaleris ephippijsq;
ſuis,

ſuis, quorum precio iumentorum greges emi potuiſſent. Duos eximiæ ſpecie ſonipedes eſſe inductos, quorum alterum, ex ferocia leonem, alterum Abbatem appellarent. Condere annalibus haec iuuit. Aulae quoque principes, miniſteriumq; totum & diſcumbentium ordinem, ceteraque pompae & conuiuij eius tradidere. Vbi, cùm Nouarienſis Epiſcopi nomen inter alia conuiuarum nomina perſcriptũ extet, credere cogor nullũ hoc tẽpore Mediolani Archiepiſcopum fuiſſe; niſi ſi fortè erat, & propter iratum rei Bononienſis cauſa Pontificem, dexterè ſeſe ſubducebat, ne coetibus intereſſet eis, vnde labes ad ipſum aliqua perueniret. Id vt potius credere velim, adducor, quia quadriennio ante, Roberto Vicecomiti, poſt ſeptimum Pontificatus annum in Eccleſiae Mediolanenſis adminiſtratione Gulielmus Puſterula ſucceſſerat, cui nouem anni tribuuntur in Archiepiſcoporum faſtis, neq; nomen eius inter negotia tamen vlla reperitur. Ceterùm, non erant omittenda nobis ciuium nomina, quos ad matrimonia illa concilianda, Bernabos & Galeacius, internuntios adiutoresq; habuerunt. Fuere autem, Manfredus Salutius & Protaſius Caimus, duo Vicecomitum Conſiliarij, quos principi vtrique ad omnia fuiſſe aſſiduos conſtat. De Salutio ambigitur, fueritne vrbis noſtræ ciuis, an familiaris tantummodo principum, & alienigena caſu fortè aliquo ſecutus hanc aulam. Caimus ex Germanicae originis familia iam inde ab Conradi Imperatoris, & Archiepiſcopi Antimiani temporibus

profecta

profecta in vrbem, & ſæpe aliâs apud principem optima quaeque ſuadendo profuerat huic patriae, & nunc ſubſidium aduerſus externa arma exiſtimans vrbi fore opportunum, ſi principes ſui cum Auſtriaca domo iungerentur, magnopere contenderat vt id fieret, originis etiam commendatione delectus qui ſuper ijs rebus in Germaniam legaretur. Duos hoſce, Salutium, & Caimum vnà cum Bernaboue & Galeatio obuiam proceſſiſſe venienti Anglo refert ſcriptor, qui ipſe in parte pompae fuit. Ceteri deinde, quo quiſque cultu & ordine inceſſere, ab ſcriptore eodem recenſentur, Franciſcus Zanchadius, Dominicus Ardizonus, Iacobus Preuidus, Gaſpar Viceſortes, Zanolus Armenulphus, Ioannolus Biragus, Henricus Comes. Capita haec Mediolani rerum, & conſilium principi vtrique intimum fuere, quas hodie familias, excepta vna, vel altera, arbitror poſſe noſtris hominibus irriſui eſſe propter cognomina inaudita appellationesque abſurdas, quæ ſepulta iampridem omni domorum gloria & ſtirpe, nunc ſcilicet ad breue momentum ex diuturni ſilentij caligine prodierunt. In haec ſpectacula effuſa ciuitas, dum fruitur ſimul abſumiturq; nuptiarum apparatu, non ſenſerat interea molem apparatumq. belli, quod Vicecomites adornabant, quodq; viciſſim ab alijs in ipſos adornabatur. Namque, dum commeant ſuper nuptialibus eis negotijs crebræ legationes, dumque principes etiam inter ſe ipſi cũ noſtris alieni congrediuntur, tranſacto paucis, quod ad puellam & dotem attineret, omnis arcani

colloquij

colloquij pars maior fuerat id bellũ. Ac ſuper menſa etiam, de ſuis, aut hoſtium viribus, de locorum opportunitate, regionum ſitu, principum animis, quae fida, quaeue infida, quid toto orbe validum aut aegrũ differendo oblectarant ſcyphos produxerantq. conuiuij horas. Nec ſegnius in parte altera conſultabatur. Sedens Auenione Pontifex Vrbanus conuentum ibi principum habebat, ad delendam Vicecomitum tyrannidem, vrbemq; Mediolanum vná cum Italia tota liberandam. Et excito illuc inter ceteros Carolo Caeſare, donis eum, atque promiſſis ingentibus armauerat ſecum. Vicecomites, re ſtatim conſtituta Genuenſi, initoq; cum Rep. illa fœdere, nequid negotij ab ea parte reliquum domi eſſet, Britannorum copias educunt, partemque Latij peruaſtant. *In* ea populatione, Ambroſius Bernabouis ex pellice filius, & nobiles aliquot Mediolanenſes, qui cum eo barbaras manus ductabant, in cauam forte vallem illati capiuntur. Hinc accenſi ab vtraque parte acrius animi; Pontifexque Vrbanus progreſſus ab Auenione Viterbium, dimiſſis per varia Inſubrum loca Cardinalibus, ad Vicecomites eijciendos tota vi incumbebat. Simul aderat Cæſar ipſe exercitum ducens gloriae praedaeque auidum, tantoque ferociorem, quò maior apud eas gentes erat fama Inſubriae opũ, & quanto pulchrius hoc ipſum eſſe putabant, quod ad liberandam Italiam ducerentur. Hac copiae, cùm ſeſe Pontificijs ceteroque fœderatorum exercitui iunxere, Mediolanenſes in agro Mantuano Ferrarienſique

ſique

ſique bifariam diuiſi erant, praecipuâ Vicecomitum in duas illas vrbes irâ, propterea quod, ab Gonzaga & Eſtenſe Pontificem Vrbanum in ſua damna maxime fuiſſe inſtinctum ſcirent. Mantuam, vſque ad portas vrbis graſſati ignibus & ferro conterritam direptionis metu habebant. Ferrarienſium naues Pado amni ſubſidio Mantuanis euntes exceperant inſtructa & deducta ad Guaſtallam claſſe, quae prope maior fuerat clades, quàm prior alia terreſtri Marte illata cum deſperatione omnium & luctu. Extructo etiam ad vicum fortem Caſtello, obſidebát, haud dubie potiebanturque flumen. Id capere caſtellum Caeſariani primùm omnium conati cùm vi aperta nihil efficere potuiſſent, obrui poſſe munimenta illa ſperarunt, ſi diſiecta mole, qua non longe inde coercebatur amnis, aquae repente omneis immiſſae ac ſuperfuſæ eſſent. Intumuerat enim per eos dies imbrium auctu Padus, & proluuies illa repentina vndarum, exercitu ipſo violentior futura erat. Sed noſtri ad eius periculi caſum attenti vim fluminis ingruentem vertêre in adiacentes campos, merſaque humo ipſa Caeſarianorum caſtra turbauere. Initia belli haec neutri parti læta eſſe poterant; quippe, cùm Mediolanenſes praeter armatam fere totam in ſe Italiam, duo capita rerum humanarum Pontificem & Caeſarem imminentes ſibi hoſtes viderent; his dubium cruentumque exitum portendere viderentur principia rerum, vrbs nunquam plane victa, ſubnixi principes regum opibus, contumax aduerſus clades fortuna

Vicecco-

Vicecomitum. Et erant in vtroque exercitu, ſicut armorum inſtigatores & cupidi praedae multi, ſeditioſi & egeni etiam ex principum numero, ita meliores alij, neque praedam ſibi quaerentes vllam, neque probantes illa arma, ſed officio erga Pontificem & Caeſaré, patrijsue legibus, & veterũ fœderũ neceſſitate tra ɑ̃ti in id bellũ. Cum Bernaboue Senatores ex vrbe aliquot, & ex Mediolanenſi Clero grauiſsimi viri Ciuitatis, quorum ille conſilio vtebatur: cum Caeſare Bauarus & Auſtriacus, qui licet ea caſtra ſequerentur, recẽti affinitate proni in Vicecomites, hortamẽta ſtimuloſq. pacis ex quotidianis caſibus arripiendo mitigabant ſuos, nec magno negotio, horum opera, tanti illi vtrinque fremitus, & apparatus pauliſper cõquieuere. Induciae, tamẽ erant potius quàm pax ipſa, dũ ſcilicet Pontifex & Caeſar controuerſa quaedam capita deciderent, quorum arbitrium & cognitio ipſis permiſſa erat. Et poſt aliquot inde menſes, quia coeperat apud Vicecomites ſuſpecta eſſe cunctatio iudicij eius, ſumptis iterum armis, & facta in Mantuanum agrum impreſſione, ſubegere terrore arbitros, vt res eas, quae in controuerſiam vocabantur propere definirent. Vt verò edita de controuerſis illis capitibus ſententia, Pontifex & Caeſar, nihil de Bononia, quae prora, & puppis erat omnium rerum, explicauere; tunc Vicecomites, abſque vlla pacis, ſiue induciarũ verecundia, tentant rurſus Romanum impudentiore arte, quàm ſi bello aperto aggrederentur. Cùm enim Peruſiam vrbem Pontifex Maximus acerrime

oppugnaret, eaque vrbs non poſſet iam vllo modo euitare Apoſtolicæ Sedis vim, miſſa ſunt ab Mediolano auxilia obſeſſis, datumq. famae, tamquam *Ioannes* Acutus, accepta ab Peruſinis pecunia, copias, quibus ipſe praeerat, & Britannum præcipuè militem tranſitione ſua illuc auertiſſet. Huic dolo mox alius ſubnectitur dolus ab ijſdem animi ſtimulis, quòd permiſſo hoſtibus ipſis arbitrio de rerum ſumma, excidiſſent eius rei actione & iure, propter quam iniuſtis cuncta armis turbarant. Sperauerant enim, cùm inclinatis ad pacem animis arbitros ſumerēt Pontificem & Caeſarem, poſſe per Auſtriacum, & Bauarum effici, vt Bononia ſibi ab illis adiudicaretur; & per colloquia fortaſſe occulta inter eos ita conuenerat. Quae ſpes vbi irrita fuit, gerebant Vicecomites aliud occulte bellum; callidaque conſilia & improbi aſtus erant nunc caſtra ſcilicet aciesque contrariæ, donec etiam ad iſta rediretur. Poſterioris autem doli Vicecomitum, vnde Mediolani ad arma bellumque cum Pontifice Maximo reditum eſt, ordo exitusq; fuit huiuſmodi. Lucam vrbem Cardinalis Bononiae Legatus vicaria poteſtate tuebatur, ob ciuiles, credo, bellicaſque artes, & prouidum animum electus, qui in magno rerum Italicarum diſcrimine ei vrbi praeeſſet. Multae ibi opportunitates, & apta omnia Vicecomitum conſilio, quo nihil in Italia relinquere ſibi intentatum volebant. Nacti ea in vrbe proditorem Aldericum Lantelminellum, ita cum ipſo rem inſtituerunt, vt eius ſimulatione pacis & gratiae, quam cū

Apoſtolica

Apoſtolica Sede reconciliatam habere viderentur, mitterent Lucam octingentos equites cum duplici peditum numero ad Legatum, tamquam ſubſidio aduerſus Florentinos, cum quibus bellum graue & difficile Romano erat. Auxiliares illae copiae ſtatim vbi intra mœnia acceptae diuiſaeque eſſent, tunc verò Lantelminellus, vti gnarus locorum opportunitatumque omnium, & acceptus homo nobilitati iuxta, & plebi, dux fieret ad vrbem, Vicecomitum nomine capiendam atque occupandam. Egregie dolus hoc ordine inſtructus fuerat; ſed proditor translata repéte fide illuc vnde pretium ſperauerat fortè maius, Legato dein ipſi cuncta patefecit, nudatiſq. ita animis diſceſſum á fraudum ſpe, belloque aperto, ſicut antea, dimicatum. Pontificis Vrbani tamen obitus moram breuem attulit eis armis, interimque Mediolanēſis exercitus quacunque ductus erat, varia fortuna rem geſſit. Caſalem, & Valentiam & pleraque Mirandulani tractus cepere, multiplici intra paucos dies & inſigni victoria, non tam ob loca ipſa, quae capta erant, quàm quia magni & aeterni hoſtes, Montisferrati Demarchus, & Feltrinus Gonzaga, & cum Ferrariæ Demarcho, nonnulli alij clade ea ſubacti eſſe videbantur. Sed Feltrinus, ad Rhegium, vbi ſe vrgeri acrius vidit, accitis ab Ferraria & Bononia auxilijs, pene oppreſſit noſtros; vrbemq. eam, paulo poſt, idem, dum aduerſus Ferrariae Demarchum defendere nequit, maluit dedere Bernaboui, vt hoſtem potius hūc ibi dominantem videret. Ludouicus Gonzaga Man-

Digitized by

tuæ Demarchus,& Manfredinus Saxoli princeps,poſt Vrbani mortem, & harum rerum euentus,relicta fœderis ſocietate pro Mediolanenſibus ſtabant. Duplici eo exercitu ad noſtrum adiuncto, Mutina oppugnabatur. Corregienſes,iam ſpreto Ferrarienſe ad nos deſciuere, præter obſcuriores alias dynaſtarum ad Metropolim tranſitiones,inter quos,Salucianus ad quotidiana certamina impar Sabaudienſi,petito hinc ſubſidio,quicquid virium & opum viciſſim ipſe habebat, detulerat ad Bernabouem. Rediere ad obſequium Nouocomenſes,& Vulturenae vallis pagi,totaq. illa lacuſtris, aut alpina regio, cùm antea conſternati ad arma, rupibus ſeſe ſuis, ipſoq; conuallium receſſu aduerſus imperij maieſtatem tutarentur. Per Romani quietem belli,incrementa hęc Mediolanenſium rebus accedebant,eoque ſpatio nouae arces excitatæ, aut veteres firmatae paſſim, ad Tritiũ nempe, ad Decium,ad Senagum,ad Melinianum,ad Cuſacũ, & ad loca alia, vel in prouinciae finibus, vel in media prouincia,atque ſub vrbem ipſam, prout ſcilicet alicubi, vel ab hoſte vicino diſcrimen, vel ab inteſtina rebellione metus, vel etiam opportunitatibus iuncta iſtis amoenitas ad principum oblectamina, quibus illi carere nolebant inter maiores curas. Compreſſum aliquandiu bellum vltra differri non poterat, delato poſt Vrbani mortem ad Gregorium vndecimũ Pontificatu, qui,quò placidior mitiorq; ingenio erat, tanto magis accendebat quiete ſua Vicecomitum audaciam,& viciſſim ipſe ſtimulis increpantium quoti-

die

die eorum facta, irritabatur. Ita anno cIↃ ccc lxxII. Iunio ineunte, exercitus duo, Pontificius & Mediolanēſis, haud procul ab Saxolo (Robera loco nomen eſt) oppoſitis caſtris, ſicut ab Imperatore vterq; ſuo educti inſtructique erant, conſtitere. Ab Eccleſiaſtica parte, rerum ſum̃a penes Franciſcum Folianeum fuit. Regebant Metropolitanos, Ambroſius Vicecomes Bernabouis filius, & Ioannes Acutus, noti iam ſatis in hiſtoria homines, & alio loco producti, ſicuti res tulit. Primo conflictu vicêre Mediolanenſes; & poſt eam victoriam, ductis ad Rhegium captiuis, Romanus Imperator, neſcioqua Bernabouis ira ſuſpenſus e muro exanimatuſque eſt infami etiam apud gregarios milites & abominando fine. Spatio deinde menſis vnius, reparato Legatus Apoſtolicus exercitu, & alienato à Vicecomitibus Ioanne Acuto, coactiſque per Sabaudienſem & Ferrarienſem eis diuidere circum varia loca milites, Parmam, Rhegium, Placentiam, Vercellas, Nouariam, Ticinum, aut in poteſtate habebat, aut premebat damnis & terrore populationum. Vt verò Sabaudienſis, & Ferrarienſis, & cum Eccleſiaſtici exercitus parte, Luchinus Nouellus, traiecto Ticino, ad Modoetiam vſque cuncta peruaſtarant, deficientibus paſſim ab Vicecomite Guelfis, nemo erat fere, quin de furtiuo illo imperio, ſiue, vti tũc appellabatur, tyrannide Vicecomitum eſſe actum putaret, quo ſucceſſu Pontifex Gregorius aucto animo, vi maiore eſt amplexus liberandae Inſubriae gloriam; atque in eam rem, qui capere ſecum arma vellent, his

omnium

omnium noxarum plenam,& Apoſtolica indulgentia ſalutarem veniam conceſſit. Vicecomites ipſi viciſſim aduerſus eum terrorem armauere populum, Clerumque adeò ipſum agere excubias, & ad omnia belli munera eſſe paratum iuſſerunt. Tantus inceſſerat metus,tantaque rerum perturbatio, vt templa arces fierent, & cum ſago teloque conſpici Sacerdos nemo erubeſceret. Me ſanè pudet iam hoc ipſum narrare quòd Clericorum noſtrorum acies contra Romanos exercitus armaretur, nec ſatis eſſet, ea militia reliquã foedari ciuitatem,niſi ſacra etiam quodammodo ipſa principum furore in aciem educerentur. Non autem interea praeliorum exitus erant alij, quàm quos eſſe oporteret, vbi contra Pont. Max.pugnare cogebantur ijdem, qui in acie potius illa ſtare deberent & vellent; ſicque reddita Mediolanenſibus & Vicecomiti non ſemel ea clades, quam primo ad Roberam prælio pontificijs ipſi intulerant. Monſtratur in hunc diem noſciturque locus in Brixienſi agro trãs flumen plurimo nobilitatus Mediolanenſium ſanguine, cùm eò proceſſiſſent impediendi cauſa, ne Ioannes Acutus,qui deſerto Vicecomite tranſierat ad Pontificios, coniungeret ſeſe cum Sabaudienſe,qui ſuum ſimul, & Romanum exercitum regione ea ductabat. In eo prælio,caeſis aliquot Mediolanenſium millibus captiſque qui effugere non potuerant, Ioannes Galeatius Galeatij filius aegre effugit, quin ipſe quoque caperetur. Capitur mox Ambroſius Bernabouis filius obtruncaturque ad Caprinum in Martinianae vallis fau-

cibus,

cibus, miſſus cum exercitu alio illuc in rebellanteis Guelfos, qui tamen paulo poſt ſunt ab ipſo Bernaboue domiti & ſubacti non ſine mutua clade propter montanorum animos obſtinatos vincere vel mori. Angebant iſta Vicecomitum animos, mallentq; forsaſſe quieuiſſe à principio, ne ſtirpe ab vna continuus tot malorum ordo ſereretur. At parte in altera, quamquam laeti rerum euentus, & ſecunda belli fortuna, moeſti tamen erant animi ob ſaeua & impia, & Chriſtiano indigna nomine multa, quae quotidie fiebant, nec illo ſatis cohoneſtari poterant militaris licentiae vocabulo, quo ſcelera & calamitates cunctae bellorum teguntur. Adeò exceſſerant modũ, Ecclesiæq; ſtatus, & diſciplina omnis interciderat. Praecipue torquebat Pontificis animum recentis petulantiae pudor, quae ad Vercellas in ſacrarum uirginum monaſteria debacchata erat. Namque, cùm vrbs ea, tenente arcem Vicecomite, capta ab Eccleſiaſtico exercitu fuiſſet, variarum gentium milites, inualido ad coercendum Imperatore, clauſtris effractis, corpora dicata Deo, & puritati turpiſsime contaminarant; praeter feminarum aliarum adulteria, & ſtupra, quorum tanta colluuies tunc ea in vrbe fuit, vt hiſtoria nihil ſolita mirari tale, ſemperque acceſſionem hanc omnium bellorum, veluti negotium inane tranſmittens; immorata vtique fuerit huic muliebri cladi, rẽq; deplorarit. Talia audientem armorum eorum flagitia Pontificem Gregorium haud minor habebat moeſtitia ob illud Catholicae Eccleſiae dedecus,

quàm

quàm Vicecomitum ipſorũ animos timor ob res aduerſas, & imperij diſcrimen; ſicq; paſtorali animo, & reip. cura ille, ſolicitudinibus iſti priuatis, pacem reſpexere rurſus, cui, pactae in annum induciae pignus fuere. Per induciarum earum quietem, ſaeuiora nonnulla Bernabos eſt domi auſus, quàm quae bello aſſiduo paſſi ciues erant; ac tyrannidem tunc demum vere nuncupari eam cogeret, ſi iuſtum antea legitimumque imperium diceretur. Nam quaſi inuideret ipſe quieti, & ſaluti vrbis, quae repentina, & inſperata aderat, & quaſi, non ſatis miſeriarum ad eam diem vna domus Metropoli vniuerſae intuliſſet, Martheſanae praecipue terris, memoriâ rebellium olim ibi Guelforum infenſus, Gibellinos in familiarum earum perniciem excitauit, author ſeditionum, quas reprimere potius ac ſedare debuiſſet. Inde Ciuitati etiam ipſi infenſus ſaeuire in eam coepit. Edixerat olim, ne quis occideret aprum, neue canes, & apparatum alium venandi cauſa haberet. Eius edicti nomine, & obtentu, ſpoliare fortunis, priuare vita, delere abſtirpe familias, incendere domos, & effoſſis quoſdam oculis reſeruabat in vitae ludibrium, & poenam. Quicunque enim guſtaſſet aprugnae carnis aliquid, beſtiamue ipſam mortuam ſpectaſſet forte aliqua, ſiue attigiſſet, tenebatur lege, quae de apris erat, & promptiſſima ea tyranno materies feritatis in omneis, quoſcunq. odiſſet ob alias cauſas. Alebat verò ipſe canum ad quinque millia ſũptu omnes alieno, diuiſos nempe per vrbem in hoſpitia, quomodo

milites

militēs diuiduntur. Centuriones, & tribuni cohortium earum erant: luſtrabantur venaticae copiae ſingulis menſibus; inſpectioq. ea magnum principi vectigal erat. Nam, ſiue quis moloſſus arguerat macie ſua hoſpitis illiberalitatem, ſiue largiore nutritu inutiliter pingueſcebat, irrogabatur multa altori, & ſeuere exigebatur. Et tributum ſimul aliud centum millia florenorum nummûm Vicecomiti huic miſere obnoxia Ciuitas in ſingulos annos ferebat. Cauſabatur ipſe graues bellorum impenſas, quibus exhauſtus nimium attenuatuſque eſſet. Vbi pauliſper conſtituiſſet domum, depuliſſetq. miſerias rei familiaris, & vulnera pro communi ſalute accepta ſanaſſet, tunc ciuiū quoque fortunis, & immunitati large ac prolixe conſulturum. Lenitas, & manſuetudo verborum hæc erat, interimq. duos Franciſcanos minores, qui miſerati patriae calamitatem, auſi fuerant ipſius auribus ad diuini iudicij terrorem inſuſurrare nonnihil, percitus ira damnauit, vt igni cremarentur, & cremati ſunt ficto crimine tamquam haeretici ipſi eſſent. profectò, ego magnopere indignor, & eos qui tunc erant homines, multo magis indignatos eſſe exiſtimo propter caſum hunc in Rep. Mediolanenſi nouū & atrocem, ut nepotes Vberti, & *B*ertae ab Maſſino pago, & Canonico, dein Archiepiſcopo Othone profecti, nobiliſſimae, & antiquiſſimae Ciuitati ſic inſultare poſſent. Atque indignari tamen id ipſum magis, quàm admirari licebat, reputantes ſcilicet minime diuerſos alios clariſſimarum rerump. Imperiiq.

praeſertim Romani caſus, iam inde ab aduena Tarquinio, & Seruio Tullo, qui dominari potuere in vrbem, cuius inquilini, vel ſerui erant. Etenim celeſti ſemper nutu, & immutabili Diuinitatis prouidentia, per inania haec, & apud mortalium animos abſurda paratur in longum dignitas & ſalus vrbibus ipſis, ſicuti quidem vrbi noſtrae quodammodo parata eſt, cùm ab eiuſmodi principatu fundarentur opes, quarum reliquiae diuiſae poſtea in mille poſterorum domos alunt hodie nobilitatis florem, magnanimoſque Vicecomites, vel pace, vel bello ornamenta Inſubrũ. Pactis, vt dixi cũ Apoſtolica Sede inducijs, Bernabos inter haec tyrãnica inſtituta vitam imperiumq; agebat; et poſtquam induciarum exierat annus, impijs rurſum armis, quantum ex tuto poterat, ad vota impia nitebatur, auctus etiam ſubſidijs affinitatibuſq; nouis, & hoc ipſo uiolentior. Nam duarum filiarum alteram Federico Cypri Regis filio in matrimonium dederat, alteram Franciſco Mantuae principi; & mortuo iam Lionello Angliae Regis filio, per ſecundas viduae nuptias Montisferrati Demarchum perennem illum hoſtem ſtabili foedere iunxiſſe ſecum videbatur. Ac veluti praeſidia parans vltimo conatu, & conquirens vndique omnia, proiectior homo libidine penè, quàm crudelitate, cùm plenam adulterinae prolis domum, ſpurioſq. & ſpurias tota vrbe complures in angulis haberet, Doninam Ioanni Acuto, Eliſabetam Lucio Lando, Iſoltam Guidono Foliano cum ſua quãque dote, & viciſſim ad res firmandas vtilitate

locauit

locauit. Icto deinde etiam cum Florentinis foedere, ſeq; & Metropolim Eccleſiaſtico bello pertinacius quotidie illigabat. Galeatius cetera concors fratri & fidus, in eo tamen conſilia ſeparabat ſua, quòd habere cum Pontifice volebat pacem, & Pontifex viciſſim delectatus obſequio principis ac pietate, caſtella, & arces reſtitui iuſſerat ei quae ſuperiore bello ademptæ, Romano præſidio iam tenebantur. Moritur deinde ille, & paterni ſenſus vnà cum fortunae parte heres Ioannes Galeatius Apoſtolicam Sedem omni religione colebat. *Is* Picininam Bernabouis filiam Actio filio ſuo iungere nuptijs cupiens, cùm in ea re, conſanguinitatis vinculis impediretur, poſuit hoc Catholici principatus rudimentum, vt ſuper ea re Pontifici maximo ſupplicaret; peteretq. vt patrueles Actius & Piccinina rite legibus ſoluerentur, quae leges inire matrimonium ipſos vetarent. Preces eiuſmodi ſuas mandauit Antonio Saluzienſi, qui poſt Puſterulam Mediolani Archiepiſcopus erat. Atque, quò teſtatior eſſet illuſtriorque ſignificatio obſequij erga Sedem Apoſtolicam, iuſſit confici tabulas authoritate publica ſcriptum hoc habentes, quemadmodũ rogaſſet ipſe Archiepiſcopum ſuum, vt ſuo nomine Põtifici maximo ſupplex eſſet ad matrimonij ius impetrandum. Supplicauere vnà cum Archiepiſcopo, Franciſcus Eſtenſis, Bonifacius Coconatus, Andreas Pepulus, Philippus Caſolus, quos praecipuae per Italiam nobilitatis viros Vicecomes idem ad Pontificem maximum legarat. Aliquanto poſtea Ioannes

Galeatius ipse aliam patrui ſui filiam in matrimoniū duxit, extatq; ita ſcriptum in annalibus, Archiepiſcopum Mediolanenſem vnà cum Archiepiſcopo Neapolitano annuiſſe, vt id matrimonium rite iniretur, & vincula conſanguinitatis Apoſtolica authoritate diremiſſe. Catharina nomen erat ſponſae. Hanc, & Galeatium ipſius patruelem rite interrogatos Eccleſiae ritu, Archiepiſcopus idem in D. Ioannis Ӕde ad Concam matrimonio coniunxit. Anno altero, poſtquam id matrimonium initū erat (is fuit à Chriſto nato ſupra milleſimum trecenteſimum octogeſimus primus) vxor Bernabouis Regina Scaligera nomine, concepit animo maieſtatem illam Tēpli, quod D. Mariae Virgini dicatum inſtructumque Sacerdotijs amplis, & honeſtiſſimo Collegio, pars hodie Regiae magnitudinis in hac vrbe eſt. Turrianorum aedes dirutae cumulauerant ruinas, ac deforme monumentum conſpiciebantur; ruptis nunc vere domibus vulgare nomen manebat. Ibi Scaligera templum extruxit, addiditq; templo cognomen, vt Scalenſis Virginis Ӕdes diceretur. Primus lapis poſitus eſt ad VI. Idus Octobris obeunte caeremoniam Archiepiſcopo; impetrauitq; deinde Scaligera à Pont. Max. vt ſibi liceret inſtituere ibi Canonicorum Ordinem cum Antiſtite ſuo, vtq; ſacerdotia illa gentilitia ſuae domus eſſent. Per eos dies Archiepiſcopus ipſe, Cleruſq; Mediolanenſis cum ruſticano etiam Clero ad expiandos mortui Galeacii manes cōſciuere, vt quas ille pecunias ex Eccleſiae bonis fructibuſque coegiſſet,

ſet, eas remitterent vltro, & condonarent cum eo ſci licet, vt Ioannes Galeatius filius, & hæres Sacellum in D. Antonij aede patris nomine extruendum curaret. Sacellum poſitum eſt, pecuniaque attributa, quae ſexcentorum aureorum nummûm ſummam ad noſtrae hodie pecuniae aeſtimationem efficeret in ſingulos annos; aliaque piacula Galeatij manibus fuere. Anno qui ſequebatur, Scaligera mortua eſt; iſque caſus Bernabouem grauiſſime perculiſſe eſt viſus. In eo domeſtico luctu, per omneis Imperij ſui partes litteras miſit, quarum ſententia fuit huiuſmodi. Bernabos Vicecomes Mediolani Imperialis Vica-
,, rius. Lugubrem noſtrum caſum, quo nuper affli-
,, cti ſumus, ſignificamus vobis, exiſtimantes, eadem
,, fide, qua proſperis noſtris laetamini, etiam aduerſa
,, proſecuturos. Regina Scaligera cariſſima noſtra
,, vxor diem ſuum obijt; ita Deo placitum eſt, cui reſi-
,, ſtere, nec poſſumus, nec debemus. Angimur tamen
,, vehementiſſime pro eo ſenſu, qui nobis à natura tri-
,, butus eſt, & ob peccata fortaſſe noſtra percuſſi tali
,, plaga in moerore hoc iacemus. Vt igitur appareat,
,, luctus noſtros vobis eſſe communes, utque magnis
,, Reginę virtutibus honos habeatur; volumus uos a-
,, tratos eſſe, veſtemque lugubrem vt habeatis vnuſ-
,, quiſq; veſtro ſumptu mandamus. Haec ſumma litterarum fuit, factura vtique fidem animi vere Chriſtiani, ſi quilibet alius talia ſcripſiſſet. Quia Bernabouis nomen epiſtola pręferebat, ſatis id viſum cur ſimulacra inania pietatis & manſuetudinis irriderent.

rent. Obijt Regina Scaligera diem ſuum ad XVIII. Cal. ſextileis anno aetatis ſuae quadrageſimo: *Sepulta eſt in D. Ioannis AEde, carmine adscripto, quo religionis laus inter cetera magnifice iactatur*. Sed ſcriptores, qui temporibus vixere iiſdem, quiq; aliis narrauere quae viderant pertuleranitue ipſi, superbam, impiam, audacem, & inexplebili cupiditate mulierem hanc totidem vocibus appellare Scaligeram minime dubitauerunt. Eius maxime ſtimulis praecipitem in omnia tyrannidis flagitia Bernabouem eſſe actum, eademque matris diſciplina filios eruditos ad omne ſcelus nequiores etiam fuiſſe patre; patrem vnà cum filiis, & vxore, cocta & inita habuiſſe conſilia de Ioanne Galeatio interficiendo, vt imperium omne occuparent, iuueneq; ſublato, conſortium illud inſociabile dominationis tolleretur. Quae conſilia, diu, ſicuti credere licet, agitata inter ſenem iam tyrannum, & iuuenes turbulentos, & immiſtam marito prolique Scaligeram, poſtquam haec deceſſit, in capita auctorum recidêre cùm adhuc agitarentur. Nam iuuenis Galeatius, vbi conſiderando attente patrui inſtituta, & vitam, patruelumque mores, & male diſſimulatam erga ſe inuidiam, nimium blanditiarum & fictae hilaritatis, quoties ex deſtinato congrederentur, triſtes, & magnae rei cogitatione ſuſpenſos quoties repente aditi deprehenſique eſſent, ſuſpicari primùm aliquid coepit, deinde acrius vehementiusque suspicari, poſtremò coniecturas ipse suas conferendo cum nonnullis aliis indiciis quae

per

per exploratores, & amicos delata erant, eò peruenit, vt haud dubie rem totam, & orientes in caput ſuum inſidias videret, ſicuti ea, quae oculis cernuntur. Non erat facile effugium remediumue periculi imminentis, tenente Metropolim imperijque arcem inſidiatore patruo, paratis ad eius iuſſa patruelibus, implacabilibus proximorum odijs vbi ſemel accenſa ſunt. multo magis implacabili violentia, quam rabies in potentiae aemulum conſortemq; principatus accendit. Vnica ſpes etiam ipſi in fraude & dolo, vt peteret infenſam domum ijſdem artibus, quibus ab ea petebatur, mallerque, quoniam eò neceſſitatis ventum eſſet, capere qnàm capi, & prodi potius hoc memoriae, quòd patruo ipſe manus inieciſſet, quàm quod foret ab eo interfectus. Simulat primum omnium vehementiſſimam animi ſui interturbationem, quaſi tactus diuino ſpiritu, nihil iam ageret cum mortalium rebus, attonituſq. mortalitatis fine, ſe ſe quamſanctiſſime ad ſuprema comparare vellet. Nec fuerat antea ab ſtudio imitamentiſue pietatis alienus. Nunc enimuero, ſumptâ laruâ ſanctimoniae planeipſius, remittere curas imperij, colloqui de morte tantum, & Paradiſo cum Minoribus Franciſcanis, eorum quotidie aliquem ad menſam adhibere, menſa vti parciore, & modeſta, corporis habitu, & cultu videri ipſe quoque Franciſcanorum vnus, nec in publico tantùm oculiſq; populi, ſed domeſtica, & interiore diſciplina, vt falleret etiam ſi quos in familia appoſitos ſibi ab hoſte patruo

truo

Digitized by Google

truo exploratores haberet. Prodibat ad templa quotidie ſupplicatum, & nudis aliquando pedibus iuit, ſtipatus tamen ſemper interea cateruis armatorum, & auctis circa palatium excubijs ex fidiſſimorũ delectu. Ea ipſa diligentia contemptum auxerat ſui, tamquam, inter alterius vitae curas, & moriẽdi formidinem inſaniret. Sic Bernabos interpretabatur, multaque apud eius filios in patruelem irriſio erat, ob mores, ſicut ipſi exiſtimabant, fatuos & abſurdos, queis ab vita ſenſuq; communi ille alienaretur. Ne vi quidem alia opus eſſe in eum, cui mens animuſq; ſua ſponte contabeſceret. Peruagatus templa omnia ad Ticinum, & fatigato colloquijs ſolicitudinibuſque de altera vita ſuis quicquid ibi ſanctiorum hominum erat, diſſipat hanc repente famam, quod Deiparae Virginis Aedem, quae ſupra Variſium in montis vertice eſt, adire vellet. Armat deinde peregrinationis eius cauſa exercitum, & poſt aliquot dies itineri ſeſe committit. Praecedebat ipſe pedeſter, cum nobilibus aliquot fortibusque uiris haud ſine piorum comitatu quos circa ſe aſſiduae habebat. Equitum turmae modico interuallo ſubſequebantur: pars militum anteceſſere, pars circumfuſa principi nullo ordine ibat; accipiebanturque cuncta veluti per inſaniam iuuenis, qui vellet se eſſe beatum, & panicis terroribus agitaretur. Bernabos, Ludouicum, & Rodulphum e filijs suis iubet obuiam exire peregrinabundo illi, fruiq; spectaculo, & partem eius etiã ad se se poſtea perferre. Mox ipse quoq; exit, tam-

quam

quam debito honore erga fratris ſui filium, & filiae maritum, reuera, vt auerteret ſuſpiciones ſermonesq. hominum, & gratiſſimam oculis animoq. ſuo ſpeciem ex illius inſania vſurparet. Ad D. Ambroſij Xenodochium obuij inuicem fuere. Ibi deſcendere volentem ad pedes, Otho Mandellus, & Bernardonus Lonatus, quibus à Ioanne Galeatio mandatum erat, iniectis repente manibus in mulæ qua vehebatur habenas tenuere Bernabouem, ſtatimque equites, & tela & multæ armatæ manus circumſtetere ipſum & filios adeò deſtitutos ab omni ciuium caritate fideque familiarium, vt nemo gladium ſtrinxerit, nemo inclamauerit ad arma. Id ita futurum eſſe Galeatius viderat. Captiui ducti ſunt in arcem Iouis, & domus ipſa Bernabouis diripienda plebi data, vt contacti præda illa ciues ſpem omnem pacis cum tyranno amitterent. Ita Ioannes Galeacius, depoſitâ repente ſimplicis animi perſonâ quam ſumpſerat, omiſſaque peregrinatione, & dimiſſis in ſua clauſtra religioſis hominibus, quos ad ſcenam eam inſtruendam adhibuiſſet, imperium hac fraude omne adeptus, omnia callidiſſimorum principum conſilia tractabat inter callidos tantummodo & armatos; conſpiciebaturque ad malitiam Bernaboue ipſo nihilo deterior. Scripſit ad omneis Italiae principes de captiuitate patrui, conſilioq. ſuo neceſſario, & quemadmodum patienda ſibi vltima fuiſſent, niſi fraudes hominis appetentis Italiæ dominatum ipſe anteueniſſet. Neque verò in caput tãtummodo ſuum paratas ab eo fuiſſe inſidias, ſed om-

neis, quicunque per Italiam opibus & fortuna aliqua, vel auctoritate poſſent obſtare tyrannidi, inſidijs eſſe ſimilibus appetitos. Contemptorem Numinis, irriſorem omnium religionum, poſtquam tẽpla ſpoliauiſſet, Eccleſiamque pene ſuſtuliſſet, generum etiam fratrisq; filium eundem tollere voluiſſe, nullis iniurijs nulloue laceſſitum odio, ſed tantùm, quia propria quadam & inſana ſua ratione cenſeret, non poſſe eodem ſtare loco religionem ſimul & imperium & ſocietatem humanam. Qui hoc animo fuiſſet in ſuos, hunc facile exiſtimari poſſe, quid in alienos meditaretur. Scriptis in hanc ſententiã circummiſſisq; litteris addiderat Galeatius confeſſiones & indicia tremendarum rerum horribiliumque ſcelerum, partim, ſicuti erant à Bernaboue cogitata vel admiſſa, partim, ſicuti criminatori eidem, & domino facilè erat fingere aduerſus reum, qui clauſo iam in tenebris ore, ſpirituq; & animâ prope interclusâ nullam emittere vocem poſſet. Etiam ſi innocens Bernabos & calamitate indignus illa foret, notum tamen eſt, quid domi ſuae principes efficere per ſolertiam & obſequia miniſtrorum poſſint, vbi quempiam illigare iudicij forma neceſſe habuerunt, ſiue deſtinauere per iram. Tantò promptiora omnia erant aduerſus eum, qui violenter, iniuſte, auareque olim imperitando, plurimam nunc, & criminationi materiem, & animis alacritatem addebat ad comminiſcenda in ipſum etiam ea quæ non admiſiſſet; inſpectoque quaeſtionis volumine, meritam poenam habere Bernabouem annuerunt

runt ijdem illi qui audita captiuitate, exemplum magnopere improbarant. Sic Galeacius inuidiam auerterat à ſe omnem, patruumque ſocerum, & patrueles ex tāta detractos fortuna, carcere obſcuro clauſos tenebat, ipſe totius prouinciæ imperijque Mediolanenſis potens, nec ea ſatis opum & terrarum amplitudine more regum contentus. Ne victoria quidem ipſa contentus, & captiuitate ſuorum, incruentaq; poſſeſſione totius imperij, ſuſtulit paulò poſt veneno patruum, eoque facinore miſtam laude infamiam eſt aſſecutus, quia exemerat captiuum tam infelicis vitæ poenis, & rurſus, quia noluerat ſaltem vitam relinquere ei poſtquam imperium lucemque ademiſſet. Datum eſt venenum per carceris cuſtodes, infuſumq; fuit delectabili phaſeolorum cibo, tantâ negligentiâ famae quòd ad rem eam attineret, vt ſuper eadem menſa conuerſis repente oculorum pupillis & ſpumanti protinus ore vociferari moribundus ſenex inciperet, ac paulo poſt efflaret animam. Spatium tamen fuiſſe Sacramentis alij tradunt, & multa circa alteram vitam ſolicitudine, religioſoq; conatu Bernabouem haec identidem verba pronuntiauiſſe COR MEVM CONTRITVM ET HVMILIATVM DEVS MEVS NE DESPICIAS. Vt expirauit, imponitur feretro calidum adhuc feruensque cadauer, & mandatur tumulo, qui in D. Ioannis Aede ad Concam, ſicuti hodie viſitur, ſtabat. Namque ille, ſiue melior intimo ſenſu, quám inter imperitandi cupidines arteſque videretur, ſiue deterior etiam, & nequior

quàm fama hominum ferret, velut cogitatione ſupremorum extruxerat id ſibi ſepulchrum integra adhuc aetate, & ſicuti metiuntur vitae ſpatia mortales, nōdum iuxta curriculi calcem. Exitium autem hoc clademq; Bernabouis anteceſſere prodigiorum monitus, quos facile ciuitas interpretata eſt, poſtquam mortuum in vinculis tyrannum, captiuos eius filios, & ſeruam in nouo Imperio domum videbant. Palatium fulmine ictum, & pars muri quaſſata erat. Rodulphus principis filius fulmine alio penè exanimatus: Inſigne gentis vipera quae iuxta D. Georgij Aedem in palatij faſtigio ſteterat, deiecta turbine; & pleraque alia cùm acciderent, neglecta, poſt rerum mutationem, cuncta illuc referebantur. Sublata in hunc modum tyrannide, tyrannoque ipſo, nouus princeps ante omnia operam dabat, vt & pietate in Deum, & mansuetudine in ciues moderationeque imperij diuerſum ſeſe praeſtaret ab eius inſtitutis, in cuius captiuitate & nece, liberandae Italiae titulo vſus fuerat. Simul hoc volebat aſſequi, vt memoriam nomenque eius diuerſitate illa oneraret. Fortè per eos dies Templi maximi turris procubuerat ingenti ruina, vicinisque tectis illapsa moles, aedium hominumque ſtragem ediderat quà Canonici ipſi incolebant, & aliquot eo casu obtritos eſſe Canonicos ferunt. Ex reliqua multitudine periere ad ducentos; parque fere numerus mutilatorum, aut exigua in spe, trahentium animam fuit. Ea primùm largi pijque & mitis animi materie Galeatius arrepta, materiem

ipſe

ipſe ſermonibus tota vrbe gratiſſimam honeſtimamq; que dedit; quantò ſuperûm munere calamitas ea diſſata fuiſſet in principis huius tempus, quanta calamitatis acceſſio, ſi altero illo imperitante accidiſſet, qui ciuium & Eccleſiae malis lactaretur. Nunc, & principis impenſa benigne curabantur, quibus in eo caſu deerat domi aliquid, & illius ruinoſi aedificij caſus, initium & origo fuit Templi Deiparæ Virginis, quod vnum hodie in terris viſitur dignum magnitudine & gloria Diuae, cuius nomini ſacratum dicatumq. eſt. Anno cIↃcccIxxxvi. qui Galeatij imperitantis alter erat, prociderat turris. Ad xvi. Cal. Iunias anni eiuſdé, magnificis verbis adhortāte populū Clerumq. Galeatio, & hortamēta maiora pecunias theſaurosq. ſuos ad inchoandum opus profitente ac depromente, ſterni ac deijci cœpta eſt Mariana Aedes, obſcurior, & humilior illa fortaſſe, quàm pro reliquo ſplendore vrbis, & Metropolitani nominis maieſtate. Annum fere totū tenuere, demolitio veteris Aedis, & deformatio nouae, quae accitis vndique architectis, apud Principem Galeatium, & Archiepiſcopum Antonium, circino & graphide quotidie adornabatur. Inſequente Maio, cōſtituta nouae molis forma, purgataq; ruderibus area, et fundamtis apertis, primus lapis eſt poſitus, isq; dies fuit nonis Maij. Quem hoc loco poni & adſcribi diem oportuit, vt nota eſſent primordia operis, cui per ducentos amplius ab eo die annos adlaboratur, & fore aliquando finem homines deſperant, ijdēq. ſimul admirantur, potuiſſe tam breui aeuo continuis

ar-

artificum etiam omnium laboribus, & continua pecu-niarum omnium erogatione fieri id quod vident. Adeò, cùm ſtet Ædes amplexa quicquid miraculorum ars & pecunia depromere & oſtentare poſſunt, cumque tantae vrbis populus in vaſto illic & capaciſſimo ſinu, beatarum ſedium imagine contentus attonituſq; fruatur; requirunt tamen, quaenam ingenia mortaliũ, & annorũ ſpatia, & naturae ipſius opes ſuffecturæ ſint, vt frons faſtigiumque templi abſoluantur, vtque ab rupe, & Verbano Lacu tranſuehantur in vrbem exciſae iam & praeparatae in veſtibulum columnae longitudine ac diametro, quantam profana antiquitas ne cogitare quidem auſa eſt. Hanc nouae Ædis ichnographiam, ortographiamq; & ſcenographiam ex Germanica Symmetria trigonali ratione norma peræquata confectam, & multorum dierum conſultatione tractatam, inter Archiepiſcopum, & Principem, & architectos, aliosue primores vrbis, probauere & ſuſcepere, nulla cura quod ad ſumptus infinitos talis fabricae attineret. Nam, & ciuitas vniuerſa ſtudijs exarſerat immanibus, & princeps ipſe Galeatius large aceruos proferebat, cùm ſcilicet in D. Nazarij arce, quae nunc Xenodochij maximi ſedes eſt, tantum argenti aurique, tum rudis, & infecti, tum facti, & ſignati reperiſſet, vt plauſtris per aliquot dies compluribus inde eueheretur. Augebatur inde vna cum opere ipſo principis animus ad molem attollendam, qua nulla toto terrarum orbe conſpectior foret, nec minor gloria ciuium animos attollebat, vt non

quo-

quotidianis modò largitionibus, ſed fundis atque reditibus, & hereditatibus ſaepe totis fabricam eiuſmodi inſtruerent. Atque in tantum poſtea ſplendorē tantasque diuitias res venit, vt cúm opificij magnitudo quantamlibet poſſe pecuniam exhaurire videatur; patrimonium tamen aerariumq. hoc fabricae ipſi ſuperſtes fieri neceſſe ſit. Eritq; tempus olim, cùm ſupra, infra, extra, intra, abſoluto opere, certatimque refulgente marmore & auro, ſpirantibus vndique ſimulacris, & altero hoc ſtatuarum populo prouocante hominum pietatem, etiam ſacra ſupellectili iam deſtituente impenſas, cogitabunt praefecti quid pecunijs illis facere redundantibus debeant. Tanta liberalitas, & munificentia populi Mediolanenſis fuit. Quòd ſi mihi, peractis in quæ terendi, parumper adhuc agere iſta licitum fuerit, volam vtique exhilarari exponendo fabrilium harum Eccleſiae Mediolanenſis opum magnitudinem, & ſtatum, earumque œconomiam, & adminiſtrationem ad magnæ Reip. formam; ſcilicet, vt regātur ab Cleri ciuiumq; primoribus, vt inter ordinem vtrumque prouinciae comparentur, vt ſua ſingulis munera, cunctis authoritas & ſuffragium, corpori demum vniuerſo caput & aliquando diſſidia, quę ſemper oportet eſſe ibi vbi ſint magna negotia, et pares animi. Simul, domeſtici marmoris copiam, generaque et varietates, et proprias venas, delectum artificum, ac ſacro pateſcente campo nobiles officinas, operum aeſtimationes, conſtituta ſtipendia architectis, cauſarum actores, litiumq; patronos, et ſcribas, et om

nc

ne miniſterium, partemq; iurisdictionis & imperij, omnia ſedulò exequar cum bona recordatione et laude maiorum noſtrorum, qui tantas ad Deiparæ cultũ opes contulere. Longe verò gratiſſima atq; ad animi mei ſolatiũ aptiſſima deſcriptio erit ipſius Tẽpli, quod magnae prouinciae inſtar, vagandi per ſingulas partes, in longum, in latum, ſurſum ac deorſum, intra extraque, ab imis fundamentis ad ſummas coronides, ſpatia ampla præbebit; et peruagatio iſta iuſtum propriumq. ſibi volumen requiret. Nam ſicuti Græcus Pauſanias, deducta per terram eã vniuerſam narratione, quoties ſtylo gradum fecit, reperit res hiſtoria dignas, parique paſſu procedunt ibi locorum nomina, et res inclytae ac memorandae: ſic nobis in tradenda Metropolitanae Ædis forma, ad ſingulos fere lapides, aut artis eximiae, aut ſumptus immenſi, aut myſteriorum inſignium contemplatio occurſatura eſt ſucceſſuraq. vltro ſub ſtyli acumen. Interim, demonſtraſſe ſic ſufficiet operis initia, quod anno eo ſalutis humanae milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſeptimo ſub *Ioanne* Galeatio Principe vrbis, et Antonio Salutienſe Archiepiſcopo inchoabatur. Eodem anno, Angleriam, Tainum, Guarniſium, quae loca fuerant Eccleſiae Mediolanenſis, Pont. Max. Catharinae Ioannis Galeacij coniugi cõceſſit, impoſita, vectigali marca, teſtandi cauſa iuris ea loca eſſe Eccleſiaſtici; et ſublatis aut omiſſis veterum certaminum cauſis fida tranquillaque erant omnia Vicecomiti cum Apoſtolica Sede. Ceterùm, cum laeti nouo imperio Mediola-

dioſanenſes datum ſibi diuino beneficio Galeacium, & perpetuam ſub eo pacem inter ſeſe gratularentur; Bellum Veroneſe aderat, haud quidem eius hoſtis viribus & nomine magnopere timendum, ſed ob adiunctas Scaligero gentes principeſq; alios, nõ minus graue ac terribile Metropoli, quàm alia, quae ad eam diem bellata erant. Antonius Scaliger erat hoc tempore Veronae princeps ſub Vicarij Imperialis titulo etiam ipſe tyrannidẽ exercẽs haud vnquã amicus homo Vicecomitum genti, ſemperq. molitus aliquid palam ſiue ſecreto, quo dominatus iſte eliderettur. Praecipue autem obſtare voluerat, ne Germanica matrimonia, quae dixi, inirentur, & ſerendo maledicta in Vicecomitum genus fœdera ea penè diſiecerat. Inſuper, afflictis & dubijs ad Brixiam rebus accedendo ipſe, & fouendo ibi hoſtem, aut inſtigando, difficiliora omnia Mediolanenſibus effecerat. Spes quoque & conſilia pacis ineũdae cum Patauino, maligne turbata per eundem; & quoniam haec ipſa fortè innotuerant, damna alia grauiora, vel iam intuliſſe occulta, vel in poſterum illaturus eſſe credebatur. Cum tali homine bellum apertũ quàm pacem infidam habere Ioannes Galeacius malebat; ac veterem populi Romani morem vſurpans, repetito, quicquid hoſtiliter ac maleuole in ſe ille tentaſſet, ſiue admiſiſſet, ob talem animum, & talia facta publice amicitiam ei renuntiauit, bellumq; indixit. Perculſus ea denuntiatione Scaliger, cùm reputaret imparem ſe vi aperta tanto hoſti, fraude, qua cetera egerat, vtendo, purgabat infime obiecta, Galeatiumq.

 ipſum

ſpes, cùm eum minimè fefelliſſet, inter cetera commoda & ornamenta, quae in altera hac patria eſt aſſecutus, bello etiam hoc Veronenſi Mediolanenſis exercitus Imperator rem vniuerſam militarem in poteſtate habebat. Benaci oram cum villarum incendijs, & agrorum vaſtatione perpopulatus, multas munitas arces, & pleraque opportuna loca ceperat, non procul à ſpe capiendæ vrbis, quae iam acerrime oppugnabatur. Sed, vt dixi res magni diſcriminis erat; validaq. munimenta, & pertinacia defenſorum fœdam in aditu dimicationem oſtendebant. Tunc ille, clandeſtino colloquio corruptis nonnullis, quos ibi in vetere patria fidos adhuc amicos habebat, rationem cum illis hanc inijt, vt facta eruptione, captiuos ſecum in vrbem traherent fortiſſimum quemque Mediolanenſium, qui præparati in id ipſum, abſque periculo vel certamine vllo, in manus, & vincla ipſis traderentur. Ferme ſub auroram, obſcura adhuc luce cùm erupiſſent, rediſſentq; proditores ouantes captiuorum agmine quos ducebant, dato familiari ſigno recepti in vrbem, aliquantum à porta, qua exierant redierantque progreſſi, demunt raptim ficta illa vincla Mediolanēſibus, & conuerſo ad portam eandem gradu vigiles obtruncant. Ita patuit exercitui aditus in vrbem, Scaligerq; ad primum tumultum conſcenſo equo, vocans ad arma, nomenq; ſuum inculcans, vbi reſides ſtare vniuerſos vidit, elapſus ſcapha per Atheſim fluuium Venetias ſuæ ipſæ cladis nuntius cum inſana trepidatione appulit. Cuncta, quae ille poſſederat, & vrbs

Nnnn 2 Vicetia

Vicetia praeſertim, anteá multùm expetita Vicecomitibus, ad Galeatium Metropolimq; peruenere; arma inde Mediolanenſium in Patauinum Carrarienſem incubuere, tum fortuna, tum ingenio ſimilem hoſtem ei qui fractus nuper ſubactusque erat. Paruum is quoque imperium vaſto tenens animo, violentia in ſubiectos, in ſuperiores inuidia, malignitate in omneis, vt regulus ac dynaſta, nimium potens, vt Regum quiſpiam nimis inops, ſeque & alios aſſidue inquietabat cùm neque intra fines conſiſtere illos poſſet, & in aliena trāſcendere volentem deſtituerent vires, fortuna ſemper aduerſa retineret. Praecipue, cum iſta Vicecomitum domo agebat aemulatum, in eo ipſo Scaligeri olim aemulus, & ſicut ille, per fraudes fere occultas, quia bello aperto impar. Vomicam etiam hanc tolli longe venientem oportere Ioannes Galeatius exiſtimans, vt imperij ſecuritatē, & vitae quietē haberet eam, cū qua reliquos ſuos dies agere deſtinabat, miſſo in Patauinos exercitu, aſſumptis in expeditionem auxilijs, leui negotio, propter alienatos illic ab tyranno omnium animos, tyrannum ſubegit ipſum, vt populi impetum timens, ſe ſuaque omnia, liberos, vxorem, vrbem, arcem dederet, ne ciuium ſuorum manibus, id quod proſpiciebat fore, laceraretur. Haec victoria Vicecomitem extulit ingenti gaudio; & ſicuti cuncta proſpera ad Deum Virginemque Deiparam, referre ſolitus erat, edixit, vt per omnia imperij ſui loca ſupplicationes per triduum haberentur. Edicti formá haec fuit. Benignitate Numinis aeterni, ſemperque

alio

alio ſuper aliud erga res Mediolanenſium diuinae indulgentiae munere eſſe factum, vt Patauinus imperiũ omne quod tenebat, deſperata eius defenſione permitteret in ſuam, & populi Mediolanenſis poteſtatem. Id ſibi accidiſſe gratiſſimum, quia domitis vndique hoſtibus, & parta per terras omnes pace, facultatem iam denique optatiſſimam illam habiturus ſit agendi tranquille & quiete cum ſubiectis ſuis id vitae quod ſupereſſet. Pro tanto celeſti beneficio, licet inter huiuſce mortalitatis miſerias nihil viciſſim erga Deum Opt. Máx. fieri pie ſatis ac reuerenter poſſit, cenſere ſe tamen honorem diuinae maieſtati vtcunque eſſe habendum. Proinde, ſupplicantes populi ad ſua quique templa procederent, Chriſtumque Saluatorem vnà cum ſanctiſſima eius Matre venerarentur ob id munus. Datæ ſunt literæ Abiati, quo ſeſe princeps ob peſtilentiae metum contulerat; diesque & annus in ijs litteris adſcriptus xxvi. Cal. Dec. cIↄ ccc lxxxviii. Eo anno centeni quinquageni viri nobiles e ſingulis vrbis regionibus, quod publicum concilium erat, per ſuas quique paroecias de more congregati, dedere Othorino Marliano, Ioanni Caſato, Ioanni Puſterulæ, Odoardo Conrado, Ioanni Carnago, Franciſco Mairolæ, Georgio Moreſino; his omnibus dedere mandatum, vt Reip. Mediolanenſis nomine in verba Ioannis Galeatij Vicecomitis iurarent. Iurauere, ſubiectam & obnoxiã fidamq; principi ciuitatem fore, ratumq; teſtamentum habituros eſſe, quodcunq; ille recte, & ordine feciſſet. Idem dixere ſacramentum Ioanni Mariae filio infanti

qui

qui anno eodem ad Abiatum natus Principi ex Catharina vxore erat; dixerantq; parentes id puero nomen ex voto, quod nuncuparant, dicantes Sanctiſſimae Virgini Mariæ prolem, quæ ex eo matrimonio naſceretur. Non deinde Clerus populusque Mediolanenſis fruebantur ea pace, & felicitate, quam ſub tali principe expectarant, quamue princeps ipſe iactando atque oſtentando ſermonibus & ſpe vana ſemper, nondum re ipſa patriae exhibere potuerat. Quinimmo deducta res in eum ſtatum eſt, vt onerati tributis immodicis ſacerdotes, tempora illa deſiderarent, quæ ſub Bernaboue deteſtati erant. Cauſa, non tam ex principe ipſo, quàm ex communi imperitantium conditione, vt diu alijs moleſti, poſtquam vellent ipſi quieſcere non poſſint. Nam vbi ad priſtinum Mediolanenſe Imperium adiuncta Veronenſi & Patauina re, tanta potentia Vicecomitis erat; inuidia, metu, dolore protinus excitati, quos irrita aliqua cupiditas, vel imminentia pericula, vel accepta damna ſtimulabant, coniunctis inter ſe viribus Florentini & Veneti Scaligerum & Carrarienſem profugos ad ſe & ſupplices tamquam miſericordia & fauore amplexi ob ſuam pars vtraq; utilitatem reſtituere pulſo Vicecomite conabantur in ſedem unde per eum detracti pulſique erant. Hinc bella & calamitates principi urbibusq; ſubiectis, & malorum omnium ſumma redibat in urbem noſtram.
Iubilaeum hoc tempore Romae fuerat, exactoq; iam ſæculari anno, Vicecomes aegre ferens quòd homines sui propter continua bella, peregrinationis & Indulgé-

tiae fructu carruiſſent, impetrauit à Pontifice Bonifacio, vt Iubilaeum idem ex Romana formula Mediolani eſſe vellet ac iuberet. Placebat Pontifici occaſio expiandi tot ſeceſſionum flagitijs antea temeratos Inſubres, pleniſſimæq. Indulgentiae munus hac formula
„ conceſſit. Omnes, qui ſunt in Vicecomitis imperio,
„ viri, ſeu feminæ, ciuilis ordo ſacerq. qui peccata ſua
„ rite confeſſi dolenterq; deteſtati erunt, Indulgentiæ hu-
„ ius munere ac virtute liberantur noxis omnibus atq;
„ abſoluuntur. Peregrini, qui conſequendae Indulgen-
„ tiæ cauſa ierint in eam vrbem, per decem dies Medio-
„ lani commorabuntur, ibuntq; ad templa ſupplicatũ.
„ Templa autem haec erunt, ad quae ſupplicabitur. D.
„ Mariae Virginis Aedes, D. Nazarij, D. Ambroſij, D.
„ Laurẽtij, D. Celſi. Ad templa iſta qui poterunt ac vo-
„ lent eleemoſinae nomine donum dabunt, augendo il-
„ lic cultui diuino, templisq; ipſis ornandis atque exco-
„ lendis. Conuenere Indulgentiae cauſa magna Mediolanũ multitudo; cumq; ſtatuta & finita exiret dies; prorogauit eam diem Pont. Max. adiecitq. treis adhuc menſes, intra quod ſpatium aditus ad celeſte id munus pateret. Verſa tota in religionem Ciuitas, eademque pietatis nunc etiam alienae domicilium, minime tamen interea ſicut dixi requieſcebat à bello, quod præter primas in Vicecomitem Metropolimque expeditiones, facta omnium fere Italiae principum coniuratione vi tota motum repente erat. Nam Veneti, & Florentini, verecundiâ fœderis, quod ictum cum Vicecomite habebant, geſſerant velut

ex

ex occulto bellum, magisque induerant arma ex-ſulibus illis Carrarienſi & Scaligero, quàm armati palam ipſi prodierant in vllam aciem. Nunc palam omnes Italiæ dominatus armabantur principeſq. etiã externos traxerant ſecum; & fama fuit, Pontificem ipſum Bonifacium, quamquam, ad animarum ſalutem, Iubilæum paſtorali animo mitis indulgensq; conceſſiſſet, tamen huic infensum fuiſſe potentiæ, dãnoſamq; & periculoſam eam Eccleſiae rebus exiſtimantem, cæteros ad coniurandum incitaſſe. Certe, cùm id principum Italorum fœdus, & pacta inter ipſos armorum ſocietas Mantuae promulgaretur, titulum ei fœderi ac ſocietati praetulere hunc; autoribus Pontifice & Caeſare, coniuncta eſſe arma remq. ſuſceptam. Armeniaci Comes Caroli Galliae Regis gener erat, magna virtute & fama, quam diuturna per Gallias Hiſpaniasque militia, & proſperis in vtraque parte expeditionibus nobilitarat. Hunc aduerſus Vicecomitem in Italiam exciuere fœderati, praemiſſa ad eum grandi pecuniae summa, vt ea pignus eſſet ingentium aliarum rerum, quas longe ſupra pecuniam etiam aeſtimatas, quò promptius expeditionem iterq; capeſſeret, oſtentarãt. Pollicebantur enim eius militiae pretium, Caſtella & arces, & Vicecomite pulso ſtabilem in Italia sedem, & quamcunque aliam victoriae partem ipse exoptaſſet. Dictum tamen ſecretò inter nonnullos, creditumque fuit, non tam mercede illa promiſſisque fœderatorum, quàm soceri regis dolo Comitem eum Armeniacensem in Italiam eſſe adductum, remque verecunde occultatã

ob

ob recens cum Valentina matrimonium, quae Galeatij ipſius filia Ludouico Regis fratri nupta erat. Gallum Regem irrita ſemper ſpe, ſemperq; miſerabili ad exitum conatu, iam inde ab eo tempore imminentem huic Metropoli, ſtimulaſſe generum hunc ſuum, vt per occaſionem inuitantium fœderatorum in Italiam profectus, ſimul moliretur in re iſta Mediolanenſi aliquid, ſimul Pontifici Bonifacio, cui Pſeudopontificem Aueníonenſem ipſe opponebat, infeſta omnia efficeret, atque etiam data opportunitate palam eum oppugnaret. Profectò, hominibus Gallis cauendum ſemper erit, ne, vel cupiditate ſua, vel conſilijs alienis inducãtur, vt res tentare Italas velint, & exempla haec in omni illic regio colloquio & Senatu pro documentis eſſe debebunt, quoties de tranſitu alpium deliberatio inciderit. Nam, niſi ipſae ab natura interiectæ alpes, atque tot luctuoſi caſus exercituum, ducumq, & regum, qui tranſgredi voluere, conſtituiſſent diſciplinam refugiendi procul ab hoc ſepulcro Gallorum Italia, poterat vel ipſe Comitis Armeniacenſis caſus ante ducenteſimum hunc fere annum, execrabile & horrendum Italiae nomen in perpetuum facere Gallorum genti. Ducebat Armeniacenſis armatorum ad decem millia veterani militis, & ſub victore ſemper duce vincere aſſueti; neque clariores alios bello viros bellicoſiſſima natio celebrabat. His ad alpium ipſarum radices coniunxere ſeſe copiae aliae, quas fœderati regione illa praeparauerant, vt tranſgreſſo in Italiam Gallo, præſto eſſent atque aſſociarentur, quó terribilior ad Metropo-

lim inuadendam exercitus vniuerſa ſtatim mole duceretur. Florentina legatio cum præfectis & curatoribus bat Armeniacenſi comes, ne quid exercitui deeſſet, vtque per compendia viarum expedito agmine Galli irent. Per Salinas, inde per Taurinos progreſſi Alexandriam uerſus, dum pleno gradu Mediolanum, & feroces & laeti vicinitate tam expetitae vrbis rectà contendunt, triſte praeſagium vicinae cladis, & in eodem ferè loco triſtiorem cladem habuere, quae Mediolani cauſa gaudiorum ingentium, ſolenniumque ſupplicationum fuit, quamuis, vt dixi, ob nouas illas in media pacis expectatione miſerias aerumnaſq; bellorum moeſti omneis, & tributis onerati immodicis iacerent. Vnum ignobile caſtellum ſeruauit in tali tẽpore Metropolim, perdiditq; Gallos, & memorabile in omnia ſaecula militarium flagitiorum exemplum edidit. Nam niſi loci eius oppugnatione retineri ſeſe paſſus eſſet Gallus imperator, foretq; ſtrenuè proſecutus iter ſuum itaut venire & adeſſe Gallos fama eadem ferret; fortaſſe inter attonita & ſuperioribus feſſa bellis omnia ſine certamine victor & cuncta camporum tenens ad moenia vrbis acceſſiſſet; ac cetera deinde Mars anceps & vrbis fortũna decretura erat. Tunc ignobilibus adſidendo muris exitum ſtatim habuit eum infelicem. Caſtellatium nomen eſt loco, quem ex itinere occupare Galli concupiuerunt, ridiculo conſilio, niſi ſi potius Deus ipſe, vel ira in illos, vel noſtri cura vecordiam eam duci militibusq; iniecit. Admotis machinis & omni oppugnandarum vrbium apparatu, cùm hinc quaterent ſtre-

nue

nue muros, hinc circumiecta popularêtur, die quodam oppidani meridiano tẽpore (& erãt ſextili forte menſe calores magni) ſpeculati incuſtodita omnia, dum hoſtes aut ſedent dormitantq; humi, aut per caſas, & tentoria ludibundi terunt tempus, pars vagi, & palantes, pars ſub vexillis & agmine praedas agunt; eruptione facta eſcas ignis circumdedere tecto quo trecenti amplius equi abditi erant, & parem fere hominum numerum ſtrauerat ibi iuxta equos ex vino & aeſtu grauans corpora ſomnus. Arſere ibi cuncta momento pene vno, nec prius ſenſere Galli incendium, quàm tunc cùm fumo & vapore flammisq. inuoluti, neque oculis, neque animo competebant ad vllum in tali diſcrimine neceſſarium & ſalutare opus. Accurritur vndique ad id ſpectaculum, & Armeniacenſis ipſe trepido nuntio excitatûs, cùm ambuſta cremataq. omnia, & informes equorum hominumq; figuras inſpexiſſet, ne caſu quidem eo admonitus erroris ſui, quo tamquam alter Annibal circa partes minimas infeliciſſime diſtrictus expedire ſeſe caputq; petere ipſum neſciret, omiſſa adhuc vrbe Mediolano, cuius potiſſimum cauſa traiecerat alpes, pergit ſtimulante inſuper ira caſtellum oppugnare illud. Simul ad vicinae vrbis moenia cum exercitus parte progreſſus, minitabatur ei vrbi excidium, & viles inde exire Lombardos iubebat. Eius verò vocis contumelia & indignitate permotus Iacobus Vermus, qui collocatus ibi ab Ioanne Galeatio cum Metropolitani exercitus parte erat, exit ad pugnam cohortatus antea milites ſuos, vt inſultantem barbarũ cogerent vo-

cem mutare, quam ſtolide ieciſſet; docerent non viles ſed generoſos eſſe Lombardos. Qua porta cum duce ſuo exierant Metropolitani, contra eam multitudo conglobata Gallorum conſtiterat. Inter contumeliose insultantes, & contumelia irritatos diſtricti confeſtim gladij, & quicquid telorum, in hac, vel in illa parte erat. Dimicatur confertim & paſſim, tumultuariè magis, quám ordine vllo, pugnandique ordinem ſuus cuiq; impetus, ſua præbet ira. Vir virum ſæpe amplexus detrahit equo, fodiunt oculos, ora mucronibus quærunt; & aliquandiu veluti lucta quædam ex equis erat, irruente in mortuum Metropolitanum ſemiuiuo Gallo, vel expirante ſuper exanimem Gallum Metropolitano milite, dum cuneus, & turbo ille pugnantium glomeratur. Sed pellendo inuicem ſeſe, ac trudendo, paulatim in vineas nexu traducum impeditas deuenere. Ibi Gallus Imperator, Armeniacenſiſque Comes, multis antea victoriis clarus, bello hoc miſſus ad oppugnandum Pontificatum, capiendamque Metropolim Italiæ arcem, acto forte in traduces eas, & palos, & vitilia equo, dum bellua irretita iactat ferociter vngulas tantoque magis implicatur; euolutus ipſe, ſiue ſpontè deſiliens, ab iis, qui caſum viderant, facto repente concurſu comprehenditur, & velut immanis fera oneratur vinclis, atque pertrahitur in arcem. Quòd vbi captum abductumque videre Galli ſuum Ducem, ita concidere animis, vt nullo negotio caperentur ipſi quoque, aut cæderentur. Namque, pręter eum terrorem, & caliginem offuſam ab tali ſpectaculo repente animis, etiam mol-

lia

lia corpora,nec ferentia aeſtus vltro fatiſcebant. Qui validiores fuere, fuga arrepta, tenebrarum beneficio (nox enim interuenerat) aliquot millia paſſuum praeccepere continuo curſu,donec inſecutis noſtris oppreſſi retraherentur. Miraculo penè fuit,quod mille Mediolanenſes decem millia Gallorum viciſſent; nam tantum in vtraque parte fuiſſe numerum conſtat. Florentini curatores, & legati, qui deduxerant infauſto itinere exercitum,etiam in vincla comites iere. Nunciata ea Mediolanum,tantò laetiora fuere populo Principique & Clero,quò triſtior vulgatiorque erat in vrbe fama veterum irruptionum Gallicarum,cùm ſcilicet onuſtam rerum noſtrarum præda gentem trucidaſſent ſub oneribus ipſis,haud ſine mutua clade maiores noſtri paſſi res inſuper ab iiſdem alias,quarum deformitatem fuſo per vias vniuerſo prædonum ſanguine eluere coacti eſſēt. Nunc, quia tam abominatæ memoriȩ hoſtem prouinciae iam ingreſſum limina,ducis error, & præſens Numen,virtusq; militū ad fines in ſtatione locatorum oppreſſerat; res digna viſa eſt,quae pietate, & gratulatione publica celebraretur;& Principis iuſſu, nocturni tota vrbe fulſere ignes,ſupplicationeſque de more habitae per triduum. Captiui,paucis poſt diebus ademptis armis,& equis,dimiſſi omnes,præter paucos,qui monſtrabantur a ceteris ob diuitias & ſplendorem.His enim edita pecuniæ ſumma, quam ab domo accirent; & donec pretia redemptionis adfuere,in vinculis retenti. Armeniacenſem ipſum primo captiuitatis, die mortuum eſſe ferunt,ſiue agitatione tanti caſus & mœrore

animi,

animi, ſiue hauſto clam veneno, quod regio barbarico more ad dubia fortaſſe abditum gerebat. Hunc exitum habuit Gallica in Mediolanenſes expeditio. Nec felicior alia, qua fœderati Ioannem Acutum patriç deſertorem eodem tempore miſerant ad vrbem inuadendam, certa prope victoriæ ſpe, ſi, hinc ab externo exercitu, hinc ab transfuga, & preditore circumſederemur. Is ab Patauio cum ſex millibus armatorum per Veronenſis agri fines expedito agmine progreſſus in Cenomanos traiecto Ollio amni, conſtiterat iam in Abduae ripa tranſiturus, niſi audita Gallorum clades, & conſpectae trans flumen Mediolanenſiũ copiae auertiſſent. Simul, parte ab altera ex tranſuerſo aderant noſtri, quos Vicecomes ad primum nuntium eius aduenientis hoſtis, ponte, qui erat ad Tritium pagum, propere tranſgreſſos immiſerat. Itaque, duplici terrore obiecto Acutus, & ad ea arma, quae ſibi imminere videbat, accedente Gallici caſus fama, fugere maturauit, euaſitque non paruo dedecore militum noſtrorum, de quibus proditum ita ſcriptumque eſt. Ne lanceam quidem tũc vnam ipſos infregiſſe. Et fœderati quidem haec aduerſus Vicecomitem Metropolimque tentarant. Vicecomes autem & Metropolitani, odio viciſſim & ira in eos, haud multùm diſsimili fortuna quacunque opportunitas aliqua inuitarat, promoto bello hoſtilia cuncta moliebantur; Florentinoſque preſertim prohibitis terra marique commeatibus, vrgebant fame, ne ipſi quidẽ tam procul ab domo expertes eius calamitatis, maloq; illo poſtea redire domum coacti. Soluendæ tamen ob-

ſidionis

ſidionis initia primasque cauſas alij referunt ad Pontificis Bonifacij conſilium, & dignam ſummo Paſtore actionem, qui conflagrare bello res *Italas* videns, ſeque ſermonibus, & opinione hominum inter concitores eius eſſe belli, ad demendam tantam ſibi labem animoſque placandos, curas authoritatemque conuerterit. Reperio veniſſe ab Roma de pace legatos ad Vicecomitem, principemque Legationis Ricardum Carraciolum antiſtitem Ordinis Hieroſolymitani fuiſſe. Eo arbitro conditiones pacis agitatas depoſitaque arma; pacem ideo minore per Italiam laetitia acceptam, quia fuerit in conditionibus, vt ex eo anno per quinquaginta annos dena millia florenorū nummûm Carrarienſis Mediolanenſi tributum annuum ferret. Ea res inuidia & dolore ſolicitabat adhuc animos; & infida cernens omnia Vicecomes infidus ipſe viciſſim, renouauit cum Galliae Rege fœdus, petens inde praeſidium aduerſus hoſtes alios, & adulatione ea hoſtem hunc ipſum fallens; ac tunc primùm Gallica lilia ſtēmati Vicecomitum acceſſere, dum imperij cauſa cuncta ſeruiliter ad gratiam obſequiumque exquiruntur. Nondum exierat alter ab inquieta illa, & ſolicita, inuicemq; ſuſpecta pace annus, cùm manentibus iiſdem animorum ſtimulis inuidia & liuore aduerſus alienas opes, rurſusque ira & metu in parte cui inuidebatur, ad noua fœdera, nouasq; coniurationes intenti erant. Ad Vincislaum Caeſarem vtrinque miſſi in Germaniam Legati, pro ceteris expoſcebāt illius arma, vimque & authoritatem ad vindicandam Metropolim, Vicecomitemque

temque deijciendum, pro Vicecomite precabantur, vt rem potius ipſam quàm inimicorum calumnias ſpectando, tueri vellet antiqua Caeſarum beneficia erga domum gentemque eam, neue opes Imperij commodaret hominibus, qui clariſſimæ domus ruina ſubſidiū fidele adimere imperio conarentur. Miſerat Vicecomes inter legatos oratoresque ſuos Petrum Philargum Cretenſem Epiſcopum Nouariae, qui poſtea Cardinalis, & Mediolani Archiepiſcopus fuit, deinde delato Concilij Piſani ſuffragijs ad eum Pontificatu, Alexander eſt nouo nomine appellatus; eiuſque viri decora, & ſi quid inter magnas virtutes habuit etiam humanę labis, poſtea exponemus: Nunc, & in ea legatione caput rerum ipſe erat, & praeter communia cum ſocijs mandata, ferebat illud ſeorſim, vt poſtquam ea confutaſſet, quae fœderatorum legati criminarentur, offerret quantamcunque pecuniae ſummam Caeſari, ſi Ioannem Galeatium creare & appellare Mediolani Ducem vellet. Ac tanta fuit, ſiue viro prudentia & dexteritas ingenij, ſiue pecuniae quam oſtendebat illecebra, Caeſar vt ſpretis quæ aduerſus Vicecomitem afferebantur, iuberet eſſe Mediolani Ducem, diplomataq; & literas, & quicquid aliud rei confirmandae adeſſe oportebat, admodum prolixe concederet, minime occultâ interim contrariæ legationis quaerimoniâ, crebriſque ſuſurris, quòd, aut fides non habita ſibi eſſet, aut recti prauique diſcrimen omne confunderetur. Legati Mediolanenſes, re feliciter geſta, & impetrato, quicquid princeps optare ſuus potuerat, laureatas praemiſere ad ipſum literas de fau-

ſtiſſimo

ſtiſſimo negotiorum omnium exitu, quibus litteris allatis, confeſtim Aquilae inſignia imperij, Principis iuſſu Mediolani locis omnibus attolluntur; & adulatio in Caeſarem per cuncta oppida ſubiecta Metropoli eadẽ erat. Paulo poſt, legati ipſi adfuere, Ciuitate erecta noui nominis admiratione, cuius honorem ex Germania afferebant. Nam vetera illa, Vicarius & Rector Dominusq. & Princeps, aut miniſterij ſeruilis, alienarumq; rerum titulum praeferebant, aut ambitioſe & callide vſurpata, veluti furta quaedam agnoſcebantur. Etiam, cùm populi Duces dicerentur, leuis quaedam, & permiſſa in tempus, obſequijque magis quàm imperij appellatio ea erat, quia nimirum poterat populus idẽ Magiſtratum auferre qui dediſſet. Nunc Caeſar vnà cum Ducis nomine, populos ipſos, ſceptraq. & diademata dabat, iturâ ad filios & nepotes poſſeſſione imperij, tamquam parentes auique ipſorum in eadem fortuna nati fuiſſent. Adiunxerat Caeſar redeuntibus domum legatis ſuum ipſe quoque ad Mediolanenſes legatum Beneſium nomine, qui in publico Ciuitatis concilio iuditium ac decretum id de Vicecomite ſuum exponeret, ipſumque coronaret. Is Beneſius petito Senatu (Senatus tunc erat octingentorum Concilium) dixit de Vicecomitum gente, Galeatijq; meritis falſa & vera quae voluit, & quomodo Caeſaris maieſtas, principatum vrbis in ea fundare domo ſtatuiſſet ciuium praeſertim ipſorum cauſa, ne vrbs & Metropolis tanta ob incertum ambigunmq; regimen, expoſita foret ſeditionibus ſuis, cupiditati alienae, belloque ſemper in-

feſtaretur, ſiue appeterent eam externi, ſiue familiae intus potentes, fluctuans & vacuum aliquando Regnum occupare vellent. Nota Senatui neceſſitas erat, in quā prima quaeque patiendo & admittendo, deducta ſibi publica res foret, nec reſponderi quicquam attinebat, praeter pauca illa ſolitae & meditatae adulationis; vt felix, vt laeta ciuitas eſſet prouidentia Caeſaris & cura; vt ipſius de Vicecomite iudicium, atque conſilium nihil ab ciuium ſingulorum exiſtimatione & voluntate diſcreparet. In campo, qui Ambroſianae Baſilicae circumiectus eſt, coronandi caeremoria Ducis peragenda erat. Ibi ad valuas, quae ſpectant in ſolis occaſum, pegma ampliſsimum, et geminum in pegmate tribunal adſtructis ad aſcenſum gradibus, auro purpuraque contexta moles ſumma artificum contentione, principis iuſſu erigebatur. Eo perfecto opere, die quodam feſto, qui dies fuit IV. nonas Septembris, procedit ab ab Iouis arce Princeps, cum principum aliorum comitatu, hoſtiumq; etiam ipſorum legatis. Namque cognita Caeſaris inclinatione animi, omneis, vt praecisā ab ea parte ſpem viderunt, aduerſus praeſentis neceſſitatis telum, quaeſitâ per ſimulationem gratiâ aderant duro ore, & nullâ flagitij huius verecundiâ, quòd rupta nuper pace minitati & moliti, rurſuſq. meditantes & molientes Galeatio & Mediolanenſibus bellum, in pōpa nunc agmineq; adulantium conſpicerentur. Inceſſere autem vnà cum Duce coronaudo, praeter ceteros, Theodorus Montisferrati Demarchus, Franciſcus, & Iacobus Carrarienſes, Vgo Salucienſis, Antonius Vrbinas;

pe-

perennium hoſtium nomina,qui,cum rerum facie mutando identidem ſuam,animos ſemper eoſdem retinebant. Nihilo amicioribus incedebant animis, legati Veneti, legati Florentini, Peruſini, Piſani, Siculi, Bononienſes,Senenſes, Lucenſes,& vrbium populorumq; aliorum, quibus læta erat res, ſiue fingere expediebat. Proceres vrbis, tum ſimulatione laetitiae, tum ſuo equorumq; cultu externis illis aemuli, moeſtitia maiore ob patriæ ſeruitium, quod extrema illa caeremonia ſanciebatur. Circumſteterant tribunal delecti equites totoque campi ambitu diſpoſita armatura varij generis fuit. Ipſo in tribunali Caeſaris legatus Principem humaniſſime excepit; caeteri poſt eum ordine ſubibant, & in ſua quiſque ſede collocabantur. Otho Mandellus vexillum tenebat, ſecto in decuſſim ſtemmate, Gallica lilia, Vicecomitum anguem, Germanicasq; aquilas attollens ſicuti per faſtum, & adulationem inſignia illa contexta erant, Res diuina facta eſt per Philargum eundem,qui miſſus antea in Germaniam impetrauerat a Caeſare iſta,emeratq; Principi ceremoniam hãc titulũq. Ducis.Sacrificio peracto Caeſaris Legatus nouum
„ Ducem ita alloquitur. Maiorum tuorum facta,& ma-
„ gnae tuae virtutes induxere Caeſaris animum, vt Me-
„ tropolim hanc prouinciamque Mediolanum, & ſubie-
„ ctas vrbes Ducis nomine poſſidendas tibi, & poſteris
„ tuis decerneret authoritate & iure,quo haec omnia ad
„ Sacri imperij maieſtatem ſpectant. Atque munus hoc
„ familiae veſtrae meritis & fidei debitum,ſicuti ad popu
„ lorum etiam pertinere ſalutem cenſet maieſtas eadem,

„ ita populos ipſos ob tanti beneficij memoriam & fru-
„ ctum, fore nominis ſui cum maiore beneuolentia me-
„ mores, principesq; alios ad benemerendum de Roma-
„ no imperio talibus exemplis acrius incitari poſſe con-
„ fidit. Nec hortari, nec monere plura, loci temporisq;
„ huius eſt, & impletum eſt omne munus, hoc ipſo quòd
„ te Caeſar meus elegit. Nam & Diuina prouidentia
„ Numenq; illud, cuius nutu ſingula, & cuncta reguntur,
„ prius elegerat, iam inde ab Auo & Atauo procreatũ ex
„ ſtirpe dominatrice, tot hoſtium victorem, tanti populi
„ ſuffragijs iuditioq; approbatum. Beneſius Cæſaris legatus haec ita perorarat, eamque orationem excipiens Philargus Epiſcopus Nouariae pari breuitate reſpondit, tamquam ſui Principis nomine beneficium liberalitatemque Caeſaris adoraret; & conſentaneam ei verborum adorationi fore rerum fidem erga nomen Imperij pollicebatur. Prolata hinc diplomata recitantur, queis per fori apices, & vocabula aulæ, res vniuerſa Mediolanenſis, & ſingulae partes huius imperij, quae aſſurgunt in colles, quaeue expatiantur in campos, prata, ſiluae, paſcua, piſcationes, venationes, ius omne beneficiarium, ius omne bellicum, mos & conſuetudo ciuium, praemia & pœnæ, vitae necisque poteſtas cum Ducis titulo tradebantur ſub nutum arbitriumque Vicecomitis, pari erga poſteros eius munere, ſi qua legitima proles in domo eſſet, conſuetudine & ritu, quo negotium illud æſtimare poteſt hominum fama. Quibus recitatis, iuratum in Caeſaris verba Vicecomitem, ornant diademate, & baltheo, & peplo, equoque inſiden-

tem

tem ſub vmbella in Arenae aulam inducunt. Diademati pretium perhibuere ſcriptores cc. M. florenorũ nummûm; & admiratione vanitatis in tantam chronographi nonnulli vanitatem euecti ſunt, vt alia principis geſtamina, totosque eius diei apparatus ad calculũ reuocando, ſummas annalibus ingentes congererent, quaſi calamitates & onera ciuium, raptaeque illæ ex priuatorum laboribus pecuniae, aut publica aliqua felicitas, aut gloria aliqua Principis eſſent. Ceterùm, eodẽ anno, quo peracta ceremonia erat, apparuit, quã vilia eſſent iſta apud infenſos, & longe aliud agitantes animis, quàm quod legationum officio & ſimulatione vultus praetulerant; vel potius apparuit, quàm inuidioſum & graue ſpectaculum tanti ſplendoris, tantarumque diuitiarum fuiſſet apud eos, qui ne antea quidẽ perferre famam & auditionem opum earũ potuiſſent. Nam Florentini ſtatim incurſauere Piſanos, quibus oppugnandis, haud dubie Mediolanenſium arma mouebantur; & Galliȩ Regẽ aggreſſi legationibus ac promiſſis, tamdiu fatigauere, donec relicto quod prius icerat fœdere, nouum ſecum aduerſus Mediolanenſes iniret fœdus, hoſtisq; ex amico Vicecomitis fieret. Mox Gallus vi ſubita morbi deiectus e poteſtate mentis, fœdera omnia, regnumque ipſum, ac deinde vitam reliquit. Florentini tamen hoſtilibus perſeuerabant animis, & ſuo Marte rem Piſanam infeſtando, mitti noſtros illuc exercitus coegerunt alieniſſimo tempore propter exortum aliud cum Mantuano bellum, quod etiam venientibus inde auxilijs grauius & difficilius

quotidie

quotidie efficiebatur. Ita coronato Duce, Metropolim, eaedem quae prius vrgebant calamitates, & impenſae bellorum; fœderatique paulatim priores, ab alio alius ſolicitudine omneis & metu excitabantur, ne Viceco-mes, firmato iam Caeſaris authoritate Imperio, nomẽ-que Ducis adeptus, appeteret etiam Italiae Regnum, vnde finis dominationi, vel libertati ſuae. Pro ſe quiſ-que mittebant auxilia Mantuano & Florentinis, vt ſi alterutra in parte Mediolanenſem exercitum afflixiſsẽt, ſucceſſiſſetq; aliquid, ad Metropolim deinde inuaden-dam ſtrenue vniuerſi impetum darent. Metropolita-nas autem in Hetruria copias, Florentinumq. bellum regebant Ioannes & Albericus Balbiani fratres, egregia ante id tempus militari fama, & pari erga Vicecomitem fide, quam vtramq; laudem eo bello corruperũt. Nam neque memorabile quicquam geſſere, diſperſi & vagi quacunque populationum & praedae vocauerat ſpes; & ingemiſcente nequicquam ac reclamante Alberico fratre, Balbianus alter ad Bononienſes defecit. Me-liore aliquandiu fama, non tamen exitu meliore Iaco-bus Vermus Mantuano bello datus ab Vicecomite im-perator agebat. Is enim quadraginta nauibus longis Pado amni Mantuanam claſſem aggreſſus, incenſo ponte, quem Gonzaga ipſe tuebatur, magnaque hoſti-lium triremium parte, vel capta, vel acta in fugam, tri-duo poſt, expoſito milite in vlteriore fluminis ripa, cùm caſtra poſuiſſet in Mantuano ſepto, repente ob loca vliginoſa, lutulenta, celique intemperiem, affectum morbo tabeque exercitum pene omnem habebat, ipſe

etiam

etiam aeger. Quam nacti occaſionem fœderati, cùm ſubita illâ Mediolanenſium victoria in metum adducti, Bononię de rerum ſumma conſultaſſent, copiasq; ſuas ad opem Mantuano ferendam in vnum contuliſſent, citato agmine accurrunt, ac leui certamine, caeſis aut fugatis noſtris, caſtra opulenta copia omnium rerum cepere. Vermus euaſit ignominiae trepidationisque plenus, & vnà cum eo reliquiae cladis ad Guaſtallam conſtitere. Clades inde alia vrbi Mediolano erat exactio tributorum, quae tanto accepto detrimento Vicecomes ad reparandum bellum, ciuibus Cleroque immodica & intoleranda imponere cogebatur. Centena millia florenorum nummûm in ſingulos menſes fiſco Ducis exigebantur ante eum caſum. Noua haec tributa octingentorum millium ſummam expleuere, eaque tabes multas illuſtres familias abſumpſit. Omnis publica priuataq. pecunia ceſſerat hoc tempore in domũ principis, & ciuium alimenta nouus belli apparatus occupabat. Reuocatur ex Etruria Albericus Balbianus cum eo exercitu, quem circa Piſas habebat; iſque modico relicto ibi praeſidio properus adfuit, ſtimulante praeter Ducis mandatum etiam cura & dolore fraternæ defectionis, vt quod ille deliquerat, ipſe emendaret. Praeterea, Facinus Canis, & Paulus Sabellicus, ille Caſalenſis, hic Romanus, clarus vterque bello & formidatus, propoſita ab Vicecomite ſpe rerum ingentium, & ampliſſimis in praeſentia ſtipendijs aſciti copiarum duces, quæ per vrbem & per agros conſcriptae ſubitario delectu, ad omneis hoſtium conatus opponebantur.

His

His ducibus,& Iacobo eodem Vermo exercituum imperatore, Mediolanenſes,ad Florentiam , ad Mantuam ad oppida alia,ita perculerāt foederatos,vt Veneti,cùm ancipites ad id ſeruaſſent animos,mitterent de pace legatos ad Vicecomitem , & omni ſua authoritate contenderent ne vltra dimicaretur. Ea res, & conciliandae pacis actio,difficilior aliquāto impeditiorque erat ob irritatos ſuperiore clade Mediolanenſium animos, ob ſperatam nunc victoriam , & ob conditiones, quae ab vtraque parte proponebantur. Veneto tamen adnitente Senatu pactae ſunt induciae decem annorum, fuitque hoc ita poſitum in conditionibus , Mantuanus vt Mediolanenſi beneficiario iure ſubiectus eſſet, & teſtandi cauſa,Imperium ſe ab Vicecomite habere illud, vectigalis Metropoli fieret ipſe poſteriq. eius ; quam conditionem accipiente Gonzaga,publicis tabulis cōſignata res eſt,teſtatoque perſcripta. Detegitur poſtea quamquam ſerò , domeſtica principis calamitas inteſtinusque proditor , qui diu consilia & arcana omnia aperiendo foederatis corruperat ſaepe victoriam & tardarat,cauſaque etiam fuerat cladis; neque vllæ hoſtium conſpirationes coniunctiue exercitus tantum damni attulerant , quantum huius perfidia & ſcelus .
Paſquinus Capellus fuerat Cremonenſis , qui ſordido etiam , non ſolùm humili loco natus, nullis honeſtis artibus imbuerat animum ; ſed ars ei ſcribere Principū nomine Epiſtolas , eiuſque ſeruilis miniſterij occaſione nouerat herilia cuncta, mentem & ſenſus animi intimos; quantum pecuniae domi, quid virium in exercitu, fida

&

& infida omnia, quid in quamque diem pararetur, quid ſponte ſua quiſque dies afferre poſſet. Haec omnia iam inde ab Galeatio II. patre Ducis, diuturno vſu comperta proditor habebat, emptusque ipſe prodigis ad talia ſolertijs hoſtium venditabat, hac ipſa merce opes principatus deſpectans infra ſuas. Prodidit eum Carolus Malateſta, ſtatim vbi, pactis vt dixi, decennalibus inducijs, & ſperata poſt inducias pace, coeperat apud emptorem praecipue eum vilis contemptusque eſſe. Pecuniae eius apud nummularios repertae, & in fiſcum redactae, ſubſidium opportunum exhauſto tot bellorum ſumptibus Principi fuiſſe dicebãtur quaſi per iocum; ſed reuera etiam fuere. Ipſe ad Ticinum intra confibulatas denſasque trabes (caueae Ticinenſi manet adhuc horribile nomen) coniectus clauſusque contabuit. Luchinus Nouellus etiam hoc tempore mortuus eſt, ille, qui effuſa matris impudicitia ſubditus Luchino principi partus, poſtquam ipſa vltro profeſſa eſt adulterium, aufugerat, prima iuuenta principis filius habitus, reliqua deinde vita extorris; Venetias, ſeſe contulerat exul; ibique obijt facto teſtamento, cuius ſingula capita pietatem eius viri declarauere. Iuſſit cadauer ſuum deportari Mediolanum, atq; in D. Franciſci Aede ſepeliri, quá ſacellum Innocentum nomini ipſe olim extruxiſſet. Duodecim millia florenorum nummûm apud nummularios deponi iuſſit, vt eius pecuniae fructus annui Carthuſienſibus Monacis cederent. Ingentem aliam pecuniae ſummam, quam Florẽtiae habebat, legauit in eum vſum, vt duodenae quo-

tannis adoleſcentulae, quarum ob paupertatem pudicitia periclitaretur, dotem inde acciperent, nuberentq;. Multos porrò fundos, quos poſſidebat in agro Mediolanenſi, legauit Carthuſiae, quã ad Garignanum Ioannes Archiepiſcopus inſtituerat, adiecitq; onus, vt ex fundorum eorũ fructibus Monaſterij aedes olim inchoatæ exſtuerentur; abſoluta aedificatione, fundi ipſi Monachis alimenta praeberent atque adderentur in reliquum Monaſterij patrimonium. Corneredi, & Meſeri arua Monacis eiſdem reliquit ea conditione, vt ex bonorum eorum fructibus, pauperibus benigne fieret, darenturq; dotes nubilibus puellis, quibus id ſubſidij dandum eſſe patres cenſerent. Luchinus Nouellus Venetijs moriens haec legarat inſtitueratq; anno cıɔcccxcıx; vnde publica in exulem miſericordia, & renouata in feminam indignatio, quae dignum hunc honeſtiore matre partum profeſſione illa ſui dedecoris infamaſſet. Eo anno verſa penitus eſt Inſubria in religionẽ, quę nõ multùm à ſuperſtitione abeſſet, idque ab re ipſa Miſericordiae tempus appellatum. Initia religionis eius profecta, e Subalpinis; & non magni primò coetus, paulatim aſſumendo ſubinde alios, in eam multitudinẽ peruenere, vt agmina complura fierent, ideo, quia non idem locus alere ſimul vniuerſos poſſet. Admiſti mulieribus viri, grandioribus minores, ſacri quoque profanis ad quindecim ferè millia mortalium inceſſere nudis pedibus, inuoluti linteis itaut pars exigua, quà cernerent, aperta relinqueretur. Trina quotidie templa obibant canendo ſanctiſſimas preces, quarum formam

Diſci-

Diſcipulis ſuis Chriſtus ipſe praeſcripſit. Id initium erat: dein Angelica ſalutatio ſubdebatur; deinde nomenclatura Sanctorum, aliudue quippiam ex ijs, quae D. Bernardus pio carmine eſt modulatus. Vt ad quęque locum pagumue acceſſerant, concionabundi Sacerdotes, conabuntur ſuadere quamplurimis, vt ſeſe in agmen conferre ſuum vellent. Digredientes inde, carmen illud concinebant; STABAT MATER DOLOROSA IVXTA CRVCEM LACRIMOSA; tum ceteræ quas dixi preces ordine ſequebantur. Et quacunque duae ſeſe viae interſecarent, ſtrati humi, pleno ſonitu ferientes aethera, diuinam miſericordiam implorabant; inde Miſericordiae tempus appellatum. Pauci primò fuerant, deinde paucis aggregando ſe ſe alij numerum & populum eum, quem dixi, effecere. Tradunt temporum eorum ſcriptores, multas implacabiles inimicitias per homines illos eſſe ſublatas, multos à flagitioſa vita perditisque moribus traductos ad perfectionem & ſalutem. Addunt etiam miracula more ſuo; viſas in ſublimi concurrentes inter ſe acies, ſolemq. puro ac ſereno celo languidum ac prope emortuum iubar per dies aliquot praetuliſſe; Rurſus quaſi ſcintillantem eſſe conſpectum, ac deinde, fornacis modo globos igneos cum fumo ac vapore euomentem, in citreum, & luteum, ac denique in atrum colorem cõceſſiſſe; ſpeciemque eam Antonius Mirabellus ſe ait vidiſſe cùm Laudae vicarius eſſet. Veluti prodigia imminentium Vrbi calamitatum haec accipiebantur, ſed ea quae deinde inſecuta ſunt, fecere, vt certiſſimum

& vnicum princeps ipſe prodigium fuiſſe diceretur. Iam ille ſupergreſſus omnium fere principum imperia & opes, domitis hoſtibus, data pace quibus voluerat, alijs illigatis induciarum vinculo, capta Vmbria, miſſis in Etruriae ciuitates praetoribus, Bononia etiam recepta, illa tantarum dimicationum vrbe inibi erat, vt Italiae rex coronaretur. Treis adulti filij, ſubnixa domus conſanguinitate omni, quae, vel ad praeſidium, vel ad ſplendorem expetenda eſſet; ipſe quinquageſimum quintum annum ingrediebatur in tanta gloria nondum ſenex. Et cùm ita conſtituta fundataque cuncta ei eſſent, prope aderat, cùm deficere ab Metropoli nomineq. Vicecomitum ſingulas paulatim imperij partes, & imperium denique totum extincta omni ſtipis huius virili ſobole, per ſuperſtitem vnam feminam in peregrinam aliam transferri domũ oporteret. Sed Princeps ignarus, tum appropinquantis ſibi mortis, tum rerum carũ, quae poſt mortẽ futurę eſſent, maieſtate animoque regio cuncta agebat; dimicantibus inter ſe Regum alijs arma interponebat ſua, cum aliis ipſe gerebat bellum. Conſtantinopolitano Imperatori ſuppetias aduerſus Turcarum principem Amuratum miſit, cùm petendi auxilij cauſa Mediolanum occultus ille veniſſet. Robertum Bauarum, nouum deiecto Vincislao Caeſarem inuadendae Metropoli iam transgreſſum alpes, commiſſo in Cenomanis praelio retro compulit Tridentum. Pontificatus quoque Maximi curam atque defenſionem amplexus; cõſilia Regum externorum de creando ſuae nationis Põtifice,

tifice, diſſimulato negotii eius intellectu, diſcuſſit arte, quam ipſa temporum conditio ſuppeditabat. Cùm enim Rex Hiſpaniae, Rex Gallus, atque his interiecti tranſalpini alii principes, miſſa in Italiam legatione, verbis quidem & ſpecioſo ad omneis titulo peterent Eccleſiae Catholicae pacem, finemq; diſſidij quo Pontificatus eo tempore diſtrahebatur, re autem ipſa molirentur id quod dixi, & Concilium Italiae principum dari ſibi poſtularent; Vicecomes, quem praecipue legatio ea fatigabat, huiuſmodi reſponſo expediuit rem. Totam eſſe peſtilentia contactam Italiam: non poſſe Principes absque manifesto exitio congregari: vbi calamitas ea deceſſiſſet, Reip. consulturos. Ita periculosa res, quae sub salubri titulo tentabatur. Vicecomitis huius prouidentia & aſtu discuſſa eſt. Florentino etiam bello, expugnatione eius vrbis finem impoſiturus erat, cùm ipse moritur. Mortuus eſt ad Melinianum decimo ab vrbe lapide, quo se se contulerat in peſtilentię metu; formâque mortis comparatus eſt omnibus, qui vnquam ſancte deceſſiſſent. Tanta ei ſolicitudo vitae alterius, & ab eadem magnitudine animi, qua geſſerat imperium; cura tanta extremi actus fuit. Cadauer in Monaſterio Viboldoni collocatum eſt interea dum exsequiae regali pompa adornarentur. Exſequiarum autem apparatus, & pompa fuit huiusmodi. Familia Praetoris, & familia Præfecti vrbis atrata praeibat: ſacri ordines cũ sua quique Cruce ſequebantur. Poſt ſacros ordines ibant, qui ſuo quẽque loco continerent, euagationesq. prohiberent.

Ad templi maximi valuas conſtitere milites, vt quietus ac ſine tumultu ingreſſus praeſtaretur; alij toto templo ad Aram vſque diſpoſiti curam eandem agebant. Equus Principis cum galea & criſta gentilitijsq; inſignibus, & armatura, qua ille vti ſolitus fuit, ad valuas vſque perductus, ab ijs qui tenebant, traditur alijs, ac deinde per manus alijs, eodemq; ordine, varia arma, & vexilla portantes equi circa templi valuas traditi ſubducebantur. Cohors deinde alia nobilium virorum ſequebatur conſeruandi ordinis cauſa: poſt cohortem eam Gabriel Maria Principis filius ibat cum longo legatorum ordine, quos Ciuitatum, & Rerump. Principes miſerant. In eo agmine fuere Pontifices & Abbates, & pleraque alia ſacrarum dignitatum nomina, prout quemque ſuus animus erga defunctum, vel ſuae opes apud heredem, vel aliena mandata exciuerant ad lugubre id munus. Poſt eos procedebant legati ciuitatum regionumue ſubiectarum Metropoli, & ex regionibus ciuitatibusque ijſdem Collegia Monachorũ. Clerusque vniuerſus. Miſerant eaedem ciuitates equitum agmina ſplendidiſſima quantum in atro illo & funeſto colore eſſe poterant. Hi Cleri ſui veſtigijs inſiſtentes, bini quaterniq; vehebantur. Proximi erant octo regia ferentes vexilla, poſt quos, duo millia hominum vadebant cum facibus accenſis, & oblonga pullaq; veſte, quae pectoris medio inſignia Vicecomitum gentis aurata praeferebat. Archiepiſcopus deinde Mediolanenſis cum purpuratorum manu totoq. Templi Maximi Clero feretrum anteibat. Feretro ſuccol-

labant Principes viri ſuccedentes inuicem integri feſſis, & ſupra id auream vmbellam alij procerum attollebant. Circumfuſa feretro erat alia turba ferentium clypeos, inſigniaq; & vexilla; & agmen extremum claudebant duo millia hominum cum ardentibus taedis. Ad Templi valuas legati principum, & ciuitatum nominatim citabantur, acceptisq; funalibus ad aram vſque procedebant; inde flectentes ad ſiniſtram proximo diuerticulo in aulam tetendere. Ibi funebris oratio habita eſt à Petro Caſtelletto Dominicano diſerto temporibus illis homine, & propter vitae etiam dignitatem claro. Teſtamentum apertum heredes habuit Ioannem Mariam Anglum, Philippum Mariam Anglũ, & Gabrielem Mariam Anglum; aliaque inerant nihil ad Remp. attinentia; ſed adnexa religionis & patriae
» rebus haec fuere. Ticini Monaſterium heredes mei
» extruunto Carthuſienſi Ordini, idque Monaſterium
» deſcriptis ex ordinis eius diſciplina cellis, quatuor & vi-
» ginti Monachorum ample capax fiet. In Monachorum
» alimenta florenos bis mille quingentos heredes mei
» quotannis eroganto. Monaſterium illud vti quampri-
» mum ædificetur, decem millia florenorum annua e San-
» cti Columbani prædijs aſſignamus. Aedificatione ab-
» ſoluta, volumus bonorum eorum fructus inſumi diſ-
» ſoluendo aeri alieno, ſi quid alicui debemus. Diſſolu-
» to aere, quod reliquum erit ex fructibus bonorum eorũ
» in pauperes diuidetur. In eo Carthuſienſi templo poſt
» aram maximam extruetur marmoreum monumentum
» appoſitis gradibus, effigiesque noſtra item ex marmore

ſolio

Digitized by

,, ſolio inſidens fiet. Galeatio patri marmoreum monu-
,, mentum fiet Mediolani in Templo Maximo, in eumque
,, tumulum ipſius oſſa transferentur. Collocandis D.
,, Auguſtini reliquijs arca inchoata ſumptu noſtro perfi-
,, cietur. Sancti Spiritus Aedes decem Canonicos habe-
,, bit cũ antiſtite ſuo, eaque aedes Ticini à nobis inchoa-
,, ta abſoluetur, & alimenta idonea Canonicis heredes
,, noſtri praebebunt. Ad eandem vrbem, trans Ticinum,
,, quà ponte iungitur flumen D. Antonio aedes ponetur
,, ſumptu noſtro; ea Sacerdotem cum Clerico habebit.
,, Romae D. Mariæ Virgini Templum aliud aedificari
,, volumus, eique templo Sacerdotes nouem praeeſſe,
,, quos alent atque ſuſtentabunt hæredes noſtri. Veronę
,, tria ſacella extruentur, Euangeliſtæ Lucæ vnum, aliud
,, Martyri Georgio, tertium ſanctiſſimæ Tri-
,, nitati, eaque ſacella ſingulos cum
,, ſuo Clerico Sacerdotes ſumptu
,, noſtro habe-
,, bunt.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Vndecimus.

IOANNE Galeatio mortuo, duodecim viri, quos ille filiorum adoleſcentiæ rectores inſtituerat, exigunt publice ſacramentum in verba Ioannis Mariae, nouumque Ducem eum, deplorata in perpetuum libertate Mediolanenſes accepere. Initia noui principatus infauſta, & turbulenta calamitates inſecuturas haud obſcure portendebant, cùm, & ipſae per ſe ciuitates ad rebellionem ſpectarent, & apud veteres Vicecomitum inimicos conſilia euertendae Domus acerrime infenſiſſimeq; agitarentur. Principes autem authoresq; talium conſiliorum Florentini erant adducto in ſententiam mentemq; eandem Põtifice Maximo propter antiquas culpas huius domus, & contumaces ſemper animos

mos,quoties inter ſe diſcreparent Apoſtolicae ſedis authoritas,& cupidines augendae dominationis. Recẽs inſuper ira Romanum ſtimulabat in Bononiae vrbiumque aliarum raptores,nec leue incitamentum origo ipſa domus imperijq. huius erat. Itaque, dolore & indignatione ardens contulit in Vicecomitum perniciem arma cum Florentinis, & vrbem Ferrariam,miſſo in id Cardinale legato Eſtenſi firmauit ea conditione,vt gerendo aduerſus Vicecomites bello imperator ille adeſſet. *I*acobus Rubeus Veronae Epiſcopus cum Petro fratre ad Parmam inuadendam cuncta moliebantur. Alberici Balbiani, & Vani Gozadini defectio his adijcitur,qui maximis ab Ioanne Galeatio beneficijs aucti, non eo ſolùm aggrauabant inclinatas res,quia partas hîc opes auferebant ſecum, ſed multò magis, quia deſperaſſe de Metropoli imperioq. hoc videbantur, & notitiam arcanaq; multarum rerum ad hoſtes tranſtulerant. Videntes iſta duodecim viri rectores adoleſcentiae Vicecomitum,conſilio inter ſe habito, placandum inprimis eſſe Pontificem ſtatuerunt, ac rogauere Mediolanenſem Archiepiſcopum,vt Principis & Reip. nomine ſuper ea re legatus ire Romam vellet. Eo ſuſcepto munere ille cùm iuiſſet, Romanas reperit iras grauiores multo quàm antea vnquam fuiſſent. Toties rebellis vna domus,& vna toties damnata Ciuitas augebat ibi indignitate animos, quòd ſimulatq; veniam impetraſſent,ad priſtina relaberentur. Non modò auditam parum benigne legationem, ſed ipſum quoque legatum in manifeſto diſcrimine eſſe verſatum ferunt.

Poſt

Poſt Archiepiſcopi reditum, calamitas inuaſit vrbem, quae, & fuit ipſa malum atrox, & mala deinde alia conciuit; ac de eo caſu quambreuiſſime abſoluam ſicuti proditum eſt ab ijſdem illis, qui in parte tantae calamitatis fuere. Franciſcus Barbauaria erat vnus de duodecim, quos moriens Ioannes Galeatius rectores filiis, vt dixi, inſtituerat. Hunc iuſſerat caput eſſe rerũ conſiliorumq. omnium, eique vt aula tota pareret, ſanxerat extrema ſua voluntate, quã reſcindi violariq; nefas eſſet. Is homo, ſiue intemperanter abutendo poteſtate ſumma, ſiue communi eorum conditione, qui ſupra ceteros euecti infenſis aequalium olim oculis adſpiciuntur, facta per nonnullos coniuratione deſtinatur ad necem. Coniurauere in eum, Antonius Vicecomes, Ioannes & Gauatius Aliprandi fratres cum parente ſuo Galeatio, Porri fratres Antonius & Galeatius, alijque complures, prout horum quiſque, propinquitate vel amicitia fidos ſibi aſſumpſit. Statuerant impetu in aulam facto trucidare ibi Barbauariam, parauerantq; idoneam manum in id ipſum, quae aduerſus praetorianas etiam ſtare cohortes poſſet. Haec agitari conſilia cùm ſenſiſſent, Catharina mortui Ducis vxor, & Barbauaria principem iam in vrbe locumtenens miſere Ioannolum Caſatum ad Vicecomitem, quem caput eſſe coniurationis compererant, vt ex eo ſciſcitaretur, quae cauſa ipſi turbandarum rerum, quidue dolens, atrox in Barbauariam conſilium ſuſcepiſſet. Vicecomes, conſpecto Caſato protinus expedit ferrum, hominemque obtruncat. Tumultus inde peruadit vrbem, & dum

ciues ad eum caſum pro ſe quisque armantur, Clerici quoque ſumpſerant tela; direptio ſacrarum aedium fiebat, & in Archiepiſcopi aulam peruenerat terror. Catharina principum mater apopletico ſtupore ſemimortua impoſita raptim in currum, vehitur per vrbem, ſedatoque parumper tumultu cum liberis recepit ſe ſe in arcem Iouis, & pax reddita eſſe rebus videbatur. Poſtero die, concitante populum Antonio Porro, ſumpſere iterum arma promiſcua ciuium, & Clericorum multitudo, rursusq. prodeunte Catharina sedatur tumultus. Eaedem tumultuandi, & quiescendi vices per dies aliquot repetitae, donec Barbauaria ipse causa & initium irarum aufugit. Non tamen ea fuga lenierat animos; quotquot ex Barbauariae factione Mediolani reſidui erant, occidebantur in illius contumeliam, ſatiabantque innoxiorum etiam caede iras. Sed & ſocij impotentiae miniſtrique iniuriarum dominante antea illo multi meritò nunc plectebantur, haud ſatis tegente capita inuiſa honore religioneue vlla etiam ſi Magiſtratibus ſacerdotiisque amplis praeeſſent. Ambroſiani Abbatis caedes, ob loci eius dignitatem magis quàm publico vllo luctu inſignis fuit. Praefectura illa Monaſterij Ambroſiani magnas opes authoritatemque parẽ opibus adiunctam ſibi per ea tempora habebat. Fortè Monachorum ſuffragijs mandata fuerat homini, qui litteris quidem, & innocentia vitae mereri debuerat eũ gradum; ceterùm debuit idem, ſicuti res monſtrauit, eſſe lento ingenio & ſegni ad repellendas iniurias, ſiue ne violentia quidem vlla ipſius valuerit aduerſus armatos,

tos,

tos, & dominantes. Hunc Barbauaria loco cùm deieciſſet, impoſuerat Monaſterio quem voluerat ipſe Abbatem è familiaribus ſuis temerarium hominem, & abſurdum immemoremque fortunae prioris, qualia ferme ſunt hominum ingenia, qui ab humili loco ad commoda aliqua proceſſere. Praeterquamquod erat e factione Barbauariae, offendebat etiam ipſe moribus ſuis animos, & legitimi Abbatis ſolitudo ſqualorq; nõ paruum incitamentum erat, quò magis adulterinum hunc auerſarentur. Interfectus auidiſſime eſt, nec alia tam grata in publicum caedes fuit, Abbaſque prior cũ magna bonorum gratulatione reſtitutus in ſuum locũ. Sed prius, facto in Monaſterium impetu, diripuerant illic omnia, crudeliterq; debacchati fuerant, lacerando & perfringendo quæ noluerant aut non potuerant auferre. In reliqua multitudine furor partium tantò atrocius deſaeuijt, quanto copioſior & promptior ibi furori materies erat. Neque capita tantummodo petebantur ad necem; infantes ipſi ad parietes allidebantur, vt quamq; diuerſae factionis domũ ingreſſi factionis alterius homines erant. Ac tanta fuere odia, vt vulnera & caedes in leui haberentur, niſi etiam dehoneſtamenta domibus inuicem addidiſſent. Reperi in annalibus id quod inuitus referam, nollemque tetigiſſe; ſed hiſtoriae fides cogebat. Mediolanenſem Archiepiſcopum tradunt in parte tam atrocium inimicitiarum fuiſſe, quemq; in tam turbidis atque funeſtis rebus haud aliter quàm conciliatorem animorum nominari oportebat, hunc inter initia cauſaſq; malorum

pro-

prodidere Archiepiſcopus erat Petrus Cretenſis ille de quo antea memoraui, primò minorum Franciſcanorum Antiſtes, dein Vicetiae, tum Nouariae, nunc Mediolani paſtor animarum, ac paullo poſtea Cardinalis futurus, vt ab hoc denique gradu ad Pōtificatum Maximum ſuo tempore extolleretur. Et erat ille fortaſſe quietus ac probus, ſed conditione temporum effugere non potuerat quin ſeſe turbis immiſceret. Is, vnà cum Antonio Porro decemque Conſiliarijs, quos Catharina ſibi aſſumpſerat, coepit ipſam adeo infeſtis modis obſidere Catharinam, vt ea captiuae prope inſtar haberetur. Appoſitis cuſtodibus domi clauſam tenebant, irritumq; erat quicquid ipſa inconſulto Archiepiſcopo conſiliarijsq; ceteris in re etiam domeſtica decernere voluiſſet. Si forte illa ſeſe commouerat, volueratq; prodire, populus ad arma concitabatur, ipſeque Archiepiſcopus inter populi concitores erat. Sex in vrbe praefectos conſtituerant, ad quorum nutum arma caperentur. Hi ſimul atque inclamaſſent, tota in armis erat ciuitas, & more belli cuncta agebantur. Itaque tantae clades & miſeriae vrbis, animos fecere prouincialibus ad tentandā ab Metropoli defectionem, quam in cupiditate animiſque omnium iamdiu incluſam, reuerentia & metus imperij comprimere ad eam diem ac retardare potuerat. Spreuere primò, & abiecere maieſtatem Cremonenſes ſemper laeta ciuitas contumaciae fama, & pernicie ſaepe ſua gloriam eam quaerens. Tum Brixia Cœnomanorum haud abſimilibus ingenijs exemplum ſecuta eſt, exemploque ipſa ſuo alias ad rebellandum ciuitates

inci-

incitauit. Rebellauere deinde agmine vno Bergomum & Crema, & Laus Pompeia, & Placentia, & vrbes aliæ certamine factionum prolapsae etiam ipsae ad rabiem ciuiliaq; arma velut aemulatione in Metropolim á qua deficiebant. Bononiam & Aſiſium, & Peruſiam tutores & conſiliarij Vicecomitum Pontifici tradidere vltro ob metum, quia non aliter quàm placato Romano ſiſti poſſe impetus ille praecipitantis imperij videbatur. Interim Catharina principum mater, quam Archiepiſcopi decemque conſiliariorum ſaeuitia captiuae inſtar habitam fuiſſe dicebamus, die quodam eluctata cuſtodias, diſceſſit ex aula, & ſeſe rurſus in arcem abdiit, quo caſu atrocius quàm antea in vrbe tumultuatum eſt. Namque, vti populus vniuerſus erat Archiepiſcopi, decemq; conſiliariorum, ad eum motum conſurrexere omnes, iamque manifeſta defectio ab nomine, & domo Vicecomitum fiebat. Strata paſſim humi cadauera nobilium virorum reperiebantur, & capita partium demerſi in cloacas iacuere. Praecipue commouerat animos atque perturbarat dira illa ſpecies, cùm Antonius, & Galeatius Porrus, & Galeatius Aliprandus principes partium in foro reperti eſſent capitibus abſciſſis, & ad latera collocatis cum tanta inſuper vulnerum fœditate, vt eorum ora non agnoſcerentur, donec nuſquam viui reperti, cadauerum denique coniectura innotuere. Iacebant inſepulti, niſi Auguſtiniani fratres ob neceſſitudinem fortaſſe aliquam, facto repente agmine ſuſtuliſſent corpora, & in D. Marci Æde tumulaſſent. Cùm ea deformitas rerum omnium Medio-

lani

lani eſſet, cõuentus ciuium habitus eſt tentandae pacis, ſi fortè reſpicere cum aliquo honeſto ſenſu laceratam indigne patriam poſſent ijdem illi, quorum acerbitate lacerabatur. In eo octingentorum conuentu Chriſtophorus Caſtellionaeus rudi facundia conciomé habuit, cuius initiũ homines fortaſſe illi admirati ſunt, aetas noſtra irrideret. Cùm enim ei propoſitum eſſet hoc ſuadere populo, vt Barbauaria reuocaretur, ita eſt exorſus. OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT, ET SINE IPSO FACTVM EST NIHIL. Quae verba, praeterquamquod abſurde potentiam exſulis extollebant, etiam irreligioſe translata ex diuinarum literarum oraculis ad quotidiani ſermonis conſuetudinem erant. Barbauaria tamen eſt in patriam reuocatus ſummo Ciuitatis vniuerſae ſtudio, cùm interfectis, qui capitaliſſime hominem aderant, horum etiam aſſeclae mutaſſent animos, & tota illa coniuratio diſſoluta eſſet. Prodiere venienti obuiam principes vrbis, atque ipſe inter ceteros Archiepiſcopus vnà cum Franciſco Gonzaga Mantuae Principe prodijt effuſa in exſulem adulatione tamquam amores & delitiæ ſpesq; & ſalus vrbis in capite iam illo eſſent. Sed reſtituto in hunc modum Barbauaria, cùm profectum eſſe aliquid ad Reip. tranquillitatem videretur, caſus repente infeſtus deſiderabiles fecit atrocitate ſua priores turbas potius quàm vt ex breui & infelici pace, ſanguine rurſus ciuili cuncta inundarentur. Ab latrunculi ſupplicio vnius orta eſt cauſa irritandi Guelficos Gibellinosq; furores, armandae ciuitatis aduerſus principem, principi ciuibuſque

buſque ſenſum & mentem adimendi, dum ille maieſtatem imperij facto fortè vno violatam, hi priuatum dolorem atq. alienas iras vlciſcuntur. Moncinus erat quidem trucis audaciae gladiator, & latro peſſimus, miniſter & aſſecla Caſatorum, cuius manu nonnullae palam, plures ex occulto patratae caedes fuerant, nulla ipſius irâ nulliſue inimicitijs, ſed ad nutus tantummodo heriles ne excideret menſa, & ſtipe qua alebatur. Et rumor erat, familiaritate ſalarioque eo minime contentum exire ſaepe noctu per diuerticula vrbis telo ſocioque ſuccinctum ac ſpoliare ſi quem ſolum inermemq; nactus eſſet: ſaepius circa ſuburbanam viam inſeſsâ latebrâ dare ex tuto impetum in viatores, & ſpolia in latebras alias referre. Venditabat quoque ſeſe, & venditabatur ad facinora, & artes hominum interficiendorum quem quiſque ob metum ſiue per iram occulte ſublatum vellet. Hunc Moncinum, poſt clandeſtina multa flagitia compertum vnius denique flagitij, & ab eo indicio, totius antaectae vitae manifeſtum dãnauerant iudices, vt laqueo publice exanimaretur. Statuto igitur die, cùm ad ſupplicium ducendus eſſet, tota illa familia Caſatenſium, conquiſitis vndique amicis, haud contemnendo agmine Praetorium irrũpũt, & eripere carnifici ſatellitibuſque Moncinum conantur. Fit ob eam rem tumultus ingens, ac diſtrictis vtrinque gladijs, pro latrone pugnant, qui ſaluũ, quiue ſupplicio affectum volunt; neque, aut iuſtitiae cura iſtis, aut illis amor tam indigni capitis; ſed

ſatellites, eandem ſibi furcam, ſi ereptus foret, Caſatenſes infamiam, niſi ereptus timebant. Perlato in aulam nuntio, mouetur ſtatim ferocia iuuenis principis, vt eat ipſe, & quid inſolentiae ſit illud coram ſpectet. Vbi princeps, & cum eo tela praetorianorũ in conſpectu tumultuantibus fuere, creſcunt animi ſatellitibus, Caſatenſes ab fuga ſubſidium petunt, & in P.N. regionem trepidi conglobantur. Concaluerat Principi pectus, non iam ſolùm ab audaciam eorũ qui tantum facinus in conſpectu penè ſuo tentaſſent, ſed etiam ob trepidationem eorumdem & fugam: Veſtigia fugientium cum praetoriano milite raptim inſecutus, ad vſque D. Petri Aedem adequitat, quae corrupto cognomine Cornareda Aedes dicitur ob depictum olim ibi cum piſcatorio rete Apoſtolum. Portae Nouae proceres conſpecto circa meridiem principe, ſtrepituq; abeuntium, & perſequentium audito, tempus in ſuſpicionem, cauſam in crimen, arripuere; ratique ſaeuire mero & petulantia ſua iuuenẽ, tela e feneſtris in eum conijciunt. Et ille quidem ad eum caſum attonitus anhelusque metu ſeſe in aulam recepit, ſtetitq; eo die tumultus intra Moncini tantummodo caedem, quem carnifices praetorio in ipſo ex eminula quadam trabe ſuſpenſum ſtrangulauere iniecto tantò violentius ac ſaepius pede, quaſi ob iram diſcrimenque principis, etiam ipſos iraſci oporteret. Caſatenſes verò cum aſſeclis ſuis, hoc ipſo deſperata venia & ſalute, quòd Principem in id periculum adduxiſſent, ad extrema & abrupta omnia conuerſi

Franci-

Franciſcum Capitaneum, & Othonum Ruſconum rebelleis hoſtesque Vicecomitis eoſdem, & rebellium exulũq; aliorum duces, ad ſpem capiendae vrbis excitos adiunxere ſibi, validam & magnis rebus aptam manum hominum, qui ipſi ad rem gerendam nihil aliud quàm auxilia aliqua circumſpiciebant. Poſtquam deſperati iſti nouos ſic inuenere deſperatos, duo agmina ſibi, duos inceſſus parant. Agmine vno fauces aditumque Portae nouae occupant, altero perſultant vrbis vias, & viuere Guelfos, trucidari Gibellinos iubent. Quae vbi nuntiata principi, confeſtim ille, miſſo per vrbem praeconio edicit, vt quicunque ſaluum eſſe Vicecomitum genus velint, in Arenae aulam eant armati; qui non adfuerint, ſe eos pro hoſtibus eſſe habiturum. Ciues, ad eam vocem idque edictum, haerebant attoniti haud minus quàm ipſo rebellium inceſſu & clamore. Nam neque pro principe armari inireq; aulam volebant, ne motu eo impedirent, ſi quid fortè boni ad res nouandas vrbemq; liberandam tumultus ille afferret, neque reſtando, & manendo audebant animos nudare in manifeſtam vltimamque perniciem, ſi expectatione illa deſtituerentur. Inter manendi metum & eundi recuſationẽ arreptis quæ cuique ad manum fuerant armis, congregabãtur inter ſeſe Guelfi & ad loca ſubinde aliqua ſubſiſtebant quaſi iam iamque ituri, ceterùm inito conſilio expectantes, quorſum res ipſa euaſura eſſet. Nec minus apud rebelles tumultuatoresque ipſos trepidabatur, Videbant ciuitatem

vniuerſam torpere metu, & ſeſe iam eò progreſſos, vnde receptum habere nullum poſſent. Curſitando, & inclamando, ad Pontem veterem deuenere, inde in Cuſani angiportum flectunt, hinc vſque ad Malum angulum agmine infauſto progrediũtur; & alleuauerant paulisper animos cõſpecto Gauatio Reina ſuae factionis homine, & duce Portæ Vercellenſis, qui conſcenſo equo, per omneis vias ibat vociferans, vt omneis ſeſe domi continerent; ſic iubere principem. Ad malum angulum aedes fuere vnius inſignis Guelfi, quem Cautum Concurrentem appellabant. In eas ſeſe aedes abdidere ad quadringentos, & ſumptâ albae crucis notâ, quod inſigne Guelforũ erat, coniurant, quandoquidem in eam neceſsitatem ventum ſit, aut mori cum gloria, aut ferro ſalutem ſibi, patrie libertatem inuenire. At Vicecomes, in eo diſcrimine familias ciet, de quarum fide minime ambigebat, armarique ſingulos iubet. Confeſtim armantur Puſterulae, Cribelli, Lampugnani, Caimi, Landriani, Corij, Boſsij, Badagij, Riſij, Maini, Marliani, Mirabiliae, Stãpae, Arluni, Gallarati, Mandelli, Vicomercati, Burri, Mantegatiae, Ferrarij, Orombelli, Dugnani, Salae, Tuſcani, Gambaloitae, Plati, Garbaniatenſes, Oprini, Stratae, Moroni, Seluatici, Galerani, Petraſanctae, Arconati, Craſsi, Meltij, Baſgaperij, Crotti, Saxij; quae familiarum nomina ſic retuli, ne ſuus vnquã nobilitati honos in vlla noſtri operis parte ſubtractus fuerit. Vrbano huic exercitui, Iacobus Cruceius, & Barptolemeꝰ Amiconꝰ duces

fuere;

fuere; ſimul Vicecomes ipſe cinctus latera fidiſſimis ad omnia quae in tali caſu eſſent agenda, & diſponenda, obibat. Cùmq. fortiſſimorum virorum iſta acies obequitaret ædibus, quas Guelfi rebelleis ceu arcem inſederant, erumpere auſi illi quaſi phanatica acie euaſere per cateruas arci ei circumfuſas, nec fere multò plus accepere damni quàm intulerunt. Pugna deinde cooritur acrior tantò, quò magis, eruptio illa, hinc audacia, hinc pudore animos accendit. Cadunt vtrinque multi, ſed plures in rebellium parte, quia pars altera, & numero, & animis creſcebat, aggregantibus in ſingula momenta ſeſe nonnullis, vbi dimicantem in eadem acie principem, & ſpem, quae primò ſuſpenſos tenuerat, eſſe irritam uident. Inclinari deinde paulatim, & diſſipari fugâ rebellium agmen, inſequente ferociter & urgente agmine altero donec ad D. Anaſtaſiae Aedem, qui fugiebant, quiue ſequebantur, pars vtraque pleni vulnerum, & caedis peruenere. Ibi, non iam earum, quas retuli, familiarum homines, quiue ſeſe poſtea adiunxerant, ſed tota illa regio in perditos profligatoſque Guelfos pugnabat, niſi caedes erat ea potius quàm pugna. Et latè ſpatiatur ibi via in campi ferè modum, quò laxius liberiusque caederentur, nulla ſicut inter anguſtias declinatione & impedimento, ſed obſeptis omnibus effugijs, & diuiſa vtrinque acie, conſpectis hoſtium amicorumque capitibus. Euaſere pernicitate equorum, & ſolertia ſua nonnulli, paucos iniectis vinculis abduci princeps in cuſtodiam iuſſit, & in

furcam

furcam laqueumque reſeruari ne tam honeſte perirent. Per octo amplius horas pugnatum eſt, eiuſq; tumultus dies fuit x. Cal. Iun. anno 1404. cruento ſcilicet illo, & tantis publicis calamitatibus inſigni. Poſtridie eius diei, quo victoria haec parta de rebellibus erat, ſupplicia de captiuis ſumebantur conſpectiora eò, quia nobiles viri poenam eandem ſubibant, quae latrunculo vni irrogata tam funeſtas in vrbe turbas excitarat. Praecipua inuidia ſaeuitiae principis fuit ob Calatenſium necem, qui paſſim pependere furcis, haud tamen ſine multo apud maleuolos irriſu, quòd Moncini illius antea liberatores, ignominia nūc & dedecore mortis Moncinum ipſum referrent. Qui ex gente domoq; ea opulentiores erāt, praeſenti pecunia tenuere, vt datis potius ceruicibus obtruncarentur. Per aliquot inde menſes, rarus absque inſigni aliquo ſupplicio dies erat, & poſtquam carnificina haec exhauſerat omneis captiuos, tamquam in acie rurſus occidebantur familiarum earum homines, quę cum Caſatenſibus neceſſitudine aliqua coniunctae eſſent. Biliorum maxime familiam extinguere omnem princeps volebat, infeſtus huic nomini, propterea quod, ſicuti adiutores ad rebellandum Casatenſibus fuiſſe occultos conſtabat, ita ſupplicio cladeque iſtorum irritati, tantoque magis infidi habebantur. Eadem cauſa ſpoliationis & excidij nobilibus alijs familijs fuit; Abbasq; D. Ambroſij, de quo pulso, dein reſtituto demonſtrauimus, ob nonnullam earū rerum ſuſpicionem occiditur. Latrunculi Moncini furca

ni furcą, & familiae vnius temeritas haec mala attulit vrbi, cùm ab alijs paulisper reſpirari malis coeptum eſſet. Ceterùm, minimè dubitatum eſt, quin furca temeritasque eadem, etiam liberatura vrbem fuerit, ſi Ioanninus Vignatus cum Ruscono Casatenſibusq. ſicuti conſtitutum inter eos fuerat ſeſe coniungere maturauiſſet, atque cum ſua manu praeſto fuiſſet ad ea loca quae per eum occupari debuere. Serò poſtea ille ad foſſam vallumque ſuccedebat cùm iam caeſi rebelles, aut capti eſſent, cuius rei terrore, preſſo velut angue refugus abijt. Poſt cladem hanc ciuilemque tumultum Metropolitanae res, & prouinciae negotia quo coeperant motu prolabebantur haud equidem crediderim vitio magis vllo, quàm turbatarum tantopere rerum in ipſa imperij ſede, & arce. Neque manebant tantùm in rebellione vrbes eae quas antea deſciuiſſe ab Metropoli demonſtrauimus, aliaeque ſubinde aliarũ ſtimulis & exemplo deficiebant, ſed etiam intra Dioecesim agrumque Mediolanenſem arma ab ipſis inferebantur. Agreſtes itaq. noſtri, deſerto aruorum cultu quotidie migrabant in vrbem cum pecore ſuo, & iumentis, ne alerent hoſtem, neue ipſi praedâ ab actâ ab populatoribus ijſdem interficerentur; quae rebellium ira & licentia contemptioque in Metropolim, ad extremo fines graſſata erat. Ea verò agreſtis turba conferta ſub tecta, ſtatim infecta morborum tabe eſt, qui per vrbem deinde vulgabantur tanta contagione, vt ſexcenti quotidie, atq. interdum plu-

res

res perirent. Accedebat ex incultis agris ſociũ aliud peſtilentiae belliq; malum fames, quibus ſuper alia ingruentibus malis, vrbs ipſa ſolitudinis pene inſtar fiebat. Ac miſerabile ſane dictu, in deſerta penè, & vaſta, & quotidianis funeribus exhauſta vrbe conquieſcere partium inſania non poterat; Gibelliniq́ue, & Guelfi, dum patria perit, inter cadauera ciuium, & Reip. deſperationes, de faſtu & gloria ſui nominis adhuc pugnabant. Principem ipſum ducemq; Ioannem Mariam indignum nomine imperioque hoc, ferunt laetum interea exitio ciuitatis, non modò inſtigatorẽ fuiſſe factionũ, ſed inſita ſaeuitia adeo eſſe debacchatum, vt non peſtẽ, magis non famem, non ciuilia bella Mediolanenſes abominarentur. Veterũ tirannorum crudelitates cum huius immanitate comparatae, de infamia ſua multum atrocitateque perdiderint, ſicuti monſtrabunt ea, quae ordo iſte rerum & temporum inſtitutus referre me inuitum cogit. Cùm enim, ſuper ea quae dixi, famis & peſtilentiae mala, quotidianae caedes fierent inter Guelfos, & Gibellinos, cunctaque principum furore permiſcerentur, cõſilium hoc cepere multi miſeri, & deſperati ſenes, vt facto agmine per omnia compita incederent lugubri voce pacem expoſcentes. Ita flecti ad lenitatem infenſos illos mutuis inimicitijs animos poſſe arbitrabantur. Traxerant ſecum aliud puerorum agmen, quos eadem clamitare docuerant; ſimplexq́ illa multitudo irriſu potius digna quàm supplicio per vrbem incedebat. Obuius huic fortê phanatico ag-

mini

mini Vicecomes fuit, atrocemq. ludum fecit aetati, cui parcendum fuerat etiam ſi in aliquo humano errore deprehenſa eſſet. Nihil aliud quàm pacem clamitantes, tamquam ob infandum ſcelus, immiſſa militum manu, ceu pecorum greges mactauit. Adeò deteſtabatur oderatq. pacis nomen, vt ea patrata innoxiorum caede, legem tulerit, nequis in imperio ſuo Sacerdos, cùm rem diuinam faceret, vteretur pacis verbo, ſubderentq. cuncti tranquillitatis nomen quotiès vox ea occurriſſet. Tanta ſaeuo principi licentia etiam in res Eccleſiaſticas fuit. Inhumanum hinc aliud eiuſdem Vicecomitis facinus traditur, à quo beſtiae ipſae refugerunt, & miraculi inſtar habita eſt ea beſtiarum recuſatio, ſcriptoreſque proprio nomine miraculum appellauere. Ioannes Puſterula erat inter eos, qui opibus & multitudine aſſeclarum ſtare contra Principem poſſent, & communis fama inimicum hunc Ducis agnoſcebat. Filium is habebat natum annos duodecim, quem cùm fortè Vicecomes in poteſtate haberet, patris odio puerulum inſontem lacerandum canibus exponere ſtatuit. Poſtquam ea rabies accenderat animum, Squarciae Giramo canũ magiſtro negotium dat, vt aſſuetos tali miniſterio, & iam ineſcatos humana carne moloſſos auidiſſimoſq. cibi eius in puerum immittat. Puer, audito mandato, poſitis humi genibus in principem obuerſus, orare coepit, vt ſibi ignoſceretur; nunquam ſe poſtea commiſſurum eſſe aliquid, & poſſe nunc puerili verbere coerceri, ſi quid admiſiſſet. Ea ſimpliciſſima de-

precatio potuerat flectere quamuis immitem animũ, vel hoc ipſo, quod ne paternas quidem inimicitias intelligere miſer ille videbatur, experſq. erat omnis, nõ modò culpae, ſed ſenſus etiam quo agnoſcere culpam poſſet. Enimvero, tyrannus fero animo pueriles eas preces adſpernatus ciebat nomina canum, quos immittere Squarcia magiſter deberet. Guercius primò eſt immiſſus immanis hominum vorator, & celebratae feritatis moloſſus, qui laxato nodo, quo adſtrictus tenebatur, eripuit ſe ſe cuſtodi, & vnico ſaltu, quà ſupplex puer iacebat ſeſe eiaculatur ad monſtratam praedam. Crediderat circumfuſa aulicorum corona conditum in belluae ventrẽ illico corpuſculũ illud fore, uiſcerumq. laniatu ſpectaculum atrox praeceperant oculis animiſq; quod ſecus euenit. Nãq; beſtia admoto roſtro odorata puerum abſtinuit dentes, & conſedit humi, ſaepiuſq. irritata quieſcebat. Mox canem vnam inclamat princeps, cui Sibillinae nomen fecera nt, atrox animal, & carum tyranno, quia non aliud infeſtius humanae figurae auidiuſq. talis, ibi monſtrum in toto grege habebat. Ea quoq. bellua ſoluta & immiſſa pepercit infanti, credebaturq. inuiolabilis, donec Squarcia ille canum Magiſter, principis iuſſu diſtricto gladio ſecuit puero ventrem; ne ideo fuſa humi viſcera ſanguinemq. canes ijdem attingere potuerunt. Ceterùm, quotidiana Vicecomiti huic erat voluptas, gratiſſimumq. ſtudium obijcere ſubinde canibus aliquem, atq. ſic explere odia, vel vbi odium deeſſet, inter ludicra id ſumebat, prodibatq.

dibatq. nocturnus cum canum grege, & obuij quique lacerabantur. Et funeſta pleraque memorantur alia, inter quae, vnum, ſicuti dirum, & immane; ita vtile, & ſalutare exemplum fuit. Plebeius homo paupertatis extremae, cùm mortuus eſſet, deerat funeri ſumptus, neq. vllo modo poterat ſuperſtes vxor, pauculos expedire nummos, quos deſignator, & veſpillo, & medius inter eos præcipua ſæuitia Parochus implacabiliter exigebant. Aliter, relicturos eſſe domi cadauer interminitabantur. Mulier exclamāre multùm obteſtariq. flebiliter, vt auferrent; polliceri ſeſe poſtea perſoluturam; interdum rogare, vti tollerent lodicem, vel pecuniae loco, ſi quid aliud in vacua illa domo placeret, dummodo maritus humaretur. Spurca, & ignominioſa turba obdurauerāt animos, viduamq. habere ſibi domi fœtorem iubebant; nunquam, niſi præſentem viderent pecuniam, niſi certi ponderis funalia comparerent, cadauer illud eſſe elaturos. Cùm interea dies vnus, alterq. & tertius exiſſent, eſſetq. flagrantiſsimum tempus aeſtatis, audiebatur tota vicinitate mulieris eiulatus, non iam maritum lugentis, ſed calamitatem hanc nouam. Fortè illac praeteribat princeps, auditoq. mulieris vlulatu, qui facile in uiam uſq; reſonaret, ire è familiaribus ſuis unum iubet, et cognoſcere quid infortunij, quidue deſperationis in illa domo eſſet. Relatum eſt de cadaueris incommoditate, ſaeuitiaque veſpillonum ſicuti res erat. Tunc princeps, imperato, vt daretur argenti, quantum funeri ducendo eſſet ſatis, mandat

ſimul ne mora ulla ſepeliendi corporis fiat, ipſeq; dum exſequiae celebrantur, intereſſe voluit, et attonitis rei nouitate cunctis incedit in parte pompae, & cum reliqua multitudine tacitus ad templum vſque progreditur. Poſtquam cum feretro omnes intrauere, peraguntur funebria, laetuſque Sacerdos copioſa ſtipe quam acceperat, mortuale carmen modulatur altiore ſono, cunctaque peragit impigre miniſteria, omnibus praeter principem ignaris, quid futurum deinde eſſet. Extra templum, in campo, qui tribulium illorum ſepulturae dicatus erat, effoderant ſcrobem quibus ea cura, & iam direptum feretro cadauer inferre illuc parabant. Princeps arripi Sacerdotem, & inferri protendiq. prius in foſſam iubet, deinde ſuper, impoſito cādauere congeri humum; ea ſpurco homini vltima merces fuit. Qui res eorum temporum prodidere, factum id reliquis ſaeuitiae exemplis annumerant, atque adeò, ſuper cetera principis huius atrocia rem eam inſectantur. Ego durum id quidem, & ſeuerum videri poſſe cuipiam exiſtimaui, ſed indignitatē quoque Clerici nihilo mitiore ſuppllicio fuiſſe dignam exiſtimabam. Et Archiepiſcopum ipſum, quamuis atrocitate rei commotum, reperio tamen tranquille id placateq. pertuliſſe propterea quod etiā ipſe fortaſſe fœdam ſui hominis auaritiam, quae contaminaret Eccleſiae nomen ſic fuiſſe plectendam exiſtimabat. Anxium tamen eum Eccleſiae ſuae miſerijs & principatu tali tyrannideq. Vicecomitis, fortuna maior exemit Mediolanenſium turbis, eſtque

in

in ſummo rerum humanarum culmine collocatus. Cùm enim Gregorius XII. Piſanum Concilium obire recuſauiſſet, patres eum deiecere Pontificatu, & principem ſacrorum hunc fecere, atque Alexandrum V. mutato, vt aſſolet, nomine appellauerunt. Sed nec honos ei ſtabilis fuit, orta inter Patres diſſenſione, quae ipſum euertit. De eo Archiepiſcopo prius Mediolanenſi, dein Pontifice Max. fama haec ab maleuolis & impijs diſsipata manauit; hominem fuiſſe litteratum, ſed ſuperbum eundem, & immoderate deditum abdomini. Quippe quadringentos aulicos habentem, cùm adhuc Mediolani Archiepiſcopus eſſet, certaſſe magnificentia & ſplendore domus cũ principe ipſo, & quoties, in menſa, cibi alicuius cupiditas palatum tetigiſſet, ſi is non eſſet ad manum, tamdiu ſolitum expectare dum coqueretur id quod forte appetiuerat. Ea ſordida patientia, totos interdum accubuiſſe dies, & cenae horas in antelucana tempora productas eſſe nonnunquam, quae taedia plebeios etiam helluones fatigare potuiſſent. Anno altero poſtquam Archiepiſcopus Philargus ad Pontificatum Maximum hinc vocatus eueſtusque erat, Ioannes Maria Vicecomes primo triduanarum supplicationum die cùm in D. Gotthardi Aedem rei diuinae causa prodiret, interficitur, illatumq; templo maximo cadauer, mulier vna, quae corpore quaeſtum faciebat, operuit roſis, ob quod meritum à Philippo Maria fratre mortui Principis eſt honeſte maritata. Dies idem alia caede fuit inſignis non minus grata in

vulgus,

vulgus, vel etiam gratiore, quia miniſter atrox ſaeuitiae principis, ſerâ quidem, ſed tamen meritâ nece ſublatus erat; & publica ferme odia in tales homines incumbunt. Giramus erat ille canũ cuſtos, idemq; arbiter, & inſtrumentum vbi carnificinæ aliquis deſtinaretur; crediderantq; multi, nequaquam horrenda illa facinora patraturum fuiſſe Vicecomitem, niſi magiſtrum, & artificem hunc habuiſſet. Populi concurſu eſt interfectus, abominandumq. cadauer affixum ianuae paternarum ipſius aedium, vt dedecori etiam monumentoque eſſet. Ordinem verò coniurationis in Ioannem Mariam, & eius conſilij participes, ac miniſtros agendae rei, & ea, quae poſt tyranni necem ſecuta ſunt, ſtatumq. Metropolitanum omnem, & quomodo principes vrbis, hoc interfecto Vicecomite cõflictati ſint inter vindicandae libertatis conatus, & imminentem alte perpetui ſeruitij neceſsitatem; haec omnia Bernardinus Corius refert ex Antonij Vicomercati commentarijs, quem eo tempore Cauſidicũ fuiſſe, & ea occaſione frequentem in aula, ſcribendis quae videbat, curam aduertiſſe ait. Me ſane etiam ſimplicitas iſta delectat Cauſidici narratoris, eiuſq; teſtimonio ac fide funeſtarum rerũ ſcena peragetur. Franciſcus Maynus, & Andreas Bagius fuere primi, quos magnae cogitationis manifeſtos notauerit ſcriptor ille Vicomercatus arripiens initia suspicandi ex eorum colloquijs, concurſationeq; & uultu. Eos ait ventitantes in aulam, multumq; ſecreto colloquentes cum Ioanne Carnago conſiliario Ducis, abeuntes

untes poſtea inde, & redeuntes, & cum leui ſuſurro diſcordes inter se, mox annuentes toto capite, & rurſus ambigentes, admirationi fuiſſe ſibi, & pepuliſſe animum, vt cogitaret etiam ipse quid rei, quidue negotij eſſe poſſet illud. Die, quo princeps eſt interfectus, ab arcano illo, & tantopere ſolicito colloquio propere digreſſos, deſcendiſſe per ſcalarum gradus, & dato velut ſigno tota diſperſos aula nobiles alios viros aduolaſſe, & veſtigia eorum eſſe inſecutos. Ad quem motum, tantò magis excitatâ ſibi cura videndi quid fieret, exiſſe diſſimulanter e conclaui, & prodeunte paulo poſt ad rem diuinam principe vidiſſe caedem eius. Vulnera fuiſſe duo; vnum in capite, alterum in dextro cruce, ſtatimq; tibia inciſa, & ad mediam vsq. frontem pateſcente hiatu tyrannum expirauiſſe. Interfectores non ſunt ab eo ſcriptore proprijs nominibus diſtincti & notati, ſed coniurati promiſcue omneis, qui facinori perpetrando ad fuere, hoc ordine recenſentur. Andreas, & Paulus Bagij fratres. Ioannes Puſterula Venegonenſis. Otho Vicecomes, Franciſcus, Luchinus, & Farina Maini: Ambroſius, Gabriel, Ricardus, & Franciſcus Triuultij, Andreas, & Bertonus Mantegatij. Pariſius Concorretius & Iacobus Aliprandus, & alij praeterea nõnulli, ſpeculantes rei exitum ex omnibus aulae diuerticulis, & ſi quid facto opus eſſet, prodituri. Fuerant omneis in ſummis aulae miniſterijs, atq. ex intima Ducis amicitia, & quod quiſque munus eius beneficio obtinebat, eo ſunt vſi ad coniurationem in ipſius

caput

caput opportunitate omni inſtruendam. Cùm enim Facino Cane per eos dies agente animam, tumultus in vrbe poſt eius mortem expectaretur aliquis, eoque metu princeps in arcem conferre ſeſe ſtatuiſſet, primùm omnium, ſuadendo multa, & demonſtrando effecere, vt longe tutiſſimam in aula ſedem fore ſibi ille opinaretur. Deinde, aditu hoc ad inſidias inuento, muniendam igitur eſſe aulam, firmandaque praeſidijs opportuna loca oſtenderunt. Eius quoque conſilij fallaciſsima ſpecies cùm repudiari non poſſet, ipſi ſibi inſidiatores cuſtodiã portarum, maiore adhuc fraude depoſcebant. Ita Bertonus Mantegatius e coniuratis vnus, fatali Principis ipſius vaecordia excubare cum armato milite ad valuas iubetur, ne qua poſt Facini illius mortẽ irruptio plebis in aulam fiat. Sic nimirum etiam aduerſus Praetorianos munierant ſeſe coniurati, ne, vel peragendae, vel peractae rei obſtarent eorum tela, quominus cuncta ipſi exſequerentur, vti deſtinarant. Ne gladius quidem contra diſtrictus eſt unus haſtaue obiecta vna, cùm ſua in ſede tyrannus interficeretur; cùmque interfectores, eo iacente exanimi, per aulam vrbemq; cetera delendi principatus, & vſurpandae libertatis agitarent, communitâ ſtatim aulâ, & inſeſſa praeſidijs vrbe, arcem oppugnare ipſam aggrediuntur, quae vna libertati obſtabat, & magni facinoris opus id erat reliquum. Principis interficiendi tyrannidiſque delendae conſilia & apparatus ſatis felicem adhuc exitum hunc habuerant, niſi ea, quae ſunt inſecuta, patratam caedem,

dem, emolumentumq; caedis, cum pernicie inſuper illuſtrium virorum liberatorum vrbis irrita & vana feciſſent. Facinus erat Canis, ex copiarum ductore & amico Vicecomitum, iam in tantum auctis opibus, vt Vicecomites ipſos fortunae magnitudine, imperijque finibus prope aequaret. Nouaria, & Derthona, & Ticinum, & Nouocomum ei obediebant; tum in agro ipſo Mediolanenſi, Briantiae tractus vniuerſus, Vallisſaxina, Variſium, Romanengum, Canturium, & Roſatum, & quacunque Verbanus dites late populos ad Vogoniam vſque alluit, latiuſque porrò prolaturus imperiũ ille erat, niſi capto etiam prope Bergomo Cœnomanis imminentem mors abſtuliſſet. Ac duxerat iſtius potentia initium ab liberalitate prius aliqua Vicecomitum, dum ob nauatam ſtrenue operam, ſpectatamq; fidem, Blandratum, & loca alia ignobilia forti viro & amico homini aſſignãt, quò fortior etiam in poſterum amiciorq; foret. Deinde, creſcentibus quotidie meritis, aucta ſimul admiratione viri apud exercitũ populumq; apud principem verò neceſſitate vetera beneficia muneribus tuendi nouis, noui additi fines, & fortuna rurſus haec amplificata, quò magis eam ipſe comitate, ac ſplendore omni decorabat, grato ſemper erga priora animo laceſſens quicquid optare vel capere poterat. Poſtremo, ditatus ita & excultus, adeò placuerat, vt neceſſitudine etiam nonnulla iunctum ſibi Vicecomites propinquum ſuum fratremq. appellarent. Et fraterno ſcilicet ille ritu plane egerat,

gerenſq. pro fortuna animos, maluit diuiſum cũ Vicecomitum domo imperium habere, quàm ſingularum partium munera quotidie aucupari. Dum rebellant pleraeque, ſicut demonſtraui, vrbes, dum etiã Vicecomites ipſi rebellandi cauſas praebent, labaſcitq; fortuna domus, interpoſuerat ſe ſe vindicem ceu & vltorem; mox translata in ſe ipſum victoria, eum quem dixi principatum ſibi effecerat; quodq; maius videri poſſit, erat interea aſſecutus, vt ſpecies amicitiae cum Vicecomitibus ijſdem maneret. Facinus hic igitur, cùm in Ticinenſi arce moribundus, nondum tamen alienata mente, nuntium de Ioannis Mariae nece accepiſſet, vocatis ad ſe in extrema illa hora fidiſſimis amicis, dextrasq; ſingulorum amplexus rogare inſtitit, vt ſi retinerent eum erga ſe animũ quem ſemper habuiſſent, Vicecomitis necem ne ſinerent inultam, quae morienti ſibi nuntiata, turbaret alacritatem, cum qua res humanas alioqui relicturus fuiſſet. Ne proſequerentur defunctum ignauo queſtu, ſed quae voluiſſet meminiſſent, quae mandaſſet exſequerentur. Talia dicentẽ ſpiritus defecit; dieſq; idem triduanarum ſupplicationum, vt dixi, primus Facini Canis obitum, & Ioannis Mariae Vicecomitis necem coniunxit. Mediolani, Duce interfecto, neque princeps iam erat, neque libertas, deferentibus nonnullis imperium ad Hectorem quendam ex eadẽ Vicecomitum domo, clamantibus adnitentibuſq. alijs, vt veteris Reip. forma reſtitueretur. Sed pro Hectore ſeditioſiſſime concitabat plebẽ Bertus Ca-

cia Placentinorum Epiſcopus, quem coniurati adiutorem ad multa, participemq; habuerant; ac re geſta feliciter, ſeorſim tendens, Hectori, principatum parabat. Eius negotij cauſa Mediolani nectebat moras; ac die quodam in templo maximo tanta vi concionatus eſt ad populum de Hectoris manſuetudine illius, futuraq; per eum felicitate noui principatus, vt claues portarum vrbis, vexillumq, Reip. & ſceptrum, & diadema ad eum deferrent, Ducemque appellarent. Mox Philippus Maria, ſimul fraternae necis, ſimul paterni imperij vindex adfuit, non ſolùm exercitu omni, qui ſub Facino Cane militauerat, ſed veteranorum etiam copia ducum meruendus, quorum fidei moriens Canis vltionem mandarat in Ioannis Mariae interfectores. Terrorq; cum vindice aderat alius, ingens pecuniae ſumma, & imperiũ omne Facini eiuſdem, quod ducta in matrimonium vidua ipſius Beatrice adeptus erat. Tunc verò, & ab Hectore intra muros, & extra per Philippum Mariam Ciuitas ab duplici domino, duplici hoſte vexabatur. Hector, ob nouae fortunae belliq; neceſſitates tributa immodica viritim & hoſtiatim in ſingulos dies imponebat; detrectantes coercebat vinculis; & in arce, quae eſt ad Portam Romanam arido pane detinebantur nobiles viri, donec, aut alimento eo, nō ſecus ac fame, perirent, aut inuenta pecunia miſſoq. ad exactores tributo, accipere ſe ſe imperium faterentur. Philippus Maria, diſpoſito circum moenia exercitu prohibebat comportari quicquam in vrbe,

& vrebat ſata populator agri, quem à populationibus defendere debuiſſet, cùm in ipſius poteſtate mox omnia futura eſſent. Vrbem habebat Hector: in arce quod praeſidium fuerat, ante tyranni prioris necem, pro Philippo Maria conſtantiſſime eam tuebatur. Aliquandiu neutrò inclinata re dubitabant Mediolanenſes, vtrius magis partis gratiam ſequerentur, cùm par vtrinque metus, damna eadem, nec odium diſſimile eſſet in duos, quorum vterque per caedes iniuriasq. ciuium inferre patriae tyrannidem vellet. At vbi praeſidij præfectus vocato per tubicines populo in ſubiectum arci campum alta pronuntiari iuſſit voce, Philippum Mariam, adeſſe paterni vindicem imperij fraternęque necis vltorem: innoxiorum ſanguinis minime eum indigere, ſi fratris ſui interfectores dedantur; pacato agmine vrbem intraturum; tunc enimuero, Hectori, & coniuratis infeſtiora omnia quotidie magis eſſe coeperunt; & poſt irritos aliquot in vltima deſperatione conatus, relinquentibus infauſta ſigna cunctis, prope ſoli relicti, victoris deinde irã expleuere. Fuerant in coniuratione, praeter eos, quorum nomina ex Vicomercato ſpectatore Corius in Annales ſuos contulit, noſque teſtimonium & authoritatem ſecuti vtriuſque recenſuimus, etiam alij, quos, vel ab ſcriptoribus ijs, taedio numerandi tanquam multitudinem, eſſe praetermiſſos apparet, vel ab ducibus eis authoribuſque conſilij participes adhibitos fuiſſe conſtat. Numerus vtique tantus, vt etiã poſtquam deſerti deſolatique fuiſſe dicuntur, auſi

ſint

ſint obijcere ſeſe victori exercitui, eaque non vna acies fuerit. Sed, & ab maiore paſſim acie caedebantur, & vrbana multitudo nouum conſpicata Ducem, profligatiſq; rebellibus imperium adeſſe priſtinum videns, vertit arma in eoſdem, ad quorum nutũ ipſa quoque rebellarat; & feminae ipſae conijciebant ſaxa e feneſtris in Hectorianos, dum fugiunt illi aut reſiſtunt; eaque lapidatione iuxta D. Donnini templum ex Ioannis Stradae aedibus, Ioannem Carolum Hectoris fratrem pene oppreſſum ferunt, cùm Bernabouem Medicinam, & Antonium Alciatum inſequeretur. Ipſi Medicina & Alciatus, per Parochi aedes in alteram viam euaſere; Parochumq. ipſum Stephanum Cribellum nomine, regione diſcurrens ea quaeſiuit Hector ad necem, quia duobus illis effugium dediſſet. Repertus, & productus imminente gladio clamitabat, nullam ſuam in ea re culpam fuiſſe; aperto fortè oſtiolo illos irrupiſſe, ſimul, & exiſſe per oſtiolum aliud, cùm ne domi quidem eo tempore ipſe eſſet. Ita exitium vitauit. Philippus Maria interim in arcem ingreſſus, & paulò poſt vectus humaniſſime per vrbem, haud dubie tenebat imperium, laetis, vt in tali neceſſitate omnibus præter eos, quos ex conſcientia metus angebat. Hector, & Ioannes Carolus, perditis rebus aufugere Modoetiam, & intra arcem incluſi tutum ibi receptaculum aliquandiu habuere, donec compoſito omni rerum vrbanarum ſtatu Princeps eò curas vertit. Coniurati reliqui, aut euaſere, quà quemq; caſus tulit, aut euadendi ſegnitiem

gnitiem capite luerũt. Neque dubitatum eſt, quin ipſius diſſimulatione & arte Ducis fuerint elapſi nonnulli, quibus aliorum ſupplicia tulerint ſalutem, dum inuidia tam cruenti ingreſſus timetur. Inter eos, Creſcentiaci antiſtes, quem dignitatis vocabulo Præpoſitum appellabant, abeſtq. id Monaſterium quatuor millia paſſuum ab vrbe, parabat fugam eadem animi praeſentia ad vitandum periculum, qua coniurationem ipſam conſilio miniſterioq. omni inſtruxiſſe cõuincebatur. Sed potentia, & ira miniſtriq, Ducis plus valuere. Retractus e fuga ſiſtitur in eius conſpectum, magnoque conuitio increpitus carnifici deditur ſine mora & obtruncatur. Franciſci Maini, quem Praepoſitus ad omnia conſcium participemq; habuerat, par in fugiendo conatus, idem exitus fuit. Paulo Bagio, & ignobilioribus alijs addita ignominia, vt antequam ſupplicium de eis ſumeretur, iacerent per aliquot dies in collaria porrectis alte capitibus expoſiti ad iniurias, & ludibria omnia queis inceſſere eos plebs infima miſerabili erga nouum principem adulatione cogebatur. Apud animum quiſque ſuum moerebat, vt opinor, tali fortium uirorum clade, qui cùm voluiſſent liberare patriam, praemiũ egregij facinoris hoc referrent. Hic Philippo Mariae finis vlciſcenda fratris nece, quae tamen nulli laetior fuerat, licet, haec ſimulacra & imitamenta doloris, vt famae exiſtimationiq. hominum ſatisfieret, ab eo adhiberentur. Nam & imperium adeptus erat, & quae cariora imperio, libertatem, & vitam, regnante

gnante illo captiuus ſub Facino Cane ad Ticinum, proximuſq; exitio, quo fere captiuitas inter principum ſuſpiciones finitur. Ceterùm, ſicuti ex fraterno ſenſu dolorem, puniendis, vt demõſtraui interfectoribus ſimulaue rat, ita ſimulans in ipſo dolore clementiam atque ſatiatum ſupplicijs animum, vltioni ſtatuit finẽ, exactoq; ſacramento, ad curas imperij, quae multae, & magnae ſimul vndique eum circumſtabant, animum conuertit. Anno CIↃ. CCCCXII. ad X. Cal. Quinct. iurauere Ciues in Philippi Mariae verba, cùm prius ille cõſenſu militari Dux princepſq. appellatus eſſet, fuit que iſte, Vicecomitũ Ducum, vt omni regia virtute ſecundus nemini, ita ſucceſſionis ordine poſtremus. Ad principatus initia huius regebat Mediolanenſem Eccleſiam Ioannes Vicecomes Vercellini filius, quem Carolus Malateſta ſub Ioanne Maria exercituum imperator, contracta cum Archiepiſcopo Philargo olim amicitia, poſtquam is ad ſumma peruenerat, commendauerat ei vt honorem quẽ uacuum ipſe reliquiſſet, huic demandaret, neque ille abnuerat. Verùm Archiepiſcopus iſte triennio poſt in Conſtantienſi conuentu tamquam vitio creatus (incertum qua de cauſa) mouetur loco, decedereque iubetur honoris gradu, quem nec recte, nec ordine obtineret. Poſtea ille defendendo ſe ſe, & purgando, vt in priſtinam Sedẽ noui Pontificis decreto reſtitueretur obtinuit, fuitq; ſub Eugenio legitimus Archiepiſcopus ſicut in loco demonſtrabitur. Nunc ei Barptolemaeus Capra Mediolanenſis ſufficitur, qui

qui Conſtantienſi concilio interfuerat, & ob rerum Eccleſiaſticarum vſum vnà cum Iordane Vrſino, praeſederat ex Patrum authoritate conuentui curator & magiſter, vt omnia cum dignitate adminiſtrarentur. Is vbi Mediolanum Archiepiſcopus venit, magnopere vexabatur ab priore Archiepiſcopo, qui, & fauore ciuium, & principis gratia validior concoquere non poterat hoc ipsum, quod loco deiectus eſſet. Ac die quodam, cùm per Abbatem Sancti Ambroſij ad aram maximam proferretur diploma recitandum, quo diplomate Capram Archiepiſcopum Martinus Columna Pontifex maximus renuntiabat, corripitur repente Abbas ab Sacerdote quodam ex ipſius Arae miniſterio, isq; Sacerdos extortas Abbati de manibus Apoſtolicas litteras fodere gladio ſuper aram inſtitit. Et aderant armati milites pro Vicecomite exule iubentes audere presbyterum eum, atq. minitantes, ſi quis violare ſacrilegum auderet. Capra perculſus atrocitate facti, coniectásq; inde, ad quales ipse animos, & in quàm aperta veniret pericula, ſubduxit ſe ſe diſcrimini, & occultiſſime porta Iouis egreſſus Romam aufugit, redijtq; Mediolanum, & iterum deinde exul fuit. Vſque in Franciſci Sfortiae tempora vexatam Pontificatus diſſidio Mediolanenſem Eccleſiam tradunt: Sfortia demum regnante reſtitutum Vicecomitem, cùm aliquandiu ſediſſet, poſt breue deinde tempus vacuam eidem aemulo Metropolim reliquiſſe. Verùm, poſteriora hæc, quomodo geſta fuerint, demonſtrandi

locus

locus erit. Ab Conſtantienſi Conuentu, cui Capra Archiepiſcopus affuerat, Pontifex Martinus Romam proficiſcens ex itinere Mediolanum venit, eaque publica laetitia turbidis ac moeſtiſſimis rebus interijcitur. Prodiere venienti obuiam vnà cum Clero vniuerſo, Dux ipſe Philippus Maria, Senatusque Mediolanenſis, nobilitas tota tanto apparatu quanta maieſtas & fama hoſpitis erat. Iuriſconſulti, & medici in purpura & pelle, ſicuti tunc Collegium vtrumq. diſtinguebatur, vmbellam attollebant. Ea mille florenorũ nummûm aeſtimatione fuit. Tubicinis antecedebant pontificale agmen: in agmine ipſo minores pontifices erant principesq. alij ſacri, vel profani, vt quique ſpem officiumue ſuum ſequebantur. Proxima hinc veniebat cohors honorariorum ephœborum cum reliquo Ducis famulatu in pretioſis equis: equi Pontificis octo purpura inſtrati ducebantur, poſt eos, ducenti viri nobiles obærata Principi manus ibant. Ante Pontificis vmbellam ducebatur mula pyxidem vehens, in qua ſanctiſſimum Chriſto corpus collocatum erat, ſicuti praeferuntur ea myſteria Pontifici maximo cùm iter facit. Sexaginta Sacerdotes linteati cum funalibus id ferculum religioſe deducebant, eamque ſacram cohortem, & ceremoniam Epiſcopus vnus regebat. Cardinales duodecim Pontificem ſequebantur. Cremaniolae Comes & Guidus Torellus magna apud Vicecomitem gratia tenebant frenum iumenti, cui Pontifex inſidiebat. Galeotus Beuilaqua ferebat Eccleſiæ vxillum. Fabri-

eius Columna vexillum alterum, in quo ſuæ gentis inſignia depicta cernebantur. Spatio deinde modico interiecto, triplicis Regni argumentum infula ex gemmis contexta portabatur. Et altero tanto ſpatio Vicecomes diſtabat medius inter armatorum agmen, & ceteram vrbis nobilitatem ſplendidiſſime exultam. Sic procedente pompa peruenit Pontifex in templũ maximum, flexoq; ante aram poplite breuiter precatus, ac deinde pari breuitate concionatus ad populũ, octo annorum indulgentiam conceſſit omnibus, qui cum ſalutari culparum ſuarum deteſtatione piaculũ id amplecterentur. In aulam deinde Vicecomitis Pontifex eſt deductus, atque ibi vmbella direpta & lacerata eſt inter multos, qui ſibi reliquias eas appetebant. Vrgebatur interea multitudine operarum ſtructura arae maximae, populiq; concurſus ad neceſſaria miniſteria fiebant, cum ea ſpe ac voto, vt à Pont. Max. ara dedicaretur. Trium dierum ſpatio demoliti priſtinum opus, nouam molem excitauere; Pontifexque Martinus abſoluto nouo opere dedicauit aram, & in ea rem diuinam fecit. Centum amplius millia mortalium interfuiſſe ſcribuntur ei ceremoniae, obtritosq; & eliſos fuiſſe complures tenet fama, quae magnis celebritatibus cladem eiuſmodi aliquam ſemper adiungere amat. Pontifex maximus peracta dedicatione pronuntiauit centum dierum indulgentiam omnibus, qui anniuerſario Dedicationis die Aram eam religioſe adirent; & poſt aliquot inde dies ipſe abibat. Recreauerant pauliſper iſta vrbem;

atque

atque occupato poſtea bellis externis principe quies ab ciuilibus malis erat conſentanea quieti & prudentiae regnantis. Nam huius mores ab aui atauique natura & inſtitutis longe diuerſiſſimi, patrem potius referebant, ita vt homines, quibus otium fuit, committere inter ſe Vicecomitum iſtorum ingenia, atque alium ex alio, ſicuti fit, aſſimilando referre ad genus & originem quemque ſuam, verbum vſurpauerint iſtud, Philippum Mariam videri quidem ab Ioanne Galeatio ortum, ſed neq; ceteram huius prolem ſimile quicquam habuiſſe patris, neq; patrem ipsum ad maiores ſuos vlla ſimilitudinis nota pertinuiſſe. Adeò, & habuit Philippus Maria, e filijs vnus virtutes *Ioannis* Galeatij omneis, & huic nulla auorum vitia adfuere praeter artes queis regna continentur, quaeue commune regnantibus omnibus vitium ſunt. Iam primum omnium, in religionis negotio, quae res ab ipſis Vicecomitum initijs ad Ioannem vſque Galeatium, ſcribenti iſta mihi, toties excusanda, toties declinanda, vel circumeunda, ne qui offenderentur, fuit, expedita, & integra fama Philippum hunc Mariam habet. Nulla anathemata regnante eo, nullae Pontificum irae, aut ipſum, aut ſubiectos ei populos, & hanc aliena culpa ſemper temporibus illis defixam interdicto aliquo Metropolim, appetiuere. Colebat Apoſtolicam vnice ſedem dicto obediens, & effuſus in obſequia ſi quid mandati inde accepiſſet. Cumque in magno totius Eccleſiae diſſidio, conſtituendi Pontificatus cauſa, Conſtantienſe concilium haberetur, ſingulari ſua ob

inſitam pietatem cura eius rei & ſolicitudine fecit, vt legatos illuc mitteret, ſuo & ciuitatis nomine pollicentes omnia patribus, quae ad negotium illud ſtrenue ſanctéq; adminiſtrandum peti hinc poſſent. Legati ſunt miſſi, Epiſcopus Alexandriæ, Abbas S. Ambroſij, Gaſpar Vicecomes, Otho Mandellus, & Galeottus Caſalis; legationiq; ei ſplendor additus, qui præferret erga res Eccleſiaſticas animum ſenſumque eius à quo mittebatur. Sanè, quòd vexari Archiepiſcopum Capram ab Ioanne Vicecomite Concilij iam authoritate damnato paſſus poſtea fuerit, offendere id aliquomodo poſſe animos videtur, aduerſarique patriae religionis hereditati & famae, quam ei aſſignamus. Verùm, id quoque, ſicuti etiam animaduerſio in coniuratos interfectoresq; fratris, cùm cetera tã pia fuerint, condonatum eſto neceſſitati dominationis, quae coecat ſaepe animos, & peccare inuitos cogit. Nam quemadmodum ſæuiendum Principi fuit, ne Ducum impune interficiendorum exemplum proderetur, ita ſui ſanguinis hominem ab homine alieno in Metropolitani Pontificatus certamine deuictum, fore quodammodo detrimentum imperij, labemque exiſtimabat. Reliqua deinceps fuere eiuſmodi, vt principem, religione, prudentia, imperio, atque per totam Italiam authoritate maximum Eccleſia Mediolanenſis admodum laeta intueretur. Scilicet, etiam inter ipſa triſtia, ſicuti demonſtrauimus, atque cruenta initia principatus, dum nobilium virorum nece parẽtaret interfecto fratri, dumque maieſtati domus per

damna

damina Archiepiſcopi Capræ inſeruiret, dederat quę-dam eiuſmodi ſigna, vt mitem ipſius animum, rebusq. ſacris valde addictum agnoſcere omneis poſſent. Eſſe in vrbe coniuratorum poſteros, eſſe in domo, & patrias obtinere fortunas excelſo paſſus animo, decla-rauerat ſic eratq. teſtatus, quod ſuae conſcientia æqui-tatis nihil inſidiarũ ipſe ſuſpicaretur. Petrũ verò Gar-zelinum ex Humiliatorum ordine vnum e coniuratis cùm in cuſtodia haberet, Præpoſiti Creſcentiacenſis exemplo trepidum, & in pari culpa ſupplicio addi-ctum eidem, non modò viuere ac dimitti iuſſit, ſed Cauenaghi Præpoſitum etiam in poſterum eſſe iure ac poteſtate qua ante coniurationem inter ſuos fuiſſet. Vnius ſacri capitis pœna contentus fuerat in exem-plum; contaminari vltra religioſo ſanguine per iram, nefas atque impium duxerat. Euſtorgiani Fratres item acceptis ab Hectore prędijs muneribusque mul tis, cùm & ſuſpecti eſſe poſſent, & inuicem ipſi ſu-ſpectarent Ducis iras; omnia eis quaecunque tenuiſ-ſent, intacta conſeruauit. Hoc itaquè Principe con-tenti ciues laudabant ex prioris tyranni comparatio-ne fortunam Vrbis, tertiumq; iam hunc Mediolani Ducem, & praecipitatam in familiae vnius ſceptra Rempublicam, vel iam aſſueti ſeruitio, vel deliniti manſuetudine imperitantis, nequaquam, vt mala lo-quebantur. Tributa tolerabant absque tumultu vl-lo: ſtrenue ad bella prodibant: vbi prodierant, quaſi pro communi patria, non quaſi pro domino gerebãt rem. Ita Mediolanenſis exercitus paucorum dierum

spatio

ſpatio Alexandriam, Bergomum, Brixiam, Lau dem Pompeiam, Placentiam, Cremonam, & aliquot pręterea magni momenti arces recepit, captis aut caeſis qui per vim eas proditionemue occuparant. Vrbs Nouocomum ab Eleuthero tyranno dedita eſt tot victoriarum metu. Tritium, & Vogheria, & Crema, re magis quam nomine militariter celebrata loca, aliquandiu oppugnationem tolerauere. Cremaniola copiarum ductor, ob res eas proſpere geſtas, ab Philippo Maria Caſtri noui Comes creatur, idque munus in templo maximo, flexo ante aram poplite accepit. Rebelles, & latrunculi, qui ex contemptis metuendi, concitis in arma ciuitatibus, negotium Metropoli exhibuerant, alius alio ritu, pro ſua quiſque, vel contumacia, vel fortuna, pœnas dedere. Gabrino Fondulo Cremonenſium turbatori caput Mediolani abſciſſum. Arceli duo, per quos prodita Placentia, in furcam acti tamquam fures. Malateſtam Bergomi & Brixiæ inuaſorem, vtraque amiſſa vrbe fugientem, cũ intercipere poſſent, neglexere. Diuerſi & fœdi aliorum exitus fuerunt. Hunc rerum curſum, & tenore fluentes vno Metropolitanorum exercituum victorias vrbs Genua, cùm aliquandiu morata eſſet, humilitate deditionis gloriam auxerat, niſi princeps ipſe Philippus Maria tantae rei occaſiónem errore quodam ſuo corrupiſſet. Namque principes eius Ciuitatis, poſtquam terra marique vrbe circumuenta ſua, & magna ex parte capta, deſponderant animos, abiecta gloria ſpeque defenſionis, permittunt ſeſe victori exercitui,

prae-

praeſidiumque Mediolanenſe admittunt. Inde, vt maiorem deditioni gratiam facerent, decernunt legatos, qui cum clauibus portarum adeant Ducem, ac petant vt rem Liguſticam placatus lubensq; in ditionem accipiat. Verùm ille, ſiue iratus ei vrbi, quia morata victoriam eſſet, ſiue ob res proſperas ſuperbia inuadente animum, ſiue re vera, pietate erga Sedem Apoſtolicam ne admiſſis quidem in conſpectum ſuũ legatis, renuntiari iubet, Pontificis maximi legatum adirent, & cum eo ſuper deditione colloquerentur. Legatus Apoſtolicus Mediolani Cardinalis Inſulanus erat; iſque in Ambroſiana Aede, precibus Genuenſium auditis, claues portarum Ducis nomine accepit. Superbum id viſum Liguri; venientem cum tantae rei munere legationem ſpretam haud dubie & eluſam; reiectos alio; non dignos eſſe habitos, quos ſua omnia dedentes Dux Mediolani audiret. Itaque, quamquam auditi poſtea ſunt, & ab Duce eodem culti etiam donis honorificeq; dimiſſi, ſera tamen & inutilia omnia fuere, quia repulſae contumeliæq; prioris dolor alte animos occuparat. Reuerſi domũ ita renuntiauere legationem, vt Senatus, fronte quidẽ & ſimulatione praeſenti neceſſitati ſuccumberet, acciperentq; miſſum ab Mediolano prætorem, intimis verò conſilijs, & arcano fremitu rebellionem pararent, quae non multo poſtea erupit. Interea Mediolanenſe nomen celebrari quotidie magis admiratione vel inuidia populorum aliorum, & redacta paulatim in veterem ſtatum Metropoli patrioque recupe-

rato

rato imperio Philippus Maria, arbiter fere Italiae rerum habebatur. Ortum deinde eſt ex tantae potentiæ metu bellum atrox, coniuratis aduerſus Metropolim regulis liberiſque populis, dum pro ſe quiſque metuunt, ne tam proſperæ Mediolanenſium res ſibi exitio forent, ac domitis vndique perduellibus, & frenato vel ſublato quicquid domi eſſe moleſtum poſſet, ad toties repetita ſemperque irrita vota maiorũ ſuorum attolleret Philippus Maria animos, vt ſcilicet Italiæ Rex ſuperbo nimium, & apud ceteros quoque Reges inuidioſo, ac formidabili nomine diceretur. Ad eius rei ſuſpicionẽ Florẽtini primùm ſunt excitati ſolertia & calliditate ſua, & veteribus odijs. Hi poſtea Venetos admonuere. Genuenſes, vſurpata olim, dein amiſſa libertas, ingenia gentis, ſpretae legationis ira, occaſio, precesque potentiſſimarum Rerumpublicarum ad tentandam hoc tempore fortunã incitabant. Tum Rex Alphonſus, & permotus legatione Florentinorum, & ſuo dolore ardens, quòd rem Neapolitanam adoptionis iure vindicanti ſibi Mediolanẽſium arma obſtitiſſent, haud aegre ſuas viciſſim opes exercituumque partem in hoſtium horum damna pollicebatur. Sabaudiae Dux Amedeus, & Demarchi treis, Eſtenſis & Monferratenſis, & Mantuanus, fiducia validiorum, ſtimulis quiſque ſuis, & in commune omneis, deteſtatione atque odio regni imminentis armati in Mediolanenſes, dum à maioribus coniuratis erumpendi ſignum daretur, expectabant. Mediolanenſibus, & Philippo Mariæ in tantarum diſcrimine,

rerum maxime aduerſarium erat, quòd Cremaniola ille, per quem ſuperiora bella adminiſtrata fuerant, quo duce ſubegerant rebelles, tranſierat nuperrime ad Venetos, eaq; tranſitio, nonnihil quidem etiam, ob viri famam, & in re militari vſum, ſed multo magis ob prodita per eum arcana hoſti, ſolicitam ciuitatem habebat, veluti ſi aliquem ex intima familiaritate ſeruum in domum recipi inimicam quamuis praepotens herus videret. Diſceſſerat autem transfugeratue ille, partim quidem, ab cauſis ijſdem, ob quas diſceſſiones, & transfugia ſeruorum fiunt, partim verò, ob cauſas alias proprias ipſius, atque ſingulares. Nota & communia incitamenta abeundi huic fuere Cremaniolae; quòd pro magnis ſuis meritis, parce auareque ſe ad eam diem eſſe tractatum quotidiana ſeruientium calamitate reputabat: quòd ea quae ſecum praemia quotidie coarctarentur, large in ſcurras, aut in rerum leuiſſimarum miniſtros effundi à principe conquerebatur: quod demum æmuli ipſius & inimici praecipuum gratiae in aula locum tenerent. Illa verò ab gloria virtutibusq; viri, ſecreto, & occulte proficiſcebantur; quòd princeps ipſe certamine miſerando coeperat cum eo Cremaniola velut agere aemulatum, eiuſque obterere famam ſtudebat, adeo vt praefectos alios ſuos in ipſum irritaret ſereretq; inimicitias, & Guidi Torelli praecipuè odia in ipſum vltro aleret. Torellum quin etiam ipſum, demoto eo praefecerat claſſi apud Neapolim, & contumeliae huic addita mox grauiore contumelia, Genuenſem

quoque praefecturam, quæ velut ad prioris iniuriae ſolatium data erat, adimit ei,& Cardinalem quendam Inſulanum cognomento illuc mittit. Haec igitur dolens Cremaniola ſimul & indignans abierat ab Philippo Maria,iuſſeratq. valere Mediolanēſes, quos, ipſos, & Principem ſera iam inutilisq; pœnitentia angebat ob alienatum, & fugere coactum hominē, cuius egregia militaria facta,olim inuiſa, nunc periculo imminente celebrabantur. Spes omnis in Franciſco Sforcia erat, quem viginti trium annorum iuuenem aetas illa Scipioni aequabat corporis animiq; indole,magnitudine geſtarum rerum, atq; tam immaturae virtutis pene miraculo; de cuius origine iuuenis,& quemadmodum,ex patris contubernio,poſt eius caſum, ad alienorum exercituum imperia peruenerit,ac imperium deniq; ſibi proprium hoc fecerit; demonſtrabo,cúm perducta in ipſius principatum hiſtoria, nouos vrbis Eccleſiaeque noſtrae caſus ab rebus eiuſdem pertexere incipiam. Nunc aduerſus eos, quos dixi foederatos aſcitus Vicecomiti Mediolanenſibusq; copiarum ductor,& adminiſtrator belli gerendi,ſtatim conflictabatur inuidia, & aemulatione multorum,qui fremebant atque indignabātur, homini mandatum eſſe peregrino id munus, in patria,quae gentibus ipsa alijs suppeditare e ſua ſobole Imperatores poſſet. Namq; proceres vrbis,Mediolani,quibus animis,& ipſorum inter ſe certaminibus effecerant,vt ad ſummam imperij militaris alienigena potius conduceretur, ijsdem alienigenam hunc

ducem

ducem inſectari poſtea non deſiſtebant, tum apud Principem varie criminando, tum apud exercitus corrumpendo & detrectando ipſius imperia, donec feſſus ille tam iniqua rerum conditione poſtulauit vltro à Vicecomite, vt Imperatorem bello alium daret, cui parere Mediolanenſes mallent, & ſe ipſum ad petendam obſequij, fideiq; gloriam primum fore pollicebatur, quoniam parum felix in imperando fuiſſet. Carolus Malateſta Piſaurienſis inde Metropolitanos exercitus regebat, cui homini expeditius fuerat imperium eiuſmodi tradere ac relinquere ſi iam teneret, quàm adipiſci nouum, & ſuccedere Franciſci Sforciæ artibus, quæ magno cuilibet etiam egregioque duci comparationis diſcrimen terribile efficere poſſent. Erat Malateſta aptior paci, quàm bello, ingensque hoſtibus acceſſit fiducia poſtquam in hunc modum mutato duce, vim ſimul imminutam eſſe Mediolanenſium ſenſere. Ducem verò ipſi Cremaniolam habebant, praeterquamquod Sforciae quoque metuendũ ſi duo iſti maximi duces in bello hoc maximo congrederentur, etiam ab ira & metu, tamquam in vltimo diſcrimine ſolicitum, vt & male de ſe meritos vlciſceretur, nec ſeſe transfugam vlciſcendi locum eiſdem daret. Armatorum millia foederati effecerant ad triginta duo: Metropolitanus exercitus ex viginti millibus conſtabat. Principia belli circa Brixiam vrbem conſtitere; quae ciuitas, cùm aegre ſemper antea Mediolanenſe imperium tuliſſet, ad foederis famam ſuſtulerat animos, & inſtigante Cremaniola ad Venetos

defecerat. Duae tamen illic arces, vetus, & noua Vicecomitis nomine tenebantur, & munitiſſima alia caſtella Coenomanorum Oldratus Lāpugnanus miſſus illuc ab Mediolano Praetor auxerat praeſidijs, ex quo labare gentis fidem, & defectionem parari ſuſpicatus fuerat. Has arces, & caſtella, quámdiu Lampugnanus, aduerſus acerrime oppugnantem hoſtem retinebat, irrita defectio habebatur, & vrbs ea poſita in medio, pari vtrinque ad obtinendam eam conatu, neque Mediolanenſium erat, neque Venetorum. Vt veiò Lampugnanus exceſſit arce, quæ in ſumme colle poſita vrbi imminet, vrbs ipſa amiſſa eſt, non parui quidem per ea tempora nominis, ſed maiorem, quám pro nomine præbitura materiem malis, quæ poſtea Inſubriam vniuerſam, & Inſubriae Metropolim hāc afflixere. Capta ſic Brixia, fęderati Venetas naues Pado flumine ad ſpem capiendae etiam Cremonae immittunt, cum quibus male, dein proſpere pugnatum, & Veneta claſſis ab victrici noſtra claſſe profligata, nonnihil eſt ſolata vrbem admodum moeſtam defectione Brixienſium; ſpolijsque, & roſtris nauium Mediolanum relatis, nauale decus omnium ordinum gratulatione celebratum eſt. Sed antequam ſecunda pugna in flumine committeretur, terreſtri ad Pompilianum marte cladem acceperant Mediolanenſes, ob quam ne poſterioris quidem huius victoriae gaudium apud occupatos luctu animos pro rei magnitudine ſentiretur. Malateſta in eo praelio captus, pars minima cladis eius fuit; captiuitasq. potius illa apud infēſos

ciuium animos pro ſolatio habita eſt. Adeo execrabantur Mediolani publice omnes iſtum ob imperia improuida, queis exercitum perdidiſſet, cùm, aut conſeruare potuiſſet, aut etiam victorem reducere, ſi ei, aut in ſuis, aut in alienis conſilijs conſtantia tamen aliqua adfuiſſet. Nam vbi ſtatuerat forte recte aliquid, protinus id per metum trepidationemque mutabat; gnariq; hoſtes moris, & conſuetudinis huius, captabant inſcitiam hominis, & arbitratu fere ſuo pauidum animum quotidie agitabant. Vbi nullus erat timendi locus, ipſo corrumpebat timore pulcherrimarum rerum occaſiones, & faciebat commodiora cuncta hoſti; ad fraudes idem hoſtium, à quibus vix vllo vnquam momento ceſſabatur, ſecurus incautusq; agebat. Infauſto die, quo clades accepta eſt, cùm ſubduxiſſet exercitum in colles, id quod paucitati aduerſus multitudinem admodum ſalutare fuerat, laceſſente, & omnibus modis idipſum quaerente Cremaniola deſcendit in equum, & quàm extentiſſimo potuit campo copias locauit, quaſi de induſtria, vt ab maiore hoſtium numero circumfunderentur. Ibi nata eſt occaſio inermes etiam nudosque fere trucidandi. Nardus erat Torquatus in Mediolanenſi exercitu, qui ſtipendia pedibus faciebat, & Sforcianarum fuiſſe cohortium peditem hunc ferunt. Siue per laſciuiam ille, ſiue offenſione interpoſita aliqua, ſiue ferox animo, & oſtentandae virtutis cupidus, manipularem ex fœderatorum exercitu alium prouocarat ad ſingulare certamen, vt in exercitus vtriuſque conſpectu decernerent

cernerent

cernerent vter melior manu eſſet. Nouerat vtrumq; fama militaris ob multa fortia facta, & ob procera corpora magnosq. artus, queis longe ſupra ceteros præminebant; atque ab certamine gloriae irritatis præcipue animis in eam deſcendere aleam vtique concupiuerunt. Perfertur ea res ad ducem etiam vtrumq; & veluti per ludum accepta gregalium horum prouocatione ſtatuitur dies, quo die, medio inter exercitũ vtrumque campo veluti per tacitas inducias militum oculis id ludicrum exhiberetur. Statuta ſpectaculo dies fuit x I. Id. Octobris, quam atram populo Mediolanenſi lucem notaſſe volui, vt notaretur ſimul poſterior altera laeta & ſerena nobis, tenebricoſa, & funeſta hoſti. Nam ſicuti illa prior multas populo Mediolanenſi lacrymas tulit, ita Iuniae Idus anno inſequente, partam eam ex noſtro luctu lauream Venetorum nomini deformauere maiore luctu. Procedũt igitur eo die manipularis vterque concertator ex antecondicto in campum quatientes arma quibus pugnaturi erant, verbisque mutuo inſultantes. Simul duo contrarij exercitus procedunt ordine ad ſpectaculum velut in eandem ſcenam, ſed neque animorum habitus, neque vadentium forma eadem erat. Hoſtes ab duce ſuo iuſſi ſumere arma tamquam in aciem ibant, & praeceperant haud dubie pugnam animis hoc ipſo, quod, ſeque & præfectos ſuos nihilo ſegnius armatos videbãt, quàm cùm in praelia iretur. Noſtri, ſine galea, ſine telo, pars magna emittebantur ab diſcincto item inermique duce multùm reclamantibus

tibus

tibus Franciſco Sforcia,& Guido Torello, qui, ſi nullũ alium in vſum, diſciplinæ ſaltem militaris ergô, & decoriso natusq; cauſa, cum inſignibus armisq; ſuis exercitum etiam inter ludicra eſſe habendum monebant; interimque ipſi priuato conſilio armabant ſuos; & horum exemplo recurrebant ad capienda tela etiã alij, quibus minime imperatum erat. Pars tamen vt dixi maior inermium fuit; & poſtquam aſſedere, hinc ſemermis iſta multitudo, hinc probe armata multitudo maior; incipiunt concertatores duo inter ſe dirigere ictus, quos vterque inferebant, declinabãtq. arte eadem, quae ipſa augebatur tot inſpectantium verecundia; neque huic aut illi periculum ſuum, ſed vtrique partis ſuæ gloria propoſita eſt. Dum iſti ſic pugnãt, noſtri quidem ſimpliciter intenti occupatique ſpectaculo, nunc clamoribus adiuuant militem ſuum, nunc eo periclitante conticeſcunt; hoſtes verò pugnam animis voluntes ipſi aliam, non ad peditum duorum inane certamen, ſed ad nutum intenti ducis, accepto repẽte ſigno exſurgunt, expediunt tela, dant impetum in noſtros, & tota momento vno ſcena fit acies qualis fortaſſe antea nunquam ſpectata erat. Septuaginta millia mortalium (tantũ enim fuiſſe exercitus vtriuſq; numerum conſtat) in vnum conuoluti globum, pugnabant armati cum seminudis, queis indignatio rabieſque ipſa loco armorum fuit, & percuſſi iam vulneratique multi in mortem, aut telo arrepto aliquo, vulnerauere proditores, aut per tela ipſa furibundi ad fauces affluxere eorum, ibique vnguibus & dente ge-

rebant

rebant rem, atque conatui suo immoriebantur. Conſtitit, ab moribundo inermi non neminem eſſe praefocatum, cui proſtrato ac deiecto ille superincubuerat, bucculaque reuulsa iniecerat manum. Quodque fœdius dictu videri poſſit, in ipsa poſtea noſtrorũ ſtrage reperti quidam sunt compreſſis tenentes dentibus membra aliqua hoſtium, quae spiritu extremo asperante animos, impetumq; addente abſtulerant morsu; & ſicut inter cæsorum aceruos, madida ac fluentia cruore hoſtili Mediolanenſium ora cernebãtur, ita in loco prælij fusæ paſſim auriculae repertae sunt; ac in ipsa deinde talis victoriae gratulatione proditores irrisui fuere, cùm auribus mutilati, vel truncis inhoneſto vulnere naribus, virtutem fateri Metropolitanorum cogerentur, qui per ducis inscitiam fraudéq; ipsorum deprehenſi ſine armis praelia tamen illa naturae telis edidiſſent. Ceterùm, Sforcia, & Torellus, alijque, qui vel horum iuſſu, vel sponte ſua armati ad spectaculum exierant, ferro etiam, quantum pauci aduerſus plurimos poterant, ſuſtinuere hoſtem, ibique Cremaniola pene irritum ſuum dolum erat deteſtatus, cùm paucorum arma defenderent etiam nudos, negotijque tantum exhiberent. Sed neque iuſta haec armatorum acies, neque noua alia, cui dolor et ira feruorq. ſpiritus vltimi repererat in dentibus, & vnguibus tela, quae dux improuidus ademiſſet, contra superfundentem sese multitudinem atque succedentes integros feſſis, & contra tot manus circumferentes vndique ferrum valuere; fuitq; summũ virtutis

opus

opus effugiſſe ex eo praelio, dum hoſtes, aut tot inermium ſtrage, aut contra paucos armatos, defenſione ſui occupantur. Effugêre Sforcia, & Torellus, & alij, quos ſua virtus, & duo illi duces adiuuerunt. Reliquus Mediolanenſium exercitus caeſus aut captus vnà cum Imperatore ipſo Malateſta, qui cauſa tãtae cladis fuerat; vulgoque, ceu noua clades habita hominis ſalus, quem ſepultum atque obrutum cumulis caeſorum ipſius culpa tot fortiſſimorum militum, potius quàm captiuum atque ſuperſtitem debuiſſe eſſe aiebant. Calamitas igitur ad Pompilianum accepta haec, & amiſſus tam indigne exercitus, manente apud ſingulos eorum deſiderio quos quiſque amicitia vel propinquitate attingebant, naualis victoriae laetitiam deflorabat quae ſecuto anno de Venetis parta, cladem hanc ipſã vt dixi ſolabatur. Naualis autem victoria Mediolanenſium, apud temporum eorum chronographos hoc ordine tradita perſcriptaque eſt. Cùm Pompilianenſi illo caſu elati Veneti, actum eſſe de Vicecomite ac Mediolanenſibus ſperarent, inſuperque ſiniſtro ipſi alio cùm noſtris ad Soncinum praelio irritati, proſperis ſimul & aduerſis in Metropolim accenderentur, claſſem inſtruunt nauium diuerſi generis fere centum eo conſilio, vt Pado amni Cremonam aggrediantur; ſi vrbe potiti forent ea, conſilijs deinde rebusq; maioribus imminentes. Praefecerant claſſi Nicolaum Treuiſanum ex prima illic nobilitate, ſed multis etiam maritimis expeditionibus omnique bellica laude nobiliorem. Claſſis noſtra quinquaginta nauium fuit: Nauarchi, &

praefecti, quamquam haud perinde aſſueti fluctibus, tamen, & indignatione ob recentem fraudem acuente animos, & exercitatione iam vſuque nonnullo praeparati ad diſcrimen, cuius magnitudine prope iã Oceani fama conceſſerat in Padum, nec de eo tamquam flumine homines loquebantur. Summa imperij totius ad Pacinum Euſtachium, & Franciſcum Sforciam, & Nicolaum Picininum ſpectabat, quorum fidei ac virtuti vt omnia crederentur, temeritas Malateſtæ infelix effecerat. Vt primùm infeſtis concurrêre roſtris naues, & aduerſa vtrinque fronte pugna inita eſt, quinque Mediolanenſium triremes, caeſis propugnatoribus, obtruncato remigio capiuntur; qua clade duces in magnum metum adducti ſunt, ne terreſtri ſimul, & nauali certamine, bello aperto pariter & fraudibus victa Metropolitana res defendi vltra non poſſet: Ac tanto magis id ipſum timebant, quia ad claſſiariorũ ingentem numerum, quos Treuiſanus diſpoſitos egregieq. armatos in nauibus habebat, nouae copiae acceſſurae dicebantur ex Cremaniolae exercitu, qui Mediolanenſium nomini infeſtiſſimus haud procul ab Pado caſtra habebat. In eo periculo, Sforcia vſus hoſtium arte, dolum etiam ipſe nonnullum ſubſidio aſſumit, atque ad diſtinendum proprio metu Cremaniolam, mittit ad eum duos, qui transfugarum ſpecie oſtendant, re deſperata nauali Mediolanenſes, paratos eſſe deſcendere in terram, & nocturno impetu caſtra aggredi. F. ars ea ſaluti rebus fuit, & aduerſus inſidiatorem inſidiae valuerunt. Detinente namq; Cremaniola militem in

caſtris.

caſtris, vt aduerſus inuaſuros parati intentiq; eſſent, & Treuiſano expectante ſubſidium, vt impreſſione vna debellaret; noſtri, ſimul auerſos in ſpem auxiliorum, ſimul ab re iam benè geſta incautos aggreſſi Venetos, turbauere primò, deinde expugnauere claſſem, quae poſtea terrori victoribus fuit etiam poſtquam capta diſſipataq; erat. Adeò, & tormentorum numero, & omnis generis armatura, & nauium magnitudine, ac firmitate inexpugnabilis videbatur, niſi praeter eam quam dixi ducis artem, caſus etiam repentinus, & amnis quodammodo ipſe, expugnaſſet. Cùm enim certamine accenſo, par metus, & ſpes in parte vtraque aliquandiu eadem eſſet, ac noſtros iam fère poeniteret eius ſpei, cum qua pugnae diſcrimen laceſsiuiſſent; accidit fortè hoc, vt Praetoria Veneta triremesq; aliae, quae propter magnitudinem ſuam, multa aqua liberoq; ſpatio indigebant, illatae in anguſtias quaſdam, fixis ibi inter vada carinis, explicare ſe ſe non poſſent. Tunc verò Treuiſanus cernens exitium ſuum, eiecit ſe ſe ſaltu in ripam, atque inter vepres, & alia queis inculta veſtiuntur, eſt elapſus. Idem fecere duces, & praefecti alij, quibus, ſimul Imperatoris exemplum, ſimul metus cuique ſuus haud inhoneſtam in tali caſu fugam ſuadebat. Qui manſerant, attoniti triremiũ impeditarum caſu, Imperatoris reliquorumque fuga, & expeditis vndique Mediolanenſium nauigijs, haud multo plus momenti efficiebant, quàm ſi ipſi quoque effugiſſent. Ita, modis omnibus inclinata ad iniqua re, Veneti partam tot antea maritimis victorijs gloriam per-

didere fluminis iniuria, ſicuti tūc ſermo hominum fuit. Cremaniola poſtea infortunium luit capite ſuſpectus proditionis, quia nullam in tempore opem tuliſſet. Mediolani ad victoriae gratulationem huius, laetitia acceſſit alia ex Sigiſmondi Caeſaris aduentu, qui ad petēdam hinc de more coronam aderat, ne dilata diutius ea res ad legitimam imperij poſſeſſionem impedimento ſibi eſſet. In Ambroſiana Aede coronatus eſt ab Archiepiſcopo Capra, quem hoc tempore reperio nihil obturbante aemulo, ſua in ſede fungentem omni paſtorali munere etiam Principi acceptum fuiſſe. Coronati ceremonia Caeſaris in temporum eorum tabulis ita perſcripta eſt. Archiepiſcopus Capra procumbentē ad Ambroſianam aram in genua Sigiſmundum ſolenni carmine precibusq; vſitatis expiauit. Annulo digitum eius annularem, ferreo diademate caput cinxit. Nudum gladium & ſceptrum, & globum inſignia Imperij in manum dedit. Haec omnia ſicuti acta eſſēt, Balthaſar Capra Archiepiſcopi iuſſu conſignauit litteris, & publica documenta rei ceremoniaeq; eius confecit. Ex Cottarum familia, cuius gentis homines vetuſto iure ad ceremoniam adhiberi hanc oportebat; nemo vnus adfuit. Totidem verbis antiquae tabulae ceremoniam tradunt, qua Sigiſmundus Caeſar Mediolani eſt coronatus, tempore eodem, quo partam de Venetis victoriam, & poſt magnae cladis luctum, ingens nauale decus, in triumphi modum exculta Metropolis iuſto gaudio concelebrabat. Ac veluti cumulante in eos dies fortuna res omneis ſecūdas, & magnas,

triumphus

triumphus alius vrbi exhibitus eſt; duo captiui reges vno tempore, Nauarus & Aragonius, quos inter Neapolitani regni tumultus acerrime obſidenteis Caietam, Genuenſium claſsis (erāt adhuc Genuentes in poteſtate Mediolanenſium) obseſſis miſsa ſubſidio, cepit, ductique Mediolanum aliquandiù exempla rerum humanarum fuere, trepidi ſcilicet, quid de ipſorum capite Dux Mediolani ſtatueret. Seruati benignitate ipſius clementiae gloriam tulere ei, quae victoriae famam auxit. Fertur Aragonius, cùm ab Philippo Maria intra Iouis arcem, ſalua inter captiuitatis miſerias regiæ maieſtatis reuerentia, humaniſſime compellaretur, proponendo pari affabilitate, & modeſtia fidem ſuam, gratumque animum ad omnia, quae tanto diſcretus ſpatio, imperij huius cauſa facere poſſet, ac rurſus oſtendendo Gallorum impotentiam, & pericula, vel damna, quae Mediolanenſes appeterent, ſi Neapolitana res illuc tranſiret, flexiſſe Ducis animum, vt ſaluum, & incolumem regem vtrūq; dimitteret, habito inſuper honore, & hoſpitalitate omni, quę mutuis obligaret pignoribus animos, ob salutem, hinc datam, hinc acceptam, & ob beneficia, quae ſalutem etiam honeſtarent. Per aliquot inde dies, Aragonius, & Nauarrus fuere Mediolani, amplectente ac venerante Metropoli regiam magnitudinem in eiſdem, quos paulo antea adſpexerat vt hoſtes, & miſerata erat, vt captiuos. Opulentiſsimi ciuium certauere munificentia & comitate omni erga eos, at data ſunt munera, quorum admiratione, reges externi fortunas vrbis ſupra re-

gnum vterq; ſuum extollerent palam. Apud Vitallianum Borromaeum praecipue fuere in hoſpitio, qui ſplendore domus, & pecuniae magnitudine proximus faſtigio Principis habebatur. Refert Bolsius, feſtos eos dies omnes fuiſſe populo Mediolanenſi, ſupplicatum ad praecipua templa Vrbis, campanarumq; ſonitu vocata cuncta ad hilaritatem; Reges ipſos in templũ maximum ventitaſſe aliquoties, atque ibi, tum partium ſingularum, tũ vniuerſae molis attentiſsima contemplatione mirifice eſſe delectatos; in patriam deinde rediiſſe tam beneuole erga Mediolanenſium nomen affectos, vt captiuitatis deinde illius etiam iucundiſsime meminiſſent. Ceterùm, ſicuti laeta haec in ſpeciem atque magnifica fuere in pompam, ita grauiſsimæ rei damnum attulere, nimiumq; magno triumphus ille ſtetit. Namque Genuenſes, etiam irritati, ſicuti demonſtratum eſt, ſpretae ſuae legationis ignominia, poſtquam dolor hic inſuper nouus acceſsit, vt partam ſua claſſe victoriam, captiuoſq; reges, & defenſi Neapolitani regni decus, omnia in famam, & potentiam conceſsiſſe Mediolanenſium viderent, defectionem, quae dilata adhuc fuerat, haud vltra diſtulere, ſpectaculique & triumphi inuidiâ illius amiſſa eſt urbs, quae maritimas opportunitates Metropoli addebat, ſine quibus nullum imperium ſatis validum eſſe poteſt. Simul, eiuſdem Neapolitanae victoriae regiaeque captiuitatis inuidia apud aemulos huius imperij Venetos Florentinosque renouauerat antiquam curam, ne vrbs vno tempore victrix, & hoſpita liberatrixque

ratrixque Regum, ad ſpem Italici Regni, per haec, & alia quotidie facta violentior, nulla deinde ope poſſet inhiberi niſi noua quamprimũ remedia ei malo pararentur. Igitur, ad priſtinas eius rei ſolicitudines nouo hoc addito metu, coniurationem etiã ipſi ſuam inſtaurant, foederaque noua ineunt de coercenda Metropoli continendoque intra fines inſubrum Vicecomite, vel etiam exturbando inde, quod ſi eueniſſet, in cetera poſtea conſilium ex euentu ipſo capturi erant. Ea coniuratio trahebat Eugenium Pont. Max haud ſine grauiſſimarum deinde rerum conſecutione & nexu, ſcilicet, vt Vicecomiti Metropolique cum ſacrorum Principe bellãdum eſſet, & Chriſti Vicarius, Principum aliorum certaminibus odijſque implicaretur; quo negotio, Apoſtolica ſedes ad extrema pene deducta eſt, capta vrbe Roma, profugo Pontifice, deinde exaugurato; & initia cauſaeque tantarum calamitatum, haud aliũde quàm ab nimia Vicecomitis potentia fluxere, nec aliò etiam referebantur. Cùm enim ex Veneta nobilitate eſſet Pontifex Eugenius, ſpirituq; idem, vt exempla docuere, politico magis quàm Apoſtolico, patriae ſ ac memor, cuncta ad reip. illius amplitudinem referret, ideoq; ſuſpectus Vicecomiti ab origine ſtudiiſq; ſuis etiã ante id quod dixi foedus fuiſſet, tum verò inito foedere, infenſus atq; inuiſus magis, aduerſus Imperium hoc agebat omnia hoſtiliter, & viciſsim hinc ad euertendum eum cuncta ab Vicecomite exquirebantur. Nec Eugenio placebat viuere dominariq; cũ, vnde periculum Venetae libertati ſemper intactae immineret.

mineret; & metus indignatioq; Vicecomiti erat ingẽs, ſi Eccleſiae arma, & Apoſtolicae Sedis opes, imperiumque ſacrorum, & ſuprema illa authoritas fierent ſubſidia illis, quos, odium, & inuidia, & dolor alienae pacis inquietaret. Cumque adeò accenſi vtrinque animi eſſent, Philippus Maria hoſtem perſequendo hũc, eò prouectus eſt, vt, & Concilij Baſileenſis authoritate, Pontificatu deiiciendum eum curarit, & poſtquam id tenuerat, confictis etiam eiuſdem Concilij nomine literis, populoque Romano concitato, Picenum ipſe inuaſerit, fraude certamineq. hoc impia Vicecomitum omnium facta haud dubie ſupergreſſus. Verùm iſta dum fierent, deſciuit ab ipſo Franciſcus Sforcia ille per quem fiebant, cauſaeque defectionis magnae & arcanae quaedam ferebantur. Notiſsima illa, & celeberrima ſermonibus hominum fuit; quòd Nicolaum Picininum Sforciae inimicum, Philippus Maria nimiũ extuliſſet; atque occultiore ſuſurro muſſitabatur ſimul illud, quòd Vicecomes, & Sforcia, iam pater, & filius, gener, & ſocer, adoptionis & ſponſalium iure nuncupati, vincula ea caritatis incitamenta irarum ſibi inuicem feciſſent. Cùm enim Philippus Maria Franciſcum admiratione virtutis (niſi fortaſſe metu) in nomẽ familiamq; Vicecomitum adoptaſſet, eique Blancam filiam deſpondiſſet; grauium atque quotidianarum offenſionum vtraque ea neceſsitudo materiem praebebat, indignãte Sforcia, quòd, gener, et ſucceſſor hereſq; deſtinatus, procul ab domo, procul ab aulae limine haberetur, nec tempus matrimonij veniret vnquam, &

potiores

potiores interim alij eſſent haud alia ſcilicet commendatione quàm odio ipſius & aemulatu. Philippus Maria viciſſim ſuas habebat cauſas expoſtulandi grauiſſime & conquerendi, ſiue culpa in filio erat aliqua, ſiue cùm nulla eſſet, fingebatur ſuſpicione Patris, aemulorum arte, vel etiam, innoxius, vt plerique credidere, iuuenis, peccare nonnihil, & peccando, laedere ſe ipſum cogebatur ob ea ipsa, queis laedi ſe ſe expoſtulabat. Non enim gratia tantummodo gratiam parit, ſicuti verbum habet vetus, ſed vberiore foetu, iniuriae naſcuntur ex iniurijs, & dum vlciſci priora homines volunt, damnis fere nouis implicantur. Sic offenſionibus alienati mutuis Vicecomes, & Sforcia, quotidie magis alienabantur, exibatque ſermo, quòd neque alter adoptaſſe vellet ac deſpondiſſe, & alter, ſine lare adoptionem, ſine ſponſa thalamos adſpernando, patris & ſoceri ſimul nomen inane adspernaretur. Haec inter Vicecomitem, & Sforciam iacta ſemina odiorum diſſidijq; aliquandiu cùm fuiſſent; cūcta ſpeculati Veneti arripuere occaſionem, & illectum ad ſe Sforciam exercitibus impoſuere ſuis, eoq; deinceps imperatore gerebant bellum aduersus Mediolanenſes, donec poſt multas mutuas clades facta ingēti rerum animorumq; mutatione, reconciliatus ipse ſocero patriq; cuncta cum eo reconciliaret, atq; pax magna sed non duratura iniretur. Neque verò arbitror, ex omni memoria aetatū aut populorum homines vnquam fuiſſe vllos, aut tam faciles ad bella, aut in pace tam inconſtanteis; & inter omneis eorū tēporum caſus nihil tam

admirabile occurrit, quàm potuiſſe ipſos inter ſe populos,& principes fidem habere vllam, cùm data ſempur fides illico vana fieret. Infenſi bonis viciſsim alienis, ob minimam quamque rem, occaſionemq; natam ad arma ibant; vbi poenituerat armorum, quaerebant eadem leuitate pacem; haec ſtatim impetrata diſplicebat,& rurſus violata reconciliabatur; atque cùm saepius ita egiſſent, nondum tamen credendi inuicem ſtomachus taediumue ſubibat. Ne vincula quidem ipsa humanae ſocietatis, quae apud genres omneis, maxima, & ſanctiſsima habentur, in ea principum inconſtantia valuere, quominus Sforcia inſidiantem ſibi Vicecomitem deijcere Regno ſimul & vita conaretur etiam ex quo deducta tandē Blanca, ſexus vtriuſq; prolem ediderat, vxorque iam,& maritus, & horum filij, Vicecomitis nepotes, auus verò iſte, & ſocer, & rurſus filia illa generque plena caritatis nomina, molleis ac teneros in parte vtraque facere animos poſſent. Et poſtquam inter pignora iſta ſaeuitum tantopere erat, coaluere tamen ijdem animi rerumque praeteritarum obliuione indicta, aduersus hoſtes alios iniere foedus, quod ne rursus abrumperetur, morte, credo, Vicecomitis effectum eſt. Nam ea paulo poſt,ſicuti memorabo eſt insecuta, tunc cùm flagrante bello Italia, tumescētibusq; animis ira,& metu, & mole suspicionum, monſtrum adhuc expectari aliquod poſſet ſimile priorum, quae ſocerum,& generum ſpectacula vtriuſque hoſtibus antea fecerant. Ceterùm, huic tantae saeuitiae animorum, & leuitati, quæ quidem,

dem, non tam hominum ipſorum, quàm dominationis videri vitiũ potuit, rerũ etiá, quae interim accidere, varietatem, & ſaeuitiam rectè aliquis comparauerit. Bergomum, & Brixia, & Vicetia, & Verona, Mediolanenſes inter, & Venetos obſeſſae ſaepius, captę, direptaę, die aliquando vno, aut dominos habuere eoſdem, qui hoſtes fuerant, aut ab dominis paulo antea ſuis hoſtilia cuncta pertulere. Veneti facto ad Caſſanum ponte, flumen transgreſsi Abduam, colleſque depopulati Briantaeos, capta ad Bripium Leucumq; arce, caſtellis circa flumen inſeſſis communitisue alijs, ſpe maxime inteſtinarum ſeditionum ad ipſa moenia vrbis Mediolani acceſſere tamquam deiecturi Vicecomitem, Imperijq. ſui ſedem facturi Metropolim. Iidem ab Orientali Porta (regione namq. venerant ea) pulſi & reiecti vix tutum in ſua caſtella receptum habuere. Vrbe in ipſa, Euſebius Caimus particeps omnium conſiliorum Principis, idemq. ad principes alios ſaepe legatus interficitur in templo maximo cùm ad D. Iuliae aram effuſus in preces poſitis humi genibus iaceret; & cauſa tam violentae necis fuit ſuſpicio, quòd Franciſco Sforciae Venetiſq. arcana imperij prodidiſſet. Cuius hominis neci continuatur Nicolai Picinini poſt grauem morbum obitus haud ſine multo hominum ſermone, quòd inter tot acies, atque tot inter tela verſatus illenõ potius occubuiſſet ferro. Mortuus eſt ad Corſicum qui locus nauigabili alueo alluitur quinto ab vrbe lapide, indeque deuectum cadauer in templo maximo ſepelitur exequijs, quae decerent exercituum Imperatorem

flagrantiſſima apud principem gratia, quo amiſſo, ſimulacra luctus in aula tamquam ob res perditas fuere. Tumulus eius ingredienti Templum ad dexterā eſt iuxta valuas Sacrarij Maioris cum marmorea tabula, quae parieti inaedificata ſubiectaq. Deiparae Virginis imagini, carmen inciſum huiuſmodi habet. Nicolaum Picininū ſub Philippo Maria, exercituum imperatorem, cui, ex corporis breuitate cognomen id fuerit, ſitum eſſe ibi, & petere ab omnibus, qui eò acceſſerint, vt breui apud Dei Matrē prece adiuuetur. Haec duorum hominum funera, curas ſermonesq; ciuium à publicis malis belliq; cladibus aliquandiu auerterant, cùm eorum alter, falſa principis ſuſpicione interfectus fuiſſe diceretur, alter magnum principi luctum, & vnà cum luctu ſolicitudinem reliquiſſet, quē nam eo amiſſo perinde fidum ſtrenuumq; aſſumere ſibi ducem poſſet. Ante funera haec tumultus in vrbe fuerat periculo, quàm re maior à Brando Caſtelleoneo Cardinale ortus, qui magna erat etiam inter collegas authoritate & fama, aderantque opes, & animus feruidus, reique ſemper alicuius molitor. Inter cetera Sacerdotia, quae multa & ampla obtinebat, D. Ambroſij Monaſterium fuit ea condirione, & iure, vt pars vectigalium cederet monachorum alimētis, reliqua Cōmendatarius teneret. Monachi erant Ciſterrienſes, qui ordo, iam inde ab initio fundatus ibi, & conſtitutus pari cum Canonicis iure Baſilicā eam tuetur. Hos ille Monachos dimiſerat e Monaſterio omneis, induxerat que

ratque Cartuſienſes in eam ſedem haud parua Mediolanenſium offenſione & ira. Fit vrbe tota propter eã rem conſternatio, & tumultus, qualis eſſe ſolet, cùm publica iura violata animos irritauere. Poſtquam aliquandiu turbatum eſt, publico denique conſilio opis implorandæ cauſa ad Principem itur. Is abire extemplo Chartuſienſes iubet, vacuamq. relinquere Ambroſianis ſedem. Ni abeant, igni ſe & ferro deiecturũ eos minitatur, ſtatimq; illi abiere. At Cardinalis, vbi Ducis interminitatione Monachos ceſſiſſe loco videt, ad conſilium aliud adiecit animum, vt Ambroſiani officij ritus deleret, ac pro eo Romanam formulam in Mediolanenſis Eccleſiæ conſuetudinem inducere conaretur. Id non poſſe fieri arbitrabatur, niſi codicem ipſum intercepiſſet, in quo formulam Ambroſiani ritus D. Ambroſij manu deſcriptam ferebant. Aſſeruabat Codicem Præpoſitus D. Teclæ venalis homo, ſicuti res docuit, an potius abſque ſcelere vllo, leuis, & parum acer ad cuſtodiam rerum, quae fidei ipſius cõcreditae eſſent. Hunc auro corruptum, ſiue promiſſis, vel qua alia deceptum arte Caſtellæoneus in eam mentem adducit, vt ſacroſanctum codicem prodere ſibi non recuſet. Accepto Codice Cardinalis idem facile deinde exſequitur cetera, & primùm omnium agendo cum Canonicis, impetrat hoc, vt die feſto res diuina Romano ritu fiat ad aram maximam; & data opera dies eſt electus Epiphaniae, quò maiore concurſu, ac celebritate noua ceremonia ſpectaretur. Confuderat ea res admiratione ac nouitate ciuium animos, atque

inter

inter ſeſe frementeis, cauſam, ſiue authorem immutandi patrij ritus quærebant. Poſtquam, cognitum eſt, rem eſſe artificio & machinatione conflatam eius Caſtellçonei Cardinalis, ad ipſius repente aedes aduolauere cum facibus, & obseſſa domo minitabantur excidium, ni ſibi Codex Ambroſianus illico traderetur. Cardinalis enimuero perfuſus horrore periculi proiecit è feneſtra librum, ac timens in reliquum deinde tempus populi Mediolanenſis iras, Placentiam, vnde oriundus erat, aufugit. Philippus deinde ipſe moritur iactatus febricula per aliquot dies exhauſtuſque ventris profluuio, quem vtrumque per ſe lethalem in affecto corpore morbum aduerſus remedia omnia contumacem efficiebant curae circumſtantes, cùm Venetorum arma, ſemperque ſuſpectus gener, & Imperij amittendi metus obturbarent neceſſariae quietis horas, indeq; ſtomachus alienatus coqueret praue, ac veneret quicquid prodeſſe poterat. Etiã præter honeſtas eas ſolicitudines, decoraſq; moleſtias Imperij nomine, miſerabilis cum ignominia angor exercuerat virum ob Beatricis vxoris impudicitiam, quae deprehenſa cum adultero, clementer tamen punita eſt, dato moriendi ſpatio intra Binaſchi arcem, quaſi flagitium aliud, & non extremum illud muliebre puniretur. Reliqua fortunâ moribuſque Vicecomes fuit iſte, tum felix hoc ipſo, quod amiſſum fratris importunitate fere Imperiũ omne receperat, tum abſq; vlla fratris ſimilitudine paternarum omnium virtutum famam nactus, ſi ab Romano domum abſtinuiſſet arma, ac niſi orta, illa

Capram

Capram inter, & Ioannem Vicecomitem contentione de Pontificatu Ambroſiano, fauendo potius huic, offendiſſet ſuſpicione animos, quaſi Sedis Apoſtolicae decreta, & authoritatem nollet obſtare ſibi ad ea quae moliretur.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Duodecimus.

METROPOLIM PROVINCIAMQ; Mediolanum, & principem hunc Inſubrię populum, ab ea libertate, quam poſt lapſas Imperij Romani opes, ad eiuſdem Romanae Reip. ſimilitudinem inuaſerat tenueratque per aliquot ſecula incorruptam, Turriani primùm ſub tribunitiae poteſtatis titulo in ſeruitutem petiere. Deinde Vicecomites Turrianis eiectis pari fallacia principatum ſibi vſurpauere eundem, Archiepiſcopusque Otho, vi ſimul, & gratia, commendationeq; Pontificatus illato in familiam ſuam, Tribunorum nomine, decepta patria Caeſaribus eluſis viam ad Imperium inclytum fama per gentes omneis poſteris ſuis aditu hoc inuenit, vt ad ludibrium denique tantarum rerum, Philippus Maria,

nepotum vltimus filiam vnicam, & cum filia regnum alieno homini relinqueret, inimici generi ſocer inuiſus, cui in moriendi dolore triſtius morte hoc ipſum fuit. Quas vrbis noſtrae clades, Turrianorumq; & Vicecomitum iſtorum facta, quae proſpere, quaeue ſecus euenere, ſuperioribus libris cum fide expoſui, quoad neceſſe erat, vt tradendis Eccleſiae rebus ſuſcepta haec cura perageretur. Neque enim peragi poterat, ſtatuſue repraeſentari Eccleſiaſticus, niſi ciuilia ſimul iſta, ciuiumq; ipſorum caſus repraeſentati eſſent, ambigui, truculenti, felices; & finita iã Vicecomitum ſucceſſione, nouam Eccleſiae rerum ſeriem ab dominatu alio inchoaturi, liberos itidem in iſthęc profana egreſſ⁹ meditamur. Quãdo enim exiere ad bella Principes, quin Epiſcopi quoque trepidarint atque conſulltarint? Quando tumultuata eſt armataue Ciuitas, quin ſimul Eccleſia concuteretur? Acies verò ipſae, quae conflixere, & agmina ipſa nonne ex Eccleſiaę corpore cum gemitu, & damno eiuſdem abrupere ſeſe? Damna denique, & clades direptionum, vaſtationum, obſidionum, irruptionum, quando unquam ſine Eccleſiae clade fuerunt? Non ante diſcrimen ſolicitudo alibi maior, non partâ victoriâ plus laetitiae quàm in Eccleſia fuit. Iam ſi quid ab Eccleſiaſticis hominibus, vel operæ, vel conſilij ad gerenda bella prodierit, vel potius, ſi quid rei geſtum fuerit, quin opes, & artes, & miniſteria aliqua noſtrorum interfuerint, neque principes ipſi ignorant, neque nos magnopere gloriati fuerimus.

Ne illud quidem addidiſſe iuuat, quod ſicuti rara ſemper ſunt in omni, vel Ciuitate, vel Imperio decora pacis aut belli ſine prudentia aliqua & virtute ſacrorum, ſic ad hominum flagitia, nimium ſaepe adfuerit toga raſuſquè vertex. Ceterùm, minime ego diſsimulauerim, eam ſemper principum noſtrorum fuiſſe magnitudinem, & vrbis, rerumq. in ciuili ádminiſtratione geſtarum, vt ſi quis proprius idoneuſque narrator ei ſeparatim muneri exiſtat, poſsimus nos, vel incuſari, quòd leuiter iſta attingendo obſcurauerimus, vel excuſari, quòd non attigerimus plura, quàm quae res Eccleſiaſtica ſecum trahebat. Philippus Maria Vicecomitum Ducum vltimus deceſsit anno CIↃ CCCCXLVII. tempuſque id eſſe depellandaè ſeruitutis rati Mediolanenſes, fortius omnino quàm felicius ad eam rem incubuere, iamque ſeſe pro liberis haud dubie gerebant. Inter quæ non duraturae libertatis exordia Archiepiſcopum Mediolani fuiſſe nullum, tradidere quidam, quibus ego vtique aſſentirer, niſi potiores apud me authores alij ſuperſtitem Pontifici Caprae Ioannem Vicecomitem, de quo dixi, alterum facerent. Cùm enim ad Philippi Mariae ferefinẽ Capra vitã Pontificatũq; perduxerit, contraria ei ſententiae, & certiſsima coniectura dari hinc videtur. Neq; verò dici poteſt, ſuperſtitem Caprae Ioannem illum fortaſſe fuiſse quidem ſed nihil iuris aut poteſtatis ad Eccleſiae gubernacula habuiſſe, cùm vitio creatus, ideoqne deiectus Põtificatu antea eſſet. Apparet namque fuiſſe etiam

reſtitutum, idque conuincitur Apoſtolici diplomatis teſtimonio, quo diplomate piam ipſius mentem de ſacerdotijs quibuſdam nouis inſtituendis laudat Pōtifex Eugenius, annuitq; , ut ea ſacerdotia ex Apoſtolicae Sedis authoritate inſtituat, quó auctior, & florentior in Eccleſia Mediolanenſi diuinus cultus eſſe poſsit, & quò pluribus ſimul ipſe munimentis ad aeternam ſalutem inſiſtat. Ibi verò, & Archiepiſcopum Eccleſiae Mediolanēſis Apoſtolicae literae nuncupant Ioannem hūc Vercellini Vicecomitis filium, & omni alia affabilitate honoreque verborum proſequuntur; quarum ſane literarum huc transferre ſummam iuuat, vt melius clariuſque noſcatur origo ſacerdotiorū, quae ab Archiepiſcopo illo Ioāne fundata gentilitia hodie poſteris eius manent. Summa igitur ea litterarum haec fuit. Reuerendiſsimum in Chriſto Patrem & Dominum Ioannem Archiepiſcopum Vercellini Vicecomitis filium volentem amplificare Mediolanenſis Eccleſiae cultum, pioque animo, pro fluxis & caducis mortalium rebus, ſupera, & aeterna cogitantem ſupplicaſſe Apoſtolicae Sedi, vt ex eius authoritate licitum ſibi eſſet, ad cetera loca Canonicorum templi maximi, locum addere vnum, quē obtinens Canonicus, dignitatis vocabulo Praepoſitus appellaretur. Supplicaſſe item, ut in D. Nazarij Aede ad Aram, quae Florana dicitur, & in Tēplo maximo ad aram alteram, quamcunq; ipſe elegiſſet, ius facultatemq; haberet ſacerdotia inſtituēdi ad rem diuinam in vtraque ara perpetuo faciendam.

dam. Quae ſacerdotia, & cum Praepoſiti titulo Canonicatum, Archiepiſcopus idem, ſicuti ſuo aere fũdaturus inſtructuruſq; eſſet, ita ſupplicaſſe, vt ſibi, heredibuſq; ſuis, poſtquam ipſe deceſsiſſet, ius foret eligendi ac nominandi homines idoneos, quibus ea demandarentur. Ea conſilia & poſtulata, quia pia & iuſta eſſent, continerentque diuini cultus amplificationem, etiam authoritate Apoſtolica debuiſſe comprobari, ideoque annuiſſe Pontificem Eugeniũ, vt Archiepiſcopo Ioanni cuncta ea ſicuti eſſent expoſita & petita gratificaretur. Inerat deinde diplomati mandatum aliud Apoſtolicum, ad Ioſephum Bripium Canonicum eiuſdem Eccleſiæ Mediolanenſis, ut ille, inſpecta & cognita donatione bonorum, que ſacerdotijs inſtituendis ab Archiepiſcopo Ioanne aſſignarentur, ſi rẽ eſſe idoneam videret, exſequeretur, atque praeeſſet ei actioni. Aſſignauit Archiepiſcopus, Canonico quidem & Praepoſito florenos nummos centum; rei verò diuinae ad Aram vtramq; faciendae, nonaginta. Minime igitur ego dubito, quin, & Archiepiſcopus iſte Vicecomes, & legitimus Archiepiſcopus Mediolani fuerit, tunc cùm Philippo Maria extincto, Vicecomitum nomen ab ſuperbia faſtigioque principatus ad priuatae fortunae iura neceſſitateſque redierat. Sed mortuo Principe, tanti rerum motus aderant, belliq; tanta moles, vt ſicuti haec Archiepiſcopi illius actio fefellerat vulgatos vrbis annales, planeque exciderat ex omni litterarũ memoria, niſi repertae fortè apud Archiepiſcopi here-

des

des Apoſtolicae literae traditaeque nobis rem ſilentio obliuionique exemiſſent; ita actiones alias eiusdem aliorumq; Pontificum incercidiſſe mirum haud videri debeat. Nunc conſilia Reip. Mediolanenſis in vſurpanda tuendaque libertate, spes atque cupiditates Italiae principum interiectas, varios ancipitesque casus, & veluti dubitantem in eo discrimine fortunam, & qui demum exitus negotio fuerit, narrare pergemus. Mortuo Principe, Mediolanenses erectis ad liberandã vrbem animis, haud ſine execratione maiorum suorum, qui ab familia vna, per Archiepiscopi fraudem, seruitium patriae imponi illud paſſi eſſent, conspirauere, ne quemquam Mediolani regnare paterentur. In id, prouiſis, quae prouidenda erant, multumq; inter ſeſe collocuti principes vrbis etiam ante diuulgatam Ducis mortẽ, poſtquam ab intimis ea celari deſita eſt, diſponunt paſſim armatos ad omnia ſuſpecta loca, vias ipſas tranſuerſis foſſis, & catenarum obijce, ne ſit vſpiam ad interiora aditus, claudunt. Dein, tamquam haud dubie iam vſurpata libertate, principatuq; deleto, Reip. formam, quam maxime aequabilem, repetitis ex vetere Rep. exẽplis tumultarie inſtituerũt; publicũ vrbis conciliũ Senatuſque octingentorum, qui ſummae rerum praeeſſent, renouatur. Ceteri Magiſtratus in ſingulas portas deſcripti bini, hique facti bimeſtres, vt eunte per capita honore, pax animis, amorq; ſtatus eius maneret: cetera omnia ſalubria, & apta libero populo quae poſſent eſſe conquirebãtur; & quò

magis

magis placebant initia libertatis, eò inuidioſius exe-
crabiliuſque Vicecomitum & regni nomen fiebat.
Haud tamen prohibuere, quominus Philippus Maria
principum ritu ſepeliretur, eſtq. ſepultus penſili tu-
mulo poſt Aram maximam, quale Ioannis Archie-
piſcopi monumentum manet. Alij, ſepultum qui-
dem rite principem, ſed die funeris, tantum fuiſse
turbarum in vrbe tradunt, vt interpellata exſequia-
rum ceremonia ordineque confuſo, pompa ipſa diſ-
ſiparetur, & ab deducendo cadauere auerſi Clerici ſi-
mul, & proceres, & familia tota, & populus ipſe
ſpectator abirent, quà quemq; vel periculi metus,
vel cura aliqua ſuarum rerum, vel ſtudium etiam
inane videndi quid fieret, auocarat. Erant publici
cōſilij capita repetēdaeq; libertatis authores, Antoni⁹
Triuultius, Theodorus Boſſius, Georgius Lāpugna-
nus, & Innocentius Cotta. Hos, & principes fere
alij ſequebantur, & plebs ipſa, ceu parentes patriae
ſuſpiciebat, intentaque erat ad imperia eorum, &
nutus. Sed multa ſimul obturbabant terrebantque;
prope victor in vicino Venetus hoſtis, mota Italiae
totius arma ob relictam hanc ſine imperio vrbem,
vrbe in ipſa factiones detectae trahentium rem ad
eundem Alphonſum, qui paulo antea captiuus Me-
diolani fuerat. Et erat Mediolani Regis eius exerci-
tus, miſsus quidem ab Rege ſubſidio aduerſus Vene-
tos, cùm hoſte imminente illo Philippus Maria peri-
clitaretur, ſed nunc mortuo Vicecomite, eaedem
copiae Aragonio Regnum, & ſibi ſedem in hac pro-

uincia

aîncia meditabantur, verſaque in terrorem etiam auxilia erant. Praefectus eorum auxiliorum Raimondus Boilus, occupata Iouis arce factus ex auxiliari hoſtis, vexilla Regis ſui populo oſtentans concitabat turbatos nimium ſua ſponte animos, vt ſpecie illa noui & externi dominatus obiecta alienarent; interdum ab ijs, quos liberandae patriae auctores nominaui. At viri fortes, quibus, neque perſeuerantis animi uigor deerat, neque ad conſilium, quãuis inter ancipitia expediendum, ſubtilitas ingenij & acumen, & rerum vſus, eodem tempore, & malum tollere hoc quod domi natum erat, parãt, & aduerſus imminentes alios vndique hoſtes, praeſidia opportuna moliuntur. Raimondum cum Aragonenſem, corruptis auro qui circa ipſum in arce erãt, deiecere inde, arceque recepta ipſa, inimiciſſimum illud libertati opus immiſſa cum ferramentis plebe demoliti ſunt. Familiam verò Raimōdi, quae in Monaſterij Ambroſiani aedibus erat, diripuere, vniuerſam, & multiplici in omneis partes terrore oſtentato, duces alios peregrini exercitus adiunxere ſibi; quae omnia, nec prouidentius, nec felicius adminiſtrari potuere, quàm geſta, & adminiſtrata erant. Paulatim inde agendo multa, & prouidendo labuntur ad conſilium, fronte quidem ipſa, & ſpecie conſentaneum prudentiae & felicitati eidem, atque liberantibus patriam in tali tempore prope neceſſarium, ſed exitu ad id quod quaerebatur miſerabili, & calamitoſo. Franciſcum Sforciam generum ſuum, Philippus Ma-

ria,

ria, ſaepe alienatum, ſæpe reconciliatum rurſus, & ſemper, vt demonſtraui, ſuſpectum, paulo antequàm moreretur, victus inguentibus vndique periculis, rogauerat, vt ad ſe cum exercitu ſuo veniret, & in itinere ipſo, dum properat ille, dum accingitur ad ſoceri mandata, nouae exortae ſuſpiciones tardauerant venientem, & moratae erant, donec abſumpto ſene, ac finitis eo tandem exitu ſuſpicionibus, agitare ſerio denium ipſe imperia, & res magnas coepit. Hunc, accepto nuntio de ſoceri morte, properantem ab Cotoniola, iamq; progreſsum in Parmenſium fines, & ibi caſtra habentem, re agitata in Senatu per Scaramutiã Balbum rogant, ut in eaſdem gerendi belli conditiones, in quas fuerat à Philippo Maria euocatus, venire pergat. Quod conſilium, vt dixi, ſicut exitio rebus fuit, ita ſalutare in frontem, & prope videri neceſsarium poterat ob inclytã eius hominis in re militari famam, ob veterani robur exercitus quem ductabat; & quia niſi socius amicuſque aſsumeretur, acerrimũ fore hoſtem apparebat, vel ſuis ipſius auſpicijs, vel translata ad Venetos omni uirium suarũ mole. Erat Franciſcus Sfortia Sfortiae Attenduli filius, cui Attendulo, sua virtus, & fortia facta apud reges gratiã, opesque, & inde partẽ imperij, propiosq; exercitus & ipsum Sforciae nomen inuenere. Antea, Iacobus, ſiue Mutiolus fuerat; parenteſque eius, Ioannes, & Eliſia intra Cotoniolae fines honeſti, praeſagium accepiſſe ferebantur, fore, vt depoſito, quod ipſi impoſuerant nomine, proles ea nomen aſſumeret aliud
quod

quod fieret familiae cognomentum, & late noſcitaretur. Hoc igitur parente Franciſcus ortus, poſtquam is in Aterni fluminis traiectu ſubmerſus abſque duce vllo Sfortianum exercitum reliquerat, conſenſu militari ſalutatus imperator, ac deinde, quacunq. bellum aliquod gereretur, expetitus, & Philippo Mariae praeſertim aſcitus, fortunaque ſub ipſo vſus ea, quae demonſtrata eſt, nunc accepta à Mediolanenſibus gerendi belli poteſtate, reiq; militaris adminiſtratione, ſtatim diuiſas curas habebat, tuendi Mediolanenſium ipſorum Imperij, & ſimul rapiendi vſurpandiq; inde quantumcunque poſset ſalua in ſpeciem fide; donec gerendae demum alienae perſonae finis, belloque aperto inuadendi quos tuebatur, tempus veniret. Appellatis in itinere Parmenſibus, acceptaq; ab ijs fide, ne ab Mediolanenſium amicitia & authoritate diſcederent, Cremonam cum exercitu progreditur, quam ei vrbem Philippus Maria dederat cùm Blancam filiam in matrimonium daret. Ibi conditiones, in quas fuerat ab ſocero conductus, cum Aluiſio Boſsio, & Petro Cotta Reip. Mediolanenſis oratoribus firmat, uno hoc addito, vt ſi Brixiã ipſe cepiſſet, vrbem eam haberet liberam; ſi poſtea Verona etiam eſſet capta, hanc quidem haberet, Brixiam verò dimitteret. Rebelles inde Ticinenſes, qui Mediolanenſium odio parati imperium quodlibet accipere aliud, aduerſus Metropolim caput ſibi aliquod quaerebant, aſſumit ſibi, Comeſque Papiae appellatur praeclara interim apud Mediolanen-

ria, ſaepe alienatum, ſæpe reconciliatum rurſus, & ſemper, vt demonſtraui, ſuſpectum, paulo ante quàm moreretur, victus inguentibus vndique periculis, rogauerat, vt ad ſe cum exercitu ſuo veniret, & in itinere ipſo, dum properat ille, dum accingitur ad ſoceri mandata, nouae exortae ſuſpiciones tardauerant venientem, & moratae erant, donec abſumpto ſene, ac finitis eo tandem exitu ſuſpicionibus, agitare ſerio demum ipſe imperia, & res magnas coepit. Hunc, accepto nuntio de ſoceri morte, properantem ab Coroniola, iamq; progreſsum in Parmenſium fines, & ibi caſtra habentem, re agitata in Senatu per Scaramutiã Balbum rogant, ut in eaſdem gerendi belli conditiones, in quas fuerat à Philippo Maria euocatus, venire pergat. Quod conſilium, vt dixi, ſicut exitio rebus fuit, ita ſalutare in frontem, & prope videri neceſsarium poterat ob inclytã eius hominis in re militari famam, ob veterani robur exercitus quem ductabat; & quia niſi socius amicuſque aſsumeretur, acerrimũ fore hoſtem apparebat, vel suis ipſius auſpicijs, vel translata ad Venetos omni uirium suarũ mole. Erat Franciscus Sfortia Sfortiae Attenduli filius, cui Attendulo, sua virtus, & fortia facta apud reges gratiã, opesque, & inde partẽ imperij, propiosq; exercitus & ipsum Sforciae nomen inuenere. Antea, Iacobus, ſiue Mutiolus fuerat; parenteſque eius, Ioannes, & Eliſia intra Cotoniolae fines honeſti, praeſagium accepiſſe ferebantur, fore, vt depoſito, quod ipſi impoſuerant nomine, proles ea nomen aſſumeret aliud

quod

quod fieret familiae cognomentum, & late noſcitaretur. Hoc igitur parente Franciſcus ortus, poſtquam is in Aterni fluminis traiectu ſubmerſus abſque duce vllo Sfortianum exercitum reliquerat, conſenſu militari ſalutatus imperator, ac deinde, quacunq. bellum aliquod gereretur, expetitus, & Philippo Mariae praeſertim aſcitus, fortunaque ſub ipſo vſus ea, quae demonſtrata eſt, nunc accepta à Mediolanenſibus gerendi belli poteſtate, reiq; militaris adminiſtratione, ſtatim diuiſas curas habebat, tuendi Mediolanenſium ipſorum Imperij, & ſimul rapiendi vſurpandiq; inde quantumcunque poſset ſalua in ſpeciem fide; donec gerendae demum alienae perſonae finis, belloque aperto inuadendi quos tuebatur, tempus veniret. Appellatis in itinere Parmenſibus, acceptaq; ab ijs fide, ne ab Mediolanenſium amicitia & authoritate diſcederent, Cremonam cum exercitu progreditur, quam ei vrbem Philippus Maria dederat cùm Blancam filiam in matrimonium daret. Ibi conditiones, in quas fuerat ab ſocero conductus, cum Aluiſio Boſsio, & Petro Cotta Reip. Mediolanenſis oratoribus firmat, uno hoc addito, vt ſi Brixiã ipſe cepiſſet, vrbem eam haberet liberam; ſi poſtea Verona etiam eſſet capta, hanc quidem haberet, Brixiam verò dimitteret. Rebelles inde Ticinenſes, qui Mediolanenſium odio parati imperium quodlibet accipere aliud, aduerſus Metropolim caput ſibi aliquod quaerebant, aſſumit ſibi, Comeſque Papiae appellatur praeclara interim apud Mediolanen-

ſes ipſos excuſatione hac vſus, quòd niſi maturaſſet ipſe vrbem recipere eam, ventura fuiſſet in hoſtium poteſtatem, quodque magnus bellicus apparatus, & Pado amni armandae naues ibi haberentur; ſpes praecipua belli, quod ipſe adminiſtrandum ſuſcepiſſet. Proinde, ne offenderentur, ſubſidiaque imperij ſui ſcirent eſſe quicquid Franciscus Sforcia poſſideret. Mala initia negotij etiam ad exitum infauſti, peſſimeque Reip. conſultum optimus quiſque autumabat tunc cùm ſumma rei militaris ad hominem eum delata eſſet. Ac talibus quidem initijs offenſo Senatu, multumq; ſuſpecta noui Imperatoris fide, conſilium occulte initum eſt Mediolani, vt peterent potius ab Venetis pacem, quàm vt bellum gererent eo duce, qui rapiẽdo ſibi, & intercipiẽdo quas ad Metropolim adiungere debuerat urbes, rudimẽta ea infidi animi in ipſo rerum aditu poſuiſſet; miſſoque confeſtim in caſtra Venetorum Petro Cotta pacem & foedus petiere. Sed cùm Veneti, aliâs etiam, vt ferebant, eluſi ſpe pacis, legationem eam ſpreuiſſent, neceſſaria viſa diſſimulatio aduerſus Sforciam, quem ceu priorum obliti, attentiore in poſterum cura, per literas monuere, vt meminiſſet, tuendi Mediolanenſium Imperij cauſa ipsũ eſſe ascitum; nihil erraturũ, ſi omiſſis in praesentia curis cupiditatibusq; alijs, rem eam ageret; Senatum populumque Mediolanensem, inter alia inſtituta quibus delectetur, grati animi famam erga benemeritos non parui aeſtimare, & poſſe praemia tribuere ei ob fidem, maiora, quàm quae anteca-

pere

pere ipſe feſtinaret. Talia quaedam ad Sfortiam in caſtra perſcribi Senatus iuſſerat; vſique deinde diſſimulatione ac lenitate eadem, ſpeculatores appoſuere ei, per quos, in ſingula fere momenta, quid ageret, quoue moueretur, ſcirent. Et ille, nondum, ſcilicet, maturum eſſe tempus exiſtimans depromēdi id quod penitus animo incluſum habebat; ſimul, & Senatus litteris, & conſcientia admonente, videns, ob interceptam Papiam, tentataque in conditionibus alia, ſuſpectum ſe eſſe Mediolani, ſedulo agitabat, moliebaturque omnia, vt ſuſpicione ea ſe eximeret, faceretq́ fidem animi, nihil aliud, quàm bene geſtae Reipub. laudem quaerentis. Opportune autem ad placandos Mediolanenſium animos, probandamque Senatui fidem ei contigit, vt Derthonenſes Ticinenſium animo ſemper auerſati Metropolim, vrbis ſuae imperium, ad ipſum deferre vellent, multumque rogarent, ne accipere grauaretur, quod abnuit ille, & Praetorem tantummodo dedit. Cetera deinde nauiter ac proſpere adminiſtrando, conſulendo de rebus omnibus Senatum, & Senatusconſulta diligentiſſime exſequendo, ea aliquandiu erat integritatis fideiq; exiſtimatione, vt, cùm alia ſuper aliam victoria nuntiaretur, obiurgarent amici eius alios, quòd ipſum eiuſmodi ſuſpicionibus violaſſent. Cùm enim praeter Veneti belli molem, Galli etiam, & Genuenſes, & Sabaudienſis, & Eſtenſis, ad occupanda Mediolanenſis imperij varia loca, prout quique partem aliquam, vicinitatis illecebra, ſeu iure nonnullo petebant, vno

tempore coorti eſſent; tantis afflictam difficultatibus Remp. fide illius ac virtute quotidie fieri meliorem apparebat. Et referebat, vt dixi ille cuncta ad arbitrium authoritatemq; Senatus, vt ne gloriae quidem fructum, adeò non iam imperij partem quaerere ſibi vllam videretur. Foedus quin etiam inire cum Galliae Rege, ne ea res apud Mediolanenſes detrimento ſibi eſſet, recuſauit, cùm clandeſtina in id legatio in caſtra ad ipſum veniſſet. Maioreque & illuſtriore merito, Rainaldum ab Rege eodem cum exercitu miſſum ad tentandas Italiae res, iamque concitatis ad rebellandum Alexandrinis, finitima inuadentem, repreſſit precibus & authoritate memorans in colloquio vetera patris ſui merita erga Regem Gallum. Placentiam inde, quae praeſidio Venetorum tenebatur, oppugnare aggreſſus, quadraginta dierum labore expugnat, vrbemque eam inter exercitus vtriusque iniurias vaſtatam peſſime ac direptam, cõſtituit Reip. Mediolanenſis nomine; ſolatia, & iura, & magiſtratus dedit. In cuius quidem oppugnatione vrbis, nihil à ſcriptoribus prætermiſſum eſſe video, quò maior fieri poſſet gloria, vel ducis ipſius, qui rem geſſit, vel Populi Senatusque Mediolanenſis, cuius nomine geſta eſt, vel etiam hoſtium ipſorum, qui, ne vrbis eius poſſeſſione deijcerentur, pertulere ac tentauere, quicquid ex patientia, ingenijsue mortalium, inter magnas dimicationes, hiſtoria vnquam admirata eſt. Sagunti profectò, ſiue Syracuſarum, aut Tyri conſtantiam & ærumnas, & hinc oppugnantium, hinc obſeſſorum

artes,

artes, & in vtraque parte multiplicem ſtragem Placentina ea res æquauit; neque ego repetendo deſcripta iam ſedulo ab alijs certamen inane ſumam, otioue abutar, cùm vix ad ea ſufficiã, quae nunc primùm ex diuturno ſilentio in lucem hanc aliquam extrahuntur. Agentem iſta Sforciam laudabant quidem Mediolanenſes, decceſſeratque ſuſpicio multorum animis capitaliſſima illa, quam ipſe ſibi, primis, vt demonſtraui diebus, conciuerat; ſed quò maiora erant ea, quae geſſiſſet, rurſus nimia gloria viri suspiciones aliquando hominum easdem irritabat. Nam, praeter ſecundas quotidie magis ad Placentiam res, & iam prope depulſos ea regione Venetos, foedusq. cum Galliae Rege repudiatum; celebrabatur omnium ſermone ſingulare illius ingenij acumen, quo conſilia omnia Venetorum excepiſſet, atq. eluſiſſet, ſimulq; robur animi, quo leuiter laceſſitus vocaſſet ipſos ad vniuerſae rei dimicationem, & illi pugnam detrectaſſe ferebantur. Nimium id eſſe gloriae videbatur, quae, ne ſeſe altius efferret, frenandam eam, atq; comprimendam, ſecretò in concilijs aiebant. Itaque, dum ille Placentiam in propinqua iam ſpe victoriae quateret maxime, & oppugnaret, miſſo alio in Alexandrinum agrum ab vrbe exercitu Mediolanenſes, poſtquam infeſtum rurſus ei agro Gallum, ita domuere, vt ſuper vetera exempla, terribile atque funeſtiſſimum id infelices reliquiae referrent domum, gloria etiam ipſi elati, victorem exercitum duci Derthonam iubent, eique vrbi, quòd Metropolitano

ſpreto

ſpreto imperio principem ſibi Sfortiam habere voluiſſet, pro ea temeritate malum, exitiumque ferri. Ne magna aliqua vrbis eius calamitate ſanciretur vrbium etiam aliarum fides, idq; exemplum in Sforciae ipſius contumeliam ſtatueretur, ea res obſtitit, quòd ciues illi, eiecto protinus quem Sforcia dederat Praetore, permiſere ſeſe Mediolanenſium poteſtati, & in quaecunque pacta adigi ipſos viſum fuit, iurauere. Minime fallebat Sforciam, telum in ſui nominis famam directum fuiſſe illud, nec Derthonenſi populo, ſed ſibi vni terrorem eum eſſe oſtentatum, admonitosque ſic eſſe omneis, quantum opis & praeſidij in tutela fideq; ipſius collocatum habere poſſent. Sed multo magis angebat eum, quòd parce, & lente cuncta ex vrbe ad exercitum mittebantur, ſiue pecuniam ad perſoluenda ſtipendia militi, ſiue ſupplementum poſtulaſſet. Iam enim, praeter excitatos magnitudine rerum animos ad minuendam illius famam, ne periculoſa aliquando libertati foret, etiam noua ſpes erat exorta Senatui populoque, poſſe cùm Venetis pacem fidam honeſtamque componi, quoniam pars vtraque ſatis gloriae, ſatis etiam cladium, & pericula in poſterum eadem haberet, qui bellorum omnium honeſtiſſimus eſt finis. Conſilij huius authores in Senatu praecipui erant Picinini duo, Nicolai filij, de cuius exitu demonſtratum eſt, qui paternarum inimicitiarum heredes remouere ab exercitu Sforciam conabantur. Atq; hortantibus aſſidue eis, & ſua ſponte ad pacem inclinante Senatu, quae li-

bertati

bertati non obſtaret, miſſis vltro citroque legatis, res ita agitabatur, vt Senatui Populoque Mediolanenſi cum Senatu Populoq; Veneto pax eſſet; de praeſenti ſtatu & conditione partium nihil mutaretur. Haec ita pepigerant legati. Sed quia rata eſſe non poterant, niſi prius in Concilio octingentorum relata, comprobataque eſſent, admonitus Sforcia per homines ſibi fidos, quos Mediolani habebat, id ſpatij habuit ad plebem concitandam, vt coaſpernata pacem, ſeditioſo clamore bellum potius iuberet. Iactabant eius fautores, pacem fore ignominioſam, infidam, quouis bello triſtiorem, & alia, quae per litteras, aut nuntios identidem ipſe inculcabat tamquā Reip. cura; ſuberat dolus, vt exercitum ipſe haberet, & pars vtraque bello fatigaretur, donec ad rem ſuo nomine gerendam matura omnia eſſent. Nam vbi Venetorum exercitum agro Mediolanenſi ſubmouiſſet, ſtatuerat, vel occaſione arrepta aliqua, vel ſi nulla daretur, ipſo adoptionis & matrimonij iure conuertere ad recuperādum ſoceri imperium eadem arma, quae ad defendendam Reip. noſtrae libertatem accepiſſet. Neq; me fugit, eos, qui Sforciae huius geſta litteris mandauere, & propria cura res eius amplexi ſunt, eleuare iſta verbis, culpamque conferre omnem in Mediolanenſes ipſos, qui, tum diſſidijs inter ſe aeternis, tum implacabili erga Sforciam inuidia, perpetuaq; inſectatione gloriae eius, coegerint ipſum conſulere ſuae ſaluti, & ſibi filijsque ſuis debitam imperij huius hereditatem vindicare. Sed com-

mune

mune quidem hoc eſt omnium, qui res alicuius, ſiue Principis, ſiue populi, gratia rogatuque aliquo ſumpſere excolendas, vt cuncta, quae minuant laudem, aut artificioſe declinent, aut in contrarium vertant. Alioqui, ſine fructu laborem, & fortaſſe damnum habebunt. Mihi, non excolere, ſed narrare vetera haec ſponte aggreſſo, procul abeſt ea cura, ſemperq; vera ſpecioſis anteferemus. Magnus vtiq; bellator Franciſcus Sforcia, & omni reliqua laude par antiquis non caruit eo certe vitio mutabilis animi, quocunque ſpes aliqua fortunae augendae, & dominandi cupiditas vocaret. Etiam ſub ſocero Philippo Maria, tum antequam gener eſſet, tum poſt deductam maxime Blancam, nunc ab ipſo ad Venetos, & Florentinos, nunc à Florentinis & Venetis ad ipſum deſciuerat haud alia inconſtantia & leuitate, quàm ſine qua ipſam conſtantiae virtutem, nudam atque inutilem venatrix ſuorum commodorum regia prudentia appellat. Iam inde à Sforcia patre didicerat has artes, atque mobilitatem transferendæ fidei prudentiaeque in partem eam, vbi maiora momenta vtilitatum ſtarent. Nam etiam ille Neapolitanis antea bellis, nunc ab Ludouico Andegauenſi contra Reginam, nunc ab Regina contra Alfonſum ſteterat; & variatis tamen ita vicibus blandiſſimi ſcriptores officij nomen imponere potuerunt. Quae porrò iura ſucceſſionis, quamue adoptionem, quodue matrimonium aduerſus Mediolanenſiũ libertatem iactare poterat gener & filius ſoceri, & patris, cuius maiores

haud

haud alio, quàm communi nobiſcum iure nati in hac patria erant? Nimirum etiam ipſe ſibi conſcius, quam tenui filo ſua haec iura attinerentur, premebat alto ſilentio rem totã, neque verbum adhuc ei excidebat vllum, vnde ſuſpicandi minima anſa praeberetur, niſi multa, quae occulte agebat, intimos animi ſenſus, ipſo non ſuſpicante prodidiſſent apud eos, qui nunquam deſierant ad conſilia illius ſpeculanda intenti eſſe. Poſteà, maturis iam negotijs, res ſimul & verba, & repentina armorum conuerſio, translatique exercitus, & aſſumpti ad Metropolim inuadendam hoſtes ijdem, in quos pro Metropoli pugnarat, omnia vno tempore, ſicuti demonſtrabitur, & comprobauere quas dixi ſuſpiciones, & nimium ſerò coarguêre alios, qui vanum eſſe timorem volebant. Nunc Sforcia, poſtquam arte conatuq; omni peruicerat, vt ſpreta, quæ iam conuenerat pace, Senatus bellum decerneret, ſimulatione quidem, & cunctarum apparatu rerum intentus erat in quamcumque partem, ſiue Senatus cenſuiſſet, ſiue laceſſiſſent hoſtes; animi verò ſui curis & occultiſſimo ſenſu ſpectabat vrbem Brixiam, de qua vrbe in conditionibus erat, vt ſi eam ipſe cepiſſet, potiretur, haberetq; propriam & ſuam. Nondum id quidem ſuſpicione vlla attigerant Patres ſed paulo poſt mirifice attigêre; ac nihil aliud in praeſentia cogitantes, quàm vt decreto bello nulli rei deeſſent, quae ad profligandos vndique Venetos, imperiumq; conſtituendum, pertineret, de Sforciae ipſius fide animoq; erga Remp. ita iudicaturi erant, ſi-

cuti ille deinceps egiſſet. Is nunc caſtra ad Cremonam habebat, acceptoque Senatuſconſulto, quo bellum ei ſicut antea decernebatur, ad Caſſanum cum exercitu proficiſcitur, quam arcem, quodque municipium Eccleſiaſtici iuris olim, poſtea, ab dominatu altero ſicuti pleraque alia poſſeſſum, Veneti hoc tempore habebant. Eam recuperari arcem permagni ad rerum ſummam intererat, obtinente Veneto Laudem quoque Pompeiam, & Meltium & Treuilium, & pleraque agri Cremonenſis itaut neque ſupportari commeatus in maiora caſtra, neque nuntij ſine diſcrimine commeare poſſent. Mittitur illuc ab Senatu etiam Aſtor Fauentinus cum ijs copijs, quibus ipſe praeerat. Huic mandatum, vt pontem in Abdua faceret, quà Cremonenſem agrum alluit flumen. Facto ponte coniunctisq; exercitibus, decem dierum oppugnatione recuperauere arcem. Eo terrore, qui Meltium obtinebant, aufugerunt. Pandinum inde & Ripalta, & quae trans Abduam caſtella praeſidijs Venetorum tenebantur, capta, & direpta, vel ſi expedierat, munita & inſeſſa. Veneti ad defendenda iſta ſegniores, Cremonam vi tota aggreſſuri erant; iamq; inducta in id claſſe Padus inhorruerat. Tunc ſcilicet Sforciae cura rerum ſuarum pugnare cum authoritate Senatus; & non ſolùm tuendae Cremonae ſtudium, quam vrbem ei Philippus Maria aſſignarat, ſed etiam Brixiae adipiſcendae cupiditas, quam ſibi pepigerat in conditionibus, certamen cum publico conſenſu ducumque aliorum ſententia ad rerum ſum-

mam

mam inutile iniecerunt. Volebat Sforcia, impoſito protinus in naues milite, totis aggredi viribus Venetorum claſſem, crebrisq; ſuper ea re concilijs, gerendi belli rationem hanc proponebat, vt defenſâ prius Cremonâ, ad Brixiam ducerent oppugnandam; ita fore, vt Veneti transgreſſu Ollij amnis prohiberétur, & bellum in ſuis finibus haberent. Patres cenſebant, Laudem Pompeiam, primum omnium eſſe recuperandam; & cognita per legatos Sforciae ſententia. miſêre in caſtra, Oldratum Lampugnanum, & Ioannem Casatum, qui voluntatem Senatus exponerent, atq; hortarentur magnopere Sforciam, ne ei rei quicquam praeuertiſſe vellet. Ille tamen in ſententia ſua perſtabat, & quamquam conſensu ducum praefectorumq; aliorum victus, caſtra in Laudensem agrum mouiſſet, Cremonam tamen & Brixiam niſi collocatas in tuto haberet, nihil praeterea ſatis quieto animo aggreſſurus eſſe videbatur. Opportuna conſilijs cupiditatiq; eius fuit repentina Venetorum impreſſio, qui duce Micheleto quodam trâsgreſſi Ollium, caſtella, quae noſtri capta habebant, inuaſere. Caſum ſcilicet periculumque iactando illud Sforcia denique peruicit, vt poteſtas ſibi ab Senatu permitteretur agendi quicquid e Rep. eſſe duxiſſet; eiusque poteſtatis & arbitrij tempus ita definiuere; donec Patres aliud censuiſſent. Addidere collegam ei Gulielmum Montisferrati Demarchum, qui, cùm in Venetorum caſtris diu militaſſet, hoc tempore ſtipendia ea reliquerat, & in parte

nunc altera quaerere bona fide virtuti locum videbatur. Huic Gulielmo partem exercitus eam attribuerunt, quae Barptolemaeo Bergomenſi attributa prius fuerat, & honoris militiaeque gradum dedere eundem, quem ille tenuiſſet. Namq; Barptolemaeus ille notus adhuc, & per ſeria, per iocos ob militarem gloriam ſimul & cognomenti ludum frequens in ore famæ, cũ ſub Philippo Maria ordines duxiſſet, dein ab eo, Modoetienſi arci, crimine, ſiue suspicione interpoſita traditus in cuſtodiam, suspenso e pinnis fune delapsus ad ima aufugiſſet, mortuo principe, ab Senatu reſtitutus honori priſtino, nunc refugerat ad Venetos abieratq; nocturnus e caſtris. In huius locum igitur Patres suffecere quem dixi Gulielmum; ac præter eum additi speculatores ſimul adiutoresq; Sfortiae clari bello viri praefectiq; ſingularum turmarum, Carolus Gonzaga, Chriſtophorus Torellus, & Antonius Intimilienſis, quorum vltimus ad Meltium in praeſidio fuerat, & arce illic amiſſa profugus ad Mediolanenses, tanto magis fidus sperabatur, aduersus eos vnde abijſſet. Accepta igitur in hunc modum poteſtate & arbitrio gerendarum rerum, & copijs ducibusque auctus hiſce, ſimul poteſtatis & arbitrij vincula cuſtodesque fidei circa ſe plures habens Sforcia, quàm fortaſſe vellet, ad Cremonam pergit ire tuendam ab Venetae claſſis incursu, ſcilicet, vt ab ea parte firmatis opibus ſuis, opes deinde, Brixiâ etiam receptâ, maiores, ijsdem Reipub. armis tentaret, imperiumque ita trium

magnarum

magnarum vrbium, iam inde à principio captâ ſibi Papia, habiturus erat. Veneta claſſis ſeptuaginta nauium Andrea Quirino duce conſtiterat iuxta Caſalenſem arcem in eodem Padi amnis brachio, quod Metropolim afflixerat ingenti clade ſub Philippo Maria, nomenq; inde acceperat. Terreſtrem alium exercitum ſub Micheleto ad ſeptimum inde miliare Veneti habebant. Sforcia, faucibus brachij obſeſſis, oppoſitoq; ibi Ticinenſium nauium praeſidio, nequid effugij in medio diſcrimine hoſtibus pateret, ab altera parte bombardas in hoſtilem claſſem praecipuae magnitudinis dirigi quatuor iubet, ictibusque continuis & ferrea procella Venetas naues euerberari. Quod cùm abſque vlla intermiſſione fieret, adfuit etiam rebus ita diſpoſitis ea quae belli fortuna dicitur. Nam eodem tempore, & contortae e bombardis pilae ingentes cum foeda hominum laceratione, nauium latera compageſque perfringebant, & collocatae in faucibus triremes, concitato repente curſu, Venetorum ex tranſuerſo ſuperuenere nauigijs, vnde crebra in noſtros tela accidebant, proſperaq; pugna ſagittarios inhibuere; & nullum interea ſubſidium ab Micheletto aderat; quae res haud dubie victoriam ſine multo ſanguine noſtris dedit, deſpondente animos Quirino, cùm nondum plane victus eſſet. Is enim, vbi iniqua ſimul omnia claſſi, & ex terreſtribus caſtris auxilij ſpem eluſam vidit, ſubductâ raptim in vicinam arcem turbâ, quae ſuperfuerat, nauibus inijci flammas iubet, ne integrae

in

in manus hoſtium peruenirent. Et Sforcia, cùm à praeda continere militem nequiret, veritus, ne ſuperueniente Michelcto, manus impeditae corrumperent victoriam, quae iam parta erat, latius porrò ſpargi flammas eaſdem iubet, totamque claſſem incendio inuoluit, quam Veneti, haud ſine gemitu, ſuo ſimul & hoſtili igne flagrantem ex arce conſpexere. Nuntiata ea victoria Mediolanum, perinde ac debebat, laeta Patribus populoque fuit, honoſque etiam ob rem bene geſtam Deo immortali habitus eſt, & Sanctiſſima Virgo Deipara praeſes cuſtoſq; vrbis adorata pretioſiſſimis donis, quorum nõnulla adhuc manent in Templo maximo, & ſub eius titulo victoriae ab æditimis indicantur. Ceterùm, debilitatis ea nauali clade hoſtium viribus, magnoque periculo liberata Metropoli, cenſuere Patres modum imponendum eſſe poteſtati, quam Sforciæ ſummam liberamq; permiſiſſent, ac de ea re Senatusconſultum factum eſt in haec verba. Quod Senatus Populuſq; Mediolanenſis
„ Francisco Sforciae, rei bellicae arbitrium dedit, vt is
„ ageret quicquid e Rep. eſſe cenſuiſſet, eiq; arbitrio
„ tempus quodcunq; viſum eſſet, finiuit; nunc idem Se-
„ natus Populuſque de ea re ita cenſet; vti Franciſcus
„ Sforcia, de rebus omnibus quas hoc bello acturus
„ erit ad Senatum referat, ſententiamque Patrum, &
„ populi iuſſa exſpectet. Adiecere Senatusconſulto, vt primo quoque tempore traijceret cum exercitu flumen Abduam recuperandi Carauagij cauſa, Carauagio recepto, duceret ad Laudem Pompeiam, &

ei

ei quoq; vrbi recuperandae inſiſteret: Haec Senatus authoritas perſcripta & miſſa protinus in caſtra ad Sforciam, animum eius metu ſimul & indignatione confudit. Iraſcebatur, quia coarctatam ſibi poteſtatem, imperiumq; inhibitum videbat eo maxime tempore, quo potius ad rei geſtae praemium laxari amplificarique omnia par eſſet: timebat, ne detecta iam & nudata omni ſua mente conſilioque Brixiam eundi, Patres ad rem eam impediendam atque diſturbandam cuncta ſemper excogitaturi eſſent, eoque nunc inhibuiſſent imperium. Iam enim ipſe ſtatuerat ad Brixiam ire oppugnandam, & concilio ſuper eare habito, facile omnibus in eandem ſententiam adductis, caſtra illuc mouebantur, cùm redditae ſunt ei litterae Senatus, quae circumſcripta ſicut dixi poteſtate, ad Carauagium ducem agmenque auertebant. Sforcia enimuero, diſſimulans adhuc alte animi ſui deſtinata & dolorem, ad Carauagium, ſicuti imperatum erat, iter cōuertit, nihil aliud, vti fertur effatus, quám obediendum eſſe illis, quorum periculo res gereretur. Quinto die quàm ex Cremonenſi agro mouerat, diſpoſito locis idoneis exercitu id oppugnare caſtellum aggreſſus, ipſe, & ceteri Mediolanenſium duces, quibus iam æquatum fere imperium erat, in omnia incidere pericula & difficultates, quæ in magnae cuiuslibet oppugnatione vrbis perferendae eſſent. Nam, & natura locus erat ad mille fere paſſus ob foſſas & aquarum diuortia prope inuius equiti, & olim addita munimenta manu, nouis auxerant ar-

tibus hoſtes; hique, pridie, quàm noſter exercitus cò duceretur, magnis agminibus anteceſſerant, & maiore etiam poſtea numero ſuperuenere. Itaque, per menſis fere ſpatium, quotidiana praelia inter exercitum vtrumq; comittebantur, & auerſa omni ab arce moenibusque contentione, per agros & finitima loca dimicabatur, dum, aut qui iam praeuenerant, prohibent acceſſu noſtros, aut noſtri reliqua ſuccedentia agmina hoſtium arcere volunt. Ac ſicuti eadem in vtraque parte virtus, idemque fere numerus, & potiundi loci cura eadem erat, ita etiam neutri vnquam ex acie laeti abibant. Quinto demum & trigeſimo die, poſtquam cò ventum fuerat, cum Mediolanenſes circumuallatum aegerrimé oppidum haberent, ac promouendo ad moenia gradum, ſingulas prope glebas multo ſuo & hoſtium ſanguine infeciſſent, atque tunc etiam exercitus vterque pari defixus metu haereret, verentibus noſtris, ne oppugnationi intentos Veneti á tergo aggrederentur, Veneto ſummae rei diſcrimen vitante; principium vincendi noſtris inde eſt datum, vnde ſub victoriae ſpecie clades magna parabatur, niſi caſus alius, vt pleraque in bello ſolent inania & fortuita, ex manifeſto periculo ſalutem gloriamque dediſſet. Praeerat arci Matthaeus Capuanus eo animo vir, vt neque conſtantiae ac fidei anteferret quicquam, neq; inanem eius gloriae titulum, ſuo aliorumq; exitio quaeſitum vellet. Is, vbi circumfuſum oppido Mediolanenſem exercitum, & neceſſitatem adeſſe vltimam vidit, exi-

ſtimans

ſtimans dedita quàm capta arce, meliorem fore ſuam, & praeſidij conditionem, ſiue fortaſſe etiam nihil adhuc tale agitans, ſed moram imminenti irruptioni nonnullam quærens, miſſo ad Sforciam caduceatore, inſtitit cum eo agere de conditionibus tradendae arcis, iamq; ea res, & in principum concilio, & totis caſtris magnopere agitabatur. Interea, Venetorum duces, qui feſſum pugnando exercitum habebant & in collem caſtra contulerant, habito concilio de ſumma rerum, dictiſque ſententijs, quid quiſque optimum factu cenſeret, ſententias eas, ad Senatum ſuum ordine perſcribunt; indicant praeſentem belli ſtatum, exhauſtas iam in unius caſtelli defenſione pugnas, & factam prope deditionem; abſcedi inde agiq; alia, an ſubſidium ferri incluſis, & in rei non magnae diſcrimine periclitari vniuerſos velint, ceu parati in vtrumque conſulunt. Senatores Veneti, penſatis, quae referebãtur, breui conſultatione, retinendum eſſe Carauagium ſtatuunt, idque propere ad exercitum perfertur. Vna erat via, per quam penetrari ad caſtra Mediolanenſium poſſet, obſcuro per ſiluas tramite, quem Tibertus Brandolinus ducum illorum vnus ſumpto lixae habitu ſpeculatum egreſſus notarat. Cetera, regionis ſitu, foſſisque & munimentis obiectis, interciſa, abrupta, impedita, multiplex certamen antequam peruentum foret ad caſtra denuntiabant. Igitur accepto ſui Senatus mandato hoſtes hora diei ferme nona, cùm noſtri maxime intenti in ſpem recipiendae per deditionem arcis cetera remiſſius

iam languidiusque agerent, digreſſi colle abdunt ſeſe in ſiluas, & citato agmine properant ad opem obſeſſis quantocunq; ſuo periculo ferendam. Et periculum ſtatim perniciemq; inuenere, latam foſſam quam per vetera bella excauatam atq; perductam toto quantum ſpatio in latum ſilua porrigebatur, Sforcia collocatis per interualla militibus cõmunierat, paſſimue ſtramento materiâque iniectâ aliâ occaecarat, & ſtipites alicubi tranſuerſosque cancellos defixerat, vt ſi hoſtis tranſire illac conaretur, praecipitatus, implicituſque aut reiectus irritum id ſiue etiam funeſtum inceptum haberet. Neque ſpeculator Brandolinus ea munimenta viderat, ſuſpicione fortaſſe aliqua & metu, ſiue reperti tramitis laetitia propere ad ſuos regreſſus. Tumultuoſi nuntij de hoſtium aduentu in noſtra caſtra perferuntur, rapitque illuc Sforcia ſubito agmen; vbi, tum opportunitate foſſæ, tum virtute militum deprehenſos ad iniqua Venetos fudêre Mediolanenſes ac caecidere, partâ victoriâ, quę plena exemplorum etiam in hoſte miſerabilium fuit. Nam laqueis irretiti illis, captique & vincti trucidabantur etiam honeſte moriendi facultate adempta, cum inter cippos, & anguſtias, non dirigere ictus, non ad pugnam aſſurgere vllam poſſent. Et noſtri impune ſeſe per adſtructos ſua manu ponticulos, ac per vada nota inſinuabant. Haec prima procella pugnæ fuit, quam caedis potius nomine appellauere ſcriptores nec amiciſſimi Mediolanenſium rebus, & inter pericula conſiliaque eadem verſati. Caedes inde

alia

alia facta fugientium eſt, ex qua qui euaſere, armis equiſque relictis, alius aliò dilapſi, quacunque peruenerant, minime dubium fecere, quin res Veneta perdita eo die, & in perpetuum afflicta eſſet. Captis etiam direptiſque caſtris, & oppido recepto, opima ſpolia & nobiles captiui, Aluiſio Boſſio & Petro Cottæ ducendi Mediolanum traduntur. Legati hi populi Mediolanenſis in exercitu erant, nec ſine eorum authoritate quicquam fiebat. Vrbem iniere triumphantes albentibus vecti equis, purpura auroq; conſpicui: parentem vrbis Ambroſium, quomodo effigies ea pontificali habitu e ſerico auroque gemmis internitentibus publico ſumptu contexta, & per tot annos refecta ſemper manet, inſidentes equis publici ſerui pari inceſſu hinc inde ſuſtentanteis rite ac decore praeferebant. Captiuorum longus ordo antecedebat: Dandulus & Rangonus, capita nuper exercitus Veneti, nunc legatorū noſtrorum fere calones, hic Cottae, ille Boſſio iuxta pedes ducebantur. Ea magnae fortunae ludibria fert bellum. Sed, & vexilla D. Marci, haud equidem crediderim honoris cauſa pompae huic immiſcebantur. Ciuitas tota, non præſenti modò plauſu, quibusue alijs laetitia declaratur victoriam triumphumque excepit; verùm etiam ſecutis diebus adorabant gregatim ad omnia templa Numen ob eius victoriae beneficium, idque more humano prope remunerantes, templa ipſa magnifice excolebant, & ſemper famelicam inter belli mala plebem, remittendo publice tributa, priuatim nutri-

endo, miſerrimum quemque cogebant agnoſcere ac venerari Celeſtem potentiam, quæ, conſeruata Rep, imperioque Metropolitano infimis etiam benigne faceret eorum manu, qui Remp. imperiumque tenerent. Verùm, haec denique victoria noui belli principium fuit, cuius exitu Reſp. Mediolanenſium erat ſub iugum reditura idem, quod Vicecomitum ſine excuſſum putabant; atque extracta in hanc diem diſſimulatione magni voti Frãciſcus Sforcia, diuq; cum multarum rerum neceſſitate luctatus, tandem pertinaciâ ſuâ, & iujurijs, vt ferunt, alienis, ad id venit, vt hoſtium noſtrorũ aperte amicus, & infenſiſſimus ipſe nobis hoſtis fieret, donec, & victor & princeps, ſublatâ odiorũ causâ, paternae etiam in nos curae gloriam quaereret poſtea beneficijs & miti iuſtoque imperio etiam aſſequeretur. Offenſiones autem & iniuriae, vel cauſae, quae titulum aliquem praebuere honeſtum volenti jam Sforciae deficere ad hoſtes, & bello perſequi aperto imperium cuius tuendi cauſa exercitum armaque acceperat, partim ex conditione rerum ortae, partim in hiſtoriam inductae à nonnullis, qui Sforciarum nomini, poſtquam ea domus vrbem tenebat, fauerũnt, hae quidem feruntur. Recepto Carauagio, defensâ Cremonâ, rebuſqne alijs proſpere geſtis, rem atq; conſilium de Brixia inuadenda nunquam omiſſum, ſaepe dilatum illud exſequi Sforcia tandem hoc tempore volebat. Si publico concilio, & ſemper ad id moleſta ſibi Senatus authoritate impediretur, ſtatuerat vi ſua, & eo quem habebat exer-

citu

citu rem vtcunque aggredi. Quia ſtudia militum, & populi fauorem nominis gloria conciliatum, & multiplici clade conterritos Venetos haberet, nunquam tam opportunum fore tempus agendi aliquid, fortunamque tentandi ſuſpicabatur. Stimulabat etiam aſſidue animum & precibus, & querelis, paternae fortunae deſiderio multùm anxia & importuna vxor. Non ſe ei traditam, vt laboris ſemper, & exſilij ſtipendiorumq; alienorum comes foret. Alios etiam fuiſſe, ſplendidos & opulentos, e quibus Pater aſciſcere ſibi generum poſſet; prætuliſſe ceteris vnum, de cuius virtute atq; animo ſpem haberet, poſſe ab eo imperium retineri poſtquam ipſe deceſſiſſet. Proinde accingeretur ad opus, quod, & fama communis ab eo, & mortui ſoceri manes, & nati iam, poſtue ſuſcipiendi liberi poſtularent, ne ſcilicet, imperium, quod maternus auus ipſis maximum ampliſſimumque relinquere voluiſſet, Patris incuriâ ereptum ſibi cum dolore & ignominia viſuri eſſent, dedecuſque & damnum illud ad nepotes ipſis ſuos pudenda ſucceſſione tranſmiſſuri. Talia repetētem animo Sforciam, cùm nondum ab Carauagio caſtra mouiſſet, legati Mediolanenſium, Theodorus Boſſius, & Franciſchinus Caſtillioneus adeunt; laudant verbis ampliſſimis virtutem fidemque hominis, eique Senatus nomine gratias agunt, quòd rem adhuc ita geſſerit, vt ipſius opera Remp. breui fore conſtitutā, quieturos hoſtes, aut bellum domi habituros ſperare debeant. Petenti deinde vt ad Brixianae expeditionis facultatem libera ſibi cuncta permitterentur, in praeſentia quidem annuerunt,

nuerunt;poſtea verò delata re ad Senatum, cenſuere non eſſe e Rep. Sforciam vrbis eius potiri, atque ad eam rem impediendam ſedulo comparanda eſſe omnia decreuerunt. Id cùm ſua ſponte patres fecerant prouidentia & metu,ne nimium Sforcia inualeſceret, tum verò Picininus vterque,aemulatione in ipſum,& iam inueteratâ apud Senatum gratiâ, iactando ſaepius eadem adduxerant omneis in eam ſententiam, vt crederent,nequicquam pro Rep. & libertate fore dimicatum, ſi vrbibus vt coepiſſet, occupandis tantopere creſcere Sforciam paterentur. Peſtiferum eum in ſinu anguem nutrire ſibi Mediolanenſes, nec ſenſuros antequam bellua facta inexſuperabilis foret. Ita, & prouiſu ſuo, & conſilijs inſtincti alienis ab Veneto Brixiam teneri, quàm ſuccedere ibi Sforciae quicquam malebant. Monebatur etiam ipſe literis amicorum, miſſas ab Senatu Mediolanenſi fuiſſe literas ad principes eius vrbis,quibus eos hortarentur, vt in fide Venetorum manerent; cum Senatu Republicaque ea breui pacata omnia Mediolanenſibus fore. Et literas eodem tempore alias repererat Eraſmi Triultij ad Vitalianum Borromaeum ſcriptas in hanc ſententiam; dandam eſſe operam, vt copiarum duces qui in exercitu praeſtantiſſimi eſſent, cum ſuo quiſque milite in varia loca dimitterentur,ne Sforcia Brixiam obſidere poſſet. Mox Antonius Porrus miſſus ab Senatu in caſtra, quae iam moenibus vrbis Brixiae ſubijciebantur,mandata haec ferebat. Diuidi exercitum oportere,vt pars in Veronenſes duceretur,

pars

pars ad Laudem Pompejam tenderet. Vrbium earum alteram inſenſam eſſe Venetorum imperio, noſtrorũq. armorum adſpectu facile illinc defecturam, alteram niſi quamprimum recepta vindicataque eſſet, pernicioſi nimium exempli ignominiam eam fore, cùm adeò vicina Metropoli ciuitas ab hoſte teneretur. Haec ab Senatu mandata Porrus exponebat, & Sforcia eodem tempore iam penitus alienato à Mediolanenſibus animo, ſpeq; adipiſcendi imperij vehementius rapta, ob id ipſum agitandae cum Venetis paci intentus erat adiutoribus atque internuntijs Paſquale Malipiero Veneto, & Angelo Simoneta Mediolanenſi. Per horum vtrumq; ſermones commeabant, ſummaque conditionum erat, vt quae caſtella & arces & vrbes Philippus Maria mortis ſuae tempore tenuiſſet, ea omnia vnà cum Metropoli, finito bello, Sforciae huic cederent; Bergomum & Brixiam & Abduanae glareae caſtella praeter Pandinum obtinerent Veneti; per eos, quatuor millia equitum, bis mille pedites, quatuordecim millia florenorum nummûm in menſes ſingulos gerendo bello ſuppeditarentur. Quae, per eos, quos dixi interpretes cùm pacta iam & ſecreto conſtituta eſſent, credibile eſt, haud magnopere commotum fuiſſe Sforciam eiuſmodi mandatis, licet alioqui nihil magis alienum inimicumue rationibus ipſius obijci potuiſſet. Itaque, ne verbis quidem magnopere cum legato Metropolitano iurgatus, poſtquam is e caſtris abijt, apta ad id quod moliebatur oratione pertentatis militum ani-

mis,

mis,qui apud eum reliqui erant,vbi ex fauſtis clamoribus alacres, & ſibi ad omnia paratos ſenſit, poſtridie concionis eius, ex Brixienſi per Soncinatem agrũ tranſire in Laudenſes parabat. Ciuitas interim iſta dediderat ſeſe Mediolanenſibus,& vehementer ea reș initio noui belli Sforciae animum turbauit. Nam ab ea parte ſtatuerat irrumpere in Mediolanenſem agrum, & aucto mox Venetorum auxilijs exercitu ſuccedere vi tota ad moenia vrbis. Hanc Sforciae defectionem Mediolanum nuntiauere primi, Petrus Cotta & Aluiſius Boſſius, qui Reip. legati exercitum aſſidue ſequebantur. Hi,concioni, quam ad milites ille habuiſſet interfuerant; & vbi aduerſus obfirmatum eius animum aliquandiu fruſta tetendere, conſcenſis propere equis ad Senatum rem eam atrocem detulere. Non tamen ab Senatu quicquam temere tumultuoſeue actum. Sed miſſis ad Sforciam Bartolemeo Morono, & Iacobo Cuſano dici haec iubent. Valde miratos eſſe ipſos,quòd tantis Reip.beneficijs ornatus, arma in ipſam conuertere ſuſtinuiſſet;ſi nonnullorum facta diſplicuiſſent, eſſetq; aliqua re fortaſſe offenſus,debuiſſe potius oſtendere Senatui quid doleret; & Senatum, pro ſua aequitate,atque etiam pro ea opinione quam de ipſius virtute habuerit,cognita cauſa fuiſſe ſatisfacturum. Nunc quoq; ſi velit exponere alienati ſui animi cauſas, æquitatem Senatui manere eandem, & daturos eſſe operam, vt ſicuti ad nullum belli diſcrimen eſſe ſegnes velint,ita ad communis vitae officia mites & iuſti gratique

repe-

reperiantur. Sin ille hoſtili erga Remp. animo perſeuerare malit, aequum eſſe ſaltem, vt militares copiae Mediolanenſium, quas ſecum trahat, earumq; duces Senatui reſtituantur; neq; enim arma illis in patriam data eſſe. Sforcia reſpondit, nimium fuiſſe grauia & intoleranda, quæ per totum illud belli adminiſtrandi tempus ab Senatu ſimul & populo Mediolanẽſi pertuliſſet, tempusq; adeſſe vltionis, quemadmodum etiam videre ipſos arbitraretur. Sed velle ſe quidem iniuriarum ſponte obliuiſci omnium, neque quicquam acturum impotenti animo, quamquam & praeſenti occaſione, & dolore præteritorum ſtimuletur; imperium verò quod Philippi Mariae Vicecomitis fuerit, velle ſibi vindicare, ne ingratus erga ſocerum, impius in liberos vxoremque ſuam, & matrimonio proleque indignus habitus ea cum damno dedecus ignominiamque ferat. Quod ad militares copias earumque ductores attineat, neminem ſe morari, quominus abierint e veſtigio omneis quicunque Mediolanenſium adſint; nec plura in eo colloquio dicta. Bellum, quod cum Franciſco Sforcia pro ſua libertate infeliciter geſſere Mediolanenſes initia hæc habuit, ex quo bello victori imperium, victæ ciuitati fortuna eadem parabatur qua ſeſe per Philippi Mariæ mortem eſſe liberatam ſperarat. Quis autem poſtea crederet, Sforciam ipſum, fundato per victoriam hanc principatu, ſi poſt mortis tempora poſſet ſuorum intereſſe caſibus, longe præoptaturum huic eſſe principatui res priuatas, & eum vtique ſtatum, vnde ſpes

moliri tantas coepiſſet ? Neque enim ad ſextum heredem peruentura res erat; & quinque ſucceſſiones, per quas id imperium iuit, totidem tragica exempla dominantium fuere. Interfectus ob ſcelera & mores impudicos Galeatius coniuratione nobilium, inſpectante populo, ante aram, inter ſacra; mox vrbs infecta coniuratorum cædibus: ſæuitia Ludouici in filios & patrui dolo datum Ioanni Galeatio venenum: ipſe captus à Gallis & intra carcerem moerore abſumptus: filiorum huius alter ſimilitudine paterni exitus, alter orbâ ſenectâ domum imperiumque perdidere. Tanti fuerat capi vrbem Mediolanum, & totam a Franciſco patre inter dolos, arma, cædeſque vitam agi. Cùm Sforcia bellum aperte Mediolanenſibus, & verbis, & re ipſa denuntiauiſſet, idque Mediolanenſes, vt demonſtraui accepiſſent, neutri parti ſatis eſſe virium videbatur aduerſus imminens diſcrimen, quod alteris ſeruitutem, alteri exitium vltimum, & ſempiternam ex temeritate labem minitabatur, ſi clades accepta eſſet. Perterruerant enim etiam partem utramque ſtatim factæ fortiſſimorum virorum tranſitiones & ab Senatu ad Sforciam, & ab Sforcia ad Senatum, prout quoſque ad tanti diſcriminis initia obiecta ſpes metuſue animo, ſiue, prout affectus olim animus tenuerat nunc aut alienarat. Carolus Gonzaga cum mille ducentis equitibus, peditibus quingentis, deſerto Sforcia ſe ſe ad cauſam Senatus adiungendo fecerat alijs etiam exemplum caſtra ea relinquendi. Marchio Gulielmus & Aluiſius Vermus,

& Sanſeuerinates treis, Remp. Senatumque deſeruerunt. Ex vrbibus etiam ipſis aliquae nutabant ancipiti in hanc illamue partem fide; Placentiniq; nihil cunctati erant, quominus dederent ſeſe Sforciae, & ſequi fortunam illius mallent. Ob haec, aucta cura partibus, maiorque effecta ſolicitudo, quàm quanta fortaſſe praeſentem ſtatum & ſuas per ſe vires aeſtimantibus initio fuiſſet. Sforcia, praeter exercitum, quem habebat, quemue ab Venetis ex foedere expectabat, Florentinorum etiam, Genuenſiumque & principum aliorum, quos Reip. Mediolànenſium eſſe infenſos ſciret, tentauit quaeſiuitque auxilia, quæ principes genteſueeae vltro etiam mittere paratae erant. Mediolanenſes, non iam Sforciae, ſed auxiliorum, quae ad eum vndique mittebantur, vim famamque metuentes, auxilia etiam ipſi externa quaeſiuere miſſis legatis ad Federicum Caeſarem, ad Regem Galliae Carolum, & Neapolim ad Alphonſum Regem. Aluiſius quoque Sabaudienſis & Burgundiae Dux Philippus rogati, ne vrbi antiquiſſimae aduerſus finitimorum conſpirationem, & aduerſus vnius noui hominis conflatam ex alieno potentiam deeſſe vellent. Dum aguntur, tentanturque iſta, viſum eſt Patribus, vt Sforciae rurſus animum tentarent, ſi fortè ad conditionem aliquam honeſtam adduci ille poſſet, qua conditione, ſalua Rep. poſitis armis tanto ſuperſederetur bello, quantum initia illa minitabantur. Facto hoc ſenatuſconſulto, decretaq; legatione, proficiſcuntur ad Sforciam in caſtra, Iaco-

bus Cuſanus, Georgius Lampugnanus, Thomas Moronus, & Petrus Cotta iam aſſueti homines eiuſmodi colloquijs, & quibus cum libenter congredi Sforciam animaduerſum erat. Benigne in colloquium admiſſi dixere eadem, quae prior etiam legatio attulerat, de optima voluntate Senatus erga eum publicoque ſtudio corrigendi ſi quid paucorum offendiſſet iniuria; & quemadmodum magnopere mirati patres eſſent, quòd ex amico ac defenſore Reip. hoſtis repente extitiſſet: ſi maneret in ſententia, redderet ſaltem milites. Reſponſum tulere ſimile priori, niſi quod rei acerbitas, ſono magis quam ſenſu verborum, & flexo nonnihil ad placabilitatem ore mitigabatur. Hi legati cum domum redirent excepti à militum globo & ſpoliati ſunt, quo latrocinio protinus ad Sforciam delato, profectus ipſe e caſtris, affines ei flagitio omneis comprehendi & ſuſpendi juſſit; ſuſpendebanturque etiam innoxij ſuſpicione tantummodo obiecta aliqua, donec legati ipſi impetrauere ab Sforcia, vt finis fieret. Miſit deinde ſuam etiam ipſe legationem, cuius princeps Benedictus quidam Reguardatus fuit. Is, dato Senatu, cùm accurata oratione perſuadere conaretur, vt dederent Sforciae vrbem, eumque in Philippi Mariae locum acciperent, non deteriorem ſocero generum, adoptionis iure filium, patrem legitimae prolis ſanguiniſq; veri Vicecomitum, ſi ſucceſſionis ordo ſpectaretur, vna cum vxore heredem, ſi vellent eligere, ob merita non indignum, & imperare aſſuetum, & obedire, neq;

amplius

amplius ſibi quicquam in libera vrbe vindicaturum, quàm vt Reip. caput eſſet; haec & alia cùm diceret vir diſertus, multorum haud dubie commouerat animos, quibus finiendarum patriae calamitatum exitus ille probabatur. Sed ſtatim vbi legatus ille perorat, Georgius Lampugnanus ſuggeſtu conſcenſo eodem, omnia, quae pro libertate aduerſus dominantes dici poſſunt, tanta vi & ardore vultus animique dixit, vt commutatis repente omnium animis multa grauiſſima probra in Sforciam iacerentur, atque praeſcriberetur etiam breuis hora legato, intra quam Mediolanenſium exiſſe finibus deberet. Bellum inde ſumma vi, non parabatur vtrinque ſolum, ſed etiam gerebatur. Patres, vocatis in Curiam Franciſco Picinino, & Carolo Gonzaga, quorum ille, ob veteres inimicitias ſpem ſuae ſalutis in Sforciae exitio collocabat, hic periculorum initio ſtatim eum deſeruerat auſugeratque Mediolanum, alterum creant exercituum imperatorem, alteri tribunatum plebis per ſuffragia populi conciliant; extollunt vtrumque laudibus ob nauatam ad eam diem Reip. operam, & magnopere hortantur, vt aduerſus communem hoſtem pergant tueri vrbem, quam ſibi per mutua beneficia patriam feciſſent. Conſcripto deinde paſſim milite, & habito per vrbem ipſam delectu firmantur arces & oppida omnia praeſidijs: Modoetia & Nouaria & Nouocomum Comiti cuidam Intimilienſi tuenda attribuuntur. Majorem exercitum validioremque Sforcia; confluentibus ad eum vndique auxilijs & manenti-

bus

bus in ea parte veteranis habebat: Diuiſo multifariam eo exercitu, velut excurſione capit vna Derthonam, Nouariam, Vigleuanum, Briantaeos omnes, & finitimos huic genti Larij lacus accolas, caſtellaque complura, Olegium, Trecatum, Gaiatum, Romagnanum, partim vi, partim tradentibus qui in praeſidio erant. Et Comitis illius Intimilienſis perfidiam ſiue ſegnitiem fuiſſe aiunt, quae tam felicem inoffenſo prope gradu curſum primis illis Sforciae victorijs dediſſet. Nam, quà curabant alij, certamen anceps & egregia conſtantia defendentium fuit, donec vires, & munimenta ſuppeditauere; vnumque ignobile caſtellum, Abiatum nomine dum aggreſſus Sforcia ipſe oppugnat, prope momento vno bellum omne ibi finitum eſt, directa per fiſtulatorem Mediolanenſem in ipſius caput plumbea glande, quae in proximi armigeri pedem aberrauit. Cuius ſui periculi memoria infenſus loco, voluerat poſtea victor, cuncta illic diripienda dare militi, niſi ab vxore Blanca exoratus fuiſſet ob exactam ibi primam aetatem vnà cum Agnete matre. Derthonenſes publico antea conſenſu & vna omneis mente proni in Sforciam, nunc diuiſi factionibus, magis etiam morati curſum ſunt, donec introducto per Gibellinos equitatu ciuitas etiam ea caperetur. Parma, caſu prius quodam, deinde ciuium fide retenta eſt, cùm interceptae Rubei litterae paratam proditionem aperuiſſent, eâque repreſſâ Picininus populo ipſo inuitante praeſidium illuc duxiſſet. Ceterùm, & impetus ardorque animi,

quo

quo bellum Sforcia aggreſſus erat, & ſucceſſus etiam animo pares, fecerant Mediolani motus eos, qui ſolent eſſe ubi ſuarum quiſque rerum exitum ſpectat periclitante publica; curaſque eas ancipites, atque nutantem vrbis ſtatum Carolus Gonzaga conſpicatus, ſibi quoque enimuero ad ſpem augendae fortunae tentandum aliquid inter pericula illa aliena exiſtimauit, Fuerat Gonzaga iſte, quemadmodum demonſtrauimus, in exercitu ductor auxiliorum tunc cùm Sforcia palam à Senatu & Rep. alienatus hoſtem ſeſe profiteretur; ac damnata ſpe nouae militiæ eius, antehabitaque Rep. hoc ipſo gratiſſimus apud Patres plebemque erat. Ea gratia fauorque publicus audendi initium fuit, ſcilicet vt imperium vrbis Mediolani ipſe occuparet, populique clamoribus princeps dominuſue ſalutaretur. Largitione & epulis & comitate omni deterrimos quoſque ad id occulte praeparabat, neque primores vrbis fefellit. Obuiam iere, Theodorus Boſſius, & Georgius Lampugnanus, alijque rem ſuſpicati ſicut erat, hi pro ſe quiſque plebem hortabantur, ne pabulo obiecto trahi ſeſe ſub externi hominis iugum ſineret. Si generum vltimi principis Sforciam ſtudio libertatis adſpernarentur, cur non alieni huius perniciosa blandimenta repudiarent? Gonzaga viciſſim ad populum accuſando criminatores ſuos, aiebat, bellum alere eos, non vt Sforciam depellerent, ſed vt ipſi dominarentur. Ita corpus illud vnum defendentium libertatem in duas partes diuiditur. Hinc Gonzaga Tribunus

bunus plebis cum tota factione Guelforum, hinc principes nobilitatis ſubnixi Gibellini nominis potentia ſua conſilia ſeparatim inibant. Tribunus, quia obſepta ſibi ad regnum via per Gibellinos erat, concitare quotidie Guelfam ſuam plebem, vt dominatum vrbis ipſa inuaderet. Gibellina nobilitas duplici metu anxia, & ab hoſte pariter, & ab ciue, domeſtico periculo magis penè, quam bello externo angebatur. Quippe aduerſus diffuſam illam tota vrbe multitudinem, quae contemnitur ſemper & terrere poteſt, in cuius manu artes & ſubſidia vitæ communis, nihil valituram imperij maieſtatem, vbi ſemel ipſa contemnere imperitantes coepiſſet. Et iam haud dubie contemnebat. Neque conſilium & prouidentia regimenque temeritatis aberat vulgo, cùm Gonzaga ſtimulator idem duxque, cuncta regnantium dolis & aſtu moderaretur. Imperium vtique plebis aderat, cuius atrocia exempla, ne repetenda ex vetere memoria eſſent, ipſa ſibi vrbs poterat eſſe exemplum. In magno illo diſcrimine, maiore metu, coniurauere Theodorus Boſſius, & Georgius Lampugnanus, alijque vt dederent Sforciæ vrbem, qui conjuratorum eorum accitu ſtatim caſtra ad Landrianum decem millia paſſuum ab vrbe habebat. Picininus, cui res erat bellica mandata, cùm certa iam ei conſtarent indicia coniurationis, hoſtemque propinquantem videret, excitabatur veteribus odijs, & priuata aemulatione erga ipſum, vt ad Remp. tuendam fidus attentuſque eſſet. Nam ſi Sforcia vrbem imperiumque haberet,

haberet, captum ſe fore vnà proſpiciebat; vſusque eſt dolo, quo nihil callidius, aut aſtutia Poenorũ, aut quę Romanis honeſtiore vocabulo prudentia dicta eſt, ſtruere inuicem potuit, dum fraude, ſiue armis viciſſe decus idem putant. Simulans namque ſeſe deſperata Rep. neceſſitati imminenti ſuccumbentem, tranſijt vltro ad Sforciam quaſi geſturus vnà bellum aduerſus iam prope victos Mediolanenſes; reuera, vt victoriae obſtaret, ac inclinatis vteunque hoſtiũ rebus, & cognito ibi quicquid parti alteri futurũ vtile eſſet, Mediolanum poſtea reuerteretur. Benigne ab Sforcia acceptus, Iacobum quoque fratrem ei fraude eadem conciliat. Huic Druſiana Sforciae filia deſpondetur: dona ampla dantur vtrique; nec inter tanta pignora fidei ſecurus incautuſque Sforcia agebat. Poſt vtriuſque Picinini transfugium, tantò magis coiurati ignari qua mente illi quoue conſilio transfugiſſent, properabant dedere vrbem, vt ſui muneris ac beneficij facerent id quod propediem Sforcia ſuo Marte habiturus eſſe videbatur. Sed per litteras, & nuntios, quos ſuper ea re occultiſſime in caſtra mittebant, conditiones ferebant eas, vt decernere bello, cum honeſtius ſibi, tum verò etiam tutius ille exiſtimaret, atque ita etiam reſponderet. Interim epiſtola vna e caſtris in vrbem ad Boſſios de rebus eis miſſa intercipitur atq; perfertur ad ſummum Magiſtratum vrbis, qui Guelfarum partium erat, valida iam plebe, & proiecta vilique authoritate Senatus, tum inſtinctu Gonzaghae, tum credita defectione Picini-

 norum,

norum,& ſemper inexſuperabili multitudinis impetu, vbi ſuas vires ipſa circumſpexit. Erat epiſtola ſcripta notis occultis & celantibus ſenſum, vt vana foret interpretatio præterquã ei qui teſſeram apud ſe haberet. Ea ipſa res auxerat plebeio Magiſtratui ſuſpicionem atrocis alicuius doli, quòd litterae non intelligebantur; ac propoſitis large præmijs exquirebant, qui nodos explicare eos poſſet. Repertus eſt homo mirifice callens eius artificij, verſutus quidam & profunde ſolers, qui principum omnium limina contriuerat, ſcribendoq; talia & interpretando diu operam venditarat. Is admirabilium earum notarum aliquas cognitas ſibi & familiares primo ſtatim adſpectu excepit: deinde harum indicio deprehendit alias: et rurſus halce admouit alijs, quæ latebant adhuc: ſimul interualla ſignificantia nihil, & numeros expungendo inanes, ad liquidum certumque paulatim cuncta adducebat. Demum eò peruenit, vt ſententiam omnem fallaciunt litterarum extricatam & apertam exhiberet Magiſtratui legendam, quomodo ſcripta etiam quotidiana leguntur. Inerant colloquia Sforciae ipſius cum fratribus Boſſijs Aluiſio & Theodoro; & ex ijs, quae ſcripta erant, cetera etiam intelligebantur: Nomina coniuratorum in promptu: conditiones recuſatae vel acceptae: quomodo res conuenire aequabilius poſſet: quomodo etiam populus ipſe eludi; & praecipue cognoſcebatur, agitatum eſſe illud, vti per Portam Nouam Sforcia in vrbem induceretur. Namq; regio erat ea plena Gibellinorum,

minimeq;

minimeque tunc opifices & ſellulatij parte in illa habitabant, vt abſque vllo plebeio tumultu, nobilium humeris Sforcia portari in vrbem poſſet. Detecta in hunc modum coniuratione, nihil dilata eſt pœna; capitaque procerum in roſtris collocata ſunt ad terrorem nobilitatis tamquam eo ſpectaculo populare imperium firmaretur. Neque id plebeiae ſaeuitiae rudimentum caruit vlla arte, quam vel calidiſſimorum Regum aliquis ad principia rerum adhibere potuiſſet. Cùm enim in capiendis coniuratis timuiſſent grauiorem aliquem in vrbe motum, ſi clâriſſimi viri palam in vincula ducerentur, alium alia via quam occultiſſime circumuenere, Georgiuſque & Theodorus dimiſſi ſpecie legationis in Germaniam ad Cæſarem, & progreſſi Nouocomum vſque capti ſunt ibi & obtruncati poſtquam inter tormenta conſcios edidere. Conſciorum deinde addita caedes vbi ſublatis authoribus inhorruerant conciderantq; omnium animi. Diſſimulata aliorum effugia, quibus parcere voluerant: alij relegati vltro, & proſcripti, quos nec manere in ciuitate placebat, nec abſentes timebant. Bona omnium publicata, ſubſidioque deinde eo militare ærarium ſtetit. Ciuitas inde per Ioannem Oſſonam inſtitorem viliſſimae mercis, & Ioannem Appianum etiam viliori conditione ſcribã ſiue Notarium regebatur. His aderant, præter Carolum Gonzagam ex ipſa nobilitate nonnulli, qui deſerto & eiurato Gibellinorum nomine, fecerant ſe ſe

Guelfos, & hoc ipſo quia deſciuerant à ſuis, non minus fidi habebantur, quàm ipſa ſibi erat plebes. At Sforcia, ob conditiones, primò, ſicut ipſi videbantur, iniquas, deinde, ob deprehenſam diſturbatamque coniurationem, amiſſa ſpe capiendae per dolum vrbis, penitus ad vim obſidionemque conuerſo iam animo, promotis ab Landriano in ſuburbia caſtris ad ipſa moenia ſaepe excurrebat. Si arcta vlla vnquam & præcipitandis in deſperationem animis apta obſidio fuit, hæc certe, & cingebat vndique Mediolanenſes, & ſpem omnem ſubſidij abſcindebat, itaut, vel frangi quamuis obſtinata pectora neceſſe eſſet, vel neceſſitate vltima erumpere vltro incluſos, & dare cuncta in vnius horæ diſcrimen. Pars militum ad Viboldoni Monaſterium, pars ad Melinianum ſtetere. Alij Piſcariam, quarto ab vrbe lapide munitiſſimam per ea tempora arcem inſederunt: alij circa Bagienſe Monaſterium poſuerant caſtra, caſtriſque præerant ijdem illi, quibus ob transfugia, Picininis exceptis, haud minus quàm Sforciæ ipſi cordi erat capi ſubigique vrbem, quam ipſi prodidiſſent: Sforcia cum veteranis ſuis medius inter copias fere omneis haud procul à Binaſco elegerat locum. Ad Monaſterium Creſciacenſe Ioannem quendam Hiſpanum, cum validiſſima peditatus parte collocarat. Ita, ſex portae vrbis obſeſſae, & præcluſae erant, vt aditus exituſque omneis in poteſtate hoſtium eſſent. Vrbe in ipſa, dominante plebe, apta, & op-

por-

portuna cuncta hoſti. Appianus & Oſſona; mercator hic, ille Notarius, in ſummo Magiſtratu, moribus vterque ſuę ſortis adminiſtrabant rem. Et quoniã offenſis eorum indignitate animis, inſtitutum poſtea erat, vt noui ſubinde Magiſtratus crearentur, quibus bimeſtre imperium eſſet, viciſſitudine fiebat illa, vt ad homines etiam deteriores, quàm erant illi Appianus & Oſſuna ſumma rerum rediret. Atq; ad Calendas fortè Martias inituri Magiſtratum erant ſordidiſſimi duo, macellarius credo aliquis & piſtor; homineſque eos, in purpura & imperio conſpectura ciuitas, qui nondum infectam beſtiarum ſanguine, albentemue farina exomidem poſuiſſent. Id ipſum indignabantur ijdem illi, qui formam Reip. hanc inſtituerant, pudorque talis imperij etat idem, apud imperitantes iuxta & parentes, neque his aut illis curae officium ſuum, ſed parti vtriq; verecundia præſentis ſtatus, timor futuri, & mutua ſeſe intuentium, vel confuſio, vel ira. Quam vrbis faciem, præſentiaq; & imminentia Carolus Gonzaga, quò propior interiorque erat, hoc magis intuens, ac velut intraturo mox Sforcia de ſalute ſua dubitans, quęrebat ſibi gratiæ locum, & occultis eum nuntijs monebat, ſi ad portam Ticinenſem ſub Cal. ipſas Martias acceſſiſſet, fore, vt propter noui Magiſtratus indignitatem, & ſordes irritato populo in vrbem ipſe cum exercitu acciperetur; ſperaueratque id ita poſſe contingere Sforcia, & ne fortunae ſuae deeſſet,

regio-

regione ſaepius ea fruſtra ſeſe oſtentarat. Mirum ſane, tam diſcordem inter ſe ciuitatem, tam inuiſos ciuitati Magiſtratus, & turbarum quodam modo Remp. importunaeque multitudinis eo tempore regnum, aduerſus communem hoſtem in tam dura obſidione ſtare aliquandiu potuiſſe, ſicuti ſtetit, & vlli conſtanti conſilio locum interea ibi fuiſſe. Non modò irritus ab ea Ticinenſi Porta Sforcia dimittebatur, quotiescunque ſucceſſerat, ſed, & vitae diſcrimen aliquando ipſe adijt, diſploſâ in eum bombardâ, cuius ictum haud ſine miraculo vitauit; & Gonzagam die quodam arrepta leui ſuſpicione penè interfecerunt. Confirmabantur animi Mediolanenſium expectatione ſubſidij, quod ab Sabaudiae Duce propediem adfuturum eſſe dicebatur, alente ſpem eam Maria filia Ducis illius, cui viduae, poſt Philippi mortem, ob matrimonij modeſtiam & merita, ſedes & honor in vrbe idem, tam ſaeuis Reip. temporibus manebat, & verſa domo finitoque principatu, ob miſericordiam caritas etiam maior. Tam mites erga ſe animos in tali ſua fortuna remunerari aliquo modo volens mulier, aiebat identidem, non vltra dilaturum eſſe ſuppetias patrem: ſi ſuſtinuiſſent adhuc pauliſper, fore vt non poeniteret. Ac ſicuti dicebantur iſta, ita etiam Sabaudus filiae rogatu re ipſa ferre obſeſſae vrbi ſubſidium parabat. Interimque Sforcia, ſiue ſuſpicatus de ea expectatione & apparatu nonnihil, ſiue iam cernens, per ea ſtare ſubſidia quo-

minus

minus domitam vrbem captamque haberet, miſſo caduceatore monet hortaturque Mediolanenſes, ne pertinacia defendēdae libertatis pati extrema velint. Ne Sabaudienſi nimium credant, nimiumue promiſſis eius & ope ſubnitantur. Sibi Venetos & Florentinos & Genuenſes adeſſe, quarum Rerump. auxilijs, & multo magis aequitate cauſae fretus, haud ante ſoluturus obſidionem ſit, quàm vrbem imperiumque ſibi debitum recuperarit. Malle id quidem ſalua Metropoli, ſaluis tot inclytarũ religionum templis, quae Metropolim Romanae Maieſtati fama iamdudum & praedicatione aequarint. Sed conſilia haec eſſe pietatis & modeſtiae, queis locus in pace, vel praeſenti, vel ſperata; vbi abrupta ſint omnia inter belli diſcrimen & victoriae neceſſitates, tunc nihil aliud ſpectari praeter victoriam & bellum; & ea etiã, quae, vel religione veneranda, vel natura cara ſint, ruere inter cetera, quae vincenti obſtent. Ita pulcherrimam, & antiquiſſimam vrbem, quam conſeruari & manere incolumen ſua plurimum interſit, niſi quamprimum dedatur, eſſe clade omni peruaſtandam, atque, ſicut exiſtimare poſſent etiam ipſi, tot militum impetu diripiendam pejus iuſtiuſque quàm direpta Anobardi temporibus fuiſſet. Rurſus, facta deditione, non modò conſeruaturos vrbem, & ſua omnia Mediolanenſes, ſed ne libertatem quidem ipſam, cuius inane nomen cum exitio ſuo defendere conentur, eſſe deſideraturos. Haec Sforciae dicta ferens legatus, cùm Mediolanum veniſſet, data

ſedulò

ſedulò opera eſt á Magiſtratu vrbis, vt ne plures quàm duodecim, in quorum praeterea manu Reſp. erat, eius orationi intereſſent, datoque atroci reſponſo, faceſſeret illico ex vrbe iuſſerunt, & extra portam à viatore legatus eſt deductus, ne cum vllo ciuium loqueretur. Spes deinde Sforciae omnis in obſidione belloque erat, & quia, dum tentantur aguntur que iſta, ſenſerat, nuntios, qui ab Sabaudienſe mitterentur, ingredi vrbem ab ea parte, quae ſpectat Modoetiam verſus, poſteque regione eadem, tum copias etiam auxiliares, tum commeatus & annonae ſubſidia intromitti; ſtatuit oppidum aggredi illud, clauſa magis & abſciſſa Mediolanenſibus videns fore omnia, ſi aditum eum ipſe intercepiſſet. Interceperat autem ſtatim obtinueratque prope ſine certamine Modoetiam, niſi Picininus, quo animo ad Sforciã, vt dixi trãsfugerat, eo corrupiſſet hanc ipſi occaſionem, & in hoſtili acie pro Mediolanenſibus ſtetiſſet. Caſtra hic ad Sanctam (abeſt is pagus ab Oppido Modoetia duo millia paſſuum) poſuerat, tamquam ab eo latere impreſſionem facturus, cùm ab alijs duces alij partibus ſuo quiſque agmine inuaſuri eſſent. Ceterùm, vti communicata & compoſita omnia cum noſtris ille habebat, monuerat occulte Magiſtratum, ſi obſeſſo Oppido ſubſidium ab vrbe mitteretur, liberum illac per ſua caſtra aditum fore, nec hoſtile quicquam in quacunque parte ageret ipſe, Mediolanenſes eſſe reperturos; eaque res haud dubie Sforciam ex Modoetiae poſſeſſione detraxit. Nam, miſſi ab vrbe

milites

milites, cùm in Oppidum, ab ea parte tranſitum dante Picinino penetraſſent, refecti modica deinde quiete ſub auroram erupêre cum Oppidanis in Sforcianos alios, qui nihil tale expectantes effuſiſſime ſomno indulgebant, ac excitati vulneratorum vigilum clamoribus, poſt iniquam & infelicem denique pugnam, queis cordi ſalus fuit, aufugerunt. Noſtri, bombardas maioris formæ aliquot, ceterumque caſtrorum apparatum, &, quod pluris aeſtimabatur, animos ea victoria nacti ingentes, longe plurimum animorum poſtea ſumpſere vbi Picinini duo, vel quia iam eſſe detectam, vel quia diutius non poſſe latere proditionem, ſatiſque ad id quod voluerant effectum eſſe arbitrabantur, cum ſua vterque manu refugêre Mediolanum. His aucti copijs, & duorum ducum ad ſe transfugio confirmati Mediolanenſes, Picininum minorem cum Carolo Gonzaga ſubſidium obſeſſis ferre Cremonenſibus iubent. Picininus & Gonzaga egreſſi cum idonea manu, ex itinere Melinianum capiunt, ac ſoluta obſidione, Meltium etiam in reditu expugnant, magnâ curâ iniectâ hoſti, quamuis callide, & curam, & animi dolorem apud exercitum ſuum tegere conaretur: Praecipue, amiſſi Meliniani damnum vrebat. Id vtique recuperare Oppidum Sforcia volens, infeſtum exercitum rapit illuc, primoque impetu, cuncta praeter arcem inuaſit. Arcis praefectus, vt circumſideri ſeſe, & cuncta ſibi in dies arctiora eſſe vidit, trium dierum inducias pactus, vt niſi intra eos auxilium ab vrbe mitteretur, praeſidium inde

Hhhhh dedu-

deduceret abiretque, ſpatium ciuitati dedit ad eius arcis oppidique defenſionem emittendi exercitum, quantum ſubitario intra muros delectu cogere maximum potuerunt. Locus enim ille permagni momenti ad ſummam rerum parti vtrique habebatur, & in vltimum veluti diſcrimen proceſſere illuc. Fuere Mediolanenſium ad triginta millia, in quibus, equites ſex millium explebant numerũ. Picininus alter praeerat his copijs, quem ſuper ſolitos inter contrariorum exercituum duces, animos, ſtimulabat transfugij proditioniſque conſcientia, quòd Sforciae caſtra ſecutus explorator, fallaci munere expleto deſeruiſſet, collega fraudis germano, ac nunc agmen vterque hoſtile ductarent, ne titulo quidem quaeſito vllo, cur exuiſſent fidem, niſi quòd inter belli iura perfidiam cenſuit omnis aetas. Etiam in ipſo nunc procinctu, cùm verecundia eſſe aliqua praeteritorum deberet, auſus eſt ductor iſte Mediolanenſium Picininus Sforciam inſidijs appetere tam manifeſtis, vt illudere potius & inſultare, quám inſidiari videretur. Adeò, ille, velut oblitus, oblitoſue alios putans, quiſnam ipſe eſſet, quidue egiſſet, perſeuerabat eiſdem artibus hoſtem tentare palam; ac propinquo ſummae rei diſcrimine, per Leonem quendam è ſuis dici Sforciae haec iubet. Adeſſe cum ſexaginta armatorum millibus ſeſe, inuicta manu, etiam ſi aduerſus parem numerum, & fidos inter ſe hoſtes exiret. Sed compertum eſſe ſibi, quod praefecti nonnulli cohortiũ alarumq; illius in medio certamine translaturi ſigna eſſent,

eumque

eumque deſerturi. Id pro amicitia monere voluiſſe. Sforcia, gnarus, nec tantas eſſe Mediolanenſium copias, & de ſui exercitus fide ſatis ſecurus, intellecto dolo, qui ad ſeſe conterrendum nimis aperte intenderetur, viciſſim proditori inſultans, veniret, dixit; ſibi, quò plus hominum in aduerſa acie habuiſſet, eò nobiliorem victoriam fore. De alieni militis erga Imperatorem ſuum fide ſolicitus eſſe deſineret; ipſum eſſe viſurum, vt recte conſtituta & fida omnia circa ſe habeat. Et imperatores quidem talia inuicem fecerant; pugna verò illa tanti diſcriminis dilata eſt; ſiue, quia pari vterque metu defugerint vltimam aliam, ſiue quia detrectante certamen altero, pro victoria id alter habuerit. Sforcia certe tenuit arcem; & commoto acrius ad obſidendam vrbem animo, ſegetes, quae iam prope maturae in agris erant, vndique corrumpere immiſſo equitatu parabat, cùm Viglcuanenſium defectio, & ab Vercellis Nouariam vſque progreſſi Sabaudienſes, à populatione ſimul ipſum & ab obſidione auerterunt. Pro Mediolanenſibus vtraque illa arma mota erant, & poſt multas ancipites pugnas varioſque caſus, recepto Vigleuano, fuſo Sabaudienſe, victor ab ea parte Sforcia, properus ad vaſtandum agrum, vnde fuerat duplici illo periculo repente auocatus, redit. Mediolanenſes interim etiam ipſi apud Seprium alioſque rebellus ſecuerant attriuerantue ſata, vt famem ſolitudinemque Sforcianis facerent, & vbi redijſſet Sforcia, exuſto omni ſuorum agro, non haberet, vnde frumen-

taretur. Capit in reditu Caſtelleonenſem arcem, quam Brandus ex ea gente Cardinalis condiderat munieratque. Defectiones variae, vel ab Sforcia ab Metropolim, vel ab Metropoli ad Sforciam fiunt; in quibus, Variſienſes, & Luganenſes, primò adſpernati quod vltro antea acceperant imperium, mox contemptâ patriâ ſub idem redierant. Intimilienſis, de quo, Mediolanenſium duce, dein proditore demonſtratum eſt, ad Canturium hoc tempore agens, cùm crebris & litteris & nuntijs ex vrbe ſolicitaretur, vt deſerto Sforcia, ſeſe rurſus ad nutum authoritatemque Mediolanenſium conferre vellet, comprehenſum hominem, qui nouiſſime ſuper ea re ipſum adierat, ad Sforciam in caſtra miſit, ibique ille laqueo eſt exanimatus. In vrbe, Appianus & Oſſuna, circumacto forte iterum ſui Magiſtratus tempore, inuiſi vileſque nobilitati iuxta & plebi conijciuntur in vincula, aegre vitato periculo, quominus populi impetu opprimerentur. Geſſerant enim flagitioſe magiſtratum, & ſuae vterque fortunae moribus vtendo inſtitor & ſcriba, ſicuti erant, multis crudelibus auariſque factis irritauerant animos etiam apud eos contempti, qui participes & miniſtri ſcelerum fuerant. Succeſſerant iſtis, Appiano & Oſſunae Guarnerius Caſtelleonus, Petrus Puſterula, Galeotus Tuſcanus, quorum modeſtiae ac virtuti contigerat, vt ſummam poteſtatem homines nobiles obtinerent in eo imperio quod iam haud dubie plebis eſſet. Magnopere hi cupierant perſuadere populo, vt Frãciſco

Sforciae

Sforciae dederent vrbem, ſiue manſuetis animis miſerati tot patriae clades, & lenitate inſita pertaeſi defenſionem libertatis, quae tanto ciuium ſanguine conſtaret; ſiue qua alia de cauſa proni in hoſtem. Sed nequaquam auſi ad populum referre, ſecretis tantummodo inter ſe conſilijs & votis rem eam agitabant. Populus, neque inclinatione vlla rerum, neq; noui Magiſtratus propenſione flectebatur, quominus abominari & perſequi bello Sforciam pergeret, verboque in concilijs vtebantur huiuſmodi; ſi diutius tueri vrbem nequirent, potius eam ipſos eſſe deſertu[ro]ros, quàm vt regnantem in ea Sforciam viderent. Henricus Panicarola mercator erat Mediolanenſis, qui negotia fortè magna Venetijs habebat, atque ibi aliquandiu morabatur, & quamquam abſens, plebis reliquae praeſentis animos erga patriam gerebat. Huic mandant, vt ab Veneto Senatu petat; ne in eò bello, quòd geratur, ſtare cum Sforcia amplius velint. Sed cum Rep. potius Mediolanenſi foedus iungant, quae Patres eos in parētum vere loco ſit habitura, vbi id impetrarit. Atque ille, ſemel iterumque in Senatum admiſſus, oſtendendo multa & promittendo tenuit, vt quatuor e Patribus darentur, cum quibus agere poſſet etiam alia, quae ſecreto agenda in mandatis haberet. Ea cuiuſmodi fuerint comperti nihil habemus. Illud minime dubium fuit, partim huius legatione Panicarolae, partim occultioribus Veneti legati qui Sforciae caſtra ſequebatur ad Senatum ſuum litteris, eſſe perfectum, vt Patres, de relinquendo

Sforcia,

Sforcia, transferendoque ad Mediolanenſes foedero magnopere cogitarent. Scribebat legatus e caſtris, monebatque ſuos, inexplicabile ſibi videri bellum ob munimenta vrbis Mediolani, & pertinaces ibi animos, inexhauſtamque multitudinem; ac ſi ſpes tamen aliqua eſſet prius finiendi belli, quàm ipſorum Reſp. exhauriretur, cogitandum vtique eſſe Patribus, an deberent ſuis armis atq; opibus facere Mediolani Ducem vnum, qui, vbi ſemel in ea parte inualuiſſet, ſpes in perpetuum foret adempta Senatui Veneto conſequendae rei, quae neceſſaria eſſet, vt maximum ſuum in Italia imperium facerent. Nunquam poſtea locum fore Venetorum armis ad Mediolanenſis agri glebam vnam occupandam, ſi teneat eam vrbem Sforcia ille tam auidus potentiae, tam ſolers bellandi artium, tam grauis accola, tam metuendus. His itaque permoti Patres, diſſimulato conſilio, quo mouerentur, tamquam haud aliâ, quàm Reip. Mediolanenſis curâ, Panicarolae dixerunt; ipſos breui daturos eſſe reſponſum, quod laetus ad ſuos perferret, ac monuere, vt eius reſponſi diem exſpectare ne grauaretur. Nihil horum ſciebat Sforcia & coniuncto cum Venetis adhuc exercitu animoque cum ijs vno rem aduerſus Mediolanenſes gerebat. Sancti Angeli municipium appoſitum Lambro flumini Ticinum inter & Laudem Pompeiam aggreſſus tertio die expugnat. Picicatonenſem arcem in Abduae fluminis ripa Cribelli fratres, qui ibi in praeſidio erant, prodidere, idq; poſtea Cribellis apud Sforciam

initium

initium fortunae amplioris fuit. Mox, direptâ Martheſanâ, Vicomercato incenſo, rebellionem eius regionis vltus, terrore ſubegit eo Meltium, & Caſſanum & ſiqua in Briantaeis vel circa Larium lacum adhuc nutabant. Quae omnia cùm tenore vno fluerent in Sforciam, acceſſit etiam ad res Mediolanenſium aggrauandas aliud ciuile malum quo nihil vtilius eſſe hoſti poterat. Galeotus Tuſcanus & Petrus Puſterula, poſt Oſſunam & Appianum, vt dixi, tenuerant ſummum vrbis Magiſtratum homines nobiles & modeſti, ſed apud plebem ſuſpecti magno illo crimine, quaſi rem ad Sforciam inclinare voluiſſent. Hi, poſtquam abiere Magiſtratu, ſuſpicionibus irritata ſuis plebes, interficere vtrumq; voluerat, cùmq; Puſterula vim ſacuam fuga eluctatus euaſiſſet, Galeotus debilitate pedum, ſenioque tardior obtruncatur. Erat ſumma neceſſitudo Galeotto huic cum Carolo Gonzaga, qui, ſimul indigne ferens amici necem ſimul Sforciae rebus commotus ſecundis & magnis; & conuerſo olim in eum animo, haud vltra cunctandum ratus, Capra quodam internuntio paciſcitur vt dedita Laudenſi arce, quam ipſe in poteſtate habebat, Derthonam ab eo pro tanto beneficio accipiat viciſſim, atque receptus inter principes amicorum in gradu militiae quam honeſtiſſimo collocetur. Ita, noſtri participem cōſiliorum omnium amiſere Gonzagam, & cum eo, paulo poſt, etiam vrbem, quae horreum populi Mediolanenſis ob inclytae fertilitatis agrum haud dubie habebatur. Harum tam fecundarum

cundarum Sforciae rerum, quas breue ſpatium coniunxerat, ignari Veneti iam dederant Panicarolae reſponſum, quale Mediolanenſes optabant; velle Senatum foedus inire cum Metropoli, daturoſque operam, vt ea ſalua ſit; arma diſſociaturos ab hoſte, qui nunc laceſſat. Haec dicta negotiatori Panicarolae; ſimul ad Sforciam in caſtra miſſa legatio, quæ iuberet ipſum à Mediolanenſium finibus abſtinere arma; ſi parum ad id Senatus authoritas valeret, minae etiam adhiberentur. Verùm, vbi belli fortunam & rerum earum quas dixi curſum ex legati ſui litteris cognouere, mollius rogabant eadem; ac ſi vellet etiã Sforcia inſiſtere coeptis, iudicium ſe eius vtique ſecuturos eſſe aiebant. Nam antequam prioris truculentiae mandata peragerent legati, mitiora hæc, cùm adhuc eſſent in itinere acceperunt. Sic Sforcia liberatus ingenti metu (fortè enim de prima illa denunciatione ſenſerat aliquid) oppugnare vrbem aggreditur; cumque infauſta impreſſione ſubijſſet ad portam Orientalem, reiectus inde grauia per triduum ſuſtinuit certamina, queis haud multo plus intulit damni, quàm accepit. Nactus inde ſpem aliquam irrumpendi per foſſas, quæ ab Orientali ad Cumanam portam, neque admodum latae, neque ſatis cuſtoditæ excurrebant, de tertia fere vigilia nocturno impetu ſuggreſſus, pro negligentia & ſolitudine quam ſperarat, reperit ibi obſepta omnia armatis, ictuſque crebro ſedente bombarda, cruento & irrito conatu etiam inde abſceſſum eſt. Quòd vbi Veneti Sforciam

tam

tam longe eſſe progreſſum; tam prope ad ſummae ſpei diſcrimen acceſſiſſe vident, tunc enim nō patrijs ſuis artificijs, & natiuae lentitudini, ſolitiſque temperamentis nullum iam eſſe locum rati, abrupta palam omni diſſimulatione & aſtu, legationem in caſtra hanc mittunt. Petenti pacem & amicitiam ab ſe populo Reipublicaeque Mediolanenſi ipſos negare non potuiſſe, iamque ſocios & amicos Veneti Senatus eſſe Mediolanenſes. Pro ea pace, & amicitia & ſocietate, nefas iam eſſe Venetum vllum militem in ijſdem morari caſtris, belloque quod aduerſus populum eum geratur, Veneta arma, opes, pecuniam, conſiliumue adeſſe. Si Sforcia quoque pacem velit, conditione hac habiturum vti reſtituat cuncta Mediolanenſibus, quae ſub Philippi Mariae mortem habuiſſent. Alioquin, pro foederatis amiciſque ſuis Venetos ſtrenue arma eſſe capturos, nequid detrimenti patiatur gens, quae ſuae fidei ſeſe permiſerit. At Sforcia re ſubita perculſus, queſtus primò pauca, deinde obteſtatus, vbi nihil profici verbis vidit, ad conſilia vertit animum profunda illa ſcilicet atque quotidiana ſibi, etiam vbi nec damno nec dolore ſollicitaretur. Temporis ſpatio maxime indigebat, quo, & abſumeretur, quicquid frumenti reliquum Mediolani eſſet, & duo omnino itinera, Bripienſe nimirum & Tritienſe, quibus itineribus ab Veneto mitti in vrbem aliquid poterat, interciperentur eorum proditione, qui arcem vtramque habebant. Hac mente diſſimulans omneis turbati animi motus, legatos

etiam ipſe ſuos Venetias mittit cum querelis & precibus iiſdem, queis ipſe Venetum legatum affatus paulo antea erat, petens ne dèſereretur ab Senatu, cuius auſpicijs id bellum ſuſcepiſſet, inuocans Patrum fidem, incuſans quoque & requirens quaſi per fiduciam & libertatem. Legati erant, Alexander Sforcia, Angelus Simonetta & Andreas Biragus; quorum ille Sforciae frater, hi Mediolanenſium deſertores, cùm mandata exposuiſſent, ſiue perterriti Senatus auctoritate, ſiue ita inſtructi, pacem, in eas conditiones, quae antea iactatae fuerant, accepere. Induciarum interea exierat dies, per quas, Sforcia, corruptis clam ad Tritium Bripiumque praefectis, ne Veneto tranſitum ad Mediolanenses darent, facta pace cum Sabaudiae Duce, clauſis vndique commeatibus, ſpreta pace, quae per suos inita erat, in Mediolanenses ſimul & Venetos, tamquam aduersus vnum hoſtem parabat bellum. Nec in parte altera ceſſabatur, quamquam in faciem imaginemq; pacis dimiſſa legatio eſſet. Fortè pontem e nauibus iunctis ad Tritium facere Veneti inſtituerant, vt copias, annonamque transmittere in Mediolanensem agrum poſſent; & iam ad exitum prope perducta mole prodibant quotidie ad viſenda operis incrementa duces noſtri, queis ea iungendi fluminis cura cum Venetorum ducibus communicata erat. Hanc Sforciae gratificandi occaſionem ſpeculatus ille, qui pro noſtris pręerat arci, iam antea corruptus ab hoſte ſicut demonſtraui, & occulte ei addictus, indicat, poſſe

capi

capi curatores eos operis, ſi in vicina latebra occultentur armati qui repente proſiliant, & naualis fabricae contemplationi intentis ſtrenue inijciant manus. Id initium fuit violandae pacis, quae neutri parti rata erat, & integrandi belli, ad quod nouo poſt irritam pacem impetu reſurgere parabant, Sforcia namque abditis in monſtratam latebram armatis, & comprehenſo Innocentio Cotta, qui fortè vnus ad uiſendum opus prodierat, eius captiuitate hominis, tamquam oblato mirifice inſtrumento ſtatim eſt vſus ad capiendam S. Columbani arcem, quae vna efficiebat, ne Laudenſis agri poſſeſſione Mediolanenſes excidiſſent. Lucius Cotta captiui frater arcem eam cum valido praeſidio obtinebat acerrimus Sforciae inſectator, & ab ea commendatione locatus ibi, quia noſtris magnopere cordi erat, ne qua proditione frumentarium id propugnaculum amitteretur. Sforciae iuſſu dicitur Innocentio, ni praefectus illico dedat arcem, ipſum protinus contra moenia illa oportere ſuſpendi, vt in fratris conſpectu nocturni furis more extinguatur; idque confeſtim Innocentius Lucio ſignificat. Non tulit fraternus animus vim doloris ex obiecto ſpectaculo, & quaſi res ipſa iam ageretur, alienato penitus ab honeſtate fideque ſenſu, dedita arce hoſtem illuc admittit, tranſitque ipſe in caſtra hoſtium velut ab ſcelere ad ſcelus. His itaque initijs vſurpato belli iure Sforcia copias fere omneis ad Bripium in Briantaeos contrahit, tranſitu Abduae prohibiturus Venetos, qui nuper hoſtes, nunc ſocij Me-

rũm Calchus eſt fere oppoſitus huic, nec longe inde mons Verus abeſt inclytus ob vina. Collem vtrumq; Geneſianum & Calchum ſtatuerat Sforcia occupare, exiſtimans, ſi ea munimenta haberet, diremptos ab omni Venetorum ope fore Mediolanenſes, tractuſq; Briantaeorum illos vniuerſos, ob crebras arces naturamque regionis inter bellorum diſcrimina, ſemper munimentis vrbis militari fama aequiparatos in poteſtate ſe habiturum. Verùm, vbi Venetos in Geneſianum anteuertiſſe cognouit, Calchumque ab ijſdem teneri, pene deſperaſſe de victoria dicitur, ac tanto magis, quia tempore eodem, in vlteriore ripa conſtiterant plures tranſitumque tentabant, & ex collibus ad Briantaeos occupandos magno impetu deſcendebatur. Pugnatur acriter, & ad colles, & ad flumen, ne deſcendant illi, neue iſti tranſmittant. Pugna maior in Geneſiano fuit, deſcendendique & prohibendi certamine extracti Sforciani in ſaltus, diuiſum aliquandiu cum Venetis habuere collem. Veneti Sforcianos, altius enixi, quà Martyris ipſius eſt aedes, ſaxis haſtiſq; detrudebant. Huic rerum diſcrimini egreſſus ab Modoetia Picininus cùm ſuperueniſſet, montemque Veterem, & montem Calchum bifariam diuiſo exercitu ſuccedens coniungere ſeſe Venetis tentaſſet, retro Mediolanum eſt ab Sforcia non ſine clade compulſus. Mox pari victoria Barram montem obtinuit, qui etiam ipſe ab Septentrione praeceps in Abduam, ſubeuntes ab Olginato Venetos opportune prohibebat. Paulatim inde, & qui Cal-

chum.

chum, & qui Geneſianum collem tenuerant, obti-nente regionem Sforcia, ſubacti fame, vel abire inde maturauerunt, vel vltro ad Sforciam tranſiere. Ita auxiliares noſtri, cùm nuſquam in Briantaeo tractu conſiſtere potuiſſent, regioneque excluſi ea, ſimul excluderentur facultate defendẽdæ vrbis Sforciamq; depellendi, ſtatuerunt, capto per Larium lacum ambitu regionem eandem ab tergo circumuenire. Quod Sforcia parari cùm ſenſiſſet, mittit obuiam e ſuis, qui ab illa etiam parte venientibus auxilijs obſiſtant, ne quid laxamenti & ſubſidij alicunde Mediolanenſibus detur. Ibi verò parumper dolus vnus caſuſue militaris, & Sforciae partes afflixit, & Mediolanenſes ſpe auxilij ſicuti videbatur appropinquante, ſed ad exitum irrita, ſubleuauit. Ductores copiarum ex noſtro exercitu quidam, ſiue ad fallendum hoſtem re compoſita cum Imperatore Picinino, ſiue concepta vere animis tranſitione, deinde mutato animo, quamoccultiſſime nuncium ad Sforciam mittunt; ipſos imperatoris iuſſu tendere Nouocomum, vt veniẽtibus ab ea parte Venetis ſeſe coniungant, quò facilior tutiorq; aditus in Briantaeos auxilijs pateat; Si velit Sforcia benigne accipere, ipſos ad eum cum agmine ſuo eſſe tranſituros. Haud contemnenda res viſa hoſti. Honeſtum apud ſe locum & larga prolixaque omnia pollicitus, mittit octo peditum cohortes, ducibus Salernitano & Intimilienſi, qui manum eam transfugarum accipiant, & ad ſe deducant. Transfugae, & numero longe plures erant, & no-

minis

minis eius obtentu ſpecieque ſocietatis reſoluto in ſecuritatem hoſte, parati ipſi intentique ad rem gerendam. Vbi inuicem propinquauere, Sforciani quidem porrigunt dextras dantque ſeſe in amplexus, noſtri verò ſtringunt gladios, & attonitas repentino eo malo cohortes caedunt ſpoliantque, fugientibus inſiſtunt, reſiſtentes paucos, & mortis honeſtae gloriam quaerentes, tantò infeſtius lacerant; quoſdam & abduxere. Sic Veneti auxiliareis Briantiae terras intrant, & primùm omnium, Barram montem corona oppugnare aggreſſi fruſtra id incoeptum habuere. Ceterùm, obſidione mox eum capiunt, ac refecto ad Olginatum ponte, quem paulo antea fugientes ipſi interſciderant, captiſque aliquot in fluminis ripa caſtellis, ſumma Briantaeorum tenebant. Id Sforcia feſſus diuturnitate belli pabuloque ad ſuſtentandum equitatum neceſſario iam prope defectus, parum curare coeperat, ſi montibus ſederet hoſtis dummodo ne ad plana vrbem verſus deſcendere eos pateretur. Vrbi ipſi famem admouebat extremam obſeſſumq; Venetum inter cautes & ſaxa habebat. Iam Mediolani tanta erat penuria, vt vicenis aureis nummis hordei modius conſtaret. Ea ditiorum alimenta erant. At miſerrima egentium multitudo, omnia, quae atteri dentibus poſſent, naturali deſiderio velut in rabiem acta carpebant paſſim; atq; interim exempla omnia eſurientium edidere, quaecunq; vnquam, vel obſeſſis accidêre exercitibus, vel ad ſubijciendas oculis miſerias obſeſſorum excogitare potuerunt

ingenia

ingenia, quę eos calamitatũ humanarum & extremæ patientiae annales cõdidere. Ego in vrbis noſtræ diarijs hoc reperi relatu etiam horribile & foedum; Equorum & aſinorum fruſta, feleſque, & mures, & canes, & animalia cetera, quae ne dici quidem inter cibos ac nominari fas eſt, venalia interim apud forum eſſe habita, pretijſque venundata ijſdem, queis aliâs legitima fercula parantur menſis. His nutrita dapibus multitudo fiebat quotidie contumacior, exſueratque obſequium paulatim omne erga eos, ſub quorum imperio ac regimine talia patiebantur. Magiſtratus, delegata exercitui ſuo auxiliaribuſque Venetis cura ſuppeditandi annonam expediendorumq; commeatuum vrbi, & precibus eos & querelis aſſidue vrgebant. Illi, circa Briantiae colles penè obſeſſi conſultando terebant tempus; duaeq; res capitaliſſimae populo Mediolanenſi detectae ſunt tempore vno; defectionem ad Sforciam parare Picininum Imperatorem exercitus noſtri, & maligne lenteque rem adminiſtrare Venetos, quia ſperarent, deductũ ad extrema populũ, odio Sforciae, potius dediturum ipſis eſſe vrbem; idque Leonardus Venerius Reip. eius legatus Mediolani ſedens occulte moliebatur inter eos, qui, nec ab Sforcia capi patriam, nec liberam eſſe eandem volebant. Sed Sforciae deſtinatum imperium occulto ſuperûm impulſu ruebat in eius humeros, vt domus denique illa, ſub infelici pondere, poſt aliquot annos, prioris fortunae quietem fruſtra exoptaret. Eſtque Sforcia in vrbem imperiumque acceptus orto

inter

inter ciues ipſos maiore tumultu ſicut demonſtrabo. Cùm ex bello tam atroci, intoleranda fames, ex fame deſperatio vltima Ciuitatem inuaſiſſet, & ſuper duo haec ſemper inter ſe connexa mala, fere grauius aliud in vrbe malum ſaeuiret, diſcordia ciuium, & maiora penè inter ipſos, quàm in communem hoſtem odia; conuentus paſſim habebantur, tam contrarij & crebri, quám variae hominum voluntates, & quàm diuerſae calamitatum formae erant. In Scalenſi templo maxime congregabantur tuendae adhuc libertatis auctores, atque ibi in media fame conſilia aliqua inibant, vetuerantq; Magiſtratus accedere eò, niſi quem ipſi nominatim exciuiſſent. Sed die quodam, Portae Nouae homines ad arma conſternati concitát ceteros, & eam publici Concilij ſedem irrumpunt rupto imperio terni quaterniq; prout quoſq; fortuita congreſſio, vel neceſſitudo aliqua conſociarat. A Petro Cotta, & Chriſtophoro Pagano præcipue ſtimulabantur, quorum vtriq; dedi vrbem ac recipi Sforciam placebat. Etiam plures cum Cotta & Pagano ſtabant in circumiecta templo area, quàm cùm principibus libertatis intra templum. Praefectus rerum capitalium ad coercẽdam eam licentiam cum lictoribus, & cohorte ſua progreſſus, facto in eum impetu protruditur aegreq; euaſit. Par diſcrimen adierat Lampugninus Biragus, quem ad tumultum eum inſpiciendum ſedandumq; Magiſtratus ex templo emiſerant. Dira fames, quae iam aderat, quaeue in dies adfutu-

ra ſaeuior videbatur, diuites quoq; conterruerat, & finiendi belli cupidine concitauerat etiam eos, qui oppetere cum patria ſtatuerant potius quàm, vt ad vllam inimicam libertati conditionem adduci ſeſe paterentur. Itaque, creſcente in momenta numero coadſpernantium authoritatem publicam, pars hæc ipſa fit publici concilij inſtar; & quò plus uirium authoritatiſque haberent, duces ſibi duos fecere, Gaſparem Vicomercatum, & Petrum Cottam: Cotta ab authoribus libertatis in vincula conijcitur, & irritatus Collegæ captiuitate Vicomercatus, tãto promptius ardentiuſque confirmat ſuos, & rem ſuſceptam exſequi feſtinat. Circumgrediuntur, infeſto agmine Palatium, in quo ſedebant Magiſtratus vrbis, & vidua vxor Philippi, Venetuſq; legatus, & plerique alij ex tota illa nimium fortaſſe generoſa factione, quæ libertatem vrbis ſaluti anteponebat, nec poſſe vllam abſq; libertate venire ſalutem arbitrabatur. In ea irruptione, Venetus legatus, ab Ioanne Stãpa interficitur, cùm ille repentino excitus tumultu in Aulae forte limine ad increpandã irrumpentium licentiam, iure gentium, vt exiſtimabat ipſe tutus conſtitiſſet. Diffugiunt Magiſtratus, totaq; momento fere vno tribunitia poteſtas, & illud populare imperium diſſoluitur. Nobiles, diſpoſito ad portarum clauſtra milite, Palatioq; communito, in Scalenſe templum, ad conſultandum de ſumma rerum poſtero die ſecedunt. Non facilè inter ipſos conueniebat quid deinde optimum ſaluberrimumue factu

cenſerent,

cenſerent, cùm varia in omneis partes itinera conſiliorum oſtenderentur. Dixerat aliquis eiuſmodi ſententiam, vt perſiſterent in defenſione libertatis; ſed mutata gerendi belli ratione, & vitatis Imperij plebeij vitijs rem ſapientius cautiuſq; militarem conſtituerent. Alius, nullum id eſſe conſilium demonſtrabat. Galliarum regem accerſere non nemo: plures Regem Alphonſum: aliqui Sabaudiae, Ducem: pars mitiſſima Senatus, nuſquam beatiorem fore patriam, quàm ſub Chriſti Vicario aiebant, ideoq; permittebant cuncta Apoſtolicae Sedi. Sed cùm ſubſidia conſiliaq. haec in tali ſtatu, vel ſera & longinqua, vel infida & imbecilla reperirentur; illata fortè mentio eſt de admittendo Sforcia, qui filiam legitimi Principis in matrimonio haberet; qui victor prope inſtaret moenibus; quem ſi ante victoriam admiſiſſent, non accepiſſe coacti, ſed vltro feciſſe Principem viderentur; tantoq, mitius ſperare imperium deberent. Mirifica voluntatum inclinatio, qua repente in eam ſententiam iere omneis, videri potuit prodigium, vel calamitatum ab Sforciaco dominatu imminentium vrbi, vel exitij, quod gentem eam dominatumq; manebat. Principes, & legati Mediolanenſium profecti in caſtra dedidere Franciſco Sforciae ſeque, & vrbem, & populum, nouumque Principem Mediolanum in ipſam Imperij ſedem laeti deduxere. Ille magnum animi moderati ſpecimen in ipſo ſtatim ingreſſu dedit, quia adornato per principes, & oblato curru quo ſubli-

nis veheretur ad capeſſenda primordia dominatio-
nis, faſtum eum adſpernatus, vmbellâ quoq;
repudiatâ pari cum ceteris cultu ad
templum maximum ibi coronan-
dus proceſſit.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimustertius.

IN templo maximo Sfoscia coronatus per omne deinde tempus liberaliter ac munifice tractauit Eccleſiam hanc Mediolanenſem; & quotieſcunque Ec .eſiaſtica aliqua res ageretur, profiteri ſolitus fuit, debere ſe nomini Ambroſiano pietatem & honorem, cùm etiam Ambroſiana in Sede ſolennia ſui Principatus, principatũque ipsum accepiſſet. Viciſſim inter ſacra ſacroſque fuit ei deinceps honor, atque paratum ad omnia obſequium, quales iuſto ac benemerenti Principi patere gratorum ciuium animos oporteret; raroque vllus antea poſtue Ducum tam effuſa ſtudia Cleri Populiue Mediolanenſis expertus in omni litterarum hominũue memoria reperietur. Habita eſt oratio de laudibus

eius

eius & familiæ ſplendore per Guarnerium Caſtelleoneum notæ tunc facundiae virum ex Templi Maximi Canonicis; qui ſemper Ordo, ſapientiæ ſtudijs inclytus, per ea maxime tempora florebat hac laude; cumque ex primoribus Vrbis conſtaret id ferme Collegiũ, erat ſimul in eo communis quidam erga Principem fauor, ſiue quia annexi nonnulli eſſent exſurgenti tunc primùm ad dominatum familię, ſiue quia pars haec traheret caeteros, vt vnde potentiores nobilioresque ſtabant, de more ſtarent omneis, atque ita ſignificatione voluntatum erga Sforciam hunc certaretur. Publicae gratulationis munus, & dicendi partes mandauere Caſtelleoneo, quia praeter aptos principum animis mores & imbutam Aulae conſuetudine grauitatem, aderat viro dignitas oris accommodata negotio; & nouae dominationi acceptiſſimum eſſe ipſum ſciebant. Orationis eius ſententias ordinemque, aliquandiu qui tunc erant homines propter rei magnitudinem, & Oratoris famam, in ſermonibus habuere; deinde, vnà cum re ipſa, ſicuti cuncta mortalium habentur, dedere obliuioni. Leuis & confuſa memoria durauit hoc litterarum beneficio, quae rerum illuſtriũ aeterna vna cuſtodia eſt, ſi quid in fluxa mortalitate poteſt eſſe aeternum. Ego cenſeo non eſſe alienum ab hiſtorico noſtro opere, quo Eccleſiæ Mediolanenſis tempora & euenta, hominesque ipſos ab interitu ſuo vindicare inſtituimus, concionem etiam illam ab hominum obliuione vindicare, atque iam prope vaneſcentem ex annalium quoque monumentis, vtcunq;

retinere

retinere, tamquam pro obliterata & fugiente ſcriptura certam claramque exhibendo. Caſtelleoneus igitur in Templo maximo, cùm Sforcia coronatus adeſſet, in hunc maxime modum eſſe locutus fertur. Semper quidem antea, Princeps inuicte, Populus hic Clerusque Mediolanenſis, qui triumphi tui & ſuae felicitatis ſpectator, auguſtiſſimam hanc molem hodie implet, pro certo habuit, Vrbem Eccleſiamque noſtram curae eſſe ſuperis, & magnum praecipue Parentem Ambroſium, ac praeſides alios Diuos, à quibus fundati & inſtituti ſumus, ita velle, vt poſt Romanam maieſtatem ſit haec florentiſſima ſedes Catholicae religionis, rerumque aliarum omnium expetendarum, quibus rebus incolumitas & gloria gentium continetur. Sed ſi ea ſpes ante hunc diem incerta & obſcura animis fuiſſet, deſineremus hodie dubitare, cùm Celſitudini tuae, noſtrûm omnium regimen ac tutelam imperiumque rei Mediolanenſis à Deo Optimo Maximo, tam praeſenti Numine, tam nobili victoria, tanta poſt victoriam voluntate conſenſuque omnium eſſe traditũ videremus. Nam Principes alij, qui nobis adhuc imperitauere, naſcendi tantũmodo ſorte venerãt in hanc fortunam, ipſique fortuitum negotium erant, neque vltra aeſtimabantur. Tu, quia probitate & iuſtitia, omniq; alia regia virtute merueras imperium, armis inueniſti; & quia talis eras, aperuere tibi Superi uiam, vt in excelſam iſtam ſedem, domitis quae obſtabant, peruenires; & nos, diuino ſic munere datum aſcitumque Ducem accipimus alacrioribus aliquanto animis,

quám

,, quàm ſi quilibet ille alius vnico natalium & auorum
,, iure tumens dominus imponeretur. Enimuero Celſi-
,, tudinem quoque tuam arbitramur, ea prudentia, &
,, magnitudine animi, qua res tantas geſſit, intuentem, &
,, celeſte iudicium, quo vocata electaque eſt, & Populi
,, huius vniuerſi conſentientem lætitiam, & hoſce plau-
,, ſus fauoremque, & tantae multitudinis gratulabunda
,, ora, & Templi ipſius feſtum apparatum, agitare iam
,, nunc regalem illam curam, vt ad ea, quae ſua ſponte
,, large ac benigne & clementer factura fuit, tãtum sci-
,, licet adijciat, quantum & reposcere pro diuino in ip-
,, ſam beneficio tutelares vrbis videntur, & mereri ciues
,, ipſi poſtquam ad haec Veſtræ Celſitudinis initia con-
,, ſurrexere ſic omnes atque apparuere. Vides ne Prin-
,, ceps optime & maxime, quemadmodum affluxere ad
,, ſpectaculum innumerabili prope agmine Mediolanen
,, ſes tui! Vides, vt conferto iam Templi ſinu, tanquam
,, ad noui ſplendoris exortum accedere velint in ſingula
,, momenta plures, vtque turbam vndantem haec capa-
,, ciſſima ſedes excludat? Victa & triumphata ciuitas
,, exultat in victoriæ faciem quaſi viciſſet ipſa & trium-
,, pharet. Sexus etiam alter ille ſpectaculis inſuetus
,, adeſt; attollunt pignora ſua matres ad Celſitudinis
,, Veſtrae oculos, futurumque populum oſtentant, &
,, rudem illam aetatem agnoſcere ac celebrare natalem
,, hunc Patriæ diem docent. Et promiſcuae quidem
,, multitudinis hæc tam effuſa gaudia concurſumque
,, Celſitudo Veſtra cernebat etiamſi nemine perorante
,, monſtrarentur. Nos verò cuſtodes antiſtitesque ſa-

crorum,

„ crorum, qui ex prima Vrbis huius nobilitate iure no-
„ ſtro gentilitio aſſumpti Metropolim hanc tuemur, &
„ & ipſa nobiſcum tota Nobilitas, quę Vrbem ipſam
„ continet ac facit, licet coniunctis omneis animis offi-
„ cioque concordi, poſtquam factiones & arma quieue-
„ re, noſtram ex nouo Principatu lætitiam, tum decer-
„ nendo cuncta, quæ fuere publicae poteſtatis & arbi-
„ trij, tum adornando ſolennia haec, vt quam appara-
„ tiſſime celebrarentur, oſtenderimus ac declaraueri-
„ mus: tamen exponere volumus etiam altiores illas
„ interioresque cauſas, ob quas, Celſitudinis Veſtrae im
„ perio magnopere nobis eſſe laetandum arbitremur,
„ Eccleſiamque & Patriam hanc ſub tali Duce fore fe-
„ liciſſimam ſperemus. Namque primùm omnium,
„ repetentes mirificam illam, & adhuc inſidentem ani-
„ mis Clariſſimi viri Patris tui memoriam, ſimul inclyta
„ tua facta, vt Patris contubernio adultus incompara-
„ bilem illius gloriam aequaueris, vt diuiſâ in partes
„ Italiâ, Pontificem Romanum, & rem Eccleſiaſticam
„ defenderis, vt noſtrae huic vrbi laboranti malis inte-
„ ſtinis ac laceratae ſeditionibus ſubſidio ſaepe fueris ac
„ ſaluti, vt hinc ſaepe arcueris hoſtem, vt victricia late
„ propugnator auxiliariſque noſter circũtuleris arma;
„ iam quanta lenitate egeris, vt tibi debitum Imperium
„ hoc ſine Mediolanenſium ſanguine reciperes, quàm
„ placide victoriam ipſam exercueris; haec inquam re-
„ centiſſima omnia, & oculis obuerſata noſtris intuen-
„ tes, reliquum ad eandem formam futurum eſſe prin-
„ cipatum ominamur & meritò laeti hilareſque ſumus.

,, Magnus Sforcia Celſitudinis Veſtræ Pater militari
,, virtute famam & vim aſſecutus, vt quamcunque in
,, partem ipſe tranſierat, victorias & imperia transfer-
,, ret ſecum, dederat ademeratque Regna quibus ipſe
,, voluiſſet; Aragonenſem Alphonſum ex Neapolita-
,, ni Regni finibus prope retro compulerat domum;
,, reſtituerat extorrem Ioannam; firmauerat adop-
,, tionis iura; fregerat alterum illud belli fulmen, cui
,, Brachio nomen fuit; Romanas opes, Pontificemque
,, Martinum egregiè propugnarat; ac tantarum deniq;
,, fama rerum Vicecomitem vltimum commouerat, vt
,, auxiliatorem Imperatoremque ſibi cum aduerſus bel-
,, la, quæ imminebant, inuocaret. Poſtquam ille nouæ
,, gloriæ iter tentans in media penè victoria lapſu equi
,, & vi fluminis eſt interceptus, diuina conſilia, quae fe-
,, licitati noſtræ viam ſtruebant, paternis incoeptis de-
,, dere te ſucceſſorem, vimque ſimul & famam illius
,, tranſtulere in tuum caput. Ita ſpectatus clarusque
,, Neapolitani belli reliquijs Mediolanum ad res Vice-
,, comitis afflictas veniſti. Vicecomite defenſo, com-
,, preſſis Venetis, cùm vbicunque bellum & periculum
,, eſſet, ibi velut certiſsima laborantibus ſalus expetere-
,, re, tuliſti pro Lucenſibus arma in Florentinos, eiuſque
,, Reipublicae libertatem es tutatus. Mox domiti re-
,, belles Eccleſiae: Picenum & Bononia reſtituta Pon-
,, tifici: fuſae Anglorum copiæ: cuncta peragrata vi-
,, ctorijs. Ac ſi tot bellorum victori quaepiam mala
,, gratia reddita fuerat ab ijs pro quorum imperio &
,, ſalute dimicaras, ijdem illi verſis in ipſos armis, iuſtas

vltrices

„ vltrices iras ſenſere. Nec minor excelſi animi laus
„ perſequi ingratos amicos, quàm vincere hoſtes; faci-
„ leque mitem & largum aduerſus obſequia ſpera-
„ uerimus Principem, quem indignitates & iniuriae
„ tantopere angunt, & benignum erga minores, quem
„ potentiorum iniuſta facta ſic infenſum habent. Sed
„ cùm apud gentes fere omnes, quae regnantur, apud
„ Regnatores ipſos, apud liberos etiam populos miſcue-
„ ris ſic vim, terrorem, benignitatem, & cùm praeclari
„ iſtius animi extent vbique ſempiterna veſtigia & mo-
„ numenta; terra haec noſtra maxime ſempiternum erit
„ monumentum; imò hercule nos ipſi erimus. Nam
„ ſtatim, vbi Vicecomite mortuo, res haec noſtra Me-
„ diolanenſis, ſine capite, ſine rectore, ciuilibus trahenda
„ turbis in medio relicta erat, cùm ſuper inteſtina diſſi-
„ dia magnarum omnium vrbium calamitatem, finiti-
„ mi hoſtes inſtarent rati finem adeſſe imperio; primùm
„ quidem aduolaſti cum exercitu tuo victore, & ſpes va
„ nas hoſtium effeciſti, deinde verò ſuccedere te in Prin
„ cipis fortunam aequum duxiſti, cuius filiam in matri-
„ monio, & ex ea liberos haberes, cuius etiam in mortis
„ tempora propugnator extitiſſes. Vno rerum curſu, &
„ vno victoriae tenore, Parmam, Placentiam, Brixiam,
„ Ticinum, oppida caetera omnia, quæ vel detrectabant
„ imperium, vel ab hoſte inſeſſa erant, recepiſti, noſque
„ & Metropolim hanc, donec vires vltimae ſuperfuere,
„ cunctantes, fatigare potius voluiſti quàm capere, id-
„ que Celſitudini Veſtrae glorioſius fuit. Atque, vt cun-
„ ctatione noſtra delectatum eſſe appareret magis ali-

„ quanto quàm ſi nihil experti ſtatim ceſſiſſemus, hono-
„ rem hunc habuiſti fortiſſimis ciuium tuorum conati-
„ bus,& ſpectatae virtuti, vt pacato agmine victor vrbé
„ ingrederere,& violari quicquam ab irato milite gra-
„ uibus edictis vetares. Scilicet, illa ſegnis,& aliter quàm
„ extrema neceſſitate facta deditio, degeneres animos
„ argueret,& quamquam libenter acciperetur, contem-
„ pta tamen & vilis apud Celſitudinis Veſtræ animum
„ eſſe poſſet. Nunc experti inuicem ſumus, & virtus
„ eadem, quae morata victoriam eſt, colitur iam ſecre-
„ ta deſtinatione atque amatur veluti magnum inſtru-
„ mentum rerum earum quae deinde gerendae erunt.
„ Haec igitur omnia ſuis momentis examinata Medio-
„ lanenſi nobilitati Cleroque Ambroſiano,& nobis præ-
„ cipue, qui Templi huius Antiſtites Clerum nobilita-
„ temque, vel Ordinis amplitudine, vel communione fa
„ miliarum amplectimur, recreant atque confirmant
„ animum noſtrũ iucundiſſima illa cogitatione, quanta
„ ſub tali Principe futura ſit huius Patriæ, vel gloria, vel
„ fortuna, vel dignitas & amplitudo, vel ſecuritas &
„ quies. Habemus praeterea Princeps inclyte magna
„ pignora noſtrae futurae felicitatis, ſimul ex fama præ-
„ dicationeque communi, ſimul ex certorum hominum
„ ſermonibus, qui Celſitudinis Veſtrae mores,& animũ,
„ & quotidianæ vitæ rationem,& leuiores quoque vir-
„ tutes, & intima omnia, vnde res illae admirandæ ma-
„ nauere, latere non ſinunt. Nuntiat aitque nobis om-
„ nia fama conſtans, eademque affirmant grauiſſimi
„ viri militares, qui tecum vnà ſub pellibus, in caſtris, in

acie,

„ acie,in agmine, in ſtatiuis, in hybernis, in aeſtiuis, in
„ claſſibus,in otio deniq; & aula aetatem egere. Indi-
„ cant,animum eſſe Celſitudini Veſtrae ad cuncta mini-
„ ma maxima memorem diuinarum legum,anxium al-
„ terius vitae curis,proferendae religionis cupidū, lar-
„ gum ad extruenda templa, vel ornanda, munificum
„ erga Chriſti pauperes, ſacratarum omnium rerum
„ acerrimum cuſtodem. Audimus,vt communem il-
„ lam regnorum, & humanae vitae peſtem pecuniam
„ contemnas, & adſpicias oculo irretorto,vtque argen-
„ tum, & aurum, & gemmarum ludibria ducas non
„ in alia vilitate quàm quae humo finguntur. Comi-
„ tem huius eſſe contemptionis aequabilitatem in iure
„ gentibus reddendo ſine ulla imbecilla cura quae fle-
„ ctere animum poſſit; inopis & potentis nullum apud
„ tua tribunalia valere diſcrimen, & ſtare ibi partem
„ vtramque ſtupore defixam velut extra fortunae ſuae
„ conditionem pari gradu. Peſſimas delatorum artes
„ & aulae veneficia, & cuncta reperta ciuium exi-
„ tio, vt oderis audimus; vt fidem ipſe colas, quam
„ peſſimi magiſtri minime regiam eſſe artem volunt,
„ vt famam tueare, quæ certiſſima eſt norma Prin-
„ cipatus, vt faueas etiam ingenijs, & literarum
„ ſtudia praeſidia religionis,& vrbium decus amplecta-
„ re narrat nobis publicus rumor & ſpem inde agitare
„ optimam iubet. Etiam illa pertinere ad gloriam ſe-
„ curitatemque noſtram arbitramur, quae principum
„ quidem omnium laudatores ingenioſe cōfingunt, ſed
„ in Celſitudine Veſtra ſeuere ſpectata ſunt ab ijſdem il-

lis,

„ lis, qui ſimul rem geſſere, quibusue etiam in contraria
„ nonnunquam acie, & parte ſtandum fuit. Referunt
„ enim imperatoriae artis mirifica quaedam, & poſt ve-
„ terem Romanam militiam inaudita, quae ratione &
„ prouidentia & altitudine conſilij victorias illas tantas
„ tuas expugnauerunt vt nunquam in aciem duxeris
„ exercitum, niſi cùm prouiſum eſſet vt vincere coge-
„ retur. Atque poſtquam haec nobis narrauere milites
„ hoſtesue tui, narrant ſimul infatigabile corpus armo-
„ rum pondere, fame ſiti, vigilijs, quarum rerum neceſ-
„ ſitatem Imperatoribus etiam belli fortuna nonnun-
„ quam imponit. Et acceptis ſaepe vulneribus ma-
„ nante cruore ſtetiſse impauidum dicunt. Iam vilibus
„ contentum eſſe cibis, eiuſque parcimoniae teſtes quá-
„ plurimos adhibere conuiuas, inter conuiuia vacare
„ ſupplicum alloquijs, & in alia quadam rariore conti-
„ nentia ſuperiorem eſſe mortalitati, & eius rei praebere
„ caeteris exemplum, ſunt admiranda quidem, ſed &
„ tot exercituum teſtimonio comprobantur, & optime
„ congruunt ad eum animum, cuius virtute ac conſilio
„ ſuperiora illa geri & adminiſtrari potuere. Congruũt
„ etiam ad iſtam Regio honore gratam frontem quam
„ ſpectamus nunc omneis præſentemque habemus, cõ-
„ gruunt ad ſerenitatem oris, ad florem denique virium,
„ quem poſt tot labores temperantia cuſtode manere
„ integrùm atque illibatum videmus. Colitote Medio-
„ lanenſes vt facitis carumque haberote Prncipem hunc
„ diuino munere datum vobis, futurum huic Patriæ mi-
„ tiſſimi Parentis inſtar; ac ſi id fortaſſe etiam ad veſtri
gaudij

„ gaudij cumulum pertinere arbitramini, daturum huic
„ Imperio ſinceri ſanguinis ſtirpem ex eadem Domo,
„ cui per ducentos amplius annos ſubiecti fuimus; Nec
„ aliud huiuſmodi ſucceſſione optabilius erat nobis. Nã
„ finita Vicecomitum virili ſtirpe, aut externam recipi
„ dominationem oportuit, aut aliquam Reipub. for mã
„ inſtitui domi, aut in Patris imperium aſciſci filiam eti-
„ amſi Sforcia hic non adeſſet victor ſimul, & maritus, &
„ gener, & pater. Iugum externum, & uim omnem pe-
„ regrinam adſpernabamur. Coalescere in Reip. cor-
„ pus, inſtabile, ſanguinarium truculentumque erat ob
„ factiones, & partes, ob certamina potentum, ob vr-
„ bis ipſius magnitudinem laborantem haud dubie mo-
„ le ſua. Sforcia igitur libentiſſime recipiendus erat,
„ cuius liberi nepotes erunt Principum, ſub quorum do-
„ minatu maiores noſtri nullius alterius populi fortunã
experiuere. Cùm haec à Guarnerio Caſtelleoneo pe-
rorata eſſent, nemini dubium fuit, quin nota laudan-
tium arte cuncta ille in maius auxiſſet. Namque pro-
ſpera tantùm attollendo reticuerat de aduerſis, & af-
fingendo felicia triſtibus, illata in Romanos fines ar-
ma, Eccleſiae propugnationem appellarat, neceſſita-
ti Mediolanenſium finitimum obſequij impoſuerat
nomẽ, & pro caetera Oratoris adulatione, mala, quae
ipſi dum hoſtis inſtaret moenibus plurima perpeſſi
erant, obuerſabantur. Certatim tamen omnes, poſt-
quam dicendi finis eſt factus, acclamauere forti, & fe-
lici, ſummaque vocis contentione vti mos vulgo eſt.
Sfortiarum nomini fauſta cuncta precabantur; viuere
diu,

diu, uiuere laetum Principem iubebant. Haec in templo maximo acta erant. Singulae deinde Parocciae nominauere ſingulos legatos, qui deferrent Principi obſequium & fidem, ac ſuae quiſque vicinitatis nomine in eius verba Sacramentum dicerent. Templi maximi Canonici, præter ſolenne illud publicae gratulationis officium, quod à Caſtelleoneo peractum erat, decreuere duos e ſuo corpore, per quos Collegij verbis talia quaedam priuatim exponerentur Eccleſiam Mediolanenſem, cui caput Metropolitana Aedes, à D. Barnaba Apoſtolo fundatam, à D. Ambroſio conſtitutam, per tantum aeui multa proſpera uidiſſe, pleraque aduerſa, donec ab Othone Vicecomite res illius afflictae in certiorem aliquem ſtabilioremque ſtatum redigi coeptae fuerint. Ab eo rurſus tempore, poſt magna incrementa, retro eſſe sublapſam, & prout turbulentæ, ſiue tranquillae principum res, prout etiam principes ipſi benigne adfecti, vel ſecus, ita Eccleſiam etiã in miſero fuiſſe, vel in florente ſtatu; obtinere magnas antiquitus immunitates, magnaque priuilegia & munera cóceſſu Põtificũ aut Principũ, qui, vel Eccleſię magnitudini, vel nomini parentum & Authorũ ipſius, vel Archiepiſcoporũ etiã aliorũ deinde meritis honorem eum habuerint; ſed partim intercepta eſſe, partim diminuta quæ priores indulſerint, & ſacræ veteris opulentiae reliquias tenues admodum manere. Eſſe hanc Inſubriae totius Metropolim, & latius olim porrectam habuiſſe poteſtatem iuſq; ſacrorum. Ambroſianam Eccleſiam ideo nuncupari, quia deſcriptis

ab

ab illo Pontifice ritibus caeremonijsque ſeorſim ab caeterarum conſuetudine Eccleſiarum vtatur; & Romanam in eo diſcrimine authoritatē nutumque adeſſe. Petere à Principe, vt Ambroſianum hoc nomen Eccleſiamq; & praeſides Antiſtitesque eius vnice cōmendatos haberet, ſemperque tueretur. Id adeo vt ita fieret, & Metropolim, & ipſos praecipue mereri, vel quia Principes etiam Vicecomites, quorum ille nomen & genus propagandum atque continuandum ſuſcepiſſet, plurima in eam & maxima ornamenta cōtuliſſent, quae deſeri non oporteret, vel quia Collegiū & Ordo Canonicorum Clerusque vniuerſus omni ſua pietate apud Deum, officio apud homines ad exordia noui Principatus adfuiſſent, adfuturique deinceps eſſent ad omnia, quae Principi placere poſſe arbitrarentur. Reſpondit ad ea Princeps; non eſſe ſibi ignota quae de antiquitate & amplitudine caſibusque Mediolanenſis Eccleſiae egregij viri Canonici expoſuiſſent. Parentes etiam illius Eccleſiae Barnabam Apoſtolum, & magni nominis Ambroſium colere ſe praecipua pietate, & res vtriuſque geſtas in eo Pontificatu voluiſſe olim cognoſcere cùm apud Socerum dominumque ſuum in hac vrbe commoraretur. Fauere Cleri totius Mediolanenſis nomini ac famae, praeſertimque Metropolitani Collegij amplitudini ac dignitati; vidiſſe omnium erga ſe ſtudia amicoſque animos & magnopere eſſe delectatum. Scirent, cordi fore ſibi, vt gratus viciſſim amicuſque reperiretur. Retinebantur inde Canonici pauliſper in colloquio, percun-

ctante Principe nonnulla de ſtatu conditioneq; Collegij, ac de Eccleſiae rebus; & cùm eos dimitteret, velle ſe poſtea commodius colloqui cum ipſis aiebat. Quinque dies proximos ei diei, quo peracta caeremonia erat, iuſſit feſtos eſſe Populo Mediolanenſi; ac per eos dies ipſe praebuit epulum, poſitoque in propatulo rerum omnium vſu, larga inſuper munera data pauperibus, aut miſſa quibus in publico epulari ob ſexum religionemque non licebat. Ob ea, maximum Sforciae nomen apud omneis eſſe, celebrari ſermonibus & literis, & magnificentiae ac ſplendori veterum Regum aequiparari. Vna res erat, quae Mediolani publicam laetitiam impediret, eademque Principis ipſius magnopere ſolicitaret animum, & ea ipſa res alioqui futura magnis malis initium, Eccleſiaſtico conſilio diſcuſſa eſt, origoque ſublata ſuſpicionum mutuarum. Iouis arcem magna ex parte dirutam atque collapſam reficere Princeps, ac nouis firmare munimentis in animo habebat, vt eo premeret iugo vrbem, ſi quando cupidine libertatis ſtimulante ciuium animos, detrectare imperium coepiſſent. Anceps id erat ac difficile negotium, verebaturq; magnopere Sforcia, ne turbarentur animi eo ipſo quod parari praeſidia aduerſus turbas viderent, atque rebellandi principium id fieret. Itaque anxius ea cura, vocatos ad ſe Parochos rogauit vti popularibus quiſque ſuis oſtenderent, ad dignitatem & amplitudinem, & praeſidium pertinere Ciuitatis, refici quamprimum arcem & muniri, ideoque petendum eſſe vltro à Principe,

cipe,

cipe, vti fieri id imperaret. Facilè Sacerdotes, & alij cum eis aptae prudentiae viri perſuaſere populo id quod quaerebatur, paſſimque per templa congregati Ciues decernebant è ſua quique Parochia legatos, qui Principem adirent petentes, ne immunitam ac nudatam diutius eſſe Metropolim vellet, inchoaretq; pulcherrimum opus, quod præſidio ipſis, terrori hoſtibus eſſe poſſet. In D. Georgij Ædem praecipue congregabantur. Ibi Georgius Plattus Iuriſconſultus notae facundiae vir, prudenſque idem & modeſtus, atque vitæ ſuæ fama nactus authoritatem inter ciues, quanta maxima priuato cuiquam contingere poſſet; is igitur exiſtimans, ea, quae pararentur munimenta, damnoſa fore vrbi, arcemq; ipſam, veluti ſepulcrum omnis publicae libertatis interpretatus, aduerſus eam rem diſſeruit in hunc modum. Viri Mediolanenſes.
„ Si Deus Opt. Max. aliquo ſingulari beneficio & indulgentia erga Patriam hanc, anguſta mortalis aeui ſpatia Franciſco Sfortiae prorogaturus eſſet, itaut ſperare poſſemus, fore poſteritatem noſtram ſub imperio tam iuſto, & aequabili, quàm hodie nos experimur; eſſet ſanè ſuperuacanea haec oratio, quam ego pro ſalute publica aduerſus publici conſilij authoritatem ſuſcepi. Sed cùm vita principum circumſcripta ſit ijſdem terminis, intra quos noſtra quoq; priuatorum vita conſiſtit, cenſeo lentius aliquanto conſultandum eſſe de ea re, quae deliberata iam vobis & decreta eſt. Neque enim arbitror ignorare quenquam veſtrum, quàm calamitoſa res ſint omni liberae & honeſtae ci-

„ uitati impoſitae ceruicibus arces, nimiumque multis,
„ & aliorum, & noſtris caſibus id compertum habe-
„ mus. Neſcimus, quae maneat in poſterum fortuna
„ Ciuitatem hanc; ſed ſuperiorum temporum mala do-
„ cuere, quanta ſit dominantium poteſtas etiamſi ca-
„ ſtella non premant ciues. Sed ita ſumus experti, vt
„ tradere generis huius diſciplinā alijs etiam poſſimus.
„ Arcem autem hanc Iouis, tantum abeſt vt refici velle
„ debeamus, vt potius eius ruinas quaſi fortunam no-
„ ſtram ingentem, & ſummum Dei beneficium intueri
„ oporteat, & laetari, quòd excidio data fuerit. Polli-
„ cetur quidem felicitatem nobis quietemq; perpetuam
„ inclyta iuſtitia, ſapientiaque & religio Sforciae huius;
„ ſed dicite mihi, quamdiu Sforciam inter viuos eſſe fu-
„ rum putetis. At enim, dicat aliquis fortaſſe veſtrum,
„ extincto eo, ſpem in ipſius prole fore non minorem.
„ quis tandem præſtare nobis poſſit iſtam prolem? Et
„ vt ea contingat optima, quam diu optimos iſtos fu-
„ turos eſſe nobiſcum putatis? Neſcimus quae rerum
„ infortunia parentur ipſis quoque principibus; & in
„ magna atque opulenta ciuitate multa accidere poſ-
„ ſunt eiuſmodi, qualia, neque coniectura noſtrae men-
„ tis aſſequitur nunc, neque feret animus cùm aderunt.
„ Arcem ipſam poterit eiuſmodi Praefectus habere, qui,
„ vel prodat externae tyrannidi, vel occupet ſibi, aeter-
„ noque ſeruitio affligat vrbem, humilis fortaſſe, &
„ abiectus homo, quales ſaepe multos extollere princi-
„ pum fauor amat. Firmiſſimae ac tutiſſimae ſunt ar-
„ ces, quae fide & caritate populorum ponũtur; caetera

muni-

„ munimenta, ſi fides abſit, nihil aliud, quám populo „ principique perniciem parant. Summa omnium attentione Plattus eſt auditus, ac vera eſſe quae diceret, fatebantur. Sed vicit paucorum authoritas & gratia, quos Sforcia ſibi in id praeparatos habebat, atque in eodem D. Georgij Templo decretum de reficienda arce eſt factum. Et res quidem iſta exitum hunc ſuum habuit. Sforciam interea Federicus Imperator, & Carolus Galliarum Rex, quominus in tanta Ciuitatis adulatione tantiſque Cleri totius erga ſe officiis, ſincero gaudio frueretur, exercebant. Ille extinctam Philippi Mariae ſobolem, verſamque domum dictitans, antiqua Caeſarum iura repetebat ſibi, hic Aurielenſem Regulum affinem ſuum certo gentilitatis obtentu ad ſpem eandem producebat. In eius litis moleſtia tanto gratiora Principi erant ſtudia populi Clerique Mediolanenſis, & Eccleſiaſtica praeſertim authoritate ſanciri ac firmari ſibi dominatum laetabatur. Fratrem inter caeteros habebat Carolum nomine, qui ab ineunte aetate, ſatis armorum ſatiſque gloriae militaris arbitratus eſſe domi, quieto inſuper ipſe ſpiritu animoque ſtudia diuinarum literarum adamarat, & cùm in familiam Auguſtinianorum viro nomen dediſſet, facilè princeps euaſerat eius ordinis non authoritate tantùm & fraterni ſplendoris fama, ſed multò magis ſeueritate vitae, & omnium laudandarum artium diſciplinis. Concionandi praeſertim laude excellebat, & per omnia ſui Ordinis munera magna cum approbatione peruagatus animi

quoque

quoque paſtoralis haud leue ſpecimen dederat. Hunc in tali tempore Princeps crediderat poſſe ſibi eſſe præſidio & adiumento ad pleraque agenda & obtinenda, ſi Mediolanenſem Eccleſiam, quae Nicolai Amidani morte per eos fortè menſes vacua relicta erat, ei demandandam curaret. Facile ab Nicolao V. (is tunc Romana ſacra tenebat) impetrauit rem; atque ita vno tempore penes eandem familiam vterque dominatus erat, vt indidem, & reſponſa diuini iuris peterentur populo Mediolanenſi, & vitae neciſque arbitrium immineret. Ipſi inter ſe fratres egregie concordes, poteſtatem eam, & ſpecie tituloque, & re ipſa tantopere diſiunctam, ac ſaepe contrariam, ſtabiliendi principatus cauſa conſociabant. Imperium & potentiam illam arbitram omnium rerum attemperare Princeps ad quotidianos Eccleſiae caſus; indulgere Archiepiſcopo quantumcunque ſacra negotia poſtularent ac ferrent. Viciſſim Archiepiſcopus, benefaciēdi ſimul & nocendi facultate maior ita aliquanto quàm per ſe eſſet, quicquid illud virium & facultatis habebat ex fratris aula, regerebat eodem, omnibus demerendo modis eos, queis, vel momenti aliquid in ciuitate eſſet, vel turbidi ac violenti in animo, dabanturque vltro crebrae occaſiones à Principe, per quas ingenijs & hominibus eiuſmodi ad Archiepiſcopum eundum eſſet. Saepe quin etiam Archiepiſcopus ipſe magnarum rerum controuerſias, & longi ſubſellij negotia, deliberationeſque, ſi modo minimam vllam anſam haberent, per quam in alterum tranſmitti forum poſſent,

ſent, ad magiſtratus illos reijciebat, atque ibi ſupplices litigatoreſue ita tractabantur, vt officij concordiaeque certamen inter vtraque iudicia, & inter aulam dominumue vtrumque agnoſcerent. Ita fiebat, vt neque commodior vnquam vllus Ciuitati contingere poſſe ſtatus videretur, & verecundia quaedam etiam animis eſſet turbandi quicquam in tam miti, tam benefico erga omnes duorum fratrum certamine. Aderat enim principibus digna viris interim prouidentia, quaedam apta tegendae arti, in quam potentiae cauſa conſenſiſſent, ne ſcilicet per eum conſenſum eamue artem alterutra in parte fieri ſordidum humileue aliquid quamuis attenti & callidi ad ſingula interpretanda nonnulli dicere vllo modo poſſent. Et nota Pontificis probitas famaq; illa, quam attulerat è clauſtris, dictis factiſque omnibus addebat authoritatem; vt quietis & modeſtiae nomen haberent ea, quae ſi fierent ab alio, proxima conſpirationi haud dubie haberentur. Nec fortaſſe debuit ille diuerſo eſſe animi habitu ab fama quam obtineret, potuitque ſaluo officio ad firmandi Principatus opportunitates accommodare ſi quid etiam alioqui ſua ſponte leniter ac dextere facturus erat. Cùm haec forma rerum Mediolani eſſet, peſtilentia eſt exorta, cuius mali originem quia nullam aliam probabiliorem dicere medicae artis homines poterant, contulere in colluuionem varij generis mortalium, qui Iubilaei cauſa Romam hoc tempore peregrinantes Mediolani commorabantur. Ea tanta lues fuit, vt, quae rerum ſcriptoribus in huiuſmodi

iuſmodi commemoranda calamitate ſolent eſſe communia dictu, ea vere ac proprie ſibi tempus id poſtularit. Interciderat namque ſortis humanae commercium vi morbi, qui poſtquam continua ſtrage conſpectus erat totas exhaurire domos, non modò quotidiana miniſteria potentioribus abſtulerat, ſed alienauerat etiam eos, qui ſanguinis caritate, vel pudore, vel ſpe hereditatis, ab morituro ſemper vltimi dilabuntur. Mortuorum numerus ex promiſcua plebe ac nobilitate ad triginta millia eſt relatus. Princeps & Archiepiſcopus, aulaque tota, & proximi faſtigio, & minores alij, ſed molliter affluentes, vitata vrbe, amoeno circum ſalubria loca victu contagium effugerunt. Et quoſdam tamen etiam eorum deprehendit ibi peſtis, oppreſſitq; inter ſymphoniam aut epulas, & oblectamenta caetera, quae ſibi circumdederant aduerſus metum. Caeterùm, Princeps vterque, quamquam exitio praeſenti ſubducere ſeſe voluiſſent, tamen excuſata per literas & edicta apud Populum neceſſitate, & quantum poterant, teſtati, fieri id ipſum Reipublicae cauſa, rebus etiam ipſis magnopere contenderunt, vti paſtoralis & ciuilis animi fidem facerent eam; & planè aſſequebantur. Extructa paſſim tuguria per expatianteis late campos: dirempti omnes ab mutuo contactu: dati qui circumferrent alimenta: dati alij qui procurarent diuinis myſterijs animos: alij qui ſolatia & hortamenta futurae vitae morientibus ferrent: corporibus euehendis alij, & praeſentium poenarum opportuni terrores ad coercendam

dendam licentiam, ſi quos aſſidua illa mortis imago ſatis non coerceret. Denique prouiſa, & inſtituta factaque omnia, quae fierent ac prouiderentur etiam in hac temporum noſtrorum diſciplina, poſtquam, & experimenta complura Pontifices ac Principes alios ad eiuſmodi caſus erudiuere, & Pontificum etiã Principumque animi extitere maiores aliquanto quàm illi erant. Et peſtilentia quidem haec, ſiue placato Numine, ſiue purgata vrbe, ſiue circumacta & exhauſta grauitate & corruptione Celi, poſt menſes aliquot exſaeuierat: alia ferme ſocia peſtilentiae clades ex incultis agris Populum Mediolanenſem inuaſit. Cura eadem, hinc Principis, hinc Archiepiſcopi, in fame, quae fuerat in peſte, non ita potuit obuiam ire malo, quominus longe plures abſumerentur. Ad ſexaginta millia perijſſe quidam annales habent, cùm ab dira & vltima neceſſitate nulli rei parceretur, quae vorari aliquo modo poſſet. Exhauſta in hunc modum & afflicta vrbe Eccleſiaque Mediolanenſi, tertia illa calamitas imminebat, quae ſacra & profana omnia permiſcet ſemper atque inuoluit etiam vbi calamitate aliâ nullâ res inſuper aggrauatas eſſe contingat. Veneti, neque vllam cum Sforcia conditionem pacis admittebant, & caſtella nonnulla Mediolanenſis agri cùm capta haberent, inſediſſentque praeſidijs, quaſi appetentes vlteriora & minitantes, reſumi coegere arma, quae parum feliciter etiam antea experti erant. Die, qui fuit D. Georgio Martyri sacer, habitis ad pręcipua vrbis Templa ſupplicationibus, & inuocata Martyris

Nnnn ope,

ope, vexilla ſunt erecta gerendo aduerſus Venetos bello, quod cùm varia fortuna gereretur, totaque per id bellum Italia, his aut illis adhaereſcens in magna perturbatione eſſet, Calixtus Pont. Max. (is namque Nicolao ſucceſſerat) ſuſcepta componendae pacis actione, propter duras hinc inde conditiones nihil magnopere explicabat. Subegerant interim damna Venetos, vti tranſigere quoquomodo optarent, & nacti Monachum quendam idoneum ad id hominem (cuius ordinis fuerit non traditur) hunc ſibi Mediolanum ad Sforciam legauere. Vulgò Fratrem Leonem appellabant, de quo homine diuerſa fama, varijque ſermones erant, prout quique vitam & inſtituta eius, beneuole, vel ſecus interpretabantur. Nam, quia negotijs ſe ſe principum vltro immiſcere vellet, frequens in aula, coetibuſque nobilium, ab Odaeo autem tricliniioque alienior, idem ordinis ſui amictum & votiua tegumina flectens paulatim & mutans in molliorem amoeniotemque formam, & legationis alicuius obtentu ſemper aliquò peregrinabundus; ideo quatiebant capita nonnulli, & quaſi valere iuſſiſſet clauſtra, nolletq; dediſſe nomen in eam familiam, ſic eum cum irriſu facetijſque, vel etiam cum indignatione ſeueriores adſpiciebant. Et erant, qui turbulentum ingenium appetentemque rixarum hominem eſſe ſuſpicarentur quia fortè vehementior commotiorque erat. Contra, fauentes & mites aiebant, virum eſſe magnum & grauem & aptum ad res gerendas, cui cordi vtilitas publica, qui neceſſarios in Eccleſia labores & actiones ad

ſtudia

ſtudia pietatis adiungere ſciret optimo temperamento, quales omneis eſſe ſacros homines oporteret. Non vltimam eſſe religioſae perfectionis laudem, tractare lutulenta mortalium negotia nec inquinari: Superbis ac delicatis Principum animis inſinuari communium commodorum & plerunque ſalutis etiam ipſorum cauſa: nec ſermone, nec habitu, nec moribus ad id eſſe horridum & incomptum; haec & alia in negotioſo hoc Monacho leniter & amice interpretantes admirabantur. Quodque acrior interdum videretur & auidus offenſionum, id ipſum, libertatem Apoſtolicam atque faſtidium erga multorum indignitates vocabant. Sed quae demum eius hominis vitia, quaeue virtutes eſſent, diuino iudicio certius ac melius quàm hominum aliorum interpretamentis diſcerni potuit. Veneti plurimum eo vtebantur, ſiue perferéda Senatus mandata preceſue aliquò eſſent, ſiue callide conſultandum ſcribendumue nonnihil; eratque idem vtrique Sfortiae, Archiepiſcopo ſcilicet & Principi perfamiliaris. Ob ea, rebus afflictis Patres hunc ſuper impetranda pace legatum deſtinauere conditionibus ijs, quas ipſorum fortuna praeſens ferret. Ille profectus Mediolanum, agendo varie, nunc apud Archiepiſcopum, nunc apud Principem, eò rem adduxit, vt Sfortię fratres, quamquam & viribus iam ſuis, & foederatorem ope, & multarum euentu rerum haud dubie ſuperiores, victoriâq; propemodum exploratâ, ad ponêda arma pacemque cum Senatu Veneto faciendam conſentirent. Cùm legatus aliquoties ab Mediolano

Venetias, & rurſus inde Mediolanum excurriſſet; ad viij Idus Aprilis praeter omnium expectationem pax ea promulgatur. Ita, quod neque Pontifex Maximus authoritate ſua, neque Principum aliorum legationes in id miſſae aſſequi potuerant, vnius religioſi hominis dexteritate perfectum eſt, attonitis & erubeſcentibus pudoreq; confuſis, vt credere licet, quicunq; trepidantem in aula curſitantemque Monachum elato ſupercilio antea deſpiciebant, ſiue cauillabantur. Donatus Boſſius horum ferme temporum aequalis, qui Chronica gentium vniuerſarum & res omnis aeui per annorum gradus literis mandauit, in hac referenda pace, Fratrem quendam nominat Simonetam, quo internuntio & conciliatore, res apud Laudem Pompeiam inter Sforciam Principem & legatum Venetum conuenerit. Inde ego ſum arbitratus, & Leonis nomen, quod Bernardinus Corius tradit, & Simonetae vocabulum, quod apud Boſſium extat, ad eundem hominem pertinuiſſe, vt illa eſſet hominis ipſius appellatio, haec gentis. Cumq; Boſſius idem Eremitam Auguſtinianum hunc fuiſſe Simonetam ſcribat, ſuſpicio etiam inde oritur mihi, familiaritatem, quam cum vtroque Sforcia hunc habuiſſe legatum memoraui, ortam ex Archiepiſcopi contubernio, qui familiae olim eiuſdem gregalis fuiſſet. Sed ex diuerſo, magnam huic noſtrae coniecturae perturbationem affert Ioannes Simoneta, qui Ducis bella poſteris narrauit. Is enim, neque fratrem Leonem, vt Corius, neq; fratrem Simonetã, vt Boſſius, ſed fratrem Simonem memorat,

qui

qui rudis literarum, innocens vitæ, habilis ad negotia, Senatui Veneto fidus, Sforciae carus, ſuper pace aliquoties vltro citroque commearit. Apud eundem porro Chronographum Simonetam, pro Caliſto Pontifice maximo pacificator. Nicolaus habetur; eum priore negotiatione, pacem, cui palam ſtudere videretur, ſecreto impediſſe, dictitantem, in periculo fore res Romanas quandocunque Inſubria otium habere coepiſſet. Quas quidem ego varietates retuli, vt appareret, in magnis paruiſq; rebus id quod aliâs etiam monere non deſtitimus; quàm fallax & fluxa ſcilicet haec ſit memoria veteris aeui, quippe cùm ad proximas etiam temporibus ſuis aetates hallucinetur hiſtoria, & pro luce quam pollicita eſt, tenebras negotijs authoribuſque negotiorum offundat. Pace cum Venetis facta, refectoque Populo Mediolanenſi ex peſte ſimul & fame, deceſſerat Ambroſianis quoque rebus, & vniuerſae Metropoli ſtatus infelix, quem per mala illa inuectum, ſtatim vbi coeperamus exuere, detinuerant & aggrauarant mota repente in hoſtem hunc arma. Reperio in Boſſianis annalibus, Turcam hoc tempore, poſtquam aliquot caſtella Genuenſium repentina impreſſione occupaſſet, vrbem quoque Albam inuaſiſſe, caeſos fuſoſq; barbaros ab Ioanne Caruagiala Franciſcano, qui coactum aduerſus Mahometana arma priuato conſilio militem nota Crucis armarit immiſeritque, & ſimilem miraculi victoriam reportarit. Pontificem Maximum, eius victorię diem, qui D. Sixto Sacer dies eſſet, inſignem feciſſe maiore celebritate

myſterij

myſterij illius, cùm Chriſtus liberator humanos ſuos vultus in diuinos repente ſplendores figuraſſet atque induiſſet. Id referri pertinebat ad noſtrum hoc Eccleſiaſticum opus, vt quoniam dicata Sancto Pontifici Ædes Mediolani viſitur, eiuſque memoria nominis ibi celebratur ad viij. Idus Sextileis, ſciretur etiam quęnam cauſa fuiſſet alterius conferendae celebritatis in hunc diem. In ijſdem erat annalibus; Iubilaeum hoc tempore in Franciſcana Æde fuiſſe Mediolani, & tanta vndique peregrinorum multitudinem confluxiſſe illuc, vt in turba quidam eliderentur. Ad centum millia conueniſſe tradunt praeter indigenam Vrbis populum; in ipſo aditu Templi quindecim ingruente multitudine eſſe obtritos atq; exanimatos. Hoc etiam tempus illud fuit, quo Principis animũ mouit Numen, vt ſub Noſocomij ſiue Hoſpitij nomine publicam domum inſtitueret aperiretq; curandis & alendis vtriuſq; ſexus mortalibus, quos morbus & egeſtas id petere ſubſidium coegiſſent. Namque, per eos annos, cùm lues & peſtilentia prius, deinde frugum, ob deſertos agros, inopia, vaſtarent affligerentque vrbem, debuit multorum adſpectus eſſe miſerabilis, qui per compita omnia abſque vlla humana ope & ſolatio quiritantes aut inſepulti iacerent etiam in illa imperitantium cura & benignitate, quae declarata eſt. Eam ſpeciem, idq; deforme ſpectaculum haud ſine magno miſericordiae ſenſu inſediſſe Principis animo credibile eſt, inde conſilium ortum aperiendi Xenodochij, vbi lares, vbi tecta deſtitutis, & altera quaſi patria eſſet. Neque dubitauerim

uerim ego affirmare praecipuas in eo conſilio fuiſſe Archiepiſcopi Sforciae partes, qui Pontificij ſui muneris cura, ob tale ſpectaculum, ſpectaculiue memoriam anxius, fratrem hominem militarem altioribus imperij curis intentum ad paſtoralia haec inuitarit. Dimenſâ & aſſignatâ in id opus areâ iuxta D. Nazarij aedẽ, in veteris arcis ſede, primus lapis poſitus eſt Id. Aprilis an. ſal. ciↄilleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, quẽ tamen, & menſem, & annum, vt pleraque alia variare, incuria, ſiue licentia ſcribentium potuit, etiam vbi recens memoria nullum ſolitæ excuſationi locum dabat. Extructis aedibus tanta celeritate, quantam adhiberi par fuit, vbi ſacris ſimul & profanis opibus agebatur res, & vbi pars vtraque contendebat, vt Mediolanenſis Eccleſia primo quoque tempore ſubſidiũ illud ornamentumque haberet, reliqua erat cura, vt praeter vectigalia & fundos qui deſtinati ſtatim in hunc vſum, aſſignatique eſſent, contribuerentur opes idoneae, alendo & curando quicquid aegrotantium mendicorum illuc affluxiſſet. Debuit namq; creſcere & augeri principum animus vnà cum operis mole, vt Metropoli vrbique, & nomini Ambroſiano, opulentia & magnitudine reſponderet. Valetudinaria, Mediolani, atque etiam extra urbem pleraque alia erant non paruis inſtructa fructibus & emolumentis iam inde á Bernaboue Vicecomite, qui praeter curãdos alendoſq; aegrotos, onera haec addidit. Certa cum dote certum ad numerum collocare in matrimonio pauperes puellas, quarum honeſtati diſcrimen immineret. Statis

diebus

diebus diuidere panem ex aliquot tritici modijs. Facere quaedam anniuerſaria ſacra Manibus mortuorũ expiandis. Benigne facere captiuis pauperibus & cibaria mittere, prout egentiſſimi quique in vinculis haberentur. Haec onera Xenodochijs iniuncta veteribus à Vicecomite fuerant, cùm vectigalia & fundos ijſdem aſſignaret. Aſſignauerat autem Xenodochio D. Ambroſij, quod Brolienſe Xenodochium hodie nuncupatur; Xenodochio D. Catharinae, & D. Antonij Xenodochio, & cuncta exemerat oneribus publicis, ne quid inde in fiſcum aerariumue exigeretur, ne hyberna vel aeſtiua militibus praeſtarent. Quae poſtea munera & immunitates Eugenius Pontifex Maximus, rogatu Decurionum vrbis, dato in id diplomate eſſe ratas iuſſit anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto, ſicuti quidem clauſula diplomatis praefert. Poſt annum inde tertium decimum Henricus Scotus Cardinalis Archiepiſcopus Mediolani, & Apoſtolicus idem legatus, fauens Decurionum eorundem precibus & piae voluntati, dederat etiam leges & inſtituta, queis Xenodochia illa regerentur, & conſtituerat hoſpitalem quandam diſciplinam, cuius deinde diſciplinæ quarumue legum & inſtitutorum Nicolaus V. Pontifex Maximus author eſt factus, iſque cuncta ſanxit authoritate ſua & firmauit. Eae leges & inſtituta, ſummaque diſciplinae eius ab Archiepiſcopo Henrico perſcripta, à Pontifice Nicolao confirmata, totam Xenodochiorum adminiſtrationem & regimen dabant Archiepiſcopo, qui Mediolanenſem

Eccleſiam

Eccleſiam per tempora obtineret, idque praecipuè ſanciebatur, vt Archiepiſcopus ipſe per tempora deligeret ex nobilitate quaternos vicenos, qui praeeſſent Noſocomio, cunctaque adminiſtrarent. Vectigalia, & praedia, aedificiaque omnia, quae Princeps Bernabos Noſocomio donarat, aureorum nummûm ad viginti quinque millia annua efficiebant, quae ſumma amplior aliquanto maiorque tunc debuit eſſe, quàm nunc hic prae ſe ferat titulus poſtquam laſciuia temporum effecit vt etiam aurum vileſceret. Ad eam ſummam, donationemque Vicecomitis acceſſerant legata priuatorum & quotidianae largitiones, & ſedulitate pręfectorum, ex annuis reditibus incrementa nonnulla ceſſerant in annuos alios reditus, dum fortaſſe, ſicuti praepoſtera nonnunquam amat cura, patrimonio amplificando magis quàm caritatis & iuſtitiae legibus conſulitur. Sfortiae fratres, Archiepiſcopus nempe Carolus, & Dux Franciſcus, pulchrum exiſtimauere, ſi dispersa & diſſipata illa ex pluribus hinc inde Noſocomijs cogerent in vnam sedem, regimenque nouum & aptiora temporibus inſtituta adhiberent. Id fore aptiſſimum conſtituẽdo Valetudinario, quod publica pauperum omnium domus eſſet, quod vrbe Metropolique dignum munus erga Chriſti liberatoris viscera illa & curam. Petiit à Pio II. Pontifice Max. Dux Franciscus, vt Nosocomia, quae Mediolani, quaeue extra vrbem eſſent, Autoritate Apoſtolica contribuerentur in vnum corpus vnamque sedem, sub Magni Hospitalis nomine, quod paulò antea coeptum aedi-

Ooooo ficari

ficari iam prope ad tectum faſtigiumque perductum eſſet. Recenti vrbis clade, cùm morbus & fames depopularentur Metropolim, repertam eſſe inutilem veterem illam diſperſi Noſocomii formam, quae plus afferret incommodi, nec ſatis apte regeretur. Proceſſura omnia melius vtiliusque, ſi corpus caputque vnum fieret, vnde in caetera regimen, vbi lares, & communium alimentorum domus. Petiit ſimul, vt quo iure, quaue conditione, quibusue legibus vetera Noſocomia ſteriſſent, id ius, & ea conditio, & eae leges transderentur in nouam hanc formulam nouumque regimen, & vt rata eſſent, ſi quae deinceps in conſtituenda noua familia, demi, mutari, addiue, praeſens conditio rerum, aut hominum, aut deniq; temporum poſtularet. Et quoniam vnius integri magniq; populi domicilium id futurum erat, petebatur, vt eſſet ei domicilio ius omne ſacrorum animis quoq; procurandis & adorando Numini; ſepulcra, ſacella, parochos, aras, aedituos, vt ibi haberi liceret, petebatur. Indulſit atque conceſſit cuncta Pontifex Maximus cum ea praefatione & clauſula, vt ſacri & inuiolati ſoli ſedes illa Hoſpitalis in poteſtate Archiepiſcopi eſſet, iſque adminiſtratores & praefectos ex nominatione ciuium daret. Contributis in vnum Xenodochijs, corporeq; vno facto ſic & conſtituto, creuere opes paulatim in eam amplitudinem, quae fortunae principalis inſtar ſufficiat hodie magnificentiae ac liberalitati Domus, quae in tanta vrbis frequentia, tantoque ad Metropolin hanc ex alijs vrbibus concurſu, & in tantis infeliciũ

hominum

hominum neceſſitatibus, nihil miſerabile apparere oculis ſinit. Inuitatus magnitudine operis Paulus III. Pont. Max. attribuit huic Mediolanenſi Xenodochio Sacerdotium amplum, quae Abbatia Sexti nuncupatur, ex pago, cui nomen id circa Verbani lacus initia. Nec multo deinde poſt Pius IV. etiam largiore erga Patriae ſuae gloriam animo, praedia Miramundi & praedia Ganae (Abbatiarum item ea ſunt vocabula) conceſſit. Ea conficiunt hodie vicena millia nummûm aureorum in ſingulos annos. Cenſus vniuerſus annuus ſexaginta millium explet ſummam: amplius centena millia neceſſarijs vſibus inſumuntur: tantam eam lacunam explent collationes piorum, ſiue, qui magnitudinem ſumptuum intuentes congerunt illuc ſtipem; ſiue qui damna occulta rependunt. Forma regimenq; negotij totius, eiuſmodi eſt, vt quemadmodum ex pluribus olim Xenodochijs in vnam hanc ſedem coaluerat res, ita ex hac ſede in plura rurſus Xenodochia, tamquam in membra redeat, ac diuidatur; his neceſſaria quotidie ſuppeditantur; illic arbitrium & ſumma rerum manet. Quot ſibi gignit admittitue calamitates hominum vita, quotque caſus & ludibria pati poteſt humanũ corpus, tot fere ſubſidia totue domus aduerſus ea mala conſtitutae ſunt ex hoſpita hac magna domo; cùm aegrotantium, & conualeſcentium, & aſſidue morientium, & vagientium etiam in cunis ipſa ſit domus. Sed ad D. Celſi velut in ſuo tecto lactantur infantes, in quos nulla alia cura parentum fuit praeterquam procreandi & exponendi. Ibidem aluntur

corum adminiſtratoribus nominant ex nobilitate ſex & triginta ſpectatae probitatis viros cum ea deſcriptione & aequabilitate, vt ex ſingulis vrbis regionibus ſenos aſſumant. Et vocabula piorum locorum, ſiue ſodalitatum, quibus ad nominationem eam ius eſt commune cum Decurionibus vrbis, haec ſunt: Miſericordiæ ſodalitium: Sodalitium Caritatis: Sodalitium Pietatis: Quatuor quoque Mariarum, & Diuinitatis, & Humilitatis nota & benefica vrbi loca ſiue conuentus, authoritatem teſtimoniumq; ſuum negotio inſerunt, nec aliter fieri nominationem oportet. Poſtquam Praefecti Conuentuum horum coniuncti cum Decurionibus vrbis nominauere triginta ſex illos, quos eſſe regimini aptos credant, tunc e ſingulis conuentibus delecti bini deſcripta nomina tradunt Archiepiſcopo, idque poſt diem, quem Eccleſia celeſti ad Virginem Nuntio ſacrum colit. Inſpectâ ſchedulâ conſideratiſq; nominibus, Archiepiſcopus eligit ex vniuerſo numero duodecim, itaut, ex vnaquaq; vrbis regione ſint bini; sex alij retinentur ex veteribus Praefectis, qui notitia & vſu negotiorum imbuti, de omnibus rebus erudire nouos poſſint. Hic orbis in ſingulos annos voluitur: niſi biennio interiecto refici neminem licet. Et quò plus authoritatis concilio adſit, additur ſemper octodecim hiſce Praefectis dominatus alterius nutu decimus nonus, quem participem & arbitrum rerum omnium ſtatuẽdarum eſſe oporteat; iuſſeratq; id Pontifex ipse Maximus, cùm Sforciæ rogatu, Xenodochia omnia, ſicuti memoraui, contribueret in hanc ſedem

Kalendae

Kalendae Maij præfecturae ineundae ſollennes ſunt. Eâ initâ, principio cõſiliorum actionumq; omnium, ſtatuto die congregantur in ipſius Xenodochij templum Praefecti cum domeſticis Sacerdotibus & miniſterio toto, fitque res diuina cum ea precatione, vt cuius rei cauſa vocati diuinitus electique ſint, eam rem ſancte integreque & laudabiliter adminiſtrare queant abſque vllo ſenſu, qui flectere ab diuinae gloriae & publicae vtilitatis cura animum poſſit. Adorato ſic Numine, & quaeſito Sancti Spiritus auxilio, faciunt e ſuo corpore Praeſidem vnum, qui concilij ſit vniuerſi caput & author. Creando Praeſidi ordo hic ſeruatur, vt in ſingula paria Praefectorum circumagatur is Magiſtratus: ſpatium ei Magiſtratui bimenſis ſiet: ab altero ex Orientalis Portae duobus inchoetur: per Portas deinceps alias ad eundem modum eat vſq; ad Nouae poſtremos binos. Munera Praeſidis & eius officij leges ſcriptae in hunc modum extant. Accedito
„ quotidie ſtatis alieniſque horis, & inſpicito cuncta, &
„ recognoſcito, & luſtrato. Cauſarum, controuerſia-
„ rum, litium, ſtatum momentaque & progreſſus audito:
„ cum patronis & iudicibus agito: exponito Collegis
„ omnia quae egerit, quaeue ſtatuerit agenda eſſe, ne
„ pauperum res, & Chriſti patrimonium per eas lites &
„ controuerſias detrimẽti quicquam patiatur. Decreta,
„ quae de vnaquaque re in conuentu facta erunt, vti per
„ ſcribas in acta referantur, operam dato. Si quid in
„ alicuius rei deliberatione ſententia plurium improba-
„ rit, eius quoque cuſtodiri memoriam iubeto, vt Prae-

,, fecti futuri ſciant quid aliquando prioribus non pla-
,, cuerit, quidue inutile aliquando repertum ſit. Coem-
,, ptionum factarum pretijs erogandis ipſe adeſto; no-
,, mina viciſſim pecuniaeque omneis vt ad diem exi-
,, gantur curato; Accepti tabulas & expenſi menſtruas
,, inſpicito & ſubſignato. Aegrotos in Noſocomia alia
,, diuidito prout apta cuiuſque calamitati domus erit.
,, Neminem autem retineto domi, niſi cuius ſanabile
,, eſſe malum Medici pronuntiarint. Haec omnia pro-
uidenda ſunt & curanda ei, qui Collegarum ſuffragio Praeſes appellatus erit. Collegae ipſi communiter inter ſe negotia prouinciaſque partiuntur, itaut bini, terniue, quaterniue etiam in vnius rei curationem incumbant, & rurſus onera complura in ſingulos inclinentur, prout, vel habilitas ipſis, vel pondus & magnitudo rerum adminiſtrandarum habetur. Cùm exſequi caetera in hunc modum pararem, reperi edita in vulgus omnia, curamque ſuperuacaneam eſſe meã hanc putaui; atque ideo relicto valetudinario hoc negotio, magnorum Eccleſiae caſuum narrationem, & annexa ciuilia ſacris repetemus. Franciſcus Sforcia multis egregijs rebus geſtis, magno populi clerique Mediolanenſis dolore moritur anno ſalutis milleſimo quadrageſimo ſexto; nec diu marito ſuperſtes vxor fuit. De ea muliere ſic tradunt. Appropinquantem extremis, cùm ſancte religioſeque vixiſſet, peruerſa Medicorum adulatione contempſiſſe primò aegritudinem eam, & nullam Eccleſiae myſteriorum ad expiandum animum habuiſſe cogitationem. Cùm

morbus

Sforciae literis, quas ad fratrem Archiepiſcopum ipſe perſcriberet, reperimus id non eſſe mutatum. Succeſſerat huic, ſiue Carolo, ſiue Gabrieli, Carolus alter Foroliuienſis, quem Calixtus III. Pont. Max. ex Celſiani Monaſterij Abbate, ob literarum & prudentiæ laudem, Eccleſiae Mediolanenſi Pontificem dedit, vt famae, quae ſecuta Sforciam erat, nouus Archiepiſcopus, nominis & vitae dignitate reſponderet. Sed breue Pontificatus ſpatium huic fuit. Stephanus Nardinus ab Paulo II. ſucceſſor datus, in tertium vſque & viceſimum annum Pontificatum extendit, vnde & maior ei fama, curſuſque rerum, & viuendi ſpatio plus etiam honoris venit. Namq; ab Siſto IV. Cardinalis factus, auctuſque Sacerdotijs, munificentiae inſtrumenta large habuit erga ciues, & erga Mediolanenſem Eccleſiã, quae publicis operibus ab eo exornata, memoriam ipſius inter Nominis Ambroſiani conditores alios parenteſque conſeruat. Extruxit ad D. Pauli compitum aedes, eamque iuri inter Eccleſiaſticos homines dicundo aperuit ſedem. Alias extra Portam Tonſam aedes vnà cum hortis emit, quae Archiepiſcopo Mediolanenſi ſuburbanum eſſent. Condidit Romae Collegium, eiuſque diſpenſationem & ius omne legauit eidem Archiepiſcopo, vt eius nutu arbitrioque pauperes adoleſcentes erudiendi literis illuc admitterentur. Collegium Nardinum hodiè nuncupatur ex cognomine fundatoris, manetq; ius Eccleſiae Mediolanenſi, quemadmodum Cardinalis ille voluerat. Multum pretioſae veſtis idem ad ſacra facienda, conchiliatoſq;

tapetes, & aurea textilia Templo maximo donauit; detrita quidem vſu & obſoleta prope iam omnia, ſed titulus & gratia largitoris aeternùm durat. Rituum quoque ſacrorum inſtaurator idem fuit, cùm in Eccleſiae caeremonijs magna labes facta eſſet ob ſuperiorũ temporum incommoda, quae demonſtraui; & anniuerſarias tridui ſupplicationes ab Archiepiſcopo Lazaro ſanctæ memoriae viro olim inſtitutas renouauit, poſtquam pia illa conſuetudo, abſumptis etiam ſupplicationum ipſarũ codicibus, intermitti coepta erat. Archiepiſcopus hic Cardinaliſque Nardinus Mediolani ſedebat, cùm Galeacius Sforcia Franciſci F. extincto patre, imperium vrbis, quod ille virtute partum amplificarat, regebat diſpari animo, vt mox vnà cum vita infeliciſſime amitteret. Neque erit alienum explicare, quę vita, qui mores fuerint huic Principi, quãdoquidẽ nimis notum hoc manifeſtumque eſt, omnem Eccleſiaſtici ſtatus formam atque conditionem ex eorum ſemper moribus & animi conditione pendere ſuſpenſam, qui profana moderantur ac tenent. Sic ſaepe, & iuſtus pudicuſque Princeps florentem in Vrbe noſtra Pontificatum dedit, & afflictae Pontificum res ad flagitia referri Principum potuere. Fuit Galeacius hic intemperanter ac miſere deditus libidini, qua multas illuſtres domos dehoneſtabat, alliciendo feminarum alias ipſa principatus vi, ſpecieque, cui per dedecus etiam ſuum gratificari nobilitas aliquando amat, alijs flagitij mercedem offerendo; quantam accepiſſe, ne

ingenuae

Ingenuae quidem illiberale ſibi fore arbitrarentur. Sed illud nouæ cujuſdam ac penè furioſae libidinis in hoc Principe fuit, quòd feminas eaſdem, quas ipſe ſtupro vel adulterio temeraſſet, proſtituebat etiam libidini ſuorum, quò plus ignominiae domum referrent. Par huic intemperantiae crudelitas fuit, cuius exempla haec traduntur. Sacerdos Mediolani quidam erat, praedicere futura aſſuetus, eiuſque rei famam adeptus rerum aliquot euentu, quae fortè ita acciderant ſicut ipſe vaticinatus fuiſſet. Hunc ad ſe accerſitum Galeacius interrogat, quae vitae ac imperij ſpatia manere ſibi adhuc putet. Vates enimuero nihil cunctatus vndecimum annum canit, eumque mēſibus aliquot fore diminutum affirmat. Pretium vaticinio fuit, vt carcere clauſum necaret fame cogeretque vti foedis alimentis donec exhauſtum omni penitus humore corpus ea quoque denegauit. Alium quendam leuiter offenſus incluſit in capſam ſepelijtque viuum; exſecuit alijs genitalia; & alium, qui intra ſepta obuiū fortè leporem ſuſtulerat, mandere praedam eam, & ſolidum vorare animal coegit; eaque funeſta ludibria fiebant hominum vitae. Sed et multae regiae artes erant ei; ſtudia literarum, liberalitas in Aulae ſplendore, pietas in ornandis templis, & niſi lubrica aetas, facilisque ad offenſionem animus laceſſeretur, Mediolanenſis Eccleſia ſub eo Principe non peſſime agebat. Triceſimum tertium aetatis annum ingrediebatur, cùm viri nobiles conjuratione facta eum interfecere, caſumque etiam hunc referemus.

Nam praeterquamquod inter ſolennia auguſtiſſimi Sacri in D.Stephani Protomartyris Aede Princeps interfectus eſt, etiam ſacri homines immixti fuere negotio, quo rem vniuerſam perturbari Mediolanenſem illa aetas vidit. Cùm igitur ille, ſublata per dolum, ſicuti creditum eſt, matre, diſponendis imperij rebus vagatus aliquandiu per vrbes eſſet, conſtiterat fortè Vigleuani; inde ad ſolennia Chriſti natalium celebranda venire Mediolanum in animo habebat. Sed prodigia deterrebant; ſtellae crinitae ſanguineus primò horror, deinde, intempeſta nocte accenſus intra cubiculum ignis, & interiore ſenſu ferebatur interdum eò ne Mediolanum veniret. Vrgente hora, quae, poſt euentum, vana interpretatione vulgi fatalem neceſſitatem habuiſſe credita eſt, itineri tradit ſeſe, atque Mediolanum venire ad paratam ſibi necem pergit. Poſtquam aliquantum viae proceſſerat, foedum augurium ſupra caput apparuere treis corui crocitantes, neque abſcedentes vſquam, permotuſque Princeps etiam in augurium illud irâ, baliſtam popoſcit, ac coepit vanos dirigere ictus in Celum, quaſi confixurus immundas aues & quicquid augurio illo portenderetur. Suſtinuit inde equum abominans iter illud, ac retro vertebat curſum, niſi latens in occulto neceſſitas & fortuna coniuratorum, ſicuti nonnulli credidere, pergere vtiq; coegiſſet. Ita praeceps Mediolanum actus ipſo D. Thomae peruigilio, primo ſtatim aduentu ipſe ſibi funeſtum ac triſte augurium fecit. Cùm enim muſicae artis homines magnis vndique ſtipendijs conductos

haberet ad triginta, cohortem eam delicias fere ſuas feſto Apoſtoli die iuſſit in pulla veſte apparere ſibi; eaque diuinatio quaedam inſuper animi praeſagientis habita eſt, quòd Muſicis mandauit ijſdem, vt arte ſua modularentur hunc verſiculum canerentq; quotidie; MARIA. MATER. GRATIAE. MATER. MISERICORDIAE. TV. NOS. AB. HOSTE. PROTEGE ET. HORA. MORTIS. SVSCIPE. Per haec ſui finis praeſagia Galeacius tendebat in funeſtum ſibi diem, aliaque fecit etiam aut dixit, quae cùm fierent aut dicerentur, temere accepta, vbi caſus aduenit, cuncta illuc referebantur. Namque, vt Natalis Chriſti dies illuxit, ſummo mane, domeſticum ſacellum ingreſſus, quam religioſiſſime interfuit rei diuinae, eaque triplici litatione peracta, coepit in amicorum congreſſu extollere ſuae Domus fortunam, & opes, & quemadmodum ea pluribus munimentis inſiſteret, paratique in ſaecula heredes eſſent. Eſſe in Domo ſex fratres egregiâ iuuentâ, paruuloſque filios, & foecunda matrimonia, qualia videns Franciſcus pater ſummopere laetaretur ſi tollere ab tumulo oculos, domumque conſpicere ſic florentem poſſet. Ea cùm dixiſſet deſtinatus neci Galeacius, epulatus deinde hilare prodijt in campum, accicipitrumque volatu ſeſe oblectauit vt extremum illud frueretur vſura Celi. Die, qui Sancti Stephani memoriam recolebat, proditurus ad Protomartyris Aedem, thoraca popoſcit, & cùm allatum induiſſet, abiecit, graue geſtamen adſpernatus. Anteceſſerat Galeacij iuſſu domeſticus Aedituus cum

regali

regali Sacrorum apparatu; rem diuinam Branda Caſtelleoneus Epiſcopus Comi facturus erat. Is miſſo ad Principem nuntio, valetudinem, ſiue quippiã aliud excuſauit, quominus eum diem, idque munus obire poſſet. Princeps tamen nihil mutato conſilio prodijt vti deſtinarat, annotatumque eſt in egreſſu non potuiſſe ipſum ſatiari oſculando & amplectendo paruulos filios, quae ferme vaticinatio vltimi digreſſus habetur. Egreditur ex Iouis arce turbato confuſoq; vultu, cingentibus latera duobus legatis, Ferrarienſe & Mantuano, quorum vterque Mediolani tunc apud Sforciam agebant. Cùm ad Petram, quae Petra Innocentum dicitur, perueniſſent, coniurati duo, Ioannes Andreas, & Hieronymus, ad dextram ille Templi partem, hic ad ſiniſtram, conſtitere, quaeſitaque ſpecie tãquam ſummouere turbam vellent, propius ad Principem acceſſere. Prior Andreas impetum facit, duoſq; lethales ictus direxit, in ventrem, vnum, alterum in guttur. Mox Hieronymus addit vulnera, exanimemq; aggreſſi caeteri ſingulis plagis affecere. Nulla vox morientis audita eſt, niſi quod Deiparam Virginem, bis terue inuocauit. Fit ad eum caſum toto Templo tumultus & clamor. Parricidae, tentato nequicquam effugio, comprehenſi & meritis ſupplicijs affecti ſunt. Andream Maurus quidam ex infimo Principis famulatu, in Templo ipſo adeptus obtruncauit. Secta in partes corpora ad portas vrbis abiecta oſtentui; Andreae Lampugnani cadauer coeno lapidibuſque inceſſentes pueri raptauere per vrbem. Hieronymus

egregia

egregia conſtantia finem ſuum nobilitauit. Namque ſub carnificis manu, & carmina quædam haud inconcinne eſt modulatus, & labantem ſibi animum increpuit. *Is* etiam omnia coniurationis conſilia caſuſque in eo negotio ſuos ſcriptis publicae literis intrepidus memorauit, earumque literarum ſententia fuit huiuſmodi. Reputantem ſeſe libidines & ſcelera Galeacij Principis, ac de temporum calamitate cum Andrea Lampugnano ſaepe colloquentem, interficiendi illius coniurationem feciſſe. Ac primò quidem, ambigua quaedam & ſuſpenſa verba de ea re iacientes, vt fiduciam viciſſim indiderint animis, apertius mox atque liberius contuliſſe omnia, quae ad tanti facinoris exitum pertinerent. Aſſumpſiſſe in conſilij ſocietatem Carolum etiam Vicecomitem pręſentis animi virum, & magnopere infenſum Galeacio ob quaſdam cum Epiſcopo Comenſe lites, & rerum earum cauſa, quae res ſuper Miramundi Abbatia, ſiue Sacerdotio in controuerſiam vocabantur. Delectum fuiſſe patrandae neci ſacrum illum D. Stephano diem, vel ſi eo die non ſucceſſiſſet, quemlibet alium, prout occaſio Principem opportunum dediſſet. Iuratum inter ipſos fuiſſe ſanctiſſimum iuſiurandum, vt ſumma ope tegerent rem, auxilioque mutuo ad ſpiritum vſque extremum ad eam exſequendam adeſſent. Quaererent ſibi ſocios gerendae rei quoſcunque poſſent, neque in eo parcerent pecuniae inuitam entiſue vllis, quibus allici homines in pulcherrimi facinoris ſocietatem poſſent. Fuiſſe Andreae Lampugnani aedes receptaculum

culum ſedemque coniurationi; ibi coetibus habitis conſilia omnia diſpoſita & agitata; incipiendae rei ac praeparandae ordinem hunc fuiſſe compoſitum, vt cùm Princeps ipſe Mediolanum veniſſet, oblatis ei tribus aureorum millibus, ipſius authoritate, Sacerdotij Miramundi poſſeſſionem adirent. Per ſpeciem eius adeundae poſſeſſionis, comparata armatorum manu tamquam aduerſus Nouocomenſem Epiſcopum, qui cum lis & controuerſia erat, auerterent omnem ab ſe suspicionem, & condictam facinori diem opperirentur. His ita conſtitutis, conueniſſe in Ambroſianos hortos, velut animi gratia, atque ibi nouo inter se sacramento eſſe obligatos, vt qui ipsorum à coniurationis fide desciuiſſet, sacrum eius caput infameq; eſſet, eumque caeteri pro patriae hoſte haberent. Perse-
,, quens inde caetera, scriptum ita edidit. Ego, poſt fir-
,, matam in Ambroſianis hortis foederis fidem ingreſſus
,, Aedem ipsam Ambroſianam, abieci me ad Sancti,,
,, Pontificis effigiem, atque ibi sum precatus in hunc
,, modum. Magne Pater Ambroſi columen vrbis huius,
,, & spes, praeſidiumque Populi Mediolanenſis; ſi tibi
,, cordi eſt id quod liberandae Patriae causa tui ciues
,, alumniq; ingredimur, adſis propitio Numine ad ma-
,, gni facinoris pericula casusque, per quos eundem eſt
,, nobis, vt tyrannidem hinc, & impuritatem, & monſtra
,, libidinum arceamus. Haec precatus, ad socios meos
,, reuertor, iubeoque bono animo eſſe omneis, affirmans
,, factum eſſe me alacriorem poſteaquam Tutelarem
,, Vrbis in negotij partem aduocarim, idque laetiſſimi

exitus

,, exitus vaticinium propono. Per aliquot inde dies exer-
,, cebamur digladiando inter nos, & agilitatem corpo-
,, rum imaginemque periculi experiendo quod adituri
,, eramus. Septimo ante Chriſti Natalem die, nouo &
,, vltimo ſacramento fidem obſtrinximus in ea, quae
,, conſtituta prius inter nos erant, hocque amplius ad-
,, didimus, vt ſi contingeret, aliquem noſtrum ante con-
,, dictam diem in morbum incidere, vel comprehendi,
,, caeteri nihilominus deſtinata exſequerentur. Ab hoc
,, ſacramento ſeorſim egimus, aliuſque aliò dilapſi am-
,, bulauimus per fora, per vias, eo conſilio, eaque arte, vt
,, ſi qui noſtros antea fortaſſe coetus curioſe notaſſent,
,, ijs etiam diſſociati cerneremur, recordationemque il-
,, lam ex hominum animis tolleremus. Vagati in hunc
,, modum vrbe tota, & obuerſati oculis eorum, quos no-
,, ſtrae ſocietatis poſſe eſſe memores arbitraremur, ad
,, ſextam noctis horam, quae nox D. Stephani diem an-
,, teceſſit, congregamur tamquam haud amplius futuri
,, vnà. In extremo illo conuentu, data rurſus fide defi-
,, niuimus quam horam ingrediendi Templum obſer-
,, uaremus, quamue ibi quiſque partem caperemus, alia-
,, que momenta peragendae rei, prout in ipſo temporis
,, articulo multi fortuiti caſus admonere poſſent. Sum-
,, mo mane Templum ingreſſi ſupplicauimus D. Ste-
,, phano, vt pulcherrimo operi, quod in ipſius Aede pa-
,, trandum foret, vellet adeſſe, neue indignaretur conta-
,, minari ſua Templa caedis eius ſanguine, quae vrbem
,, & patriam hanc liberatura eſſet. In id compoſita
,, precatio erat à Carolo Vicecomite, quam recitauimus

,, vnà cum precibus alijs, ſicuti deſcriptae in ritualibus
,, libris extant Protomartyri inuocando. Poſt eas pre-
,, cationes interfuimus etiam rei Diuinae, qua peracta
,, Barengonem Archipresbyterum Baſilicae illius ego
,, appellaui vt mihi claues aedium ſuarum daret, quibus
,, acceptis ego rurſus abij domum meam, vt mox in Ar-
,, chipresbyteri aedes abderem me, atque ibi ſocios ex-
,, pectarem. Archipresbyter autem Barengo, qui
,, mihi claues dedit, neque quid pararem interroga-
,, uit, neque antea fuerat in vlla parte conſilij, niſi quod
,, expoſtulantem aliquando me de conditione tempo-
,, rum audiuiſſet, & reſtringendo humeros comprobare
,, querimoniam erat viſus. Acceptis clauibus, & or-
,, dinatis domi meae quibuſdam, Archipresbyteri do-
,, mum ingredior. Mecum erant quatuor ſocij conſilij:
,, Mox Andreas & Carolus ingrediuntur. Cùm ibi an-
,, te focum ſederemus, ſenſimus venire Principem, ac
,, protinus ingreſſi Templum edidimus in eum exem-
,, pla, quae meditati eramus, iacetque nunc ille rerum
,, humanarum exemplum ob ſaeuitiam & libidines ſuas.
,, Interfecto Principe, & excitato tumultu, quantum rei
,, atrocitas potuit excitare, caeteri quidem coniurati
,, comprehenſi ſunt aut interfecti; ego verò elapſus ad
,, paternas meas aedes aufugi. Saeuus inhumanuſque
,, pater, quia dixeram interfectum eſſe Principem, meq;
,, interfectoribus, non quidem ſocium, ſed amicum fuiſ-
,, ſe addideram, oblitus ingenitae erga filios caritatis,
,, increpitum verbis atrocibus expellit domo, vltimaq;
,, interminatur, ſi ibi conſiſtere auſim. Tunc ego trepi-
dus

„ dus anxiuſque, proximo diuerticulo in Dominici Cal-
„ caterrae aedes tranſgredior, atque ibi in ſummam ae-
„ dium illarum contignationem, tectum inter & laque-
„ aria perductus à mulierculis & ancillis, quae ſortem
„ meam deflebant, aliquandiu ibi delitui. Mox, pater,
„ & Dominicus ipſe Calcaterra, vt compercre eſſe me
„ ibi abſconditum, exturbant inde, atque conuicijs one-
„ ratum, ſuis ipſorum manibus interficiendum eſſe com-
„ minantur, ſi circum ea limina amplius deprehendar.
„ At mater mea, Parocho noſtrae viciniae accerſito, ro-
„ gat hominem, vt ſi quo pacto poſſit, abducat me &
„ ſeruet. Is allato confeſtim ornatu, qui Clericorum ad
„ ſacra miniſteria quotidianus eſt, in ea veſte me domum
„ ſuam abducit, digrediturque ipſe ad negotia ſua, ac
„ me domi ſolum relinquit. Ibi ego varijs ſolicitudini-
„ bus aeſtuans, in animo habebam, proximae noctis ſi-
„ lentio exſurgere, atq; aſſumptis mecum aliquot ido-
„ neis hominibus vocare plebem ad diripiendas aedes
„ Simonetae, Ioannis Botti, & Franciſci Lucani, quos eſ-
„ ſe populo praecipue inuiſos ſciebam. Totâ hinc tur-
„ bata & concitata ciuitate, conſilium erat, ſpe domina-
„ tionis ac libertatis erigere potentiſſimum quemque;
„ ita rem facilè fore effectam arbitrabar, cuius rei cauſa
„ ipſum interficiendi Principis facinus aggreſſi eramus.
„ Poſtquam ea ſententia ſtetit, coepi recenſere animo
„ omneis, quos ad eam rem poſſe mihi eſſe adiumento
„ arbitrarer, & Barengonem praeſertim Archipresby-
„ terum ſum ſcripto cohortatus, vt capeſſere vnà mecũ
„ liberandae Patriae gloriam vellet, propterea quod eſſe

„ mihi auidus famae & diuitiarum videbatur. Sed cùm
„ penetrarent in Parochi domum ex via clamores eorũ,
„ qui Andreę Lampugnani lacerum corpus trahebant,
„ perfuſus horrore attonituſque ſteti, neque animus vl-
„ tra mihi ſuppetebat. Auctus eſt mihi terror, quia Pa-
„ rocho abſente, venêre illuc ſatellites, & magno cum
„ tumultu perſcrutantes omnia, ſuſpectam intutamque
„ mihi latebram eam fecerunt, in qua Parochus ipſe me
„ collocarat. Ex eo die, pauens tremenſque, & rerum
„ omnium incertus, ad diem vſquè Sabbatum egi; eoq;
„ die, appetentibus tenebris, compoſitus in baiuli formã
„ ſublatâ in humeros culcitrâ ad Philippi Mareſcotti
„ aedes proceſſi, qui tonſtrinam faciebat. Inde mina-
„ citer & contumelioſe eiectus, errabundo magis quàm
„ deſtinato greſſu ad Gabrielem Florenum deueni, qui
„ me humaniſſime acceptum abdidit in occultiſſimam
„ tecti ſui partem, atque ibi fui donec hora mihi exitia-
„ lis adueniret. Nunc ſanctiſſima Dei Mater, & te Prin-
„ ceps Bona, imploro, vt animae meae ſalutem veſtra
„ clementia, & benignitate reſpicere velitis, tantumque
„ vigoris huic miſerrimo corpori relinquere, quantum
„ neceſſe erit, vt peccata mea rite confiteri poſſim. Haec ſentẽtia literarum fuit, quas Hieronymus ille nequicquam profugus in triſtiſſimo illo ac pleno deſperationis tempore ſcripſit Magiſtratuum iuſſu, nullo tam effuſae confeſſionis pretio, niſi vt pie moriendi facultatem impetraret. Caeterùm, nos in referenda huiuſmodi literarum ſerie, barbariem quidem remouimus eam, quae trepidantis in vltima neceſſitate authoris

fuit,

fuit, ſubiecimus autem alia verba, quae nihil immutarent ſententiam, & Eccleſiaſtico opere digna eſſent. Lacerum vulneribus corpus Principis in veſtibulo Templi collocatum eſt, eòque Bona vxor babylonici operis veſtem miſit in qua humari ſe Galeacius mandarat ſi quis etiam repentinus caſus ipſum abſtuliſſet. Magnus hinc in vrbe tumultus erat, & Itali Principes interfecto Sforcia, ſuas quique ſpes agitabant. Pontifex Maximus, audita nece; hodie, inquit, Italiæ pacem amiſimus. Adeò commota eſſe omnia apparebat. Mox tamen ſedato per vrbẽ tumultu, Galeacioq; filio in Patris fortunam & nomen aſſumpto, factum eſt id quod in omni fere Principum mutatione fieri ſolet, vt nimirum de publici ſeruitij conditione nihil mutaretur. Et exſequiae tam inuiſi Principis omnium ordinum frequentia cohoneſtatae cum doloris etiam imitamentis, corpuſque in Templum maximum tumulo maiorum illatum. Ibi nouus Princeps coronatur nemine omnium repugnante, & quaſi remunerans meritum ille multos ex nobilitate Mediolanenſi equites appellauit. Venẽre Principum legati ad conſolandum eum, ob caſum Patris, ac Pontifex ipſe Max. ſuam in id legationem miſit. Erat poſtea puer Sforcia ſub tutoribus, quorum inter ipſos diſſidia populum Eccleſiamque Mediolanenſem afflixere nouis cladibus ſicuti memorabo; veteraque factionum certamina pars Eccleſiaſtici Operis erunt. Erat inter tutores Bona Principis mater fautrix acerrima Gibellinorum aduerſus Guelfos, quae prope iam obliterata nomina

mulie-

mulicbribus ſtimulis rurſus excitabantur. Gibellinarum partium erat Cecus Simoneta tutorum vnus magnopere infenſus Longhignanae illi, quem Franciſcus Sforcia praefecerat arci, iuſſeratque ibi ſummam habere poteſtatem omnium rerum. Hunc potentiae aemulum, & alioqui etiam inimicum exturbare Simoneta cùm deſtinaret, facilè perſuadet Bonae, vt deiecto eo, praefectus potius alius imponeretur arci, quod protinus factum diſcordiarum in vrbe molem conciuit, ſacraque & profana id malum ſenſere. Simoneta ipſe Longhignanae viciſſim artibus euertitur atque conijcitur in vincula plectiturque capite, quae magna clades Eccleſiae rerum fuit, amiſſo cuſtode ac defenſore, qualis ille per omne tempus fuerat. Et traxit illius calamitas omneis, qui conſilijs ipſius aliquo modo permixti fuerant; vnde miſeranda inter eas turbas Eccleſiae Mediolanenſis ſolitudo, cùm ij, qui ſoliti erant eam protegere ac tueri, circumuenti ipſi ab inimicis iacerent. Simonetae finem tradi noſtris etiam literis poſtulant ingentia ipſius erga nomen Ambroſianum merita, & conſpiratio atrox, qua vir tantus cecidit. Impoſitum vehiculo vnà cum fratre Clariſſimo viro Ticinum aſportauere quibus id negotij ab aduerſa factione mandatum erat. Ibi per aliquot dies ſaeua cuſtodia eſt habitus, donec tollendi hominis cōſilia inirentur, omneque machinamentum in caput inſontis perfidia inimicorum expediret. Poſtquam matura parataque omnia fuere, mittitur ab Mediolano forenſe miniſterium, empti iudices, teſteſque falſi, &

apta

apta mēditato facinori ſcribarum manus; ſeriem quoque quaeſtionis, & reſponſa Rei meritura necem commenti vltro attulerant ſecum. Producto Simoneta & interrogato, ſpecies & forma iudicij effingitur; nec vltra dolis opus fuit. Veneranda canitie ſenex, qui ſanctè atque innocenter vixerat, cuius plurima & grauiſſima merita in Eccleſiam Principatumque extabant, capite plectitur, corpuſque tanti viri tamquam ob infandum ſcelus oſtentui abiectum, piorum cura ſepelitur intra clauſtra Monaſterij D. Apollinaris; eiq; funeri maximum ornamentum publica moeſtitia fuit, & querelae quamuis premerentur, paſſim tamen erumpebant in eos, quorum dolo Simoneta euerſus foret: Tempora non inerudita erant, ideoque carmina ſunt addita tumulo, quorum author incertus, ſententia hęc fuit. Cecum Simonetam, ideo quia res Inſubrum iuſte atque cum fide adminiſtraret, abſciſſo capite ibi eſſe ſepultum. Sibi quidem Ceco nomen fuiſſe; caeterùm, dum viueret, vidiſſe multa, quae caeteri non vidiſſent; & patriam ipſo ablato coecam in poſterum fore. Se quidem extinctum eſſe ob fidem; ſed gloriam deberi nomini ſuo, quia maluerit vita carere quàm fide. Poſt Simonetae huius finem, Ioannes frater magnae etiam ipſe religionis vir, & praecipuum afflictis Eccleſiae rebus momentum in exſilium pellitur. Archiepiſcopum Mediolanenſem hoc tempore reperio cum exercitu aduerſus Sabaudiae Ducem exiſſe armatum eo conſilio, vt Sabaudum exueret omni imperio idq; totidem verbis Corius tradit. Capta Vercellarum vrbe fuſum

ac fugatum refert. Id cuiuſmodi ſit, explicare non poſſum. Quomodo enim haberet exercitum Archiepiſcopus in aliena vrbe, manente Sforciatum dominatu, amiſſa iampridem potentia, quae Pontifices hoſce, principum & Regum prope inſtar olim armarat? Niſi ſi fortaſſe, Galeacio interfecto, pupillo dominãte, inter rudimentum puerilis imperij, muliebremque tutelam Archiepiſcopus quoque fuit in parte Principatus, & bella geſſit alienis armis. Exarſit deinde aliud longe atrocius bellum, quo tota Italia perturbata eſt, profaniſque ſimul & Eccleſiaſtici Principes in ea arma coorti perniciem ſibi mutuam quaerebant. Ab vna parte Pont. Max. Venetique & Genuenſes, ab altera Ferdinandus Caeſar, Sforciaque & Reſp. Florentinorum ſtetit. Cauſa belli fuit, quod Veneti offenſi varijs modis ab Eſtenſe, vlciſci injurias voluere, totamque ſuâ irâ in partes Italiam diduxerunt. Pro Galeacio puero rem Mediolanenſium Ludouicus patruus illius adminiſtrabat ablegato Ferrariam Aſcanio fratre, qui deinde Cardinalis fuit. Poſt varias clades, pace cum Venetis facta, etiam inter Sforcias ſublatae ſimultates; Aſcaniuſque Mediolanum illuſtri fratris gratia reductus, cùm ruptâ prius cuſtodiâ ſeſe ad Venetum hoſtem adiunxiſſet. Inteſtina ſimul & externa mala quieuiſſe videbantur; nec ſane Mediolani floridior vnquam ſtatus omnium rerum; totq. iam exhauſtae calamitates felicitatis cumulo compenſabantur. Principes omnium diſciplinarum viri excitati magnitudine praemiorum vndique confluebant in hanc vrbem.

Latinae

Latinae pariter & Graecae literae, velut ſua in ſede cõſtiterant hîc, carmineque & ſoluta oratione genus vtrumque exercebatur, & ſuper omnia, muſici homines ſuauitate canendi caeleſtes choros praeferebant; ciuiliumque artium cultus etiam ad Eccleſiaſticae rei diſciplinam redundabat, & valde iam eruditus Clerus Eccleſiae maieſtatem tuebatur. Nimirum, ex magna perturbatione ad summum euecta ſic felicitas vrbis erat, vt more omnium humanarum rerum retro ſtatus ille volueretur, temporaq; etiam funeſtiora redirent. Ac ſicuti tranquillitate Reip. florentibuſq; Principum rebus, Eccleſiæ quoq; ſecuritas & florentiſſimae Pontificum res comprehenſae fuerant, ita bella rurſus & publicae clades Eccleſiae Mediolanenſi vaſtitatem attulere. Quomodo rerum turbandarum initia ſint exorta, memorari oportet, vt ſimul, Eccleſiaſtici casus, quorum varietas motibus eiusmodi ineſt, cognoſcantur. Ludouicus Sforcia Galeacij patruus, aetate Principis, & Tutoris iure ſic abutebatur, vt nomen & vmbra Mediolanenſis Imperij tantummodo penes Galeacium eſſet, vis & robur omne penes ipsum haberetur. Neque contentus eo vir alioqui magnus & iuſtus, adultum iam Principem redegerat in tantas anguſtias, vt etiam alimenta quotidiana ille deſideraret. Isabella Alphonſi Neapolitani Regis filia huic nupta Galeacio erat, femina ingentis animi, quae potius indignaretur, quòd ex Regia in minorem domum enupſiſſet, quàm vt in ea domo Imperium alterius pateretur aequo animo. Haec igitur minime ferens indi-

gnitates, quae ferendae erant, dum Patrui violentia rem in ſe vniuerſam trahit, literas dedit ad Patrem Regem, quarum ſententia fuit huiuſmodi: Aliquot iam eſſe annos, cùm Galeacio Sforciae nupſerit in eam ſpem, vt poſtquam ille adoleuiſſet, haberet maritus ſui patris imperium, ipſaque Mediolani Ducis vxor diceretur, & viueret cum eo ſplendore, qui regia ſtirpe ortam deceret. Sed maritum quidem, & virum iam eſſe, & patrem; Imperium verò penes eum manere, qui tutoris & patrui vocabulo premat indigno ſeruitio legitimum heredem vt ipſe dominetur. Iam eò deuentum eſſe, vt etiã quotidiano cultui neceſſaria malignè ſuppeditentur; ſplendorem omnem in Patrui aulam commigraſſe; inde leges, inde etiam reſponſa diuini iuris peti. Magiſtratus omnes eum mandare quibus velit, theſauros, & fiſcum, & exercitus, & vitae neciſq; poteſtatem illius arbitrij facta; Galeacium veluti ſeruum in aliena domo cum vxore paruiſque liberis degere. Quin etiã, Ludouicum hunc praeſenti dominatione minime contentum, in poſteros etiam ſuos eandem velle transferre; ac ne id cuiquam poſſit eſſe dubium, filium, quem nuper ſuſceperit, Ticini Comitem deſtinari manifeſta Imperij Mediolanenſis praerogatiua. Puerperam, quae partum cum enixa ſit, omnibus publice priuatimque cultam officijs, quae Reginam eam adulatione omnium facerent. Ad partus ſuos moueri neminem tamquam ſi vernae naſcerẽtur. Et in tantis injurijs acerbiſſimum eſſe illud, quod inſidiarum metu aſſidue trepidet animus, variaeque ſoli-

citudinum formae ſemper obuerſentur, quales expe-
ctatio mortis afferre conſueuit. Non ſibi deeſſe regios
ſpiritus,& aptam dominationi indolem; ſtudia quoq;
populorum & fauorem adeſſe, ſed caetera omnia re-
ſpicere nutum arbitriumque illius, cuius violentia op-
„ primantur. Nunc te pater, inquit, imploro, vt ſi quid
„ erga me paterni ſenſus retines, ſi me tuo ſanguine or-
„ tam credis, ſortem hanc meam iniquam reſpicias, neq;
„ eſſe me vltra cum viro ſaeuitiae alienæ ludibrium ſinas.
„ Adhuc ea ſpe ſuſtentati ſumus, quòd fore tibi curae ſa-
„ lutem noſtram crederemus; ſi ea ſpes nunc deficiat;
„ potius manu noſtra finem inueniemus, quàm vt in
„ perpetuo ſeruitio degamus vitam. Commouerant
haec Alphonſi Regis animum, atque communicatis
inter ſe cõſilijs Aragonenſes, lenibus prius experiri re-
medijs ſtatuerunt, quàm bellorum diſcrimini commit-
terent rem. Oratores duo Mediolanum illico deſtina-
ti, priuatim apud Aſcanium Cardinalem, in cuius ma-
nu & poteſtate res Eccleſiae Mediolanenſis tunc po-
ſitae erant, multa de Iſabellae querimonijs egerunt;
publice apud Ludouicum haec diſſeruiſſe feruntur.
„ Legati Regis Alphonſi venimus ad te Ludouice Sfor-
„ cia, primùm vt gratias tibi ageremus, quòd non pru-
„ denter atque integre modò Mediolanenſe Imperium
„ adminiſtraueris, ſed maieſtatẽ etiã eius, quae erat om-
„ nis amiſſa recuperaueris, vt Galeacio iã adulto maius
„ id auctiuſq; traderetur. Res Eccleſiaſtica conſtituta
„ tuis conſilijs florentior nunc ampliorq; eſt quám olim
„ fuit. Ciuilium rerum ſtatus fruitur alta pace, & pars

,, vtraque alterius viciſſim ope ſuſtentatur ac floret,
,, Externa quoque & longinqua compoſuiſti. Heluetios
,, domuiſti: Eſtenſem ab Venetorum injuria conati-
,, buſque defendiſti: Genuenſes coegiſti quietem op-
,, tare ſub imperio, quod prius abnuebant: Catharinam
,, Sforciam in patriae fortunae ſedem reſtituiſti: Aſca-
,, nium fratrem ſplendore prudentiaque tua produxiſti
,, ad ſacrum honorem, qui Maieſtati Regum aequipara-
,, tur. Tot templa à fundamentis erecta teſtantur pie-
,, tatem liberalitatémque tuam, alioque omni vrbis or-
,, natu & magnificentia publicorum operum veteres
,, Romanos aequaſti. Atque vt Sforciarum nomen &
,, fama per omneis terras cum immortali gloria propa-
,, garetur, ad tuendum Chriſti Liberatoris tumulum tre-
,, cena millia nummûm aureorum attribuiſti religioſis
,, hominibus, qui ibi inter barbaros degunt. Verè aeſti-
,, mãtibus, conditor Imperij Mediolanẽſis, & Sforciacae
,, familiae princeps ac parens in omne deinceps aeuum
,, nuncupabere qui tam glorioſe ac praeclare tutelam
,, geſſeris. Sed ita demum gloria lauſque conſequetur
,, iſtam Imperij adminiſtrationem & iſthaec inclyta fa-
,, cta, ſi extrema illa ignominia aberit, vt denegatum eſ-
,, ſe depoſitum dicatur, ſicuti quidem adhuc legitimi he-
,, redis querela eſt. Iam Galeacius robuſtis viribus ani-
,, mi corporiſque adoleuit, & queritur ſub tutore adhuc
,, ſe eſſe, neque tam ob dominandi cupidinem regio
,, animo inſitam, quàm verecundiâ famae ſi deeſſe ei re-
,, gium animum mentemque paternae hereditatis ca-
,, pacem arbitrari homines poſſint. Iam enim ea opinio

multorum

„ multorum animis inſedit ex eo, quod natu grandem
„ in nulla parte dominationis vident. Non beneuolen-
„ tia tua paternaue cura, ſed tarditate illius id fieri exi-
„ ſtimant. Quamobrem à te petit Rex, vt tradere iuueni
„ imperium velis, lubricumque aetatis illius corrigere ſi
„ qua in re labantem videbis. Id profectò glorioſius
„ tibi erit, quàm imperium ipſum tenuiſſe, meritoque
„ Lycurgum populi Mediolanſis ob inclytam iuſtitiam
„ fama te omnis feret. Ludouicus audita legatione,
pauca magis in ſpeciem compoſita & adornata reſ-
pondit, quàm de tradendo imperio quicquam in ani-
mo habebat, coeperatque ſtatim parare omnia, quae
ad bellum haud dubie imminens pertinerent. Et au-
xerat illi animos magna fortè ſpes orta Pontificis ma-
ximi obitu, cùm ei ſucceſſorem Aſcanium Sforciam
Cardinalem fama deſtinaret, quae circa magnum il-
lud diuinae prouidentiae arcanum tumultuari ſuis
conſilijs atque ineptire amat. Si conſentanea ſermo-
nibus hominum eſſet res, crearetur que Sforcia Pont.
Max. haud dubitare Ludouicus, quin opes habiturus
eſſet tantas, quantas neceſſe eſſet habere, vt ſeſe tueri
aduerſus Regem poſſet. Diuiſa ſtudia erant inter
Aſcanium hunc, & Cardinalem alium, qui Calixti fra-
tris F. & treis deinde alios Pontifices Maximos varia
fortuna emenſus, omnium Romanarum rerum vſu
peritus callidusque erat. Is, vt aemulum Sforciam
amoueret, offert ei grandem pecuniae ſummam, opu-
lentum praeterea Vicecancellariae munus, & magna
quaedam alia pretia quieſcendi. Sforcia quoque non
incal-

culum ſedemque coniurationi; ibi coetibus habitis conſilia omnia diſpoſita & agitata; incipiendae rei ac praeparandae ordinem hunc fuiſſe compoſitum, vt cùm Princeps ipſe Mediolanum veniſſet, oblatis ei tribus aureorum millibus, ipſius authoritate, Sacerdotij Miramundi poſſeſſionem adirent. Per ſpeciem eius adeundae poſſeſſionis, comparata armatorum manu tamquam aduerſus Nouocomenſem Episcopum, qui cum lis & controuerſia erat, auerterent omnem ab ſe suspicionem, & condictam facinori diem opperirentur. His ita conſtitutis, conueniſſe in Ambroſianos hortos, velut animi gratia, atque ibi nouo inter se sacramento eſſe obligatos, vt qui ipsorum à coniurationis fide desciuiſſet, sacrum eius caput infameq; eſſet, eumque caeteri pro patriae hoſte haberent. Perse-
„ quens inde caetera, scriptum ita edidit. Ego, poſt fir-
„ matam in Ambroſianis hortis foederis fidem ingreſſus
„ Aedem ipsam Ambroſianam, abieci me ad Sancti,
„ Pontificis effigiem, atque ibi sum precatus in hunc
„ modum. Magne Pater Ambroſi columen vrbis huius,
„ & spes, praeſidiumque Populi Mediolanenſis; ſi tibi
„ cordi eſt id quod liberandae Patriae causa tui ciues
„ alumniq; ingredimur, adſis propitio Numine ad ma-
„ gni facinoris pericula casusque, per quos eundem eſt
„ nobis, vt tyrannidem hinc, & impuritatem, & monſtra
„ libidinum arceamus. Haec precatus, ad socios meos
„ reuertor, iubeoque bono animo eſſe omneis, affirmans
„ factum eſſe me alacriorem poſteaquam Tutelarem
„ Vrbis in negotij partem aduocarim, idque laetiſſimi

„ exitus vaticinium propono. Per aliquot inde dies exer-
„ cebamur digladiando inter nos, & agilitatem corpo-
„ rum imaginemque periculi experiendo quod adituri
„ eramus. Septimo ante Chriſti Natalem die, nouo &
„ vltimo ſacramento fidem obſtrinximus in ea, quae
„ conſtituta prius inter nos erant, hocque amplius ad-
„ didimus, vt ſi contingeret, aliquem noſtrum ante con-
„ dictam diem in morbum incidere, vel comprehendi,
„ caeteri nihilominus deſtinata exſequerentur. Ab hoc
„ ſacramento ſeorſim egimus, aliuſque aliò dilapſi am-
„ bulauimus per fora, per vias, eo conſilio, eaque arte, vt
„ ſi qui noſtros antea fortaſſe coetus curioſe notaſſent,
„ ijs etiam diſſociati cerneremur, recordationemque il-
„ lam ex hominum animis tolleremus. Vagati in hunc
„ modum vrbe tota, & obuerſati oculis eorum, quos no-
„ ſtrae ſocietatis poſſe eſſe memores arbitraremur, ad
„ ſextam noctis horam, quae nox D. Stephani diem an-
„ teceſſit, congregamur tamquam haud amplius futuri
„ vnà. In extremo illo conuentu, data rurſus fide defi-
„ niuimus quam horam ingrediendi Templum obſer-
„ uaremus, quamue ibi quiſque partem caperemus, alia-
„ que momenta peragendae rei, prout in ipſo temporis
„ articulo multi fortuiti caſus admonere poſſent. Sum-
„ mo mane Templum ingreſſi ſupplicauimus D. Ste-
„ phano, vt pulcherrimo operi, quod in ipſius Aede pa-
„ trandum foret, vellet adeſſe, neue indignaretur conta-
„ minari ſua Templa caedis eius ſanguine, quae vrbem
„ & patriam hanc liberatura eſſet. In id compoſita
„ precatio erat à Carolo Vicecomite, quam recitauimus

„ vnà cum precibus alijs, ſicuti deſcriptae in ritualibus
„ libris extant Protomartyri inuocando. Poſt eas pre-
„ cationes interfuimus etiam rei Diuinae, qua peracta
„ Barengonem Archipresbyterum Baſilicae illius ego
„ appellaui vt mihi claues aedium ſuarum darer, quibus
„ acceptis ego rurſus abij domum meam, vt mox in Ar-
„ chipresbyteri aedes abderem me, atque ibi ſocios ex-
„ pectarem. Archipresbyter autem Barengo, qui
„ mihi claues dedit, neque quid pararem interroga-
„ uit, neque antea fuerat in vlla parte conſilij, niſi quod
„ expoſtulantem aliquando me de conditione tempo-
„ rum audiuiſſet, & reſtringendo humeros comprobare
„ querimoniam erat viſus. Acceptis clauibus, & or-
„ dinatis domi meae quibuſdam, Archipresbyteri do-
„ mum ingredior. Mecum erant quatuor ſocij conſilij:
„ Mox Andreas & Carolus ingrediuntur. Cùm ibi an-
„ te focum ſederemus, ſenſimus venire Principem, ac
„ protinus ingreſſi Templum edidimus in eum exem-
„ pla, quae meditati eramus, iacetque nunc ille rerum
„ humanarum exemplum ob ſaeuitiam & libidines ſuas.
„ Interfecto Principe, & excitato tumultu, quantum rei
„ atrocitas potuit excitare, caeteri quidem coniurati
„ comprehenſi ſunt aut interfecti; ego verò elapſus ad
„ paternas meas aedes aufugi. Saeuus inhumanuſque
„ pater, quia dixeram interfectum eſſe Principem, meq;
„ interfectoribus, non quidem ſocium, ſed amicum fuiſ-
„ ſe addideram, oblitus ingenitae erga filios caritatis,
„ increpitum verbis atrocibus expellit domo, vltimaq;
„ interminatur, ſi ibi conſiſtere auſim. Tunc ego trepi-

dus

„ dus anxiuſque, proximo diuerticulo in Dominici Cal-
„ caterrae aedes tranſgredior, atque ibi in ſummam ae-
„ dium illarum contignationem, tectum inter & laque-
„ aria perductus à mulierculis & ancillis, quae ſortem
„ meam deflebant, aliquandiu ibi delitui. Mox, pater,
„ & Dominicus ipſe Calcaterra, vt comperêre eſſe me
„ ibi abſconditum, exturbant inde, atque conuicijs one-
„ ratum, ſuis ipſorum manibus interficiendum eſſe com-
„ minantur, ſi circum ea limina amplius deprehendar.
„ At mater mea, Parocho noſtrae viciniae accerſito, ro-
„ gat hominem, vt ſi quo pacto poſſit, abducat me &
„ ſeruet. Is allato confeſtim ornatu, qui Clericorum ad
„ ſacra miniſteria quotidianus eſt, in ea veſte me domum
„ ſuam abducit, digrediturque ipſe ad negotia ſua, ac
„ me domi ſolum relinquit. Ibi ego varijs ſolicitudini-
„ bus aeſtuans, in animo habebam, proximae noctis ſi-
„ lentio exſurgere, atq; aſſumptis mecum aliquot ido-
„ neis hominibus vocare plebem ad diripiendas aedes
„ Simonetae, Ioannis Botti, & Franciſci Lucani, quos eſ-
„ ſe populo praecipue inuiſos ſciebam. Totâ hinc tur-
„ bata & concitata ciuitate, conſilium erat, ſpe domina-
„ tionis ac libertatis erigere potentiſſimum quemque;
„ ita rem facilè fore effectam arbitrabar, cuius rei cauſa
„ ipſum interficiendi Principis facinus aggreſſi eramus.
„ Poſtquam ea ſententia ſtetit, coepi recenſere animo
„ omneis, quos ad eam rem poſſe mihi eſſe adiumento
„ arbitrarer, & Barengonem praeſertim Archipresby-
„ terum ſum ſcripto cohortatus, vt capeſſere vnà mecũ
„ liberandae Patriae gloriam vellet, propterea quod eſſe

„ mihi auidus famae & diuitiarum videbatur. Sed cùm
„ penetrarent in Parochi domum ex via clamores corũ,
„ qui Andreę Lampugnani lacerum corpus trahebant,
„ perfuſus horrore attonituſque ſteti, neque animus vl-
„ tra mihi ſuppetebat. Auctus eſt mihi terror, quia Pa-
„ rocho abſente, venêre illuc ſatellites, & magno cum
„ tumultu perſcrutantes omnia, ſuſpectam intutamque
„ mihi latebram eam fecerunt, in qua Parochus ipſe me
„ collocarat. Ex eo die, pauens tremenſque, & rerum
„ omnium incertus, ad diem vſque Sabbatum egi; eoq;
„ die, appetentibus tenebris, compoſitus in baiuli formã
„ ſublatâ in humeros culcitrâ ad Philippi Mareſcotti
„ aedes proceſſi, qui tonſtrinam faciebat. Inde mina-
„ citer & contumelioſe eiectus, errabundo magis quàm
„ deſtinato greſſu ad Gabrielem Florenum deueni, qui
„ me humaniſſime acceptum abdidit in occultiſſimam
„ tecti ſui partem, atque ibi fui donec hora mihi exitia-
„ lis adueniret. Nunc ſanctiſſima Dei Mater, & te Prin-
„ ceps Bona, imploro, vt animae meae ſalutem veſtra
„ clementia, & benignitate reſpicere velitis, tantumque
„ vigoris huic miſerrimo corpori relinquere, quantum
„ neceſſe erit, vt peccata mea rite confiteri poſſim. Haec
ſentẽtia literarum fuit, quas Hieronymus ille nequicquam profugus in triſtiſſimo illo ac pleno deſperationis tempore ſcripſit Magiſtratuum iuſſu, nullo tam effuſae confeſſionis pretio, niſi vt pie moriendi facultatem impetraret. Caeterùm, nos in referenda huiuſmodi literarum ſerie, barbariem quidem remouimus eam, quae trepidantis in vltima neceſſitate authoris

fuit, ſubiecimus autem alia verba, quae nihil immutarent ſententiam, & Eccleſiaſtico opere digna eſſent. Lacerum vulneribus corpus Principis in veſtibulo Templi collocatum eſt, eòque Bona vxor babylonici operis veſtem miſit in qua humari ſe Galeacius mandarat ſi quis etiam repentinus caſus ipſum abſtuliſſet. Magnus hinc in vrbe tumultus erat, & Itali Principes interfecto Sforcia, ſuas quique ſpes agitabant. Pontifex Maximus, audita nece; hodie, inquit, Italiæ pacem amiſimus. Adeò commota eſſe omnia apparebat. Mox tamen ſedato per vrbẽ tumultu, Galeacioq; filio in Patris fortunam & nomen aſſumpto, factum eſt id quod in omni fere Principum mutatione fieri ſolet, vt nimirum de publici ſeruitij conditione nihil mutaretur. Et exſequiae tam inuiſi Principis omnium ordinum frequentia cohoneſtatae cum doloris etiam imitamentis, corpuſque in Templum maximum tumulo maiorum illatum. Ibi nouus Princeps coronatur nemine omnium repugnante, & quaſi remunerans meritum ille multos ex nobilitate Mediolanenſi equites appellauit. Venẽre Principum legati ad conſolandum eum, ob caſum Patris, ac Pontifex ipſe Max. ſuam in id legationem miſit. Erat poſtea puer Sforcia ſub tutoribus, quorum inter ipſos diſſidia populum Eccleſiamque Mediolanenſem afflixere nouis cladibus ſicuti memorabo; veteraque factionum certamina pars Eccleſiaſtici Operis erunt. Erat inter tutores Bona Principis mater fautrix acerrima Gibellinorum aduerſus Guelfos, quae prope iam obliterata nomina

mulie-

mulicbribus ſtimulis rurſus excitabantur. Gibellinarum partium erat Cecus Simoneta tutorum vnus magnopere infenſus Longhignanae illi, quem Franciſcus Sforcia praefecerat arci, iuſſeratque ibi ſummam habere poteſtatem omnium rerum. Hunc potentiae aemulum, & alioqui etiam inimicum exturbare Simoneta cùm deſtinaret, facilè perſuadet Bonae, vt deiecto eo, praefectus potius alius imponeretur arci, quod protinus factum diſcordiarum in vrbe molem conciuit, ſacraque & profana id malum ſenſere. Simoneta ipſe Longhignanae viciſſim artibus euertitur atque conijcitur in vincula plectiturque capite, quae magna clades Eccleſiae rerum fuit, amiſſo cuſtode ac defenſore, qualis ille per omne tempus fuerat. Et traxit illius calamitas omneis, qui conſilijs ipſius aliquo modo permixti fuerant; vnde miſeranda inter eas turbas Eccleſiae Mediolanenſis ſolitudo, cùm ij, qui ſoliti erant eam protegere ac tueri, circumuenti ipſi ab inimicis iacerent. Simonetae finem tradi noſtris etiam literis poſtulant ingentia ipſius erga nomen Ambroſianum merita, & conſpiratio atrox, qua vir tantus cecidit. Impoſitum vehiculo vnà cum fratre Clariſſimo viro Ticinum aſportauere quibus id negotij ab aduerſa factione mandatum erat. Ibi per aliquot dies ſaeua cuſtodia eſt habitus, donec tollendi hominis cōſilia inirentur, omneque machinamentum in caput inſontis perfidia inimicorum expediret. Poſtquam matura paràtaque omnia fuere, mittitur ab Mediolano forenſe miniſterium, empti iudices, teſteſque falſi, &

apta

apta meditato facinori ſcribarum manus; ſeriem quoque quaeſtionis, & reſponſa Rei meritura necem commenti vltro attulerant ſecum. Producto Simoneta & interrogato, ſpecies & forma iudicij effingitur; nec vltra dolis opus fuit. Veneranda canitie ſenex, qui ſancte atque innocenter vixerat, cuius plurima & grauiſſima merita in Eccleſiam Principatumque extabant, capite plectitur, corpuſque tanti viri tamquam ob infandum ſcelus oſtentui abiectum, piorum cura ſepelitur intra clauſtra Monaſterij D. Apollinaris; eiq; funeri maximum ornamentum publica moeſtitia fuit, & querelae quamuis premerentur, paſſim tamen erumpebant in eos, quorum dolo Simoneta euerſus foret: Tempora non inerudita erant, ideoque carmina ſunt addita tumulo, quorum author incertus, ſententia hęc fuit. Cecum Simonetam, ideo quia res Inſubrum iuſte atque cum fide adminiſtraret, abſciſſo capite ibi eſſe ſepultum. Sibi quidem Ceco nomen fuiſſe; caeterùm, dum viueret, vidiſſe multa, quae caeteri non vidiſſent; & patriam ipſo ablato coecam in poſterum fore. Se quidem extinctum eſſe ob fidem; ſed gloriam deberi nomini ſuo, quia maluerit vita carere quàm fide. Poſt Simonetae huius finem, Ioannes frater magnae etiam ipſe religionis vir, & praecipuum afflictis Eccleſiae rebus momentum in exſilium pellitur. Archiepiſcopum Mediolanenſem hoc tempore reperio cum exercitu aduerſus Sabaudiae Ducem exiſſe armatum eo conſilio, vt Sabaudum exueret omni imperio idq; totidem verbis Corius tradit. Capta Vercellarum vrbe fuſum

ac

ac fugatum refert. Id cuiuſmodi ſit, explicare non poſſum. Quomodo enim haberet exercitum Archiepiſcopus in aliena vrbe, manente Sforciarum dominatu, amiſſa iampridem potentia, quae Pontifices hoſce, principum & Regum prope inſtar olim armarat? Niſi ſi fortaſſe, Galeacio interfecto, pupillo dominãte, inter rudimentum puerilis imperij, muliebremque tutelam Archiepiſcopus quoque fuit in parte Principatus, & bella geſſit alienis armis. Exarſit deinde aliud longe atrocius bellum, quo tota Italia perturbata eſt, profaniſque ſimul & Eccleſiaſtici Principes in ea arma coorti perniciem ſibi mutuam quaerebant. Ab vna parte Pont. Max. Venetique & Genuenſes, ab altera Ferdinandus Caeſar, Sforciaque & Reſp. Florentinorum ſtetit. Cauſa belli fuit, quod Veneti offenſi varijs modis ab Eſtenſe, vlciſci injurias voluere, totamque ſuâ irâ in partes Italiam diduxerunt. Pro Galeacio puero rem Mediolanenſium Ludouicus patruus illius adminiſtrabat ablegato Ferrariam Aſcanio fratre, qui deinde Cardinalis fuit. Poſt varias clades, pace cum Venetis facta, etiam inter Sforcias ſublatae ſimultates; Aſcaniuſque Mediolanum illuſtri fratris gratia reductus, cùm ruptâ prius cuſtodiâ ſeſe ad Venetum hoſtem adiunxiſſet. Inteſtina ſimul & externa mala quieuiſſe videbantur; nec ſane Mediolani floridior vnquam ſtatus omnium rerum; totq. iam exhauſtae calamitates felicitatis cumulo compenſabantur. Principes omnium diſciplinarum viri excitati magnitudine praemiorum vndique confluebant in hanc vrbem.

Latinae

Latinae pariter & Graecae literae, velut ſua in ſede cō-ſtiterant hic, carmineque & ſoluta oratione genus vtrumque exercebatur; & ſuper omnia, muſici homines ſuauitate canendi caeleſtes choros praeferebant; ciuiliumque artium cultus etiam ad Eccleſiaſticae rei diſciplinam redundabat, & valde iam eruditus Clerus Eccleſiae maieſtatem tuebatur. Nimirum, ex magna perturbatione ad ſummum euecta ſic felicitas vrbis erat, vt more omnium humanarum rerum retro ſtatus ille volueretur, temporaq; etiam funeſtiora redirent. Ac ſicuti tranquillitate Reip. florentibuſq; Principum rebus, Eccleſiæ quoq; ſecuritas & florentiſſimae Pontificum res comprehenſae fuerant, ita bella rurſus & publicae clades Eccleſiae Mediolanenſi vaſtitatem attulere. Quomodo rerum turbandarum initia ſint exorta, memorari oportet, vt ſimul, Eccleſiaſtici caſus, quorum varietas motibus eiuſmodi ineſt, cognoſcantur. Ludouicus Sforcia Galeacij patruus, aetate Principis, & Tutoris iure ſic abutebatur, vt nomen & vmbra Mediolanenſis Imperij tantummodo penes Galeacium eſſet, vis & robur omne penes ipsum haberetur. Neque contentus eo vir alioqui magnus & iuſtus, adultum iam Principem redegerat in tantas anguſtias, vt etiam alimenta quotidiana ille deſideraret. Isabella Alphonſi Neapolitani Regis filia huic nupta Galeacio erat, femina ingentis animi, quae potius indignaretur, quòd ex Regia in minorem domum enupſiſſet, quàm vt in ea domo Imperium alterius pateretur aequo animo. Haec igitur minime ferens indi-

 gnitates,

Digitized by Google

gnitates, quae ferendae erant, dum Patrui violentia rem in ſe vniuerſam trahit, literas dedit ad Patrem Regem, quarum ſententia fuit huiuſmodi: Aliquot iam eſſe annos, cùm Galeacio Sforciae nupſerit in eam ſpem, vt poſtquam ille adoleuiſſet, haberet maritus ſui patris imperium, ipſaque Mediolani Ducis vxor diceretur, & viueret cum eo ſplendore, qui regia ſtirpe ortam deceret. Sed maritum quidem, & virum iam eſſe, & patrem; Imperium verò penes eum manere, qui tutoris & patrui vocabulo premat indigno ſeruitio legitimum heredem vt ipſe dominetur. Iam eò deuentum eſſe, vt etiã quotidiano cultui neceſſaria maligne ſuppeditentur; ſplendorem omnem in Patrui aulam commigraſſe; inde leges, inde etiam reſponſa diuini iuris peti. Magiſtratus omnes eum mandare quibus velit, theſauros, & fiſcum, & exercitus, & vitae neciſq; poteſtatem illius arbitrij facta; Galeacium veluti ſeruum in aliena domo cum vxore paruiſque liberis degere. Quin etiã, Ludouicum hunc praeſenti dominatione minime contentum, in poſteros etiam ſuos eandem velle transferre; ac ne id cuiquam poſſit eſſe dubium, filium, quem nuper ſuſceperit, Ticini Comitem deſtinari manifeſta Imperij Mediolanenſis praerogatiua. Puerperam, quae partum eum enixa ſit, omnibus publice priuatimque cultam officijs, quae Reginam eam adulatione omnium facerent. Ad partus ſuos moueri neminem tamquam ſi vernae naſcerẽtur. Et in tantis injurijs acerbiſſimum eſſe illud, quod inſidiarum metu aſſidue trepidet animus, variaeque ſoli-

citudinum

citudinum formae ſemper obuerſentur, quales expe-ctatio mortis afferre conſueuit. Non ſibi deeſſe regios ſpiritus, & aptam dominationi indolem; ſtudia quoq; populorum & fauorem adeſſe, ſed caetera omnia reſpicere nutum arbitriumque illius, cuius violentia opprimantur. Nunc te pater, inquit, imploro, vt ſi quid
„ erga me paterni ſenſus retines, ſi me tuo ſanguine or-
„ tam credis, ſortem hanc meam iniquam reſpicias, neq;
„ eſſe me vltra cum viro ſaeuitiae alienæ ludibrium ſinas.
„ Adhuc ea ſpe ſuſtentati ſumus, quòd fore tibi curae ſa-
„ lutem noſtram crederemus; ſi ea ſpes nunc deficiat;
„ potius manu noſtra finem inueniemus, quàm vt in
„ perpetuo ſeruitio degamus vitam. Commouerant haec Alphonſi Regis animum, atque communicatis inter ſe cōſilijs Aragonenſes, lenibus prius experiri remedijs ſtatuerunt, quàm bellorum diſcrimini committerent rem. Oratores duo Mediolanum illico deſtinati, priuatim apud Aſcanium Cardinalem, in cuius manu & poteſtate res Eccleſiae Mediolanenſis tunc poſitae erant, multa de *Iſabellae* querimonijs egerunt, publice apud Ludouicum haec diſſeruiſſe feruntur.
„ Legati Regis Alphonſi venimus ad te Ludouice Sfor-
„ cia, primùm vt gratias tibi ageremus, quòd non pru-
„ denter atque integre modò Mediolanenſe Imperium
„ adminiſtraueris, ſed maieſtatē etiā eius, quae erat om-
„ nis amiſſa recuperaueris, vt Galeacio iā adulto maius
„ id auctiuſq; traderetur. Res Eccleſiaſtica conſtituta
„ tuis conſilijs florentior nunc ampliorq; eſt quám olim
„ fuit. Ciuilium rerum ſtatus fruitur alta pace, & pars

„ multorum animis inſedit ex eo, quod natu grandem
„ in nulla parte dominationis vident. Non beneuolen-
„ tia tua paternaue cura, ſed tarditate illius id fieri exi-
„ ſtimant. Quamobrem à te petit Rex, vt tradere iuueni
„ imperium velis, lubricumque aetatis illius corrigere ſi
„ qua in re labantem videbis. Id profecto glorioſius
„ tibi erit, quàm imperium ipſum tenuiſſe, meritoque
„ Lycurgum populi Mediolanſis ob inclytam iuſtitiam
„ fama te omnis feret. Ludouicus audita legatione,
pauca magis in ſpeciem compoſita & adornata reſpondit, quàm de tradendo imperio quicquam in animo habebat, coeperatque ſtatim parare omnia, quae ad bellum haud dubie imminens pertinerent. Et auxerat illi animos magna fortè ſpes orta Pontificis maximi obitu, cùm ei ſucceſſorem Aſcanium Sforciam Cardinalem fama deſtinaret, quae circa magnum illud diuinae prouidentiae arcanum tumultuari ſuis conſilijs atque ineptire amat. Si conſentanea ſermonibus hominum eſſet res, crearetur que Sforcia Pont. Max. haud dubitare Ludouicus, quin opes habiturus eſſet tantas, quantas neceſſe eſſet habere, vt ſeſe tueri aduerſus Regem poſſet. Diuiſa ſtudia erant inter Aſcanium hunc, & Cardinalem alium, qui Calixti fratris F. & treis deinde alios Pontifices Maximos varia fortuna emenſus, omnium Romanarum rerum vſu peritus callidusque erat. Is, vt aemulum Sforciam amoueret, offert ei grandem pecuniae ſummam, opulentum praeterea Vicecancellariae munus, & magna quaedam alia pretia quieſcendi. Sforcia quoque non

incal-

incallidus erat; ac videns imparem ſe aemulo ad ſuffragiorum numerum fore, ſtatuit accipere quae offerebantur,& donare,quod erat amiſſurus.Scilicet opes eaſdem fore ſibi adiumento, quandocunque vacua rurſus Sede competitorem alium nanciſceretur, qui gratiae vel potentiae minus haberet. Ita diuinum negotium tractans humanis conſilijs,omiſſa nunc ſpe atque negotiatione omni,fauorem parteſq; ſuas vltro ad Cardinalem Borgiam inclinarat, in quem ſtudia Patrum ferebantur. Mox tamen ſubierat animos, Hiſpani generis eſſe hominem, damnumq; Italici nominis fore, ſi Eccleſiae opes in id genus translatae eſſent. Subita mutatione voluntatum alienatis omnibus,in Sforciam rurſus, vel in quemuis alium ibatur. Borgia enimuero circumire,prenſare ſingulos,polliceri quae cuiuſque animo eſſe aptiſſima exiſtimaret; ac Sforciae ante alios ipſi ſupplex obteſtabatur, ne ſe ab ſumma ſpe praecipitem daret euerteretque. Superatis in hunc modum difficultatibus, Borgia Princeps Sacrorum appellatur,nouoq; nomine Alexandrum VI. nuncupauêre Patres,ignari,quem ille animum ſub eo magno nomine occultaret. Et Aſcanius quidem Sforcia Cardinalis, Ludouicuſque frater ex magna ſpe depulſi in hunc modnm erant. Bellum,quod vrbis Eccleſiaeque ſtatum Mediolani turbaturum erat, ab hoſte Rege ſumma vi apparabatur. Erat Neapoli Alexander Sforcia Ludouici frater ex pellice natus, & profugus ob diſſidia cum fratre dominante metumq; potentiae illius. Is ab hoſte benigne acceptus in parte

conſi-

conſiliorum habebatur, inſtigator ſimul & inſtrumentum gerendi belli, docebatque immunita & incuſtodita omnia ſic eſſe Mediolani, vt bellum haberi pro confecto poſſet. Statim vbi Neapolitana ſigna conſpecta eſſent, concurſus ad Regem fore maximos; nobilitatem vniuerſam, & Eccleſiaſticos homines, quae ſit pars non ſpernenda Ciuitatis, pro iuuene Galeacio contra Ludouicum impigre omnia exſecuturos. Adeò, & odiſſe violentiam huius, & afflicto ac prodito illi fauere. Gnara cuncta Ludouico erant, & ſua ſponte ſuſpicanti quid pararetur, & exploratoribus ſubinde indicantibus quicquid odorari ſiue expiſcari poterant. Itaque cùm maiorem aliquanto expectaret molem belli, quàm quantam ſuſtinere ſe poſſe conſideret, Gallica in *I*taliam excire arma peſſimo conſilio decreuit. Ea poſtquam ſtetit ſententia, dat literas ad Carolum Galliae Regem, & congruentia literis mandata ſuo apud eum Oratori, quibus ille permotus haud cunctanter capeſſit bellum. Tracto in partes Gallo Ludouicus, ad maiorem aliam curam adiecit animum, vt Maximiliani Caeſaris authoritate Mediolani Dux appellaretur, Eraſmumque ſcribam ſuum intimum in id legauit. Quò facilius impetraret à Caeſare id quod volebat, Blancam Mariam fratris ſui filiam in matrimonium ei offert. Accepta conditione, & inito Caeſarem inter & Sforciam foedere, Ludouicus Mediolani Dux appellatur, Gallicaque arma ſuperfundebantur Italiae rebus allatura vaſtitatem Eccleſiae huic Mediolanenſi, quae ciuilium harum cala-

mitatum

deceret. Antequam mandaretur humi corpus, iacuit in feretro diem vnum ſcilicet vti contrectaretur omnium oculis, atque vt ſuſpicio, quae multorum animis inſederat, opprimeretur cùm non eſſe repente ſubductum viderent. Ea ipſa res praebuit ſermonibus materiem, & querelae audiebantur. Caetera deinde peragũtur horribili diſſimulatione, quam aulici, qui tunc erant homines Tiberij artibus aequauęre. Nam ſimul atque peregit pietatis & moeſtitiae ſimulacra Ludouicus, Eccleſiaque ſuis erga mortuum Principem defuncta muneribus eſt, abdidit ille ſeſe in arcem, & per dies aliquot abſtinuit publico, tamquam adhuc moereret. Inde conuocatis principibus Ciuitatis, in frequenti eorum conuentu praefatus pauca de publica orbitate & moerore ſuo, dixit erigendos eſſe animos ad Reip. curam, eligendumque ex Galeacij filijs, qui ſuccederet in Patris fortunam, ac ſi praerogatiuam aetatis ſequerẽtur, deberi principatum Franciſco, qui ſtirpis maximus eſſet. Parati erant qui ſententiae huic aduerſarentur, & dixere, nequaquam id eſſe Reip. tempus, vt committi pueris deberet. Quin ſuccederet ipſe imperitandi vetus, efflagitatus Reip. voce, ab ſtirpe quoque iuſtus heres Imperij; ac ne recuſaret, obſecrabant. Ita ille nihil ſane cunctatus, in aurea veſte alboque equo inuehitur in vrbem, ac ſicuti priores vſurparant, in Templo maximo ſupplex ad aram adorato Numine, praebuit ſpeciem legitime adeuntis Imperium, & plauſit adulatio publica, Ducique acclamauit. Aes campanum ex aedium

Sſſſſ ſacrarum

ſacrarum turribus perſonuit, vt non ciuium modò conſenſu, ſed Eccleſiae quoque gratulatione recipi principem appareret. Non multo deinde poſt adfuere duo Caeſaris legati ferentes literas & mandata, quorum authoritate Mediolani Dux coronaretur. Caeremonia coronationis huiuſmodi fuit. Ad xiii. Kal. Iunias, qui dies erat D. Feliciano ſacer, in Templo maximo Dux & legati rei diuinae interfuerunt, qua peracta, ad Templi valuas in celſiſſimo pegmate diplomata Caeſaris recitantur. Inſignia deinde Principatus prolata, & Epiſcoporum manu, qui aderant ornatus Princeps ſtetit, plaudentibus in ſpeciem cunctis, quamuis alte animis moererent; ob euerſam Galeacij domum, & externis armis proditam Italiam, tantumque malorum eius iniuriae cauſa concitatum. Iaſon Mainus peritia Legum nactus famam, habituſq. ea tempeſtate Iuriſperitorum diſertiſſimus, pauca de Ludouici laudibus, & noui Principatus felicitate perorauit magis in ſpeciem ornata verbis, quàm vt ſentire crederetur. Ea peracta caeremonia, Princeps ad D. Ambroſij Aedem, cum magno principum aliorum agmine proceſſit, ibique ſupplicauit Tutelari Vrbis; & ea ſimulacra pietatis, optima ſpe, vt in malis, confirmarant animos, fore vt ſancte ac religioſe Imperium ille adminiſtraret. Ab D. Ambroſij Aede Sforcia ſeſe contulit in Arcem, atque ibi laetitia celebrata eſt ludis, & epulis, tantamque magnificentiam nunquam antea conſpectam fuiſſe Mediolani omneis fatebantur. Sed aggrauabat vt dixi, deformabatque omnia

triſtis Galeacij caſus, & profuga cum paruis liberis vxor, quae fugiens lucem, adſpectumque hominum, Ticini in obſcuro cubiculo clauſerat ſeſe violenta luctu, & neſcia tolerandi. Neque verò calamitas erat ea, quam tolerare muliebris animus poſſet, cùm ſuper mariti acerbam mortem, amiſſumque Principatum, Gallicis quoque armis, & inito aduerſus auum patremque foedere Neapolitanum Regnum infeſtaretur. Sed & Ludouicum ipſum infeſtae res appetebant, quarum praeſagium fuere nocturni ignes exorti ſupra arcem, ſtatimque ſecuta eſt interpretatio, Sforciarum genti exitium & finem imminere. Et coeperat ipſe nihil laeti fauſtique expectare, poſtquam Beatrix vxor exanimem partum enixa cum doloribus acerbiſſimis mortua eſt, eodemque tempore treis ipſius filijs deceſſere continuatis funeribus, quae funera non ſecus atque venturae cladis vaticinium accepta ſunt. Sepulta eſt Beatrix in Templo Deiparæ Virginis, cui cognomentum ex Gratiarum nomine, memoriaq; extat, amplius quindecim millia nummûm aureorum in id funus inſumpta eſſe. Per ſeptem continuos dies in eo Templo ſuper tumulum cecinere preces, actaeque ibi per totidem noctes excubiae. Dein dona ampla data, tum Templo ipſi D. Mariae Gratiarum, tum Templo Maximo cum ea precatione ac voto, vt mortuae Principis animae bene eſſet; poenaeque noxarum, ſi quas ipſa contraxiſſet, diuina benignitate remitterentur. Dona autem ipſa quae data ſunt, extant deſcripta in annalibus quibuſdam, prae-

cipue haec. Templo maximo frontalia duo aurea conchyliati coloris cum familiae inſignibus; calices & pixides & alia ſacris faciundis. Ad ſingula ſubiectarum ciuitatum Templa, frontalia item bina ex holoſerico violaceo, magnuſque cerae numerus ad omnia Templa Vrbis, vt per omneis exſequiarum dies plurimis luminibus arae collucerent, atque in reliquum deinde etiam tempus ad Sacrorum vſum cera ſuppeteret quibus parandi aliunde difficultas eſſet. In D. Mariae Gratiarum Aedem atratus Sforcia per eos exſequiarum dies venit, & vnà cum eo legati Principum aut Regum & Rerump. Hiſpanus, Venetus, Florentinus, Ferrarienſis, Mantuanus, Vrbinas, Bononienſis; & praeter legationes haſce, non minus ſplendida cohors principum ac dynaſtarum Imperij Mediolanenſis, qui beneficiario iure oppida pagoſue obtinerent. Ea cohors cum Principe Sforcia in Templo D. Mariae Gratiarum exſequias celebrauit. Galeacius Sanſeuerinas, qui Blancam Ludouici filiam in mattrimonio habebat, proceſſit in Templum maximum, vbi tanto maiore apparatu funebre ſacrum fiebat, quanto plus ibi maieſtatis & opum, & Metropolitani nominis ſplendor. Deduxere Sanſeuerinatem alij principes annexi Sforciarum domui, Magiſtratuſque vrbis, & legati Ciuitatum, & aula fere tota; Iuriſconſulti praeterea & Medici & Collegium omne mercatorum, & ex ſingulis vrbis regionibus duodeni viri nobiles, quos inuitari Princeps iuſſerat. Togae omnibus erant pullae, iſque funeſtus colos, Principis

ſumptu

ſumptu toto Templo praetentus erat. Die, quo mortua Princeps erat, ieiunium in aula fuit, & per totum deinde annum Sforcia dedit hoc moerori ac deſiderio, ne accumberet vnquam, ſed ſtans veſceretur, totoque hoc tempore atratus fuit. Aſcanius Sforcia Cardinalis hoc tempore, quae licentia fuit illius aeui, treis ſimul Eccleſias obtinebat; Mediolanenſem nimirum hanc noſtram, Ticinenſemque, & Cremonenſem, ingenti tunc potentia, quae nunc piaculum ſceluſque eſſet. Nimia ea potentia regnanti quoque Ludouico videbatur, ac coepit magnopere vrgere Cardinalem, vt vel Mediolanenſis Eccleſiae gubernacula omitteret, vel Cremonenſem Ticinenſemue Pontificatum abdicaret. Id ita petebat rogabatque Princeps, vt ſatisfaciendum eſſe fratri Cardinalis videret, ac ſi cunctaretur, vetera diſſidia, & Ferrarienſe exilium documento erant. Potius quàm vt alterutrâ minorum illarum deijceretur, omittere Mediolanenſem Eccleſiam maluit, ac pro omiſſa Metropoli tradidit ei Pontifex Maximus Ambroſiana vectigalia, quae ampla & opulenta quondam attributa Monacis, hoc tempore Cardinalibus aſſignari coepta erant vt quae fuerant prius alimenta Monachorum, fierent Eccleſiae totius maieſtas & ſplendor. Id igitur Ambroſianum Sacerdotium Aſcanius adeptus, primùm omnium hanc curam ſuſcepit, vt ipſius Monaſterij mores diſciplinamque conſtitueret, ſi quid forte corruptum ibi remiſſumue erat, atque impetrata in id à Pontifice Maximo facultate, inſtituit, vt in Monaſterio

Clarae

Clarae Vallis Abbas Monaſterij Mediolanenſis eligeretur. Is Abbas Monachos triginta duos haberet, qui cum reliquo Ciſtercienſi Ordine corpus vnum efficerent. Monachorum Ambroſianorum viginti Sacerdotes eſſent; reliqui his miniſtrarent, & vteretur ordo ſimul vterq; legibus & inſtitutis, quibus maiores eorum vſi eſſent tunc cùm res Ambroſiana ſancta, florenſque habita eſſet. Pecuniae, quae ſupereſſent Monachorum alimentis hoc ordine ac deſcriptione diſpenſarentur. Quaternae quotannis ingenuae virgines cum honeſtis hominibus ex ea pecunia collocarentur in matrimonio. Dos ſingulis earum centeni floreni nummi eſſent: Panis & vini tantum in pauperes anniuerſario die diuideretur, quantum ducentis aureis nummis emi poſſet. Die Veneris in perpetuum aurei nummi ſinguli pauperibus ſingulis darentur. Anniuerſario D. Ambroſij die pauperes deni donati ſingulis veſtimentis cum Abbate ipſo accumberent, largeque epulum daretur. Natali Chriſti Liberatoris die, qui pauperes ob aes alienum vincti attinerentur, cuius alieni aeris ſumma ducentarum librarum eſſet, ea ſumma Monaſterij ſumptibus diſſolueretur, captiuiſque demerentur vincula. In Monaſterij aedificationem quotannis librae bis mille inſumerentur. Haec omnia qui exſequeretur, Ioannes Tuſſignanus Abbas ab ipſo Cardinale datus eſt, ac deinde Abbates alij legibus eiuſmodi paruere, donec ſolita licentia quaedam obliterarentur. Et Cardinalis quidem Aſcanius ad haec opera religionis attentus

pie

pie ſanctеque erga Patriam agebat: Ludouicus verò frater illigatus atroci bello, varia fortuna conflictabatur, & omnes belli clades Italiam vaſtabant. Haud fuerit alienum referre caſum atrocem vnius inclytae ſapientiae viri, quem tempora illa in perniciem traxere, licet ad Mediolanenſem Eccleſiam ille communi tantùm iure attinuerit ob rei magnitudinem & nouitatem. Hieronymus Sanouarola erat acerrimo ingenio, diuinaeque philoſophiae profunditate adeptus nomen tamquam humanae mentis captum longe ſupergrederetur. Vitae quoque ſanctimonia & ſeueritate famam eam ipſe adiuuabat, & cùm in Sanctiſſimo Dominicano Ordine prope conſenuiſſet, ad Ordinis eius diſciplinam & inſtituta priuatis ſuis exemplis addiderat, vt non alibi plus rigoris eſſe vulgò omneis ferrent. Vates quoque ille habitus iam in tantum authoritatis peruenerat, vt quae ille futura praedixiſſet, pro certis ac praeſentibus haberentur. Ibatur vndique ad eum, nuncupabaturque Sanctus, quia forte multa contigerant haud ſecus, quàm ille ventura eſſe fuerat e ſuperiore loco vaticinatus. Nãq; Gallorum in Italiam aduentum, & Petri Medicaei eiectionem ab eo praedicta mala comprobauerat euentus, aliaq; tum in publicis, tum in priuatis rebus erant pleraque ſic geſta quemadmodum vaticinia Sauonarolae huius ferebantur. Eiecto Medicaeo, res Florentina per xx. ſelectos viros adminiſtrabatur, idque regimen conſenſu principum inſtitutum ſatis proſpere cadebat, cùm Sauonarola idem coepit publice

denun-

denuntiare atque vaticinari, Reip. formam eam breui tempore ad finem eſſe venturam, nouumque tyrannum parari; proinde, ſi ſaluam eſſe patriam vellent, maturarent quamprimum tollere imperium, quod publicae cladis ſemina originemque contineret. Haec aliaque vaticinando Sauonarola peruicit, vt ſublato xx. Virorum dominatu res ad populi poteſtatem redigeretur, quo impetrato arbiter ipſe rerum omniũ erat, nec aliter, quàm ad nutum voluntatemque eius munera omnia Magiſtratuſque demandabantur. Inde flagrantiſſima odijs materies, & vnius hominis cauſa tota confeſtim ciuitas in duas factiones diſceſſit. Partis vnius caput erat Sauonarola ipſe: regebat alterum exortus Dominicano aemulus ex Franciſcana familia haud minus acer ingenio promptuſque. Hominibus hiſce parebat Ciuitas, & vtrumque ſequebantur ſui, veniebantq; ad eos nocturnis temporibus vt conſultarent de Republica & quicquid illi reſpondiſſent, tanquam ex oraculo quodam accipiebant. Certamen inter duos partium duces maximum erat, vter ſanctior acceptiorque Diuinitati haberetur, eoq; certamine proceſſere in tantum vanitatis, vt Franciſcanus hanc Dominicano conditionem ferret; vt per flammas vterque tranſirent, atque ſanctimoniae laus penes eum deinde eſſet qui euaſiſſet intactus. Suberat illa tacita ſpes, fore vt prohibentibus ſuis, non timuiſſe periculum, ſed periculo exemptus crederetur admiratione virtutis. Ita Sauonarolam quotidiano conuitio laceſſebat timidũm diffidentemque & male

ſibi

ſibi conſcium increpans qui committere ſeſe diſcrimini non auderet. Sauonarola, minime recusabat ille quidem, ſed fore aiebat, vt ambo cremarentur. Aſſeclae interim vrgebant inſtabantque ne cederet aduerſario; fugam eam periculi, cōfeſſionem fore agnoſcentis falſa eſſe quae prius defendiſſet. In eo diſcrimine, Sauonarola diſtractus ancipiti cura, cùm neque temere agere quicquam vellet, & defugiſſe experimentum, duceret famæ sui nominis alienum ac damnoſum, populi ſtudia ſumpſit obtentui, tamquam intra Monaſterij ſui clauſtra incluſus obſeſſusque teneretur, ne tale periculum adiret. Et fuere, qui ſimulationi huic inſeruientes cingerent obſidione Templum Monaſteriumque, atque egredi Magiſtrum prohiberent. Res demum exceſſit eò, vt inſectantibus Sauonarolam praecipue qui tamquam Ludouici Sforciae amicum eum oderant, Pontifex Max. hominem igni cremandum damnaret. Ita vir clariſſimus, & ante tumultus eos innocens habitus, non miſerabili ſolùm, ſed etiam ignominioso fine clauſit vitam.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Quartus decimus.

POPVLVM Eccleſiamque Mediolanenſem interea ſuae calamitates lacerabāt, verſis in Sforciam ijſdem armis, quae ipſe arma ad ſui defenſionem in Italiam acciuerat. Cùmque res Gallorum felicius quotidie procederent, & vno victoriarum tenore iam illi regionem eam, quae trans Padum eſt, ſubegiſſent, trepidus Sforcia principes vrbis conuocauit, vt quid in tali tempore agendum eſſet, ex eorum ſententia conſtitueret. Erant in eo conuentu, praeter alios conſilio authoritateque principes viros, Cardinales treis; Aſcanius ipse Ludouici frater, Sanſeuerinas, & Eſtenſis, qui Archiepiſcopus vrbis hoc tempore erat, & propter intimam cum Sforciarum domo affinitatem, magnis etiam

Imperij

Imperij rebus miſcebatur. Sanſeuerinas pariter af-
finis intimusque erat: Aſcanius infenſum ſibi Pon-
tificẽ Romae expertus, relicta ea vrbe concors agebat
fratri, paribusque cum eo conſilijs adminiſtrabat rem.
Hi cùm adeſſent, Ludouicus ſermonem cum eſt in-
greſſus, vt diceret, ſe augentem bello rem Mediola-
nenſem, atq; propulsãtem aliena pericula ſuis armis,
repente à quibus minime debebat, fuiſſe deſtitutum.
Si ſic pergant, haud dubitare, quin perdita profligataq;
omnia propediem in poteſtatem hoſtium ventura
ſint, ipſeque cum tota domo profugus & extorris,
humanarum rerum exemplum praebiturus. Vrbem
Mediolanum, & patriam communem hanc, & Me-
tropolin Inſubriae, Eccleſiamque Ambroſianam in
manu fore Gallorum, qui crudelius infeſtiusq; quàm
vlli barbari vaſtare terram Italiam parent. Proinde
orare, vt ſi mite ſuum iuſtumque Imperium ſemper
experti fuerint, mitiusque etiam & liberalius in poſte-
rum ſperent, ab ea fide ne deſciſcant, quã iureiurando
obſtrinxerint ſibi tunc cùm in Templi maximi celſiſ-
ſima Sede ſit Mediolani Dux appellatus. Affirmauere
omneis, donec ſanguinis & virium quicquam ſuper-
eſſet, impigre laturos opem, & pro ſalute imperioque
tam bene meriti Principis ad extremum vsque ſpiritũ
eſſe dimicaturos. Id pro ſe quiſque oſtendebant
atque profitebantur. Etiam fuere, qui deſcripta offer-
rent nomina paucorum, quibus ambigua fides, &
prona in Gallum ſtudia eſſent; monebantque princi-
pem, vt eos coercendo, ſtatueret exemplum vindican-

dae perfidiae, quo exemplo ſuſpenſi caeterorum animi res omittere nouas cogerentur. Non tamen in eos animaduerſum eſt, quod bonitate Ludouici factum credidere quidam; alij Fati vim occultam obſtitiſſe per leuitatem aiebant. Antonius erat quidam Landrianus praecipuâ apud Ludouicum gratiâ, idemq; ſummo inter ciues odio, propterea quod, exigendo acerbe vectigalia, fundos tectaque omnium, vſque ad Eccleſiaſticae immunitatis violationem, immodice onerando, priuatorum fortunas afflixiſſet: Sed cùm eſſet ille Principi acceptiſſimus, execrabantur magis eum homines, quàm violare audebant. Hunc Simon Rigonus Gallicarum partium homo, ratus impedimento eſſe quominus Sforcia Mediolano eijceretur, tollere agitauit, adfuitq; facinori fortuna, & interfectus ab Rigone Landrianus, abſque vlla funebri pompa poſt biduum in D. Petri Templo, quod Benedictini Patres tuentur, eſt ſepultus. Eius hominis nece concidêre penitus Ludouico animi, neque dubitatum eſt, quin res ea Sforciam profligarit. Namque ſaluo Landriano, aut ipſe Sforcia manſiſſet in arce, aut illum ibi conſtituiſſet, & varietates eae, quae verſantur in bello, fortaſſe aliquod interea ſalutare momentum attuliſſent. Poſtquam ille cecidit, pauens tremenſque Sforcia, conuocatis primoribus ex vniuerſo Clero populoque Mediolanēſi, praeſentem rerum ſtatum maiore quàm antea querimonia demonſtrat, obſecratque, vt debitam in omni fortuna principi ſuo fidem tanto magis in eo rerum di-

diſcrimine ad vltimum vſque praeſtare velint. Mox ipſe, compoſitis ad fugam rebus, ſublatiſque theſauris, & praemiſſis Comum filijs, proripere ſeſe ex Gallorũ manibus in Germaniam ad Caeſarem parabat. In diſceſſu, cùm patriam, & fortunae ſuae ſedem, Eccleſiamque hanc relinqueret praedam hoſti, non defuit infelix, & nihil profutura cura, qua diſponeret alieni iam imperij negotia tutelamque vltimam. IV. Viros, in quorum prudentia & fide plurimum ſpei haberet, elegit, qui vrbis & Imperij ſtatum in media illa deſperatione regerent ac tuerentur. Hi fuere, Hieronymus Landrianus vniuerſi Humiliatorum Ordinis Antiſtes: Ioannes Iacobus Caſtelleoneus Archiepiſcopus Barri: Antonius Triultius Epiſcopus Comi: Franciſcus Bernardinus Vicecomes. Hi deinde ex principibus vrbis eligere pari ſecum arbitrio & poteſtate octo alios debebant. In D. Mariae Aede, quae Roſa dicitur, pronuntiata ſunt eorum nomina, quos IV. Viri ad afflictae patriae tutelam aſſumerent ſecum, princepſque omnium fuit Gibertus Borromaeus, ille ad cuius nomen procumbere veneratione legentes velim ſicut ſcribenti mihi procumbit inclinaturque pietate animus. Hic enim D. Caroli Auus fuit: ex huius prodire ſtirpe poſt aliquot annos debebat vnus homo, qui patriae noſtrae ſalus, Orbi terrarum vniuerſo miraculum eſſet. Caeterùm, plenus fugae trepidationiſque Sforcia, cùm raptum hunc ex aliena injuria principatum relinqueret, miſerabile exemplum praebuit omnium rerum, quae in tali fortuna ſpectari

poſſent,

poſſent, quarumue ſpectaculum humanus animus eſſe conſueuit, vbi caligo deſperationis & diuini Iudicij horror inceſſere. Reſtituit Angleriam & Aronam & caſtella alia Borromaeis, quae licentiâ dominatus occuparat infenſus opibus & nobilitati Gentis, cuius gloriam in faſtigij ſui diminutionem accepiſſet. Alijs illuſtribus familijs illata damna compenſauit large & effuſe, nec tamen magnâ in vulgus famâ, quia ruentis iam fortunae prodigus, & ſera illa velut ex alieno liberalitas dicebatur. Eccleſia praecipue ſenſit eiuſmodi munificentiam, miſſis raptim ad templa regalibus donis, & data pauperibus ſtipe, nec re omiſſa vlla, quae in tali tempore placamentum irae celeſtis, blandimentumue ciuibus foret. Tunc Galeacij quoq; domum, & vxorem, & prolem reſpexiſſe clementer eſt viſus, tamquam calamitas ipſa euiciſſet animum ad miſericordiam ſui ſanguinis, quem in ſecundis rebus opprimendo & abolendo, ſe ipſum euerterat. Namq; multis cum lacrymis amplexus Iſabellam, rogare inſtitit, vt Franciſcum e filijs natu maximum adſportandum ſecum in Germaniam Gallorumque violentiae ſubducendum daret. Quod abnuere illa excuſationibus varijs; ſed reuera metus erat, ne raptor Imperij patruus, etiam Imperio amiſſo, heredem odiſſet velut exprobrantem infelicis iniuriae dedecus, & quacunq; incederet extorre agmen, commoturum iras aduerſus authorem calamitatis. Ille teſtatus ſuperos, cordi ſemper fuiſſe ſibi Patriae huius ſalutem, & commoda ciuium, & Ambroſiani nominis dignitatem, nec habere,

bere,

bere quòd Ciuitatis Clerique mutuam erga ſe fidem, officiumue accuſaret, profiteri non deſijt & affirmare vltro, quemadmodum iratum ſibi Numen agnoſceret; eius arcano iudicio in illas miſerias incidiſſe. Pridie Cal. Septembris inclinato in veſperam die, egreſſus Arce ſpeciem praebuit, tamquam rectà Nouocomum tenderet; ac ſequente nobilium agmine cùm aliquantū
„ viae proceſſiſſet, conuerſus ad eos; Satis inquit, hacte-
„ nus officij eſt; redite iam ad lares veſtros, & Patriam
„ iſtam tuemini concordibus animis, ac eſtote memores noſtri. Credidere qui ſequebantur, velle Principem vitatâ frequentiâ & celebritate properum expeditūq; ire, ac nihil cunctati conuertebant capita equorum, domumque abibant. Enimuero Sforcia, quamuis abeundi certus, tardabatur patrij ſoli dulcedine; cogitabatque identidem, quanti diſcriminis foret, ipſam Imperii ſedem reliquiſſe; latebras & effugia ſemper ſe inuenturum; vbi ſemel exceſſiſſet, reditum fore in poteſtate aliena, diſceſſuque illo cuncta hoſti in manum dari. Talia, ſicut exiſtimare licet, animo voluens, flexo ad laeuam itinere (nam Porta Comenſi exierat) ad Deiparae Aedem, quae Gratiarum dicitur, cum paucis adequitauit. Ibi flexis ad aram genibus aliquandiu moratus, ac deinde collocutus cum Antiſtite Monaſterij primoribusque Patrum, in Arcem, vnde exierat, redijt, plenus ſuae, plenus alienae moeſtitiae, quam in ſingula momenta, facies adſpectuſque locorum & hominum augebat. Namque Aedem illam D. Mariae Gratiarum, familiae ſuae opibus conditam

orna-

ornatamque intuendo; Arcem deinde ipſam, patris u monumentum, & in ea ſede fidiſſimos amicorum, ceu nunquam poſtea viſurus, vltimum illud oculis vſurpando, angebatur. Tradunt, cùm ex Templo in Arcem rediret, obuerſante imagine tot ornamentorum ac munerum, quae per Sforcias collata in eam ſedem erant, ſimulque recurrente memoria fidelium ſibi illic hominum, quorum ſermonibus & conſilijs plurimum vti conſueſſet, conuerſa ter facie reſpexiſſe eò; idque ſignum aegerrime digredientis retulere qui ſimul ibant. Retulere inſuper ijdem trepidarum illarum profectionum comites, cùm ex Monaſterio digrederetur, religioſos illos homines exiſſe vnà lacrimantes vbertim; quae tam humilia & minuta reticenda non putaui, vt Principis huius in tali tempore perturbatio animi, & Sanctiſſimi Ordinis in eum caritas cognoſceretur. Noctem, quae inſecuta eſt, in Arcis mole inquietam egit: poſtero die in viam ſeſe dedit, Nouocomum, ſicut antea deſtinauerat, iturus. In campo, qui ſubiectus eſt, quiue ab altera parte praiacet arci, ſtabant turmae cohorteſque deducturae fugitiuum Principem, ad tria fere hominum armatorum millia, qui deinde numerus, dilabentibus quotidie multis, ad quingentos paulatim eſt redactus, tantaque cohors cum eo in Germaniam peruenit. Vix ille ſuburbano agro exceſſerat, cùm pauci Gallicae factionis homines, Ducis nomen crebris acclamationibus transtulere illuc; & dubitauere Nouocomenſes, clauderentne venienti portas, an aperirent. Ibi quoque adiutus eſt

Eccleſiae

Eccleſiae ſtudijs, quae ſemper in omni Catholica Ciuitate Chriſtianoque populo maxima & potentiſſima pars rerum, ſicuti Mediolani Sforciarum nomen extulerat auctoritate beneficijſque ſuis, ita in paruam etiam illam Vrbem porrecto erga familiam eandem fauore, inclinauit ad profugum hunc accipiendum animos. Epiſcopi aedes hoſpitio fuere: illuc euocati Decuriones Vrbis fidem ſuam in omnes rerum euentus obligauere Ludouico; ipſeque profectionis ſuae cauſas explicauit, vt cedere potius quàm fugere videretur. Dum ibi colloquijs & ſacramentis teritur tempus, iam Galli ſucceſſerant ad moenia Vrbis Mediolani, totiſque ſuburbijs praedabantur impetu ac furore, quem ſecũ afferret ea gens etiam ſi nõ licentia belli accenderetur. Quicquid ſacri fuit extra moenia, prima illa irruptione agebatur inter ceteram praedã, cumque nuntium Andreas Eccleſia Sancti Laurentij Canonicus tremens pauensq; ad Principem attulerat. Is Canonicus, cùm afferre ſe diceret quae ad Principis ſalutem magnopere pertinerent, introductus expoſuit quidem audientibus etiam alijs captiuitatem haud dubiam Vrbis, & inſtantem moenibus hoſtem; ſed petito dein ſecreto, grauius atrociuſque quiddam indicauit, vnde Ludouico vltimus horror, & conſiſtendi vſpiam finis. Oſtenderat enim docueratque Canonicus, compoſitum eſſe quendam ordinem inſidiarum, vt Nouocomi comprehenſus retentuſque Sforcia Gallo traderetur ducendus in triumphum; agendae rei tempus, proditoreſque domeſticos, pa-

ratas operas, adfuturum his in tempore ſubſidium, caput auctoremque negotij, & momenta omnia indicarat. Ea cùm ipſe comperiſſet, facere non potuiſſe, quominus deferret cuncta cum cura & fide, ſicuti debitum tam benemerenti Principi officium poſtularet. Caeterùm, quia rem tantam neceſſario officio adductus aperuerit, ſcire ſe, quanto ſuo cum periculo id fecerit, niſi per principem adhibita ſit quaedam ars & diligentia, vt aliunde potius id manaſſe indicium, etiam apud proximos increbeſcat. Plena omnia eſſe proditorum & ſpeculatorum, qui accedentes exeunteſque diligentiſſime obſeruent, ipſoſque certis inter ſe nutibus, ac ſignificationibus, & miniſtris communicare quicquid ſuſpicentur fieri vel cogitari, ita vt temporis fere momento rem eandem omnes ſciant. Ad haec ipſa, Canonicus conſilium quoq; ſuum adijciebat; vt nimirum, quoniam ſciri non poſſet, quid ſinceri & fidi, quidue ſecus eſſet in extorre illa & nutus iam alienos reſpiciente aula, diſcederet occultus, falleretque diſcedendo fidiſſimos etiam, quo tutior ad ceteros fallacia eſſet. His auditis, Sforcia, quamquam magnopere intus aeſtuaret, quietus ac ſecurus in frontem, reliquum diei conſumpſit agendo quae inſtituerat, praetulitque quandam eiuſmodi ſpeciem, tamquam in ſingula momenta fieret captantibus opportunior; ac nihilominus circumſpicere quantum poterat omnia, ne interim caperetur. Appetente veſpera, cùm per eandem imaginem ſecuritatis, velut animi gratia ad naues deſcendiſſet, conſcenſa repête

praetoria,

praetoria, cuius neque militi, neque remigi diffidebat, innuit, vt quamcelerrime & vehementiſſime nauigium concitarent. Ac Princeps quidem eluſo in hunc modũ & turbato inſidiarum, quae ſibi parabatur, ordine, per medium lacum ventis & remis ferebatur. Reliquae verò naues, aliae ſtatim, aliae ſpatio interiecto ſequebantur, partim integra fide, & neſciae quænam ſubita r incidiſſet, partim attonitâ perfidiâ, & inter ſe ſuſpectae, quia detectam eſſe rem apparebat. Ita Ludouicus Belaſium appulit, feliciter, vt in malis, vitato ludibrio, conſeruataq; libertate cùm Imperium amiſiſſet. Eò Cardinalis Aſcanius, duoq; Cardinales alij, quod erat Ludouico intimum conſiliorum, anteceſſerant, vnà cum paruis liberis educatoribuſq; eorum, & magiſtris, nobilium fere manu, & inerant praecipui quidam è Clero, quos ab vitae literarumque commendatione Princeps in eam curam aſciuerat. Illic igitur fretus praeſidio & auctoritate trium Cardinalium, idque nomen pro maximo munimento exiſtimans; ſimul cingentibus latera proceribus vrbis, qui Cardinales & liberos aſſectati, extra perfidiæ ſuſpicionem erant, dicitur velut ex magna defatigatione reſpiraſſe pauliſper, diraq; captiuitatis imagine attonitum animum collegiſſe. Ingreſſus deinde mixtam quandam ex indignatione ſimul & metu orationem, blandimenta, minaſque & preces iaciebat. Comites exſilij ſui, proſperarum aduerſarumque rerum ſocios, cariſſima ſibi capita, & partem optimam ciuitatis, & firmamenta imperij

appellauit promiſcue omnes, qui adeſſent vnà & ſequerentur. Nulla poſſe tam benemeritis ciuibus ſatis digna praemia reperiri;sed præmiorum omnium inſtar fore memorem ſemper animum, & gratiſſimã erga tales amicos voluntatem, qui fide ac pietate erga ſeipſum, abrumpere ſeſe ab ipſa patria maluerint, omnemque ſubire fortunam, quàm expectare domi neceſſitatem eam, vt infidos ſocios, barbarum hoſtem intra moenia vrbis admittere cogerentur. Enimuero fortium virorum, & honeſtiſſimi comitatus vniuerſi meritum id, gloriamque eſſe, quam tamen pauci dedecorarent, ſpecie quidem & corpore ſequentes principem, animis verò ſpectantes Gallica arma & fauore hoſtium imbuti. Neque tamen hos ipſos peccare perfidiâ, ſed errore quodam humano, propterea quod praeſenti rerum motu perterriti, ad partem inclinent eam, in quam vergere cuncta videantur. Sed ſcirent, exitum fore Gallo diſparem longe ab ea ſpecie, quae caliginem nũc ipſis offundat, & ſpes vanas, terroreſq; falſos repraeſentet. Se quidem in praeſentia cedere tempori, quae non vltima pars Imperatoriæ prudentiae ſemper habita ſit, quodue ſumi principum & regum non ſine laude factitarint, quoties fortuna cõtra daret; & illam tantopere laudatam antiquitatem plenam eiuſmodi exemplis eſſe. Caeterùm, & hoſtes ipſos, & ſi qui deprauati ſint ab hoſtibus, breui eſſe intellecturos, quantum interſit inter initia bellorum & finem, qui primorum euentuum laetitiam ſaepe funeſtam inanemue fecerit. Ire ſe ad Maximilianum

Caeſarem

Caeſarem tam arcto vinculo connexum ſibi quàm omneis ſcirent. Spupereſſe ſtudia populi Clerique, & vrbem adhuc, & arcem; & tanti exercitus robur. Conciturum externa arma, ſi domeſticae vires, ſi auxilia proximorum labarent. Eſſe in domo ſtirpem egregiam liberorum, eſſe fratrem Aſcanium praeditũ ea dignitate, quam Reges ipſi ſociam & aequalem ſuae Maieſtatis admittant; eſſe munimenta alia, quae Sforciarum generi ac nomini duraturam in ſaecula ſucceſſionem promittant; & quantulum profectum fore hoſti, ſi tollatur ipſe vel cadat? Talia fere Ludouicus ad familiares ducesque ſuos egerat, agnoſcentibus pleriſque artem, qua res ſuas profligatas attollere erat conatus; pauci ſpem vllam de ipſo bonam habebant, laetiue quicquam ominabantur. Cum Aſcanio Cardinale ſermo triſtior fuit. Rogauerat ille primo ſtatim congreſſu, quam curam tuendae arci, quodue praeſidium frater adhibuiſſet? Vbi eſt à Ludouico reſponſum, Arcis cuſtodiam creditam eſſe Curtio fido homini & probo; tunc Cardinalis Aſcanius, vatis in modũ; nos verò euoluti ſumus (inquit) omni iure ac poſſeſſione Mediolanẽſis Imperij, iamq; cuncta in Gallum ceſſere. Haec ad Belaſium acta, dictaque erant. Ab Belaſio, enauigato lacu, magnis itineribus, quanta per confragoſa & aſpera loca potuit adhiberi feſtinatio, Oenipontem peruenere; atq; interim alij ſuper alios nuntij perditarum rerum aſſequebantur agmen, vaticiniumque Cardinalis, exitu comprobatum in ore omnium erat. Oeniponte

Maxi-

Maximilianus Caeſar moerentem afflictumq; Sforciam erexit, cùm caetera omnibenignitate, tum hilare ac large pollicẽdo, fore quamprimum vt in fortunae ſuae ſedem ipſo adnitente reſtitueretur. Ita Ludouicus ab magnae fortunae culmine lapſus ad ima, rurſus excitabatur, ſpemque inter miſerias ingentem voluebat; & quia non ſatis impigre pro ardore iraque ſua moueri Caeſarem videt, rem aggreditur, futuram horrori omnibus, qui Mediolanenſi Eccleſiae nominiq; Ambroſiano eam poſitam eſſe labem cognoſcent. Auſus namque eſt Turcarum in Italiam vocare arma, quale flagitium in tanta colluuione ac varietate dominantium non viderat Eccleſia, quae ſecundas in principatu Catholicæ religionis partes, & fundatorem Apoſtolum, ſobolemque per tantum aeui Parente dignam praefert. Referam triſtiſſimi negotij ſeriem & ordinem, vt huius etiam abominandæ rei memoriam praeſenti felicitati temporum haec noſtra cura repraeſentet. Poſtquam Sforcia lentam Caeſaris opem, auxiliumque pertaeſus, ſtimulante cupidine recuperandi imperij, in Gallum irâ, in paruos liberos miſericordiâ, metuque inſidiarum, & pudore tam deformis fortunae nullum quietis locum inueniebat, vertit animum ad conſiliũ illud infelix, vti barbarum exciret in Italiam, & Mahometana vexilla ferret in Gallos, qui ipſi auxilio vocati eiecerant ſocium. Haec vbi taetra ſententia ſtetit animo, Mediolanenſes homines duos elegit, in quibus & fidei plurimum habebat, & ſatis eſſe calliditatis

ditatis audaciaeque rebatur, quantum ſcilicet barbaricam terram aulamque adituris eſſe oporteret. Hos onerat promiſſis, & vbi aſſenſere, mandatis inſtruit, legatioque ea Catholici hominis ad Turcam nonis Nouembris iuit. Legati, Ambroſius Mendax, & Martinus Caſalis fuere, tamque iuſta ſors fuit ad cuſtodiendam indigniſſimi facinoris memoriam, vt literae ipſae ſint repertae, queis Princeps ipſe duobus illis Ambroſio & Martino ſcripta mandata formâq; legationis obeundae edidit in hunc modum. Martine & Ambroſi, quos nobis ad Turcarum Imperatorem legamus. Prudentia vtriuſque veſtrum, & magnis rebus perſpecta erga nos fides ac beneuolentia ſingularis facit vt arbitrio potius veſtro relinquamus ea, quae ad rem iſtam commode adminiſtrandam pertinere viſa erunt, quàm vt auctoritate iuſſuque noſtro complecti ac definire ſingula velimus. Dedimus vobis literas ad Turcarum Imperatorem vt fides legationi ſit, itemque noſtra manu ſubſignata pura folia octo. His vtemini, prout dies tempuſque, & ratio rerum monebit. Quae autem exponi agique noſtro nomine apud Turcam velimus, haec ſunt, & ea ipſa iudicio prudentiaque veſtra moderabimini. Primum omnium, ſi ita viſum erit, impetrato aditu reddetis Principi literas, vt legatos vos eſſe noſtros ſciat, fidemque vobis habeat omnium rerum. Dein perfuncti primæ ſalutationis officio, demonſtrabitis, pulſos nos Imperio ſedeque noſtra, nō alibi, quàm in Turcico faſtigio ſpem habuiſſe collocatam, ad cuius

Imperij

„ Imperij magnitudinem ſpectet, ne qua injuria
„ minoribus fiat. Cetera deinde, vel ſtatim, vel ſpatio
„ interiecto, vel coram, vel per Baxas Portae proceres
„ exponetis; cauſas nempe belli, Gallorum & Veneti
„ Senatus impotentem cupidinem, qui appetant Italiæ
„ dominatum, vt ſi prima proceſſerint, ad reliqua tran-
„ ſgrediantur, & nomini quoque Mahometano terri-
„ biles fiant. Galliae Regem imminentem vrbi Genuæ
„ vt mare illud in poteſtate haberet, poſtquam per con-
„ ditiones aſſequi nihil potuerit, hoſtem ex amico re-
„ pente factum iuiſſe ad arma: Venetos eodem cõſilio
„ quo Gallus moueretur, tentaſſe Piſarum vrbem ob
„ maritimas item opportunitates, & quia Mediolanen-
„ ſibus armis ea ſpe fuerint deiecti, in noſtram perni-
„ ciem conjuraſſe cum Gallo. Pontificem verò Ro-
„ manum, à quo reconciliari diſcordes oportuerat,
„ praebuiſſe potius alimenta igni, & adiutorem fuiſſe
„ conjuratis; alioſque *I*taliae Priucipes in nos eſſe ar-
„ matos ob eam cauſam, quia armantibus ſe contra
„ Mahometanum Imperium obſtiterimus. Haec om-
„ nia Turcarum Imperatori, ſi vobis ita viſum erit, ex-
„ ponetis Ambroſi & Martine, prout res ipſa, vel reti-
„ cendi vel addendi aliquid, conſilia vobis ſubijciet. Ac
„ ne indigna Turcico auxilio videatur calamitas no-
„ ſtra, ſi fortè illic exiſtimati erimus arcuiſſe ſegniter
„ hoſtem, & aperta immunitaque omnia prodidiſſe
„ venienti; narrare poteritis quos vidiſtis etiam ipſi no-
„ ſtros ad omnia defendenda conatus, munimentaq;
„ & praeſidia, & quicquid aliud aduerſus hoſtilem im-

petum

„ petum compararet faceretur quilibet prouidentiſsi-
„ mus imperator. Sed ita tuliſſe caſum infeſtum, &
„ ſaeuiſsim belli procellam, vt, cùm ab pluribus ſimul
„ partibus inſtaret ingrueretque hoſtis, qua potiſsi-
„ mum parte irrupturus eſſet, neſciretur, nec ad omnia
„ itinera aditusque ſufficeret miles. Auxilia, quae
„ promiſſa erant, in tempore venire non potuiſſe cùm
„ Caeſar Heluetico bello implicitus teneretur; Florẽ-
„ tinos Piſana res diſtineret. Claſſem verò, quam ab
„ Genua in ſinumHadriaticum mittere deſtinaramus,
„ vt aduerſus communes hoſtes cum Turcica claſſe
„ coniungeretur, non tanta celeritate potuiſſe adorna-
„ ri, quin celerius ipſi abire cogeremur & vnà cum
„ Imperij tuendi apparatu, imperium quoque ipſum
„ omittere. Duas vtique res fuiſſe, in quibus aliquid
„ ſpei collocatum haberemus; alteram, ſi Mahometa-
„ na arma ita vrgerent Venetos, vt reſpectu rerum ſua
„ rum ab Gallico foedere abſtraherentur; alteram, ſi
„ Caeſar, facta cum Heluetijs pace mittere nobis co-
„ piarum aliquid poſſet. Vtramque ſpem impetu ac
„ celeritate hoſtium fuiſſe deluſam, propterea quod
„ prouiſu ac metu talium auxiliorum ſtimulati illi ni-
„ hil reliqui fecerint vt expectationem illam noſtram
„ anteirent opprimerentque. Poteritis quoque de-
„ monſtrare, quemadmodum, oppreſſo in Prouinciae
„ finibus praeſidio, acciderit hoc, vt repentina con-
„ ſternatio praeſidia cetera exercitumque vniuerſum
„ inuaderet, ac ſicut in bellis accidere conſueuit, parua
„ illa res labefaceret cuncta & profligaret. Nos, cùm

Xxxxx exiguas

,, exiguas infirmaſque copias haberemus, cumque
,, vrbium noſtrarum alias expugnaſſet iam hoſtis, alias
,, oppugnaret; nec tantam duorum coniunctorum
,, exercituum ſuſtinere poſſe multitudinem videre-
,, mur, abeundi conſilium cepiſſe, ſcilicet, ne manen-
,, do & cunctando, ludibrium fortaſſe dedecuſque ali-
,, quod contraheremus, qualia exempla in potentiſſi-
,, mos etiam Reges aliquando fortuna belli edidit.
,, Arcem Mediolani fuiſſe validiſſimam vnam, quae ſi
,, ſalua maneret, irrita omnia faceret hoſti, & nequic-
,, quam cum Veneto Senatu Rex Galliae conſpiraſ-
,, ſet. Inſtructiſſimam hanc omnibus rebus in diſceſſu
,, noſtro tuendam dediſſe homini, quem nobis ob be-
,, neficia fidiſſimum eſſe omnium arbitraremur. Ab
,, eo nos homine proditos eſſe vna cum Arce, manci-
,, pijque fraudem vnius, nō virtutem fuiſſe Gallorum,
,, quae Gentem imbellem in Imperij noſtri ſede collo-
,, carit. Vbi Rex Galliae, coniuratorum ope, ſolitu-
,, dine noſtra, proditione Praefecti, Mediolani fixerit
,, pedem, ſtatim concurſus ingentes ad eum eſſe factos
,, omnium, qui Turcicae maieſtatis hoſtem atque ae-
,, mulum hunc valeſcere cuperent; ceteros inhorruiſ-
,, ſe ſucceſſu illo, palamque nouum Imperium auerſa-
,, ris voces audiri paſſim fauſtas in nomen familiam-
,, que noſtram; paratos cerni omnes in quemcunque
,, motum ſpes aliqua obiecta noſtri reditus poſtularit.
,, Nunc ipſum Galliae Regem abijſſe domum eo con-
,, ſilio, vt primo quoque tempore reuertatur in Italiā,
,, quam ſibi ſpe vana deſponderit vniuerſam cum va-

„ niore illo voto, vt Conſtantinopolim uſque victor
„ eat. Nobis ad recuperãdi Imperij ſpem haec adeſ-
„ ſe; Vacuum iam pace Heluetica Caeſarem, Floren-
„ tinos item ab re Piſana iam ſolutiores; ſtudia popu-
„ lorum erga nos; par odium in Gallos, famamque
„ communem aduerſam Genti; & nos ipſos, ſi quis
„ adiutor exiſtat, nec ſegnes ad pericula, nec infelices,
„ quamuis hoſtibus adhuc proditoribusque noſtris
„ plus adfuiſſe felicitatis videri poſſit. Haec ipſa poſt-
„ quam Othomano demonſtraueritis, vel coram, vt
„ dictum eſt, vel per ipſius intimos amicos, vel am-
„ plificata, vel diminuta prudentiae veſtrae conſilijs,
„ & praeſentium rerum admonitu, vel denique om-
„ nia ſimul, vel iteratis alloquijs: tunc Ambroſi & Mar-
„ tine, rem ſuppliciter à Principe petetis ipſam, cuius
„ rei cauſa mittimus vos & legamus. Petetis autem,
„ vt acriter exercere bello Venetos velit, nec mari ſo-
„ lùm, ſed etiã circa vrbes, quas in continente habent,
„ mittendo copias in Italiam & iuſtum ab hac parte
„ bellum inferendo. Quod quidem vltro ipſe factu-
„ rus fuerat, atq; etiam eius rei promiſſa ferentem le-
„ gatum miſerat; ſed celeritate opus eſt, idque ipſum
„ non ſine accuratiſſima gratiarum actione propter tã
„ enixam erga nos voluntatem, exponetis. Si celeri-
„ ter adiuti erimus, & Turcica ope recuperauerimus
„ Imperium; opes noſtras omnes animumq; & fortu-
„ nam, & florentiſſimam illam Italiae partem, Vrbem-
„ que Genuam & mare Liguſticum fore inſtrumenta
„ rerum earum, quas ad ſempiternam Othomani no-

» minis gloriam excelſus illius animus molitur. Sin
» autẽ reſpõſum erit vobis, ipſiue ſuſpicabimini, mal-
» le Turcarum Imperatorem, pacem habere cum Ve-
» neto Senatu, quàm bellum gerere, atq; inclinatos in
» eam partem animos videritis; tunc Ambroſi & Mar-
» tine, mutata negotiatione, curam preceſque conuer-
» tetis eò, vt ne pax aliâ fiat conditione, quàm reſtitutâ
» nobis per Senatum eum Cremonâ, caſtellisque &
» locis alijs, quae bello hoc capta de nobis habent.
» Agetis item & petetis, vt inter pacis eius conditio-
» nes excipiatur, ne Veneti cum Galliae Rege quicquã
» agant, neue foedere aduerſus nos inito teneantur in
» poſterum, neue arma in nos ferant. Si dabit haec
» annueritq; Princeps, vos verò, nõ pollicebimini prae-
» terea quicquam, & omni vitata rerum aliarum mẽ-
» tione, toti eritis in eo, vt certiſſimam fidem auferatis
» fore ita omnia, ſicuti petita promiſſaque erunt. Sin
» eritis de re aliqua compellati, quã rem à nobis prae-
» ſtari nominatim Othomanus petat; cauetote, ne cer-
» ti quicquam ac definiti noſtro nomine promittatis,
» atque hoc vtemini verbo; quandocunque reſtituti in
» Imperium ſimus, facturos omnia quae velit, & ipſius
» fore arbitrij domum, ac fortunam, & vitam, quam
» ipſe nobis dederit. Pecuniae ſumma ſiqua petita erit
» ita vt nulla declinatio neceſſitatis eius relinquatur;
» vos quidem videbitis, vt ea ſumma quantum fieri
» poterit, circumſcribatur atque coarctetur; ceterùm,
» neque pecunia, neque quicquam aliud, tanti erit, vt
» aliqua ſequatur animorum offenſio, ſiue alienatio,
quae

» quae negotium hoc,& ſpes noſtras inchoatas abrũ-
» pat turbetue. Cum his igitur mandatis Ambroſi
» & Martine proficiſcemini, mandataque ipſa, & vni-
» uerſae legationis ordinem praeſentium rerum facies
» & forma gubernabit. Nos porrò legatos alios alia
» via duos mittemus,vt ſi quid vobis in itinere accide-
» rit, quominus expedito curſu peruenire poſſitis in
» Aulam, res noſtra propter eiuſmodi caſum, detri-
» menti nihil patiatur. Quòd ſi vtraque legatio feli-
» citer ierit,id ipſum afferetis ad demõſtrandum, quã-
» topere cordi nobis fuerit, vt ad Principem poſtulata
» noſtra perferrentur,& quantam in ea re ſpem poſitã
» habuerimus. Vtri priores in Regiam veneritis,fun-
» gemini legationis officio, prout hominum illorum,
» Aulaeque,& Principis,& rerum habitum formamque
» repereritis. Qui poſteriores aderunt,hac ſe nota &
» teſſera praebebunt prioribus agnoſcẽdos, ſi familiae
» noſtrae nomen in primo congreſſu ter enuntiarint;
» eaque inter vos arcana ſignificatio erit, ne qua fortè
» fraus fiat, neue ad conſilia noſtra excipienda & co-
» gnoſcenda,legati nomen ementitus aliquis ſe ſe vo-
» bis immiſcere auſit. Legatione peracta,impetratiſ-
» que ſuppetijs,& quoquomodo ad cauſam adiuncto
» Turcarum Imperatore, rem inter vos ita compara-
» bitis atque partiemini. Excurret ſtatim è veſtro nu
» mero vnus ad nos in Germaniam, ſiue in quem aliũ
» locum delati erimus. Remanebit alius in Regia,ni-
» mirum ad continenda illic & fouenda ſtudia, quae
» conciliata erunt,ne vaneſcant aut immutentur,neue

,,res ipſa differatur, quod perinde eſſet ac ſi nihil foret
,, impetratum. Placet autem, huic diligentiae & cu-
,, rae praeeſſe potiſſimum alterum e vobis Ambroſi &
,, Martine, ſcribentem ſubinde ad nos ea, quae dies fe-
,, ret. Tertius verò aliquis ire cum terreſtribus copijs
,, debebit, & aſſectari eas ab Conſtantinopoli per totú
,, iter, iſque de itineris progreſſu certiores nos faciet
,, per literas & nuntios quoties dãdi & mittendi facul-
,, tas erit. Epiſtolae porrò omneis, quae, vel ex aula,
,, vel ex itinere mittentur ad nos, erunt ſcriptæ notis
,, occultis, ne, ſi fuerint interceptæ, ſpes ſimul omnis
,, noſtra intercepta perierit. Dona Principi, præter
,, quæ miſimus iam, vellemus quidem adhuc mittere,
,, daremuſque vobis perferenda pro maieſtate ipſius,
,, & munificentiâ noſtrâ; ſed praeſentis fortunæ con-
,, ditione impedimur; atque hac ipsa excuſatione vte-
,, mini etiam apud Purpuratos, fidemque dabitis, fore,
,, vt recuperato imperio, ſinguli colantur donis, quae
,, digna ipſorum faſtigio, & magnis erga nos meritis
,, erunt. Nec praeſentis tantummodo munificentiæ
,, daturi ſumus dona; ſed aliquot etiam millia num-
,, mûm aureorum, ſi nonnullis eorum in ſingulos an-
,, nos noſtro nomine promittenda eſſe duxeritis, pa-
,, ctum, promiſſumque id ratum habebimus, annuaque
,, tributa in Regiam mittemus. Hiſce monitis & man-
,, datis, Ludouicus Sforcia, patrio per ſcelus imperio ſu-
perſtes & extorris Turcicam illam legationem in-
ſtruebat, inexpiabile flagitium admittens erga Vrbẽ
Eccleſiamque Mediolanenſem hanc, quę tot perpeſ-

ſa

ſa ſæuæ ac irreligioſae dominationis calamitates, nihil tale viderat aut meminerat. Exciri Mahometem in Regna Catholicæ Religionis ab Mediolani Duce? Adulationes, & preces, & munera, & tributa obſequiumque infimum vltro verſa in communem hoſtem? iteratasque legationes hinc in barbaram terram, in falſi Prophetæ ſpurca domicilia, quò Chriſtiani Principes antea iunctis exercitibus ibant, vt depellerent humani generis monſtrum & labem? At quo tanto pretio ſuſcepimus hanc labem, quidue docuit confidere monſtro? vetus, atque iampridem inſita mortalium animis ſuperbia, quae infatuat animos, vt in hac humanae vitae ſcena eminere ſupra alios velint, atque ad ludicrum illud & inane faſtigium etiam per ſcelera enitantur. Viderat vrbs Mediolanum, atque haec Ambroſiana ſedes, pertuleratque violenta tyrannorum ingenia, & armatas in Eccleſiam ſectas Haereticorum, obſeſſa Templa, quaeſitos ad necẽ Archiepiſcopos, & quicquid aliud in principatu impio, funeſtum, atrox, dirum accidere poteſt huic ſacrae & Apoſtolicae poteſtati. Etiam legitimi iuſtique, ſed regnandi artibus importuni principes attulere luctum Eccleſiae Mediolanenſi, & ſicut glorioſi ac laeti plerique dies, ita infelices plurimi per omne tempus fuerunt. Nullum tamen arbitror acerbum magis ac triſte tempus incidiſſe, quàm vbi ſolita regiorum arcanorum vanitate, per ſuſurros primò, deinde apertiùs paullò & liberiùs, poſtremò palam & publicè fama haec manauit; fugitiuum

uum Principem mittere legationes ad Turcam, & Mahometanæ Aulæ ſtipendiarium eſſe factum. Scilicet quid deinde futurum, ſi feliciſſime caderet res, annueretque poſtulatis barbarus? feros auxiliares, truculentos ſocios, impia ſigna, rapacium copiarũ ductores inhumanos, et vno verbo, Turcarum genus per eiuſmodi legationes in Italiam acciri; quae colluuies acerbiorem omni clade victoriã datura eſſet, etiam ſi res tam incerta, pro explorata iam & praeſenti haberetur. Vincere talibus auxilijs, an vinci, calamitoſius foret, explicari non poſſe. Nam vtram in partem Mars anceps belli exitum inclinaret, praedae ac direptioni barbaris Italiam fore. Quid ſi Mahometanus hoc patefacto aditu figere in Italia pedem deſtinaret? quantum id dedecus ciuitatis, vnde cauſa, et initium huic malo? Nuſquam eſſe gratuita tyrannorum, ac ne Regum quidem auxilia, mercedemque illã, quae perſoluitur auro vel argento, niſi magnitudine ſummae inter inſtrumenta bellica deſtinetur, ſpeciem tantummodo ac titulum eſſe, conſilijs intimis maiora ſemper & diuerſa quaedam ſpectari. Hi ciuium ſermones, querelaeque & curae erant, poſtquam miſſam eſſe legationem reſciuere. Ceterùm, ne Ludouico quidem ipſi liber à religione animus erat; idque facile apparet in extrema literarum earumdem clauſula per quas mandata legatis dabat. Cùm enim antea poſuiſſet, dari literas ad Turcam, vt eſſet fides auctoritaſque legationi, ſubitâ pœnitentiâ mutatum id reperitur: pro literis

eiuſmodi

eiuſmodi, pura folia ſe daturum ait, adſcripto nomine ſignoque impreſſo; his, prout occaſio ferret, vterentur. Scilicet, horror animum ſubierat, pudorq; tanti dedecoris, idque diuerticulum excogitarat. An verò, inter tantas fortunae minas, trepidus, anheluſque & confuſus, dum eas literas dictaret, ſcriberetue, excogitabat primò aliquid, deinde damnabat; atque hinc illa varietas & inconſtantia potuit oriri? Sed non minus miſeranda facies in ijſdem expreſſa literis cernitur egeſtatis, quae Regnatorem tot nuper opulentiſſimarum vrbium circumſtaret, quamuis alioqui, largus promiſſis, annua tributa Mahometano polliceretur. Nam in attribuendo aſſignandoque ſumptu legatis, qui tam longum iter, aulamque tam opulentam ſimul & auaram, cum tantis promiſſis, de re tanta adirent, quingenti omnino aurei nummi perſcripti pronuntiatique extant, quantam hodie ſummam, ſemilixa, vel ſcriba paullò callidior, ex tam lõginqua legatione ſeſe abliguriturum ſperaret. Nos, dum hanc Ludouici Sforciae fugam, cauſaſq; & initia calamitatis, iniuriam calamitatemq; alienam, deiectum Imperio iuſtum heredem, venena in fratris filium, quaeue tragicum hunc dominatum anteceſſere, quaeue ſecuta sũt, exſequeremur; honeſtiora Pontificum negotia ſepoſita hinc habuimus, ne contagione eiuſmodi rerum inquinarentur, neue, ſi ſecus fieret, alterutra pars, haud perinde ad ſui memoriam valeret. Stephani Nardini Pontificatum exceperat vir omni pontificia laude minime diſpar, literis etiam &

familiae ſplendore clarior; iamque non integre ſolùm & ſancte, ſed magnifice & ſplendide per tales viros, quantum conditio temporũ eorum ſinebat, Eccleſia Mediolanenſis adminiſtrabatur. Nomen ſucceſſori Ioannes: origo ex Arcimbolda Gente, quae multa pacis decora tulerat etiam priore aeuo, vnde ad nepotes gloria, & ſtudium aemulandi, idque rurſus nouae gloriae alimentum, & ad poſteros alios cura, veſtigia maiorum ſequendi, magnaque hinc per Eccleſiaſticos Annales, Arcimboldorum claritudo. Ioannes ab adoleſcentia ius ciuile didicit, non ſicuti pleraque nobilitas ſolet, Academiae titulum ad licentiam luxumque referendo, ſed ex licentia luxuq; iuuenili aſſumẽdo id tantùm, quo modeſtiae nomen graue inter laſciuientes temperaret. Ne ſtudia quidem ad communem illam formam fuere, quae ſyllabarum aucupes, praeconeſque formularum ipſo, iuris prudentiae nomine indignos gignit alitque. Paullus, & Scaeuola, ceterique diſciplinae eius antiſtites & conditores in manibus erant iuueni, ſicuti quidem inter gregales manauit primò fama, deinde etiam in Hiſtoriam venit. Traditum ita ſcriptumque eſt; praeter ipſos ciuilis prudentiae fontes, quos penitus animo comprehenſos haberet, omnis veteris memoriae notitiã, quae noſtris, quaeue Graecorum literis contineretur, adfuiſſe ipſi; neque hanc abſque delectu, cùm, & in tanta Chronographorum turba politiſſimum quemque rerum geſtarum explicatorem & in rebus ipſis, magnorum praeſertim Imperatorum, Senatorumue

facta

facta & dicta, conuerſiones Imperiorum, illuſtrium virorum exitus, & maximorum motuum minimas cauſas, aliaque digna Principe viro ſequeretur. Etiam retulere conſcij ſtudiorum huius Arcimboldi, curam oblectamentumque fuiſſe ei, cognoſcere principum ſui temporis conſilia & vires, & ipſorum inter ſe diſſidia, & quicquid occultius pararent. Colloquendo cum peritis, & opportune mutando ſedem ſtudiorum, & multorum vndique literas curioſe lectitando, id aſſequebatur. Exactis per haec ſtudia compluribus annis, varieque peregrinatus Arcimboldus, cùm domum reueniſſet, facile de eo fama peruenit in aulam, & magnis ſtatim Imperij muneribus admouetur. Senator primò, deinde Quaeſtorum Praeſes, tum Conſiliarius intimus, poſtea legatus, Florentiam, Venetias, in Galliam, in Germaniam, Romã iuit ſuper jis rebus, quæ tunc Sforciarum domum ac fortunam cum Rege, cum Caeſare, cum Pontifice maximo, cum vtroque Senatu implicitam tenebant. Romae cùm ageret apud Siſtum IV. captus admiratione viri Pontifex ille Cardinalem creat, primò quidem Sanctorum Achillis & Nerei, deinde verò Sanctae Praxedis; ea ſunt quaſi cognomenta Patrum; Romana conſuetudo Titulos appellat. Ferunt admodũ aegre tuliſſe Sforciam, quód vir ſibi talis ereptus foret. Ereptum namque interpretabatur, quem ſacer honos ſupra ſuum ipſius faſtigium extuliſſet. Et rarum eſt, vt Principes Regeſue talia ſuorum incrementa rectis oculis adſpiciant, niſi cùm ipſi aucto-

res extitere. Speciem tamen vultumque gratulantis induit, vel quia dignitas ea adulari iam cogebat, vel quia, tam ſpectatae virtuti proximus ad ſummum rerum humanarum apicem eſſe gradus videbatur. Fortaſſe etiam recordatio meritorum, & tantis experta rebus fides, ſubitos illos animi motus, quos in omnibus negotijs, malitia principum ciet, ad ſincerum verumque gaudium mutarant. Nouus Cardinalis, ea ſtatim opinione ſui commouerat omnium animos, vt Peruſium & Vmbria ei cum Imperio traderentur, quae prouinciae, potentiorum inter ſe inimicitijs, quotidianiſque caedibus prope verſae in latrocinium ac rebellionem erant; nec Pontifici Maximo, nec hominibus eius in ea parte magnopere obediebatur. Fuerant quin etiam interfecti nonnulli ex Pontificijs illis adminiſtris inter exercendae quaeſtionis apparatum, ſiue dum prehendere quempiam tentarent, ſiue dum mandata alia exſequerentur. Et ſatis conſtabat, inita fuiſſe conſilia in prioris legati caput, imbutosque ſicarios inimicorum ſuorum ſanguine, ſacram etiam illam poteſtatem, veluti ſicarium inimicumque vnum deſtinaſſe caedi, niſi paratas inſidias vimque imminẽtem, cautior ad fugam ſolertia Praeſidis euitaſſet. Referam inhumanum & horribile dictu, quod in ea Prouincia ante Arcimboldi aduentũ, leue quotidianumque habebatur. Hereditaria illa odia praepotentum prouincialium, ac minus etiam potentum, ſed crudelitate inſigni; ardentibus ad vindictae dulcedinem ingenijs, eò excedebant, vt to-

tae

tae domus internecione delerentur; nec ante conquieſcebant, quàm ex inimica ſtirpe, quicquid etiam ſexu, vel aetate inualidum, deleſſent ferro. Alliſerat aliquis ad parietem paruos liberos hominis inimici, grauidamq; coniugem obtruncarat, & quomodo roſtra vnguesue ferarum oſtentatione venatoria poſtibus affiguntur, ita ſtirpis inuiſae reliquum vnum infantem rabies eadem ad fores confixerat. Atque palmaria haec demum, glorioſaeque inter illos ſaeuitiae facinora erant: cruenta verò illa officina calebat aſſidue feruebatque, vel mandati ſemper in alicuius caput, vel conducendarum operarum, vel inſidias ſtruendi. Haec diſciplina iuuenum erat, perſeuerabant ſenes, cùm ſucceſſor ſimul & vltor electus Arcimboldus ita coercuit gentem, vt nobile exemplum ſtatueret etiam in poſterum ad ceteros, ſi quos fortè ſimilis inteſtinus furor aliquando lacerare coepiſſet. Namque, priuſquam in Prouinciam iret, diligentiſſime firmauit arces & caſtella praeſidijs, immiſſoque ſolutis ordinibus milite, mox ipſe ſubſecutus cum validis equitum turmis, ſanguinarios illos homines repentino terrore confudit. Truculenti aliâs, & diri trepidabant adſpectu Cardinalis, quem & gratiae imperuium antecedẽs fama nuntiarat, & vndique armatum videbant. Sed nihil magis exterruerat, quàm quòd, diſſimulatione mira, ſine ſtrepitu vllo firmatae arces, ſparſique per prouinciam manipuli eſſent, & communi omnes metu perculſũ, factionũ, & certaminum, inimicitiarumque prope iam obliuiſcebantur.

ſcebantur. Poſtquam ea caligo animis offuſa eſt, nihil quidem ab legato mouebatur, vnde coniectura aliqua poſſet oriri, quidnam ille acturus eſſet; appoſiti tamen ſpeculatores & homines idonei paſſim obſeruabant quicquid partium duces agerent ac mouerent; collocutiones atque congreſſus nocturni ſiue diurni, commercia traiectioneſque pecuniarum, conſilia denique omnia referebantur in Aulam. Simul erant ad opportuna loca diſpoſitae ſtationes armatorum, ne elaberentur aliqui, quos & fugam meditari compertum erat, & comprehendi, retinerique domi tutius habebatur. Quà verſi in latrocinium globi aliquot, ad extremos prouinciae fines conſtiterant, globis erat maioribus imperatum, vt regione vagarentur eadem; ſimul admoniti praeſidiorum & arcium praefecti, vt quà cuique proximum eſſet, cum ſuis in eos excurrerent; edictumque ſtatim; qui exſul, quiue capite damnatus, exulem alium interfeciſſet, is vt impunitatem haberet omnium, quae commiſiſſet antea, tutoque ac libere in patria commoraretur. Hac indagine Cardinalis legatuſque Arcimboldus, cùm Prouinciales illos ex cæde viuentes cinxiſſet, vulgoque exiſtimarent, ſatis fore ei, ſi quietam haberet Prouinciam, ac nullum nouum in eius imperio flagitium admitteretur, ipſe quidem, tamquam praeſenti tranquillitate ac modeſtia paceque contentus aliquantiſper quieſcebat. Mox, ſopita omnium fere expectatione, paucos inſignes duces factionum, & ſcelerum capita, quos euadere nolebat, ne abſentes

etiam

etiam Prouinciæ ſtatum ſolicitarent, vnius horae momento omnes, vnaque nocturna ſatellitum & militũ impreſſione circumſcriptos, in latumias & caſtella ſeorſim miſit; iacebantque ibi per dies aliquot inuicem ignari captiuitatis alienae, ac ſe tantummodo quiſque eſſe captum arbitrabatur. Ita comprehenſis vinctisque flagitiorum & ſaeuitiae proceribus, ceteri, queis exſilium ſine publica noxa vel periculo perniciem egeſtatemque vltimam afferret, & edictis literiſque quotidianis, & miſſo viatore, & denuntiatione poenarum citabantur. Patuit his fuga; cumq; caput & vitam quiſque ſuam fortunis omnibus anteferret, abiere ſic multi cum vanis fugiendi artibus, nec ſine vaniore laetitia quòd Magiſtratum eluſiſſent: Legati erat artificium, vt ſine carnifice, & ſecuri purgaret Prouinciam, nec locus interea relinquebatur infami ac vulgatae in multos principes querelae; crimina reosque conquiri, vt aerarium augeretur. Aufugiebant enim vltro, & capita deuota poenis vltimis, voluntaria fortunarum amiſſione redimebant. Seruitia, quorum manu atrociſſimum quodque facinus patratum erat, amiſſo pabulo, veſtigia dominorum ſequebantur: ſi qui horum fuere ſegniores ad fugam, de his ſumpta ſupplicia ſeruilem in modum, & vili ſanguine ſatisfactum exemplo. Latronum & exſulum veteranae cohortes inſtrumenta ſaeuientibus, & modeſtis etiam calamitas, prouinciaeque totius malum, primo ſtatim Cardinalis aduentu, ſicut ad tepores ſolis nebulae dilabuntur, euanuerant. Namq;

promulgato

promulgato edicto, quod occidenti ſocium, impunitatem praemiaque inſuper dabat, aut inter ipſa latrocinia latebraſque, decollabantur à gregalibus ſubinde aliqui, & quotidiana exempla diſſociabant ceteros, aut ab emiſſarijs opprimebantur. Feroces procerum animi, tabe carceris, & fortunae conditioné aggrauante ſumptu, & audita demum in vinculis prouinciae totius trepidatione, fugaque, vel captiuitate, vel nece aliorum, ac ſuum inde periculum aeſtimantes conſcenescebant ac frangebantur rabie, moerore, metu. Conticuerat atque deferbuerat omnis repente furor, ac ſi quod imperium nutuſue Cardinalis in publicum foret, ſedulò cuncta atque obedienter fiebant tamquam á bene moratis, vel diſcipulis in magiſtrum, vel filijs in parentem. Tunc ille, perſtrictam & afflatam ceu fulguris ictu prouinciam cernens, ſatis iam eſſe terroris, ſatiſque minarum arbitratus, inſtitit etiam tractare quietis vias, & fomenta adhibere animis, vt ferre concordiam vellent. Cognitis inimicitiarum cauſis, & origine factionum, quę familias iam inde à principio alienaſſent, iniurijs etiã & damnis, quae eſſent accepta, & illata viciſſim, pacificatores ad reconciliandas eas familias adhibebat idoneos, & authoritatem ipſe ſuam interponendo, ſpem faciebat, tum honeſti tutique reditus in patriam illis qui aufugiſſent, tum maturae libertatis ac ſalutis ijs qui in cuſtodia haberentur. Fortunae interim noxiorum atterebantur. Corpora in vinculis degebant; & amicum aliâs patriae nomen exſulibus hor-

rori

rori erat. Sed cuncta, quae Arcimboldus in Romana illo legatione imperioq; fecerit aut inſtituerit, perſequi non operae habeo cùm ad ea, quae ſunt huius Ambroſiani inſtituti vix ſufficiam. Erat adhuc in prouincia Cardinalis, cùm Epiſcopus Nouariae mortuus multos eius Eccleſiae cupidos excitauit. Namque Nouarienſis Eccleſia, praeterquam quod late admodum patet, eſtque in amœna Inſubriae parte vectigalibus iuſtructa ſatis amplis, adiunctam etiam habet dynaſtiam, imperiumque locorum aliquot haud ignobilium, & fertiliſſimi tractus. Ideo pontificatum eum atq; iuriſdictionem haud obſcuris in Eccleſia meritis homines, appetebant. Sed Pontifex Siſtus Arcimboldum praetulit. Siſto poſtea ſucceſſit Innocentius VIII. iſque vacuam Nardini morte Metropolim hanc eidem mandat Arcimboldo, quam triennio rexit abſens. Nitebatur enim per ea tempora Romana res huius praecipue cõſilijs & auctoritate, nec ei diſcedere ab vrbe iam licebat, ibique eſt mortuus. Adoleuerat ad omnem eximiae virtutis gloriam diſciplina & imitatione Ioannis Arcimboldi, frater eius Guidus Antonius non minus ingenij ſtudiorumq; ſimilitudine quàm natura frater. Quippe animaduerſum hoc in omni aeuo compertumque eſt, vt corporum, in familijs, ita etiam animorum eſſe ſimilitudines atque germanitates, & quomodo naeuum aui notamue aliam, poſt longum ſaeculorum ambitum retulit nepos aliquando vnus, ita vitia virtuteſque, & mores habituſue nepotum praui ſiue ho-

neſti ſaepe regenerauere auos. In fratribus quidem id ipſum vſu venire tanto magis poteſt, vt referant alterius alter animum corpuſue, eaq; naturae imitamenta paſſim ſpectantur. Caeterùm Arcimboldis hiſce fratribus etiam quae vano nomine dicitur fortuna vim ſuam immiſcuiſſe viſa eſt, vt euentis quoque rerum, & honoribus ac vitae curſu congruerent inter ſe, itineribuſque ijſdem fere irent. Fuit in Guido Antonio praeter iuris ciuilis prudentiam ſtudium illud literaturae interioris, quod à Cardinale adhibitum fuiſſe retulimus, vt ipſum ius ciuile, temporum & hominum vitio barbarum prope atque infuſcatum expoliret. Fuit item animus ei, ſicut fratri, gubernator quidam, & apte compoſitus ex modeſtia ſimul, & quicquid illud eſt, quod huic virtuti manſuetudinique diuerſum gubernatio populorum iniungit. Ad tractanda principum negotia par cum fratre habilitas, & quidquid illud item in moribus & ſermone requiritur affine regnantium animis, vt minorum alloquia grate admittant. Ea nimirum habilitate & gratia, naturaeque munere Ludouico Principi placuerat, quoties inter illos nutantis fortunae motus, atque etiam antequam nutare inciperet, mittere voluerat de imperij rebus ad amicos Principes legatum. Ita Neapolim, in Pannoniam, in Hiſpaniam, ac denique Romam eſt miſſus. Sed & munera domi magiſtratuſque geſſerat eoſdem fere, qui Cardinalis etiam animum in minore fortuna nobilitarant, quoſue ille nobilitarat. Conſiliarius intimus fuerat

vtriuſque

vtriuſque Sforciae; iura pacis, arbitria belli, foedera & ſocietates, & rem quoque familiarem principis tractarat. Per tot munera peruagatus cùm eſſet, velut ſtruente atque continuante fortuna illum fraternae ſimilitudinis tenorem in extremo quoq; actu, euenerat, vt Romam à Principe legaretur ſub idem fere tempus, quo tempore Cardinalis deceſsit. Ibi, ſicuti antea frater, ex Sforciae legato, Mediolani Archiepiſcopus creatur. Et vt in ſimili re parique negotio, idem etiam Principis animus erga nouam hominis ſui dignitatem fuit. Torua reputabat mente Romanam indulgentiam erga domum hanc Arcimboldorum, in qua ſummus vrbis honos, Ambroſianuſque Pontificatus continuata per fratres ſucceſſione retineretur. Amiſſo quoq; miniſtro, & quòd occaſione legationis creuiſſet, angebatur. Sed poſtquam redijt ille Mediolanum, Eccleſiamque capeſſiuit, fiebat artibus & lenitate noui Archiepiſcopi, vt manſuefieret atque verteretur in bonum, quicquid aſperi, ſiue iniucundi erat. Super omnia commouerat animos ſplendor, & magnificentia viri, & proiecta cura pecuniae, quae tabes ac venenum omnis honeſtae famae eſſe conſueuit. Priores Archiepiſcopi, ſiue incuria aedificandi, ſiue temporum ad eam rem inſcitia, ſiue etiam perturbatione ac varietate, honeſte ac laxe minus aliquanto habitarant, quàm Eccleſiae nomen, & amplitudo Metropolitana, tantaeque opes poſtularent. Sanè voluerant ſubinde aliqui veterum Pontificum, vt cuique animus & otium obrigerat,

dignitatis aliquid adiicere domicilio, atq; dum id conantur, aliquoties etiam mutata tranſlataque Sedes erat. Nondum tamen, vt dixi, ſatis commode ſatiſue decore adhanc ſacri Imperij maieſtatem habitabatur. Arcimboldus ei curae animum adiecit; & ſicuti politior iam cultiorque aetas illa erat, impetrata etiam à Principe, area, extulit aedes in amplitudinem eam, qua contenta eſſe poſſit etiam haec temporum noſtrorum elegantia ſupergreſſa nimium & aſpernata priores conatus. Templi maximi cultus vt auctior maiorque eſſet, ad veterem Sacricolarum numerum, tredecim adiecit alios, & pecuniam, vnde res diuina bis quotidie in perpetuum fieret, aſſignauit. Attribuit quoque pecuniae magnam vim ea conditione, vt perducendo ad faſtigium operi inſumeretur. Haec agentem mors oppreſſit nono anno poſtquam Archiepiſcopus creatus erat. Succeſsit deinde ei fratris filius Octauianus nomine cùm triceſimum aetatis annum, vel, vt alij malunt, triceſimum alterum haud dum expleſſet. Tanta indoles virtutis fuit. Huius animum, ſiue natura ipſius, ſiue parentis voluntas flexit in alia ſtudia, quàm quae maiores adamarant. Namque cognita philoſophiae parte, quae verſatur in ſubtilitate diſſerendi, deinde ea, quae poſita eſt in naturae obſcuritate moribuſque hominum, & vita, tranſgreſſus ad celeſtia & diuina, totum hunc maximarum ſcientiarum curſum ita confecit, vt non anteferretur ſolùm aequalibus, ſed eſſet etiam admirationi illis, qui in eo genere aetatem conſumpſiſſent. Ea cer-

te fama

te fama de iuuene hoc manauit, atque ita nobis narrauere ſeniores, qui aiebant ſeſe puerilibus ſuis annis audiuiſſe grandaeuos alios memorantes auditum id ſibi cognitumq; ex maioribus natu cùm ipſi adoleſcentes adhuc eſſent. Curricula illa vtriuſque philoſophiae feliciter emenſus, ſicuti fama eadem tenet, ac ſicut etiam literis traditum eſt, conquieuit in ſtudio quodam etiam politiore, vnde nitor & auctoritas, ponduſue literis illis, quas antea ſectatus erat. Voluit enim hoc aſſequi, vt praeter latini ſermonis elegantiam & copiam, quam ſemper ad ſtudia illa ſeueriora adiunxiſſet, Graecorum etiam Hebraeorumque literis, tum ad monumenta vtriuſque linguae interpretanda, tum ad explicandos animi ſui ſenſus, inſtructus expedituſque eſſet. Sequebatur iam eum fama, tamquam literati gentium etiam illarum homines concederent ipſi tempeſtate ea linguae ſuae principatum; atque cum publico hoc fauore maturam capeſſendis honoribus iuuentam ferens, Romam eſt profectus. Iuuenis erat tunc annorum fere quatuor & viginti, floremque illum aetatis, mite ingenium, & dignitas oris adiuuabant. Itaque, quamquam incidérat in tempora non admodum amica virtuti, cumque Alexandri VI. Pontificatus, alijs potius hominibus & ingenijs fauere videretur, omnia tamen eſt conſecutus, quae gratuito contingere poſſent; ac ſub Pontifice alio nihil fore ei imperuium, autumabat vrbis rumor. Pius *III*. Alexandro mortuo, regimen humani generis adeptus id ſtatim augurium animo-

rum

rum comprobauit, aſſumpto in Patrui locum iuuene; ac ſperabantur cetera, cùm mors eripuit Eccleſiae Mediolanenſi Archiepiſcopum, qui oſtenſus magis erat quàm datus. *I*n aliquot deinde annos durauit haec nobis calamitas, vt abſente Archiepiſcopo, per Vicarios regeremur, paſtorumque nomina audiremus magis quàm ipſos videremus. Namq; principes Eſtenſes, Hippolytus primus, & Hippolytus ſecundus, tum, ob fortunae magnitudinem, in qua nati educatique erant, tum ob legationes ampliſſimas, aliaque Romana munera, queis occupabantur, haud magnopere rem hanc Mediolanenſem curabant, inſpiciebantue. Ita, per eos annos, diſciplina ſolutior fuit, & ſquallebat Eccleſia, non Pontificum tantummodo deſiderio, ſed etiam importunitate noui, nec duraturi dominatus, cuius mala & turbas nulla commodius narratio repraeſentauerit quàm nomen ipſum gentis. Ac tanto maior erat ex ea gente clades vaſtitaſque Mediolani, quia Rex ipſe redierat in Galliam, quo praeſente vix contineretur exercitus illius licentia; adeò, per ſe furentes, contemptu etiam abſentis accendebantur. Imperator autem ipſe Gallicorum exercituum, cui diſcedens Rex ſummam reliquerat omnium rerum poteſtatem, eiuſmodi erat, vt, ſi vel modeſtia exercitui, vel vrbi otium maneret, poſſet ipſe partem vtramque in furorem agere factionum ſtimulis, & magni nominis inuidiâ, rabieq; & inſtinctu multorum qui fouebant eius viri potentiam, ſiue detrectabant. Iacobus is erat Triuultius,

animo

animo excelſo, vt inimici interpretabantur, inquieto, opibus nimijs. Ludouico infenſus, Gallis ob multa belli paciſque decora inuiſus, neque aberat ſuſpicio quaſi pluſquam ciuilia agitaret. Inter Mediolanenſes fecerat ſeſe Guelfarum partium caput, eamque ſectam dum ſaeuo fauore effert, ciuilia certamina exercuerat, quomodo, ne inter hoſtes quidem ſaeuitur. Hinc dolor & ira Gibellinis aduerſae factioni, poſtquam arbitrio inimici ſe eſſe ſubiectos viderunt. Et animos ipſe aſperabat, exercendo per inimicorum iniurias imperium, eiuſque vim vniuerſam ad opprimendos aduerſarios conferendo. Ad haec, Ciuitas tota militaribus alijs iniurijs foede lacerabatur, nuſquam prohibente Triultio niſi cùm iniuriae pars ad Guelfos illos ſuos pertineret. Si citra nominis eiuſdamna dedecuſue ſtaret rapina vel libido, impune erat, & magnus alioqui vir Triultius, imperijque ſeueri, partium ſtudio ſic auferebatur. Ita, dum inimicitijs & odijs indulgetur, illuſtres etiam familiae ſuſcepere labes, quae vel inimicifsimum animum aliquo ſenſu communis humanitatis mouere poſſent, atque permiſſam eam Gallico exercitui licentiam ſacrata quoque clauſtra ſenſere. Triultius demum ipſe ardore animi progreſſus eò, vt quoſdam ob tributa tumultuantes medio in foro ſua manu obtruncarit, facinore hoc totam irritauit plebem, & ore vulgi Sfortia paſſim Gallis etiam audientibus poſcebatur, ſeditioſa ea vox rebellandi principium & nouorum malorum cauſa erat. Cumque creſceret quotidie,
hinc

hinc intemperantia & ſaeuitia Gallici dominatus; hinc fremitus & conſternatio Gibellinorum, & in sforciam fauor; ea res accendit exuli principi animum ad tentandam Imperij recuperandi ſpem celeriorem aliquanto quàm quae Caeſariana vel Mahometana ope inchoata erat. Non enim audiebat tantummodo voces adſpernantium Gallici Imperij formam, atque fauentium ſibi; ſed etiam ob indignitatem rerum, quae quotidie fiebant, vltro relicta patria nobiliſsimus quiſque ad eum ibat, ac ſi redire vellet, pecuniam & arma, & vitam ipſi ſuam pollicebantur. His erectus Ludouicus vna cum Aſcanio fratre, tumultuaria Heluetiorum & Belgarum manu, celeritate mira ſuperatis montibus, nauibuſque conſcenſis, per Larium lacum vrbi Nouocomo ſucceſsit. Eadem ibi alienatio in Gallos erat, quam Mediolani conciuerant rapacitas & libido, duo aptiſsima inſtrumenta demoliendis imperijs, etiam inueteratis, nedum, vt recens illud & nuperrime inchoatum aduerſus eam tabem impetumue ſtare poſſet. Itaque municipes, vt adeſſe sforciam ſenſerunt, nihil ſane cunctati, fauſtis vocibus, venire iuſtum legitimumque principem iubent; armis, & infeſto clamore Gallos proturbant. Neque illi ſegniter ceſſere, ſtatimque Sforcia ſine ſanguine oppidum receperat. Id Mediolani auditum, ſatis iam per ſe concitatam multitudinem armauit, imparque Triultius abſente magna exercitus parte, cum ſe noctu in arcem abdidiſſet, poſtridie exceſsit, Mox Cardinalis Aſcanius &

Ludouicus

vrbem intrauere inſigni leuitate fortunae militaris ad eripienda reſtituendaque imperia dominoſque commutandos. Sed non pari facilitate ceterae vrbes, vel aliquam etiam Sforciae violentiam olim expertae, vel eandem pro Gallo fortunae commutationem ac leuitatem metuentes, reducem Ludouicum admittebant. Iam ille Metropolim tenebat, & Gallicum adhuc retinere praeſidium malebant Laus & Placentia, & quicquid terrarum in tranſpadano tractu ſubiectum Metropoli eſſet. Velut ex rerum euentu capturae conſilium cunctabantur, atque ſuſpenſos ex fortuna animos gerebant, ex ijs, quae poſt fugam repente Ludouico tribuiſſet, quàm incerta eſſet, aeſtimantes. Itali verò principes, aut expectatione fluctuabant eadem, aut ſubſidia leuiora pollicebantur, quàm quae praeſens neceſſitas rerum, & imminens turſus ex Gallia periculum poſtularet. Inſtaurabatur ab Rege bellum apparatu maiore; pudorque & dolor ob amiſſam Inſubriae Metropolim, & ira in Mediolanenſes, quò maiora erant incitamenta Gallo, tantò plus minarum, Sforciae ceteriſque per Italiam dominationibus ea rerum facies oſtendebat. Et Cremonae Epiſcopus miſſus ab Cardinale Aſcanio ad Venetos, triſte reſpóſum retulerat, placere Senatui foedus, quod cum Galliae Rege ictum haberẽt, neque legationem praeterea vllam eſſe admiſſuros, quae aduerſus initam eam ſocietatem mitteretur. Sanſeuerinas verò Cardinalis in Germaniam ad Caeſarem eodem terrore deſtinatus, ſpem illam tardi nimium

lentique moliminis haud magnopre mouebat. Genuenſes appellati precibus infimis, vt priſtina erga Sfortiam obſequia fidemque reſumerent, praeciſe abnuebant; itemque Florentini appellati de pecuniae ſumma quam olim eorum Reip. crediſiſſet, prope inficiabantur. Gonzaga, cùm in D. Michaelis ordinem ab Rege Galliae cooptatus eſſet, ordinis eius religionem & inſignia excuſabat, quominus ab Sforcia contra Regem ſuum ſtaret ferretue arma. Irritum in tanto diſcrimine ac prope contemptum auxilium erant, Mirandulanus, & Carpenſis, & Corregienſis, & & Rubeus, & Verminaeus, nobilium quidem Regulorum atque Dynaſtarum nomina, ſed nihil ad Gallici apparatus molem. Ne Senenſes quidem cum certo pecuniae numero, momenti quicquam faciebant. Tanta ui Gallus ingruebat. Sed quamquam erant arcta omnia Ludouico, non tamen ei defuit miles; & bene geſſerat rem, pugnaueratque manibus aequis, niſi proditio malum vltimum acceſſiſſet. Cùm enim in vtroque exercitu magnus Heluetiorum numerus eſſet, eaeque copiae ductores ſuae gentis haberent, compoſita inter eos duces fraude, Sforcia rerum humanarum ludibrium fuit, ac praebuit foedius aliquanto ſpectaculum, quàm cùm antea fugitiuus ab vrbe proficiſceretur. Ad Nouariam, inſtante hoſte, barbari ferociter ac ſeditioſe flagitare ſtipendium incipiunt; ni perſolutum illico numeratumque ſit, ſeſe domum eſſe abituros minitantur. Non erat Principi ad manum, vnde ſatisfieret, relictusque Mediolani

Cardi-

Cardinalis Aſcanius in oppugnatione Arcis, anxie tentabat mouebatque omnia, vt conficeret aliquid pecuniae, quod mitteretur ad exercitum. Id ipſum excuſans oſtendensque Ludouicus, prolato argento omni, quod in militari ſuo inſtrumento domeſticàque ſupellectile haberet, vaſa illa tumultuantibus offert. Addebat preces, & lacrymas, haud minus efficaci ad humanum animum delinimento, ſi gens eſſet alia, vel niſi parata iam & meditata proditio penitus animos efferaſſet. Accepto quod dabatur argento, cùm Sforcia ducere in aciem vellet, ſummæ rei diſcrimen facturus, quod vnicum eſſe remedium effugiumque malorum putabat, tunc verò barbari talia quaedam dicere cœperunt. Eſſe in contraria acie fratres conſanguineosque ſuos, quorum nollent foedari ſanguine, nec poſſe cum alijs ſuae nationis hominibus abſque principum auctoritate dimicare; ſuper ea re, quid mandati, quidue decreti ab domo afferretur, ipſis eſſe expectandum. Cum eiuſmodi dictis abibant, vt ſeſe ad Gallici exercitus Heluetios adiungerent, vno que agmine omnes irent domum. Tunc Ludouicus obſecrare inſtitit, vt quando ita decretum eſſet, ſinerent ſaltem ipſum quoque ire vnà, Helueticoque gregali cultu ceteris peditibus immiſtum abducerent ſecum, atque conſeruarent. Fortaſſe nihil aliud maluerant proditores ipſi, ſtatimque annuentibus eis, Sforcia braccatus, & coeno foedatus inter calones, & lixas ibat deforme ſpectaculum fortunae principalis. Per media Gallorum caſtra ducebatur, vt ipſe credebat,

occultus & ignoratus, vt res docuit, monſtratus hoſti per eos ipſos qui tegentium & occultantium imagine ducebant. Ita comprehenſus repente & detracta larua in cuſtodiam datus, tam ignominioſo conſilij infelicis euentu confudit etiam hoſtium animos, quibus tantae rei laetitia ex inſperato oblata erat. Neque Cardinalis Aſcanij fuga felicior fuit. Is cognito fratris caſu, victori & irato, & mox adfuturo hoſti ſubducere ſe ſe cùm properaret, nocturno fatigatus curſu quieſcere pauliſper ad Ripaltam voluit, & eius rei cauſa diuertit ad Conradum Landum hominem ſibi & vetuſtate amicitiæ, & verò etiam affinitate coniunctum. Fugiebant vnà cum Cardinale, potentiſſimus, & clariſſimus quiſque Gibellinorum, itemque e Clero Mediolanenſi viri graues ſecuti Cardinalis aulam, & in varia miniſteria aſſumpti, prout cuique, maximarum rerum vſus & oblectando principi ſermo eruditus, & artes bonæ. Ea cohors aſſectata Cardinalem, per domum illam inhoſpitam feſſa corpora ſtrauerat, & ſecuri de ſua herilique ſalute partem quietis hauriebant. Sed proditori Placentino, rebus ſuis opportuna res viſa, dum ſopitos domi hoſpites haberet, gratiſſimum id munus exhibere Gallo. Nec mora; oblitus amicitiae, hoſpitijque & ſanguinis oblitus, accitis ab Placentia Carolo Orſino, & Soncino Benzono, qui in Veneto exercitu ordines ductabant, feſſam eam inermemque, & ſemiſomnem manum tradit. Varia inde & miſerrima cõditio captiuorum fratrum fuit, quorum olim nomen & famam

mam res Italae cum admiratione reſpiciebant. Cardinalem primò Venetias duxere Benzonus & Orſinus, quibus à proditore traditus erat. Ibi aliquandiu ſeuere magis quàm honeſte cuſtoditus, repetente dein Gallo deportatur Lugdunum, mox in Burgenſem arcem ablegatur, quæ biennio ante cuſtodia Regis ipſius fuerat. Ludouicus ipſe protinus è caſtris in vrbem eandem Lugdunum cum valido praeſidio raptatus, vt in conſpectum Regis admitteretur, impetrare non potuit. Oſtentui ciuibus fuit; tum intra arcem inclusus extabuit moerore vir alioqui magnus, & dignus vtique principatu, niſi hunc ipſum ſcelere partum habuiſſet, ex quo factum eſt, vt mala principia ſimiles euentus conſequerentur. Mediolanenses attoniti captiuitate Sforciarum, & exitio familiae, & alternantis fortunae ludis, Gallica vi, rebellione ſua, dolore hinc, pœnitentiaque & metu, per ſupplices Oratores polliciti fidem & obſequium in poſterum, veniam in praeterita ab Rege impetrauere. Sed haec ipſa fluxa irritaque erant, & quaedam eiuſmodi rerum ſeries parabatur, vt ab nouo Principe venia eſſet petenda quòd huic fauiſſent. Namque dum Ludouicus in Gallia tabe carceris abſumitur, Maximilianus Caeſar in paternum imperium reſtituendi Maximiani ſuſceperat actionem, eſtque reſtitutus, vt paulò poſt etiam ipſe caperetur, & paternae calamitatis ſimulacrum fieret. Anno tertio poſtquam erat ab Caeſare reſtitutus, capitur ab Galliae Rege, atque ſuper patris fere veſtigia ducitur in Galliam attributo

triginta

triginta trium millium aureorum nummûm vectigali in cultum & alimenta captiui principis. Haec viciſſitudines & haec profecto ſcena circa hanc Inſubriȩ Metropolim ſpectabatur; ac ſicuti truditur clauo clauus, ita Sforcia Gallum, & Gallus Sforciam inuicem extrudebant. Parabantur enim rurſus eae vices, eratque futurum adhuc, vt ab Sforcia Gallus pelleretur Caroli Caeſaris auxilio, atque hic ipſe pelleret primò illum, deinde reſtitueret. Neque finis certaminum & varietatum aliarum, donec verſa Sforciarum ſtirpe rediret Mediolanenſe imperium ad Caeſarem, atque ibi in conſeruatrice ac praeſide Catholici nominis Domo intactum & illaceſſitum maneret. Haec ipſa cum cauſis rerum atque conſilijs trahentia ſecum rem Eccleſiaſticam vniuerſam ſtatumque & conditionem huius Ambroſiani Pontificatus, paulò poſt ordine cuncta exequar. Nunc Ludouico capto, dominantibus Gallis, acciderat hoc in Eccleſia Mediolanenſi, vt indicto aduerſus Pontificem Maximum Concilio ſedes vrbs ipſa Mediolanum deſtinaretur; eaque res geſta eſt in hunc modum. Poſtquam Iulius II. Pont. Max. ingenij vehemētia verſo in arma Pōtificatu, maieſtatem illam galea thoraceque foedare viſus erat, ac nouo ad eam diem exemplo miſcuerat ſe ſe palam factionibus, & odijs, & caſtris, feceratq. ſe ſe quaſi caeterorum principum vnum, & publicarū cladium partem; tum principes & Reges alij, quorum ille meruerat conciueratque odia, ſiue profanum adſpernati Pontificem, ſiue ad ſuas ipſorum vtilitates

iraſue

iraſue titulo hoc vſi, illam Concilij indicendi actionem mouere atque ferre clandeſtinis primò deinde publicis conſilijs atque ſermonibus inſtiterunt. Ea vltima neceſſitas eſt Eccleſiae deſperatae; id vinculum, id fraenum antiquitus repertum ſupremae poteſtati, quotieſcunque Pontificis ipſius culpa & vitio Catholica fides detrimenti aliquid accipiat, neque aliter vnquam illuc deſcenditur. Sed Iulium hunc praeter illam armorum atque certaminum inuidiam; grauabat etiam ſiniſtra principum interpretatio, cùm idipſum, quòd proferre fines Imperij, & amplificare Romanae Eccleſiae opes conaretur, ad priuatae gloriae cupidinem referrent. Adeò nimirum in malam partem accipiuntur, tam benè quàm malè facta, vbi coepit aliquis eſſe inuiſus, & vbi cenſura iudiciumque rerum alienarum, cum aliqua etiam noſtra priuata cura peragitur. Nam alioqui magna, & excelſa quædam erat cura Pontificis, vindicare patrimonium Apoſtolicum, repetere armis quae per vim aut fraudem olim eſſent intercepta loca; dum id ageret, obiectare periculis caput, & ad bombardae etiam ictus aliquando expoſitum manere.
Caeterùm, vbi aduerſus bellatorem Iulium, telum illud acerrimum excogitauere Principes infenſi, paláq. Concilij terribile nomen intentabant; ſtatim etiam inter Purpuratos erant ſtudia fauentium ei actioni, ſiue aduerſantium, prout ſcilicet quemque Cardinalem, principum illorum aliquis, Pontifexve ipse addictum ſibi obſtrictumque haberet. Varie agitata, & iactata res eò demum adducitur, vt Mediolani congregati

trein

treis legati Caeſaris, legati Regis Galliæ, principumq; aliorum legati vnà cũ factionis eius Cardinalibus, Cõcilio diẽ ſtatuerẽt Cal. ipſas Septemb. anni huius, qui motu hoc praecipue inſignis á Chriſto nato milleſimus quingenteſimus vndecimus agebatur. Ad eum diem cõueniri Piſas iubebant, elegerantq. prius conuentui locum eum ob alias etiam opportunitates; ſed præſertim ob memoriã proſperarum olim illic rerum cùm de Pontificatu ambigeretur. Edixerant propoſuerantque locis omnibus; Pontifex ipſe Iulius vt adeſſet: ni faceret, interminabantur atque denuntiabãt ea, quæ interminari ac denuntiare mos eſt etiã Apoſtolicæ poteſtati, quoties edicta promulgat. Tãta coniuratorũ audacia perculerat haud dubie Pontificem Maximum, confuderatque; ſed eodem ſpiritu ac feruore, quo arma tractabat, etiam ad iura exſequenda acer, indicto aduerſus Piſana conuenticula legitimo Lateranenſi Concilio, cauſam protinus aduerſariorum actionemque iugularat. Simul poenis acer, potentiſſimum quemque Cardinalem ſeceſſionis auctores profanat Apoſtolicis notis, exauguratque, & sacro ſenatu motos in perpetuum, ordineque illo indignos declarat. Illi tamen cum aſſeclis fautoribusque ſuis in Piſarum vrbe perſeuerabant, paria decreta, sed nõ pari auctoritate facientes in Pontificem *Iulium*, donec parua dictu & fortuita res deturbaret eos inde, Mediolanumque cum inſana trepidatione compelleret, vt mox etiam hinc diſiecto conuentu diſſiparentur. Cùm enim ea ciuitas iam inde à principio, haud

haud vnquam concoquere hoc potuiſſet, quod Romanae ſeceſsioni ſemper ipſa ſedes atque receptaculum fieret, ac propter eam cauſam tumultuari non deſineret; mulierculae vnius impudicae aduerſus Gallum militem clamor & quiritatio, paucos primò, deinde plures, poſtremo ciuitatem vniuerſam iam per ſe irritatam armauit. In eo tumultu, quidam etiam e familiaribus Cardinalium vulnerati ſunt, aut interfecti, & crudeſcente in ſingula momenta ſeditione, Patribus haud dubie ipſis periculum imminebat. Itaque damnoſum nimis ad Concilij dignitatem & famam exiſtimantes, ſi quis è ſuo fortè numero violaretur, poſtridie eius diei, quo tumultuatum erat, altero ſuo congreſsu, quam ſecundam ipſi Seſſionem appellabant, decretum fecere, vt relicta infeſta vrbe, Mediolanum inde tranſirent ad reliquas res conſultandas atq; perpetrandas quarum rerum cauſa Cõcilium eſſet indictum. Quintodecimo die, poſtquam venerant Piſas, ſublatis repente rebus Mediolanum inde abibant, eratq; per totum agmen minime ſimplex habitus animorum. Cardinales & capita rerũ, egregie vt in malis conſultum eſſe exiſtimationi ac ſaluti arbitrabantur, quòd repente conſternatis ad arma Piſanis, violentia & ira populi neminem ipſorum attigiſſet. In vrbem iri opulentiſſimam, tranquille ibi ac tuto cuncta peracturos in Metropoli totius Inſubriae, in Galliae Regis imperio, recentique dominatu, vbi flagrantiſſima erga nouum principem obſequia ciuium forent, vbi demum alterius Romae no-

men et fama antiquitus ſederet. Alijs terrori ad exitum rerum erat nota Vrbis religio, ne Piſanos ibi quoque motus inuenirent: alijs id ipſum in ſpem trahebatur, ſi actio tam iniqua & irreligioſa conſiſtere poſſet nuſquam, ſemperque impediretur. Erant enim in eo numero plerique, quos, non ipſorum voluntas, ſed Galliae Regis imperium ad celebrandum eiusmodi conuenticulum adduxiſſet: Hi moras & impedimenta omnia ponebant in lucro; ac ſi Mediolani etiam, vti Piſis, tumulti nonnihil oriretur, diem fortaſſe allaturam aliquid ad ſanandos animos, reſque Eccleſiae componendas autumabant. Non ego ſubijciam oculis quaecunque, aduenientc impiorum coetu faceret omnis bene morata & Catholica Ciuitas; ſed tráſferam huc teſtimonium auctoritatemque Franciſci Guiciardini, apud quem de talium hominũ in vrbem noſtram aduentu reperi ita fere ſctiptum:

» Cardinales, vbi peruenere Mediolanum, contem-
» ptionem ſui nominis, atque peragendae rei difficul-
» tates reperere eaſdem, queis in Piſarum vrbe coſlicta-
» ti erant. Clerus namque Mediolanenſis, quaſi, non Pur-
» purati patres, ſed infanda capita & homines execran-
» di vrbem intraſſent; ita repente cuncta diuinarum
» rerum officia cultumque ſua ſponte omiſit. Multi-
» tudo autem ipſa, quotieſcunq; eorum aliquis egre-
» deretur in publicum, non tacite praetereuntes exe-
» crabatur, ſed contumelioſis alte vocibus perſonabat;
» terga paſsim obuertebant, & motu corporum inde-
» coro, dignitatem illudebant eam, quam ſemper antea

„ceu diuinum aliquid adorare ſoliti fuiſsent. Cumque promiſcue vniuerſos,& ſibilis & probris inſectarentur, infeſtiſsima irriſio Cardinalem Sanctae Crucis excipiebat, propterea quod ille,& ſupra ceteros emineret magnitudine nominis ac fama, & vltimo Piſano conſeſſu,caput Praeſesque Concilio creatus eſſet. Exſequendo inde cetera ſcriptor idem refert querimonias etiam,quae populi Mediolanenſis indignatione iactatae aſsidue in Concilium actionẽque totam, haud ſine magna gloria ciuitatis vulgarentur. Sed repreſsit aliquantiſper conſtantiam Ciuium fregitque Gaſton Fois, qui pro Galliae Rege praeerat Vrbi, armaque & exercitum habebat. Is etiam domuit vi ſua, & ſubegit praeſenti terrore Sacerdotes, Clerumque vniuerſum, vti repeterent priſtina ſacrorum munia, neq; quicquam in vlla diuini cultus parte deſideraretur. Hinc robur & fiducia Cardinabus inſtaurando Concilio, cui ſedem circũmſpicere nouam coeperant,iamque ſi ſic res iret, poenituerat conſilij, quo Piſarum vrbem reliquiſſent. Cùm ex inſperato quies auctoritaſque nonnulla rebus eorum obtigiſſet, congregabantur ſtatis diebus in Templum huius vrbis maximum, atque dedecus illud,ceu nouam aliquam cladem crebro cum gemitu Mediolanenſes adſpiciebant. Rurſus tamen factio viciſsim ipſa languebat, & obtorpuerant Cardinalibus animi, propterea quod nullus ab Caeſare procurator, legatioue nulla compareret quae momentum adderet decretis. Et dixerat quidem annueratque

que Caeſar, adfuturam in tempore ſuam ex Germania manum; ſed mutato nunc animo recedebat à cauſa ſenſim & varias nectendo moras, varieque declinando, id agebat, vt negotium diſſidiũque illud quam leniſſime relinqueret Gallo ceteriſue quibus agere & proſequi ea magis placeret; ac diſſoluendi concilij principium id fuit. Sed quomodo tandem haec parta de impijs victoria fuerit, vtq; Christi Vicarius, & diris & armis, & vi tota Pontificatus animique ſui ad extremum vſque perſequi rebelleis institerit, inter ceterás eius aeui turbas, publici annales memorauere. Mediolani ſedes atque domiciliũ rebellibus illis erat, donec pulſis Gallis, reſtituto Maximiliano, fugarentur hinc vná cum Rege fautore Concilij, atque ſigna ſequentes victa in Galliam abirent. Neque Mediolani per eos acta vlla in patriae annalibus extant, niſi quod, ipſum Sanctae Crucis Cardinalem referunt in Templo maximo ſummum Pontificem eſſe appellatum, & Martini nomen ſumpſiſſe cùm antea Bernardinus Caruaialis vocaretur. Hunc, Ordo Columbinianus, qui D. Hieronymi Aedem in Vrbe Monaſteriumq; habet, hoſpitem fuiſſe ſuum contendit, quamdiu ille Mediolani Concilij factioniſque eius cauſa moraretur: Ipſos inter tumultus aeſtuſque tam infelicium curarum, atque in medio circumfrementis populi ſtrepitu, curam hanc fuiſſe Cardinali, vt Templum illud, templique frontẽ pijs imaginibus eximie picturatam, velut hoſpitij pretium exhiberet. Natione Hiſpanus hic fuerat Caruaialis,

uaialis,quod familiae nomen hodie inter primas eius Gentis claret,ac tũc nihilo obſcurius humiliuſue agebant. Aderant viro literae & artes, quae principem decerent, & honeſta omnia, niſi deformarentur adipiſcendi ſummi honoris cupidine. Ea tranſuerſum egit hominem,& dum primus eſſe mortalium tentat, ad infimos prope eſt delapſus.Non viderat fortaſſe Roma ab condito Pontificatu ludibrium tale ſuperbiae, quale poſtea ſpectatũ ibi eſt tunc cũ Caruaialis hic,& facinoris collega Sanſeuerinas, Pontificis Leonis indulgentiã reſtituerentur in Ordinem, vnde Iulius vtrumque deieciſſet. Scilicet, principes olim & duo lumina Collegij,alter etiam ille, vſurpato ſacrorum Regno adoratus à ſuis, poſteaquam Pontificem exorarant, noctu in vrbem admiſſi, poſtero die, pro purpureo ſyrmate, nigra in tunica pileoque concolore,frequentiſſimis Vaticani locis per hominum ora traducuntur. Cardinales in ſedem proceſſere ſuam. Pontifex Maximus Apoſtolico ſolio ſublimis eminebat: ſpectator, tantae Vrbis populus & genus prope humanum aderat. Falſus ille Pontifex cum collega ſuo poſitis humi genibus ante ſolium procubuere dum facinori damnando petendaeque veniae compoſitae preces recitantur. Subleuati dein,ad genua Cardinalium aliorum ſingulatim accedebant: ibi ſine motu voceque vlla excipiebantur, donec per tota ſubſellia circumducti Collegio redderentur,& ipſi quoque conſiderent. Id inter cetera, contumaciae ſeceſsionique piaculum fuit: Sed ex-

terna

terna haec,& temporum etiam ordine diſſipata,temporum rerumque noſtrarum ordinem prope iam abrumpebant. Cùm Rex Galliae, Sforciam vtrumque, ſicut memoraui, alterum Heluetiorum fraude, perfidiâ Placentini proditoris alterum in poteſtate vniculiſque haberet; vrbemque Mediolanum, & Metropolim Ambroſianam,ceu tutiſſimum aduerſus hoſtilia tentamenta caſtellum praefectis & armis inſediſſet, coeperat eſſe negligentior ad continendos atque demerendos animos eorum, qui prodito Sforcia victoriam ei ſimul in manum tradidiſſent: *I*ta gens, etiam ſi non irritaretur, facilis ad transferendam fidem, poſtquam contemptui ſe eſſe inſuper videt, ad ſocietatem cum Romano Pontifice ineundam inclinat. Fixum,deſtinatumque Pontifici Iulio erat eijcere Mediolano Gallos Italiaque tota, non tam odio in hoſtem Regem, quàm gloriæ cupidine, vt Italie liberator ipſe diceretur. Ideò gentem eam Heluetiorum inter cetera auxilia adiungere ſibi ſaepe nequicquam conatus, vbi offenſos alienatosque ab Rege eſſe animos cognouit, vſus inclinatione voluntatum, & legationibus, & promiſſis, & praeſenti pretio tenuit rem, vt haberet eadem iu Gallos arma, quibus armis Galli antea totam conterrefacere Italiã potuiſſent. Simul, cum Rege Catholico Venetisque aduerſus communem eundem hoſtem icerat foedus. Ac primò quidem foederata illa arma infelices euentus habebant; magnoque ad Rauennam praelio victor Gallus de ſumma rerum metum ingentem fecerat;

rat; Heluetijque etiam cunctabantur. Mox fortuna verſa eſt, & cuncta pro Pontifice aduerſus Gallos erant, vt quamprimum eiectio gentis fieret. Anglus & Aragonius, & Caeſar ipſe, ſuo quiſque metu anxij ſi tantae Gallorum opes forent, in partem deſcendebant eam, quam potentiae huic eſſe infeſtiſſimam videbant. Et iam aderant Heluetij praecipuus Gallorum terror, praecipuaq; ſpes Pontificis vt eae copia digreſſae in Mediolanenſem agrum & cum Veneto exercitu coniunctae circumfunderent Gallum à tergo pellerentque. Summum verò peragendae rei adiumentum ipſi Mediolanenſes irritati Gallorum moribus,& imperium illud accerbiſſime perferentes, tamquam exercitus aliquis habebantur. Iam enim propter quotidianas iniurias, eò proceſſerāt indignatione ac dolore,vt Regij praefecti,nullum niſi per neces & ſupplicia ius obtinerent, ſaeuiendique materiem aſſidue praebebat res illa Conuenticuli, de cuius origine & exitu antea demonſtratum eſt. Nam cùm ad finem vſque Gallici dominatus,rebellium illorum ſecta Mediolani perſeueraret; quamquam repreſſa, ſicut memoraui,ciuium aduerſus eos libertas, per interualla gliſcebat acrior infeſtiorque,nec vllis ab Clero populoque contumelijs in factionem totam abſtinebatur. Rurſus Cardinalem Medicaeum, Pontificis legatum, quem Rex ipſe Mediolanum in cuſtodiam miſerat,colebant omnibus officijs,eaque erat vniuerſae ciuitatis pietas in captiuum, vt contumelia inde in Regem appareret. Vulgò petebantur ab captiuo

illo

illo Cardinale & legato piaculares abſolutiones ad celeſtem veniam, animaeque ſalutem, vt quiſque, vel pro Galliae Rege tuliſſet aduerſus Pontificem Maximum impia arma, vel aliquo miniſterio Concilij temeratus foret, Qui piacula eiuſmodi contraxerant, neque fuerant abſoluti, his, ſi interea morerentur, ſacra ſepultura denegabatur ab Clero Mediolanenſi, omneſque in profano defodiebantur. Tradunt temporum eorum ſcriptores, tantum fuiſſe numerum eorum, qui abſolutionis cauſa Legatum adirent, vt ad cōficiendas patentes literas nō ſufficerent homines, aſciti in id munus, ac ſubinde alios aſſumere ſcribas neceſſe eſſet. Id Regijs aegre tolerabatur, ac dum reprimere poenis eiuſmodi concurſus volunt; neq; aſſequebantur, & ciuitatis animos aſperabant magis, quae iam tota rebellionem ſpectabat. Sed nulla aliqua res magis erat apta & opportuna Gallis eiiciendis, quàm Galli ipſi, diſcordes inter ſe, diſsipati circa praeſidia paruarum vrbium, ad ſummam rerum, non quātum oporteret attenti, alienandis auxiliaribus faciles, conſcribendis nouis militum copiis auari, quam etiam ipſi culpam in medio diſcrimine rerum inuicē obiectauere. Et nutantem ſic afflictamque eorum fortunā ſtrauit penitus euertitq; Maximilianus Caeſar properis ad Germanic ūpeditatū literis & mandatis vt ab Gallico exercitu diſcederent protinus atque redirent domum. Tunc etiam ipſi Gallorum duces deſperauere, poſſe vltra rem Mediolanenſem ab ſeſe retineri ac defendi. Ingruebant enim magna vi foe-

deratorum

deratorum arma, & prope vna eademque res fuit, excedere Mediolano Triuultium, ceteroſque Regios praefectos, & foedere ſacro (hunc enim ſibi titulum indiderant) iunctas manus ſubire illuc. Cardinales capita Concilij ad primos perditarum rerum tumultus in Galliam aufugerunt. Medicaeum, Galli fugientes, cùm rapido ſecum agmine ducerent, homines probi familiares ipſius, facta manu raptoribus eripuere, ipſeque etiam vim adiuuit aſtu, & ſimulatione morbi, qua morari potuit agmen tantiſper dũ componeretur ordo peragendae rei. Quidam ipſum euaſiſſe Mediolano, deceptis cuſtodibus malunt, artificemque fugae Blaſium Cribellum memorant. Pulſis in hunc modum Gallis, recepto Mediolano, ſtatum vrbis Octauianus Sforcia Epiſcopus Laudenſis regebat, interea dum Maximilianus Ludouici filius reduceretur ſicuti Caeſari foederatisque placuerat. Iam enim Veronae erat Maximilianus, ibique Caeſaris iuſſu & auctoritate, poſſeſſionem adibat imperij paterni, Mediolanum venturus, vbi primùm Epiſcopus Gurgenſis, quem Caeſaris nomine oporteret intereſſe actioni, veniſſet ab Roma, quò Lateranenſis Concilij cauſa, nomine eiuſdem erat profectus. Vt ille adfuit, deducitur Sforcia Mediolanum accipiturque ſummâ Ciuitatis laetitia, quamquam ineſſet timor & cura multorum animis, quos praeſens potẽtia Gallorum externo imperio fauere coegiſſet, quiue etiam vltro illuc inclinaſſent. Cùm ad portam vrbis pompa perueniſſet, pauliſper dubitatum eſt in-

ter Cardinalem Sedunenſem & Catholici Regis Legatum, vter eorum, Portae claues Principi traderet, quae caeremonia rem ipſam continebat, vtri etiam parti Sforcia, fortunam eam in quam reſtituebatur, ferre acceptam deberet. Tandem acrius tendenti Sedunenſi ceſſit Hiſpanus, vt Heluetiorum genti blandimentum id daretur. Cùm Sfortia reſtitutus in hunc modum eſſet, erat deinde Mediolani per aliquot dies is habitus & ea facies rerum, quaſi natale quoddam huius patriae tempus Ciuitas tota concelebraret. Principem enim receperant natiuum; & quamquam ſublatus veneno Conſobrinus paternumque veneficiũ ante oculos adhuc obuerſaretur, magis tamen valebat in animis memoria Aui, in cuius mores abiturum eſſe iuuenẽ ſperabant. Neque Ludouicus ſcelere quaeſitum imperium peſſimis alioqui artibus exercuerat; Ac ſi nihil horum eſſet, laetabantur tamen, quod ex priſtino ſeruitio in qualemcunque ſtatum euaſiſſent. Adiuuabat verò ipſe laetitiam hanc ſpemque communem pietate erga res diuinas, comitate erga omnes, ac praeſertim excelſo diſſimulans animo offenſionem in eos, qui ſtuduiſſent Gallis, vltroque nèceſſitatem incuſans, ne diſſimulata ira in maius crederetur. Satis conſtitit, factionis Gallicae homines, tum ex Clero ipſo, tum ex reliqua nobilitate, quos conſcientia praeteritarum rerum meditari fugam coegiſſet, perſpecta noui Principis indulgentia, conſilium id omiſiſſe, ac domi eſſe retentos. Quidam etiam, cùm veſtigia ſecuti Gallorum abiſſent, rediere, neque in

cuiusquam bona saeuitum. Fiebant haec modeſtia quidem & probitate iuuenis, ſed principum etiam ipsorum conſilio, per quos in Imperij ſedem erat deductus. Subſtitere namque Mediolani conſilijs agitandis disponendisque rebus aliquandiu, Catholici Regis legatus, & Sedunenſis, & Gurgenſis, grādes natu homines, & regendis mortalibus atque tractandis Regum negotijs inueterati. Horum igitur prudentia primis diebus Maximiliani animum regebat, ne in magna potentia magnisque hominum culpis, aetatis etiam vitio quicquam fieret ſecus atque tam lubricae res poſtularent. Non ille tamen effugit occultae cōiurationis initia eruptura haud dubie in necem, niſi ante tempus inditium emanaſſet, vt reſeruaretur ad ludibrium idem humanarum rerum, quo pater ipſius hoſtili in terra contabeſcebat. Sacramorus erat Vicecomes, partium Gallicarum acerrimus inſtinctor, & multa hoſtilia pro Rege in Sfortias auſus. Non credebat is totam ex vero & ſincero clementiā eſſe, quam Princeps Maximilianus ad initia rerum adhiberet; ſiue credebat, & ſicuti ſunt animi quidam implacabiles, manebat infenſus & toruus. Aſſumptis in conſilij ſocietatem, quibus eandem eſſe ſuſpicionem, eundemue animum ſciret, corruptisque in eundem ſenſum nonnullis alijs, quorum ſolerti audacia ſpes facinoris patrandi indigeret, coniurationē interficiendi principis fecit. Negotio fuit euentus, qualis eſſe conſpirationibus ſolet, eaque in ſuum caput deprehenſa machinatione Princeps, vrbem ipſam

Mediolanum adi pernabatur oderatque, ac ſuam ibi tam infeſtam eſſe vitam ſciens, Nouariam hinc receſſit. Sed Gallorum arma iam ipſum appetebant, momentis omnibus fremēte Rege, quòd amiſſa per ſuorum negligentiam vrbe Mediolano, Italiae poſſeſſione deiectus foret. Et ille quidem Rex Galliae Ludouicus, dum totas aduerſus Maximilianum Regni vires ciet, in medio ſaeuiſſimi belli apparatu mortuus, hūc etiam conatum vnà cum reliqua regiarum curarum mole vanum reliquit. Ceterùm ei ſucceſſit, Italiae potiundae appetentior, ingenioque feruidiore Franciſcus, qui, vel capi ipſe, vel capere Mediolànum certus, cùm validiſſimo exercitu in Italiam deſcendit, auctus etiam Venetorum auxilijs, quae Reſp. pro Sforcia nuper aduerſus Regem Ludouicum ſteterat. Mutabantur enim inter eas Italiae calamitates, foedera ſocietatesque principum vna cum rerum ipsarū ſtatu, & saeuus ille ludus ſpectabatur, vt poſtquā alieno sanguine vicerant alios alij, mox aduersus victoriā ipſi suam iidem pugnare vellent. Sic Veneti, cùm pro Maximiliano cōsociauiſſent nuper arma, nunc in eū ibant, vt prioris foederis euentum abolerent foedere nouo. Pugnatum eſt ad Melinianum decimo ab vrbe lapide cruenta vtrinque pugna; sed vicere Galli. Rex Franciscus in loco victoriae Monaſterium poſtea extruxit, attribuitq; Fratribus Celeſtinis, quod monumento ad poſteros eſſet. Misera, & magna Ciuitas toties victa, totq; tam breui tempore sortita dominos, ne nunc quidem ſtabile adeſſe quicquam videbat.

bat. Secuta tamen id quod adeſſe videbatur, legatos miſit ad victorem Regem, qui dederent vrbem, & patentibus ipſum expectari portis nuntiarent; populum Clerumque Mediolanenſem expectare quid Regiae maieſtati placeret. Confeſtim ille ſequendo rerum curſum, Mediolanum venit, ibique Sforciam victoriae cumulum adeptus, cinctum eum militari cuſtodia ablegauit in Galliam, ne, vel interfectus, in saeuitiae exemplnm abiret, vel profugus obeſſet ſecuritati rerum quae longe aberat Regi. Iam enim hoſtis maior ei imminebat, ab longa Caeſarum ſtirpe procreatus, Caeſarq; ipſe, paterna origine, Germaniarum alumnus, ab Auiae dote ſeptemdecim prouinciarum heres, materno iure Hiſpanias & tot ſecum regna trahens Carolus, cui vim geniumque victorem aduerſus Gallum eum Regem adfuiſſe poſt euentum credidimus.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimusquintus.

NOVA hinc & continua circa Metropolim bella exſequar, quorum pars minima erunt Sforciacae Domus reliquiae; reſque agetur inter maximos duos orbis terrarum Reges, interiecto ſuperſtite adhuc vno exuleque Sforcia, dũ reſtituitur iſte, arceturue vrbe, quae Caeſarum primò ſedes fuerat, deinde vſurpata libertate, rebellis eorum & inimica, dein, domeſticos inter tumultus, ſerua ciuiũ ſuorum, tũ ab alienigena domino rapta & occupata, nunc demum egeſta paulatim tyrannide redigebatut ad iura veteris Imperij, & magnitudine ſua Carolus Caeſar, hoc Inſubriae Regnum, parta nobis in perpetuũ ſecuritate, Domui ſtirpiq; ſuae aſſignaturus erat. Ac veluti aequita-

tis

tis etiam fama diuinitus pararetur exſurgenti tunc ad Catholicae Religionis tutelam Imperio, Auſtriaca arma prius reduxere extorrem Sforciam, deinde, poſtquam orbitate eius & ſenecta, res adhuc Mediolanenſis ad externa vel inteſtina pericula prolabebatur, inſuperq; ſuſpecta fides, & ingratus erga tantum beneficium animus offendebat, quaſi perfidiam vlciſcerentur, in eundem incubuere. Gallus tamen etiam ipſe, ſua iura ſuaſq; actiones, & veterum matrimoniorum vocabula habebat, aliaue firmamenta causæ, quae nunquam Regibus deſunt. Dabant & famae Rex vterque, patiebanturq; diuulgari tamquam arcanum, id quod potius tegere ipſi ac diſſimulare debuiſſent, ſi cauſa vtique belli ea eſſet. Angi ſcilicet ipſos mutua inuidia & aemulatione potẽtiae; ideò, quicquid gereret tentaretue alter, alteri id eſse impediendum; famaq; iſta volentibusetiam ipſis, ciuiliũ ingeniorũ, & aulae ſuſurris iactabatur. Re autem vera angebat animos nomen & magnitudo Vrbis, ciuitatumq; ſubiectarum, quae cum Metropoli ſua Imperium aliud omne comparatione opportunitatum eleuare, ac minuere per ſe viderentur, etiam ſi nulla Imperitantibus aemulatio eſset. Sed antequam certamina haec duorum Regum, & infeſtiora pene inter ipſos conſilia quàm arma, ſtratoſq; Gallorum aceruis Inſubriae campos, Regias quoq; captiuit ates, atq; de vrbe noſtra dum dimicatur, collatos in prouinciam aetatemq; vnam, ſeculorum & terrarum prope omnium caſus; haec antequam narrare aggrediar, Ec-

clesiae

cleſiae Ambroſianae prius ſtatum, qualis inter calamitates, vel exhauſtas iam, vel exhauriendas ille fuerit, repetam. Caput regimenq; iam inde ab Hippolyto Eſtenſe ſacris abfuerat rebus, & Eſtenſis ipſe, Gallica legatione, paternaeq; fortunae ſuperbia ſemper abſens, per conductos aliunde miniſtros, totum id paſtorale munus obierat. Ita facta erat Eccleſia ceu pfani populi coetus aliquis, populusq. ipſe peregrinitate infuſa colluuiē quodāmodo barbarorū referebat. Namq; Borbonius, & Odettus, & poſtea Lotrecus, & alij, qui pro Regibus ſuis res adminiſtrauere Inſubrum, homines innutriti ferro, & militares violentias, omniaq; exercituum flagitia ſpecioſo neceſſitatum nomine appellare ſoliti, praedandi conſtuprandique licentiam, ceu ſtipendia praemiumue laborum militi ducibusq; & praefectis, & fortaſſe ſibimet ipſis offerebant eadem licentia. Miles ex variarum colluuione gentium, procul ab domo, procul ab ſincerae religionis cultu, & longa egeſtate efferatus, etiam ſub ſeuero imperio praeceps ad ſcelera, contumaxque aduerſus omnia quae coercēdis flagitiis excogitata ſunt. Terra profecto haec haud immeritò flos dicta terrarum aliarum, & amoenus hic opulentuſque populus, atque per monaſteria, per templa, tantum pretioſae ſupellectilis, tantum ſacrati auri vel argenti, non leue incitamentum militaribus iniurijs eſſe potuerant, etiam ſi tam crebrae illae mutationes inſtabilesq; victoriae, & alius ex alio dominatus, haud perinde immitem auidumq. hoſtem inuexiſſent. Quanta igitur

materies

materies iniuriarum ſaeuitiaeq; in Metropoli erat, tot modis barbari deſaeuiere in vrbem, quae ſi ſua arma haberet, poterat tremenda eſſe illis; tunc amiſſis vnà cum principe armis, obtorpuerat metu, oderatq; ſimul, & ſeruiebat, & lacerabatur. Domus & fortunae ſingulorum ciuium aliquandiu ſuffecere furori; primiſq; diebus, & rapiebatur inde quicquid ad ſplẽdorem vſumue penatibus adeſſe honeſtis ſolet, & poſtquam auaritię ſatisfactum erat, libidinem aliam corpora explebant. Mox vtriuſque libidinis cauſa, rerum ſcilicet corporũq; ſacrata clauſtra perfringebantur. Virgines incolae, vitando dedecori omiſſa rerum cura petebant longinquos abditoſue ſeceſſus; & pudoris olim ſanctimoniaeq domicilia turpis inquilinus profanabat. In re vtique illa ſexus infirmioris, tanta petulantia eius externae tyrannidis fuit, vt quamquam ablatis, ſicut dixi, armis, conciderant animi ciuium, egregia tamen facinora ediderint viri feminaeq; vel in ipſa dedecoris patientia, vel ne dedecus paterentur, vel vt vindicarent, poſtquam paſsi erant. Nam, aut pater, fraterue, maritusue, cui filiã, vel ſororem, vxoremue temerauerat barbarus, aut mulieres ipſae petitae ad flagitium, verso in rabiem dolore, conſtupratores adulterosque suos, vel dum concepta turpiter libidine aeſtuant, imminentque sceleri, vel vbi iam victrix impudicitia fruſtra reluctantes ipsas expugnarat, interfecere. Diripuit ab insultantis latere pugionem vna infelix puella, iugulumq. eiusdem hauſit, & ſimul, ab moribundo ipsa iu-

gulata eſt. Tardior ad vindicandam iniuriam, sed felicior alia deuoluit feneſtra graue pondus, ita vt eliſo capite concideret ſtuprator in limine domus, cui recentem labem intulerat, labesq ſimul ipsa deleretur. Aliqua ſibi intulit vim exanimisq. collapsa horrore confudit impudicum. Inexsuperabili declinatione recusabat alia, donec ab irato eodem & impudico obtruncaretur. Et mulierum noſtrarum aduersus barbaricas turpitudines flagitia quidem huiusmodi fuere. At viri, quos in communi calamitate proprius aliquis eiusmodi iniuriarum attingebat dolor, ſicuti viros, ſicuti Mediolanenses decebat, egêre, paſſimque in cloacis & ad loca spurciora reperiebantur exanimes barbari, suo mandentes ore ea per quae peccarant. Quod foedum ac turpe dictu retuli tamen ad omnis impudicitiae terrorem; exemplumq. prodi ac memorari iſtud ipsa rei indignitas poſtulabat. Non enim homines illi amatorijs vllis obsequijs artibusue quaerebant ſibi aditum, ſi cuius fortè formam adamaſſent; sed qualia mulierum trãsalpinarum ingenia sub comitatis nomine aluntur, talem cum apud nos eſſe sexum rati, pecudum ritu irruebant. Tantaq. ea proteruia fuit, vt iuuenes noſtri, non ferentes ignominiam, irrumperent in regiorum domos, vxoresq. & filias eorum raperent viciſſim & mancipijs suis polluendas darent. Hae vices reddebantur; vnde irritatis dominantium animis, miserior quotidie conditio seruientium fiebat. Sed in eo insolentiae libidinumq; certamine, non aberat plebi di-

uersum

uerſum aliud contrariumq. malum fames, quae apud perditam inteſtabilemq. mulierculam in ſaeuitiae diu inauditae exemplum exceſsit. Iſabella nomen fuit vni, quae vagos per viciniã infantes puerulóſue excipiebat, & diſſectos in fruſta cõditoſq. ſale vorabat clam abſque vllo feralis cibi horrore ſicuti carnes aliae manducantur. Ea, nonnullas ſalſamenti eius ollas, cùm domi haberet, accidit fortè, hoc, vt felis quod animal auidiſſime vncta omnia perſequitur, extractam ex olla puerilem vnam manum circumferret abſq. flagitij intellectu, proximamq; ei carnificinae domum intraret, ex qua domo ſubtractam paulo antea infantem ſecuerat Iſabella aſſeruarátq. Et coeca omnis erat coniectura parentibus, quidnam factum de puella foret, quoue per errorem delata eſſet. Inter querelas anxietatemq. perquirendae Infantis, conſpecta pecude, quae conceptam ore dextellam ferebat, indicium primò id arripuere, dein veſtigia beſtiolae obſeruantes, dirum ſubiere tectum, atq. ibi diuerticula omnia perſcrutãdo repperere quas dixi ollas, & ſeparatã inollâ nondum plane conciſam infantem ſuam. Confuſae adhuc oris notae cernebantur, & comprehenſa protinus venefica, nec ſane inficiata quicquam, in rotam agitur, deinde crematur. Catharinae Seronae (id puellae nomen) lacera membra compoſita puerili tumulo, ad D. Mariae Secretae valuas in ſupero limine collocantur, atrocemq. casũ tabula ſubiecta narrauit. Atrox namq. viſum Gallico quoq. magiſtratui, poenaſq. cùm expetiuiſſent,

memoriã etiam prodidere. Ceterùm, toto illo Gallici dominatus tempore, quod fuit annorum circiter duodecim, ſicuti ius omne vitae cõmunis, vt demonſtraui, interciderat, ita Sacrorum quoq. iura ſublata & oppreſſa erant; ac praecipua violentia Lotrecus aduerſus Eccleſiae maieſtatem, omnia, quae continentur Apoſtolico imperio, Pontificumq. nutu, ſumpſerat ſibi & vſurparat. Ille ſacerdotia demandare quibus vellet, inijcere Sacerdotibus manus, fortunas & alimenta, & hereditates eorum arbitratu ſuo diſpenſare, contemptor diuinarum legũ & irriſor ſi quid ab Roma denuntiaretur. Sed ne Clericorum quidẽ interim inſtituta & mores erant Mediolani ſecus atq. tam importunae dominationis vi partem etiam corrumpi hanc neceſſe conſentaneumue erat. Non modeſtia coloreq. veſtitus diſtinguebatur is ordo à ceteris; ad Templa negligenter & incondite agebãt; ac ſi tecta eorum ingrederere, mariti parenteſq. vocitabantur. Nec multò plus litterarum in vnoquoque reperires, quàm in patre familias & opifice ſordidae artis. Quotus quiſque crederet, aut hunc illũ eſſe Clerum, qui artium optimarum ſtudijs, & vitae ſanctimonia cunctis pet Italiam gentibus ad Eccleſiaſticae diſciplinae perfectionem antea praeluxiſſet, aut Cleri famam eiuſdem ab maiore mox gloria per terras omneis eſſe diſſipandam? Tunc vtique, vel ſua, vel aetatis, vel imperitantium culpa miſer abſurdusque repente factus erat. Quis verò etiam crederet, in tam perditis rebus, tamque profligato &
deſperato

deſperato vrbis ſtatu, aut poſſe vlla mortalium pectora concipere ſpiritum vllum pietatis, aut ſi quae pietas hinc Celum pulſaret, locum ibi aditumq; eſſe inuenturam? Attamen, ſiue parante Deo praeſidia vrbi ſalutemq. rebus ex vrbe ipſa, ſiue hominibus ipſis, quemadmodum in periculo, vel metu conſueuere, propitiare annitentibus Numen, & quærentibus placamenta aliqua diuinae irae, conſtat pleraque per tempus illud funeſtum eſſe inſtituta & facta Mediolani pie ac religioſe, qualia vel in florentiſſima pace fierent atq. inſtituerentur. Nam primùm omnium, cùm ad D. Ambroſij ſubterraneam Aedem opis expoſcendae cauſa frequentiſſime à ciuibus iretur, & inter piacula alia, largae quotidie ſtipes egenis circũ ea clauſtra certatim darẽtur; paulatim ea tumultuaria pietas in ordinem diſciplinamq. adducta eſt, ac ſub eius ſubterraneae Aedis nomine, factum aerariũ, quod ſubſidio pauperibus eſſet. Ab eadem publica trepidatione, initijsq. ijſdem propagata fuit alia ſubleuandae egeſtati ſocietas ad clauſtra D. Marci, factaq. ſodalitio ſedes ibi in Aedicula, quae Crucifixi dicitur. Creſcente dein fama & authoritate ſodalitij eius, cùm principes etiam vrbis nomina illuc darent, Franciſcum quoq; Regem cum Claudia vxore & filijs duobus adſcriptũ inter ceteros lego. Namq. Regi ei Franciſco, ſuper ornamenta cetera, queis inter alios vrbis noſtrae Reges aut Duces cùm bona recordatione coli nomen eius poſſit, adfuerat etiam pietas generoſa, & ſyncera, & digna Chriſtianiſſimo

Rege

Rege, non callida & infelix illa, ancilla neceſſitatum Regni, ludibrium populis, ingrata Deo, fraudum comes, vel fraus potius ipſa. Portenta, quae ſub breui illius imperio viderat ciuitas, & calamitates infandae, quas eo per miniſtros hîc imperitante pertuleramus, imputari debent bello, nec omnia Gallorum genti, ſed gentibus ſimul alijs, quae in expeditionem eam ſecutae Gallos, & victoriae imperijque participes, vagae per prouinciam, immiſtae per vrbem, barbarica libidine ſimul & nuditate & violentia & contemptu religionum turpiter & crudeliter, impieque latrocinabantur. Semper iſta quidem exercituũ victoriarumq. omnium fuere, nec miles poſtea Caeſaris in ſua victoria continentior fuit. Praefectorũ quin etiam ducumue Gallorum, ſicut impotentes & diſſoluti aliqui fuerant, ita nõnulli ſpecimen eximiae Religionis, vereq; Catholici ſenſus edidere. Sed in recenti crebriſq. mutationibus obnoxio imperio, in atrocibus bellis, in infida pace, in terra aliena, mixtum ex pluribus gentibus exercitum, eumq; aut exultantem parta nuper victoria, aut mox educendum in aciem, coercere difficile fuerit etiam integro moderatoq. Duci, qui, vel nullos, vel ſibi concordes Imperij collegas habeat. In Gallica multitudine, praeter turbae militaris effrenem intemperantiam diſcordia quoq. & diſſimilitudo ducum, & eorum inter ipſos, tum vitia, tum virtutes aggrauabant rem, populuſq. interim & Eccleſia Mediolanenſis plectebatur. Ceterùm, Iacobus Triuultius, & Gaſton, &

Cardinalis

Cardinalis Sedunenſis,& Octauianus Maria, Laudē-ſis Epiſcopus, qui tenente Inſubriam Gallo pro Regibus illis vrbē exercitūq. & Imperij ſummā apud nos aliquādiu adminiſtrauere, potuerāt nataliū quiſque ſuorum magnitudine, vel ſacri honoris verecūdia, vel indole etiam animorum ita eſſe affecti, vt nihil indignitatis, nihilue iniuriarum admitterent admimttiue ab aliis paterentur. Gaſtonis certe qui Galliae Regi ſororis filius, & Triultio particeps in adminiſtratione rerum fuit, tum res geſtae mirifice ac diuinitus, & inſigni ad Rauennam victoria mors clarior, tum verò poſt mortem impenſa cura in monumentum ei egio ſumptu faciendum, & eius monumenti marmora irrita quae apud D. Marthae virgines exſtant; haec omnia credere prohibent, ſordidum aut humile, irreligioſumue quicquam adfuiſſe ei vt ad infanda illa conniueret. At huius Patriae ciuis Triultius, ob exortas ei cum Ludouico Sforcia inimicitias transgreſſus in Galliam, & summa ibi adeptus indeq. cum imperio redditus vrbi, debuit caritate reſpicere aliqua natiuā tellurem ne externa militari violentia diripi ſic ac fœdari eam pateretur, ſi vtique ad tantos inhibendos impetus valeret vlla poteſtas, vel certe ſi inhiberi eos poteſtati expediret cuius firmamenta iniuriae illae habebantur. Is origine Mediolanenſis, tranſitione Gallus homo, cùm in nouo imperio potens rerum ferme omnium eſſet, viciesq cum hoſte pugnaſſet, & par fere numerus victoriarum eius celebraretur, tactus ad extremum de-

ſiderio

ſiderio patriae, quae naturalis cuiq. mollitudo eſt, in ea Coemeterij Nazariani parte, quae Paradiſus dicitur, ſepulturæ locum ſibi & poſteris elegit ſicuti alte ſuſpenſa illic hodie coenotaphia Triultiorum cernuntur. Sacellum id dicauit Mariae Virgini victrici, teſtatus hoc ipſo, quòd res proſpere geſtas ad eam referret; addiditq. ſacrorum cultum, praedia, & pecuniae ſummam, & myſtas ſeptem, & alia quorum hodie vix vlla pars manet. Parum attinuerat excoluiſſe pijs operibus in mortis tempora vrbem, quae viuente ac praeſidente eo ingemuerat. Sed ne capita quidem beata praeſentium indigenarumq; ſanctorũ, vim arcuere, quae tunc Mediolani ſaeuiebat. Habuit enim etiam aetas illa celeſteis animas, quae furente in Metropolim tempeſtate, latenteis in occulto, acceptæ Numini, ignotae mortalibus, & ſeculo dignae meliore, exitium quidem ſuis meritis ab Rep. prohibuere vltimũ, non tamen ea, quae dixi mala auerterunt. Monaſteriũ, quod D. Marthae nuncupatur, eſt venerandae in vrbe antiquitatis, etiã ob incorruptam ob origine ſui famã, & nullo vnquã ſuſurro, nullaue ſuſpicione violatos virginũ eorum honores longe venerabilius; ipſoque Gallicarum importunitatum tempore, cùm nulla vſpiam ſatis tuta latebra honeſtati eſset, nihil omnino labis intra clauſtra illa fuiſse illatum conſtat, nihilue triſtius cuiquam earum accidiſse, dum in agris quoq. ſicut ferebant tempora, morarentur, In eo Monaſterio fuit Veronica Nigrona, quam Leo X. Franciſci Regis

rogatu

rogatu ritè Beatam appellauit, cùm ſub Pontifice Regeq; illo fama vitae ipſius, & aliud ex alio quotidie miraculum, quamuis occupatos longe diuerſis negotijs animos, magnitudine rerum ac nouitate perculiſſet. Namque ſtatim vbi exceſſit, ſecuta ſigna haec feruntur. Dariae cuiuſdam Virginis inſanabiles tumores depulſi ſolo cadaueris contactu: Chriſtophoro Laudenſi conſolidatus humerus, & ſanata luxatio cùm is quoque medicinam ab eodem contactu petijſſet. Virgines duae ordinis eiuſdem, amiſſo ob tumorem inceſſu, deportatae Mediolanum, impetrauere vt admouerentur, & rediere illico ad vſum crura. Gallorum etiam vnus, qui Mediolanenſi praeerat arci, nuncupato ob filiae ſalutem voto, quàm diuturna tabes abſumebat, filiaq; ipſa delata illuc, vbi inſepultum adhuc Veronicae corpus concurſu ciuitatis frequentabatur, damnatus voti ſuſpendit in Templo D. Marthae pretioſam veſtem, & erogato in aliquot ſolennia ſacra ſumptu, admirabilem in Sanctis ſuis diuinam vim publice adorauit. Nec deinde ceſſatum ab miraculis alijs, quamdiù corpus exſequiarum cauſa iacuit in feretro, quod ſpatium quatridui fuit, vt publicae pietati deſiderioque ſatisfieret; interimque nobiles viri, qui munus ſibi illud ambitioſe efflagitarant, in Templo excubias egêre. Iacobina quaedam, cui naturale vitium reſpirandi difficultas & pectoris anguſtiae lethaliter ingraueſcebant, af-

Eeeeee fluente

ſtnēte illuc populo ad ſpem erecta, ſimul atque in conſpectu cadaueris ſtetit, ſenſit meantem libere ſpiritum, & longo deinde vitae ſpatio perpetuum ipſa miraculum fuit. Maffeolae Gluſſianenſi contractum foede brachium, & elapſi in prauum artus, pari miraculo, motum, & decorem, vimque ſuam recepere cùm infelicia membra corpori beato applicuiſſet. Et ad intimos quoq; ſenſus animoſq; mortalium penetrante cadaueris eius potentia, fratres duo, qui furialibus accenſi odijs, alter alterius haurire ſanguinem parabant, condixerantq; locum & diem quo ſtringerent gladios in mutuam necem, poſitis repēte inimicitijs, deteſtati ſcelus in ſinceram & fraternam vere pacem coaluere, poſtquam ſoror eorum Luchina tragicam ſuae domus abominata calamitatem, flexo iuxta exanime corpus poplite petierat, vt propulſatrix illa tot malorum, etiam huic imminenti flagitio remedium pararet. At vbi ſubductum oculis fuerat, humiq; mādatum id Veronicae corpus, nihilo leuiora impetrabant quisquis recenti adhuc talium rerum memoria ſpem opemq; eandem tentabat. Paulatim inde, vti nequitia & ſecordia mortalium eſt, impietas obliuionem, obliuio diffidentiam genuit, & dum ſperare miracula non audent, obtinere deſierunt. Sed donec erga uirginem admiratio calorque animorum vigebat, ſingulis ciuibus, vt cuique pia ſpes, & ſine remedio calamitas aliqua erat, Veronicae velut manu ſalus è Celo mittebatur. Borela Comarchus hac ope repente conualuit e phtiſi, quae, cùm medicos omnes

fati-

fatigaſſet, pharmaca ſimul omnia conſumpſerat, & experimentis illls irritata inanibus quotidie ſaeuior fiebat. Tunc inuocata virgine, votiſq; nuncupatis, cōſpectus ſcilicet illico eſt ab lectulo proſiliens, & conſcenſo hilare equo per vrbem circumuectus eſſe ferebatur. Iſabella Crotta, Blancalucia Stanga, Blanca Marcellina, Camillus Falconius, & ingenti agmine alij cùm in malis quiſque ſuis, tutelarem ſibi Veronicam aduocaſſent, exemplo etiam alijs fuere, quò prōptius eadem illa inuocaretur. Captiuo populo, miſerae ciuitati, acciſis Eccleſiae reb., hoc per ea Gallica tempora ſubſidium fuit. Quo quidem tempore, in eodem D. Marthae Monaſterio, praeter Veronicam hanc, claruere mirifico ſpiritu ac diuino, Michelina inſuper, & Iuſtina, & Thadea; & harum quoq; enimverò diuerſus ab mortalium conſuetudine animus, & in hac ipſa mortali vita affinitas cum celo quædam, poſt quam ab oculis abiere, intellecta eſt. Sed Veronicae maius nomen, & maiora omnia, per quae nomen venit. Extant Apoſtolicae litterae Leonis X. per quas D. Marthae Monaſterio Pontifex ille conceſſit, vt Veronicam apud ordinis eius Templa & aras, ceremonijs, & omni imaginum honore coli licitum eſſet, eiuſq; conceſſionis diploma Martinus Epiſcopus Maconienſis, Franciſci Regis apud Pontificem Max. eo tempore legatus abſtulit, cùm haberet hoc ab Rege mandatum, vt negotium id inprimis Romae ageret. Nam & Diplomati ipſi exordium id fuit; optaſſe iſta Regem, & preces de ea re ſuas mandaſſe Legato. Scilicet

in maximi belli rerumq; commutandarum deſtinatione & cura, quam coquebant Pontifex & Rex, in vaſtis conſilijs inter mutuas ſuſpiciones, in profundo animorum aeſtu, qui paulo poſtea ad hoſtilē inſectationem & foedera inimica erupturus erat, tractabantur inter eos iſta & curabantur. Ceterùm imminente bello, cuius exitu, Gallorum eiectio, Galli Regis captiuitas, & nouum ac duraturum Mediolani Imperium parabatur, anteceſſere omnia, per quae Numinis indignatio, & rerum finis barbaro portenderetur. Nam praeter ea, quae iam demonſtrata ſunt mala vrbis, perſeuerabat Mediolani publica fames, & intermiſſo per iram atq; perſolitudinem agrorum cultu, deſcenſum naturali neceſſitate erat ad animalia etiam ea, queis tamen abſtinetur cùm ab legitimo cibatu ad alimenta damnata tranſire extrema illa calamitas coegit. Et epulis nutritos infelicibus mortales, languidoſq; ſicuti neceſſe erat, ad ſui defenſionem, lupi fugitiuum alias & ſylueſtre animal, tùnc immiſcere ſe ciuibus auſi, corripiebant paſſim, & ſuo trepidantibus periculo qui debuerant feras propulſare, depaſcebātur. Die, autem qui Apoſtolorum martyrio ſacer fuit, accidit res, quae prodigium videri malorum imminentium potuerat, niſi malum ipſa grauiſſimum habita eſſet, ac ſi videretur atrocius expectari poſſe quicquam eo, quod caſus ille tulerat ſecum. Tranquilla, & ſerena celi facies erat. Sol emenſus orbis noſtri iter, ad occaſum vergebat alteri mūdo laturus facem. Pleraque nobilitas, & feſto die greges artificum ab

ope-

operib. feriati ſuis, Clerici quoque. peracto quicquid ad templa peragendum erat, & pilentis vectae ſuis matronae ditiores cum ſobole alia comitatuq; iuuenili, miſta noſtratibus alienigenarum paria, prout Mediolanenſibus iunxerat Gallorum aliquem ſeruitij neceſſitas, vel ſuperbia imperij, conſuetudoq; diuturna, & familiare commercium etiam inter infenſos, cuncti, vt fit, appetente veſpera egreſſi in campum, qui Iouis arci ab interiore parte ſubiectus, fruitur libero ac patente celo, captabant auras leuamina caloris diurni, perque ſpatia illa ibant & redibant lente viam, conſederantue in herba, ſiue alicubi corona ſtantium fiebat. Turba ciuium infelix, quae tantiſper fortaſſe à calamitatibus quieſcebat, dum ſuas ibi calamitates loquitur: hoſpites ſaeui, qui tantiſper ceſſauerant ab iniurijs, dum iniuriae materiem circumſpectant ibi & proſpeculantur, omneis ſimul repentino celeſti caſu percuſſi ſunt, ſiue vt eximerentur malis, quae aſſidue multiplicia ſuſtinebant, ſiue in terrorem aut poenam, aut in aliorum ſalutem, cùm exemplo illo impiorum & fine, violentia minor reſtaret. Volitans cęlo flamma fulminis in modum cecidit ante portam ipſam arcis, quà ſulphurei pulueris cadi complures ſtabãt fortè conſtipati vt nocte illa plauſtris aueherentur. His illapſa cadis flamma comprehendit illico voracem ignis materiam, & reboatu ac fragore excitato ingenti traiecit in proximam turrim materiæ plenam eiuſdem, atq; ibi violentius inter anguſtias luctãdo ignes, molem eam à fundamenris repente conuulſam longe

ac

ac late per aera diſſipauerunt, ita vt feruida ſaxa magni ponderis vltra quingenteſimum ab arce paſſum quaſi contorta baliſtis inciderent. Minores lapides lõgius etiam volitauere. Tunc enimuero, per totum cãpi ſpatium ſtrages facta eſt, qualem, non niſi ab Numine fieri appareret. Saxa ingruentia e cęlo capitibus inciderant, priuſquam daretur cogitandi tempus vndenam venirent. Et quia, e ſublimi veniebant, quò flãmea vis eiaculata marmor erat, non fracto ſed aucto circa finem impetu, violentiâ ipſâ properoq; exitio moriendi ſenſum pleriſque auferebant. Triſtior conditio fuit eorum, qui minore aliquo ictu quaſſati, adaperto & lacerato ad vitalia capite, per aliquot deinde horas nulla in ſpe animam trahebant. Ac ſæuientibus etiam equis terrore ſimul & lapidum vi fuſæ e carpentis mulieres, & pari alienorum equorum conſternatione protritæ, apertis quæ tegenda erant, & dum eiulant humi, dum euoluuntur, eadem ſuperne peſte multæ perierunt. Virorum quoſdam, intellecta cladis origine trepidantes in circumiecta tecta cadẽs nihilominus vndique ſæuus imber, dum ſe putãt euaſiſſe, oppreſſit. Totos & in circulis globos iuuenum vti colloquentes ſtabant, non lapis vnus, grandeue ſaxum, ſed integra pars ruinæ, ſicut abrupta & in altum proiecta deciderat, inuoluit arietauitq; in terram, & quibus citra mortem ruina illa acciderat hi propter mutilata & inutilia membra ceteramque quaſſationem, ipſis poſtea mortuis inuidere potuerunt. Periere intra arcem ad centum quinquaginta, pręfectuſ-

que

que ipſe arcis,quam quidem ruinæ continentes ab ea parte,ita nudauerant,vt niſi attoniti eo caſu Mediolanẽſes plane animis concidiſſent,nihil negotij fuerit, etiam ex tam miſero aſſurgere ſtatu,& magis attonitos fluctuanteſque Gallos deijcere inde patriamque liberare.Sed pars vtraque in id intenta, quod Numinis iræ tanto principio vltionem aggreſsæ minitarẽtur,prope deſierat perſequi vel timere alteram. Non ſane ego nimium vnquam incredibilia & prodigioſa ſecutus fuerim,ſatiſque habeam in tradenda hac memoria antiquitatis, ſi fraudes & miſerias ipſorum inter ſe hominum, vel ſi quid etiam homines cum laude egerunt,& magnos patriae caſus,qui,vel pace, vel bello euenere, memorauerim ità vt cum fide accipiantur.Aduerſus miracula quidem ſuperbi nimium ſæpè ſunt animi legentium;atque,vt noſtra facile ſimplicitas,& diuinæ magnitudinis gnara mens conquieſcat, non eadem manſuetudo ad credẽda iſta ciuilibus ingenijs erit.Ceterùm,approbatam rem aliam Pontificum authoritate traditioneq;communi,& hominibus ſpectatam illis, qui ad noſtram ætatẽ vixere cũ pueri tunc fuiſſent,tranſiri atque omitti prohibet teneritudo etiã illa,quam erga res omneis diuinas habemus. Canobij,qui locus eſt in Verbani lacus litore, fi equẽti mercatu, & vetere Borromeæ Domus Comarchia inſignis,ibi in publico hoſpitio,imaginem Chriſti Saluatoris,quæ ex pariete ſuſpenſa pendebat, ferunt,diebus ijſdem,quibus haec Mediolani clades accepta erat,magno repẽte tremore fremituq; horribili vltro eſ

ſe

ſe concuſſam;dein ſacroſancti lateris hiatu vim ſanguinis effuſam,qui toto conclaui manaret, reſpergeretq; adſtantes;poſtremò ab hiatu eodem paruam coſtam excidiſſe; Antiſtitẽ Canonicoſq; loci & populũ eum omnem,re nuntiata aduolaſſe illuc,ac poſtquam ſuxerint ſpungijs omnem diligentiſſime cruorem,ſolenni pompa,ſpungias ipſas, tabulamq; pictam , vna cum coſta,quae inde proſilierat,templo intuliſſe. Addunt inde miraculum aliud ; cùm ſpungiarum earum ſanguinisq; contactu diuinitus quotidie multa patrarentur , & petendae opis cauſa templum illud vndique adiretur,mercatorem vnum,die quodam, ſacerdoti,qui rem diuinam in ea ara faciebat , argenteum nummum didiſſe ſpungijs coſtaeque admouendum, cumq; ille admouiſſet,protinus eſſe occoecatũ, haud dubie quia myſteria illa tremẽda circumforaneo aere profanarat.Hæc licet prope excedãt fidem, firmãtur tamen eorum teſtimonio,qui proximi temporibus illis fuerunt,& narrantes audiuere eos,qui ipſi ſpectaculo affuerant,inhoruerantque . Et noſtra memoria D.Carolus,cùm Dioeceſim ſuo more luſtraret,interrogatis eius orae ſenioribus, & re comperta quae acciderat,cohortatus loci incolas , vt domũ eam publicè coemerent,aream templo deſignauit ibidẽ vbi ſanguis manarat.Nunc prodigijs omiſſis,cauſas & initia belli expediam,quod bellum geſſere inter ſe Reges, dum vrbis Mediolani vterque imperium trahit; neq; originem tantummodo exitumq; cõtentionis, ſed iura ſimul & momenta cauſae explicabo , vt intelliga-

tur

tur, quid aequi, quid inique fuerit in vtraque parte, imperiumq; hoc ipſum, vtri duorum Regum, finita (quod propediem fore apparebat) Sforciarum domo, deberetur, etiam ſi non rerum euentus inſtar iudicis fuiſſet. Nam niſi ius in armis pars vtraq; Regio more collocatum haberent, aiebant Regi Franciſco homines ſui, ipſeq; publicè aiebat; aut rem Mediolanenſem, Inſubriaeq; Principatum recuperandum eſſe ſibi, aut Galliæ quoq; Regnum omittendum, & parte hac vxoriae hereditatis poſſe indignum videri, niſi illam quoq; vindicaſſet. Quippe Valentinam Ioannis Galeatij filiam auiam ſuae vxoris, cuius dote haberet Regnum, ea conditione datam fuiſſe Ludouico Aurelianenſi, vt proles, quae ex ipſa naſceretur, ſuccederet in Mediolanenſis Imperij iura, quandocunque, finita fratrum ſtirpe, finis ſucceſſioni Vicecomitum fieret. Conditionem eam, pactumq; nuptiale illud, eſſe Pontificis maximi authoritate confirmatum. Id valere perinde ac ſi Caeſar ipſe confirmaſſet, quādoquidem vacua tantiſper imperij ſede, ratum eſſe oporteret quicquid in eiuſmodi rebus à Pontifice decerneretur. Etiam alia Pontificum decreta, transferendo, ſiue confirmando beneficiario iuri, quod ius Caeſarum Imperatorumue eſſet, nuſquam in controuerſiam vocata eſſe. Bona omnium pace ſtabiles & legitimos manere principatus, quoſcunque ſuprema Sedis Apoſtolicae poteſtas, nullo Caeſare adiudicarit. Item, Valentinae ſanguini datum a patre, confirmatum à Pontifice munus,

nus, Deo hominibus approbantibus, ſe eſſe cõſeruaturũ exẽplo maiorũ ſuorũ Caroli, & Ludouici, quorũ alter, poſt Philippi Mariae Vicecomitis exceſſum, maternam hereditatem ſtrenue, licet improſpere vindicare ſit conatus, alter proſpere vindicarit, & capto, qui alienum Imperium tenebat, Sforcia, fuerit etiam Apoſtolico diplomate reſtitutus in priſtina iura, ipſe poſteriq; eius. Dicebatur contra; Philippi Mariae obitu, qui ſine vlla virili ſtirpe deceſſiſſet, rediјſſe Metropolim in Romani Imperij arbitrium atq. poteſtatem, vnde olim alienata exciderat. Maximilianum Caeſarem Caroli Caeſaris Auum diſerte clareque reuocaſſe, reſcidiſſe, aboleſſe quicquid exturbator pupilli Sforciae Ludouicus impetraſſet antea emiſſetue. Magna iniuria violari Apoſtolicae Sedis famam, ac dedecorari ſupremum tribunal, ſi damna, & raptus, & alienae rei donationes inde expectentur atque referantur illuc, vnde ſummi infimiq; mortalium præſidium & opem aduerſus talia petant. Ne Caeſarem quidem ipſum dignum fore Maximiliano Auo ceteriſq. maioribus ſuis, ſi lõgo prouiſu reſeruatam ſibi ab eis Inſubriae hereditatem, cunctatione vel deſidia eſſe apud alienos ſineret. Reſeruaſſe namque Auum nepoti terrae eius imperium, & rite etiam de manu in manum tradidiſſe tunc ſcilicet cùm Gallo prius tradidiſſet ea conditione, ſi vnica infans illius Claudia, quemadmodum infanti item Carolo pacta eſſet, matrimonio iungeretur. Eo protinus diſſoluto nuptiali foedere, Claudiaq; deſpon-

ſa

ſa alteri, rem ſimul fuiſſe inanem, & Carolum ſtatim ab eodem Caeſare auoq. Maximiliano coram Philippo patre in iura Mediolanenſis Imperij fuiſſe aſcitum. Haec igitur, & alia aſſidue audiendo, ſiue dictitando cogitandoque exaſperabantur iuuenum Regum feruida ingenia, alteri quidem ad tuendam, alteri verò ad recuperandam terrae poſſeſſionem, quam vterque relictam ſibi à maioribus crederet; ſiue credi ab alijs vellet. Et magnae rei euentus accenderat inſuper auxeratque animos, hinc gloria, hinc ira, poſtquam mortuo Maximiliano, nomen Imperiumque Caeſaris tenuerat nepos, irrito omni Regis alterius tentamento, quem VII. Viri Electores repudiauerant, vt alienigenam & externae fidei, prætulerantque Carolum originis ſuæ, ſanguiniſque Caeſariani, & opum magnitudine tantæ moli parem, vimque & famam imperio ipſi vltro additurum. Tertius annus Regi Franciſco erat parti per Inſubriam Imperij, compoſitarum, vt ipſe rebatur, Mediolani rerum, & illaceſſitae pacis, cùm occultis agitata conſilijs, & diu incluſa pectoribus machinamenta denique eruperunt, iunctiſque cum Pontifice Max. Cęſar exercitibus ad Gallos eijciendos, Italiamq. ſicut ipſi ferebant, liberandam incubuere vi tota. Namque Pontifex Leo, Medicaee nobilitatis natos in *Domo*, cuius nimia potentia, ne Patriae quidem ſuæ ferre libertatem poſſet, impatiens ipſe otij, & magnitudine Pontificatus irritato magis quàm expleto animo, ſtudiorum quoque genere pronus in ancipitia laceſſebat

vltro magnas occaſiones, & apud eum conſilia nouandarum rerum aſſidue agitabantur. Ac principio, quidem, is animus & pares animo opes ex Eccleſiaſtico imperio ſimul & Florentina Rep. quam Pontificis pater tenebat, conflatae, verſis in Galliam ſtudijs, ac prope inito illic foedere, cladem Caeſari Hiſpaniſque prope conflarant. Sed, dum occulti foederis arcanae conditiones in Gallia, Romæue tractantur, controuerſia, vel difficultate exorta aliqua, hinc diffidentia gliſcente inter partes, poſtremò irritatis palam alienatiſq; animis, conſilia eadem, quae pro Gallo aduerſus Caeſarem inclinarant, pro Caeſare aduerſus Gallum ſtetere. Fueratque tanti partibus ad ea, quae agitabantur, præſidium Apoſtolicæ Sedis adiunxiſſe ſibi, atque Pontificem habuiſſe coniuratum, vt abſque momento eo, rem torpere ipſam, & Regum hærere animos, atque à belli conſilijs auocari neceſſe eſſet. Non enim, id virium alterutri Regi eo tempore erat, vt poſſet tuto laceſſere alterum; & Gallo ſocia ac propinqua Venetorum arma tegebant Inſubrum fines, ne nuda apertaque Hiſpanis exercitibus prouincia Mediolanum eſſet, & Hiſpani viciſſim Neapolitanum Regnum vota altera ſolicitudinemque Gallorum, ſi nihil ab Pontifice moueretur, egregie munitum habebant. Heluetiorum mercenaria auxilia copiæque venales, non huic, aut illi Regi addictæ, ſed in partem eam pronæ ſemper, quae præſentis pecuniæ vi acrius inſtaret. Ceteri per Italiam populi principeſue, neque adeò per ſe tunc validi opibus aut armis, vt

ma-

maximis duobus Regibus interiecti, dare vel adimere victoriam poſſent, neque ita affecti animis, vt vnum magis, quàm alterum inualeſcere Regem vellent. Hanc rerum aequalitatem faciendo bello alienam Apoſtolica arma Romanaeque opes parti alteri adiunctæ diſiecerant nunc, atque ex inutili illo torpore excitarant. Ceterùm, Pontifex Leo, quanquam initum iam haud dubie cum Caeſare fœdus haberet, nec ſenſibus tantummodo intimis, ſed etiam negotiatione tota conſpiraſſet aduerſus Gallum, voluerat tamen eius foederis initio, vires potius & arma quàm nomen & famam ad Gallos eijciendos commodare Caeſari, vrbemque Mediolanum ita circumueniri poſſe autumabat, vt tentata ſimul & patrata re, conatus exituſque negotij tempore vno ingrueret, atque ab ſenſu foederis initi auerteret animos. An fortaſſe, incerto adhuc euentu latitans, nihil faciebat hoc, ſi re denique perfecta in parte operis ipſe deprehenderetur; vel etiam, poſt euentum deprehendi vltro molitor & artifex Gallicæ eiectionis volebat? Huius autem repentinæ irreptionis, quæ callide inſtructa celaret apparatum ſuum, vt exitu prius quàm motu aliquo ſentiretur, diſpoſita conſilia in hunc modum fuere. Nobiliſſimus quiſque Mediolanenſium, qui, vel in exilium acti & proſcripti Gallicis edictis, vel ob indignitates quae perferendae quotidie erant, exſules vltro ac fugitiui auios ſeceſſus in extremis Patriae finibus quaeſierant, adierantue finitimas vrbes, aut, in Tridentinis alpibus circa extorrem

Sforciam

Sforciam conſtipati motum deſperatae vrbis aliquem expectabant, hi ſimul omnes repentino, quà quibuſque proximum eſſet, incurſu, diſperſos per varia Inſubrum loca obtruncare Gallos debebant; præſertimque Mediolani ſtrages futura regnantium erat in ipſa iniuriarum ſede & libidinum Regno. Alios oportebat exſules ad Rhegium in Pontificiam per ea tempora vrbem congregari vniuerſos; partibus ibi vicibuſque deſcriptis, & aſſumpta inſuper alia militũ manu, diſcedere globos ad ſua quemque munia, defungique cæde Gallorum, & patriæ malis imponere magnum diem. Reſpiciebant cuncti nutum authoritatemque Hieronymi Moroni, qui Franciſci Sforciæ continuus ipſum quoque regebat, & cognita Pontifex ac Cæſar prudentia viri eius gratiaque quam apud exulem is teneret, cuncta cum eo compoſita, & communicata habebant; pleraque etiam reliquerãt ipſius arbitro & fidei gerenda, prout gnarus homo opportunitatum animorumque Prouinciae & vrbis maximè cenſuiſſet. Is inter cetera mandauerat Manfredo Palauicino potentiorum exſulum vni, vt nocte quadam per Larium lacum ſurdo remigio delapſus cum idonea manu ſuccederet ad moenia vrbis Nouocomi; paratam ibi proditionem aditumque & cuncta in tempore affutura monſtrarat. Ab altera parte, tempore eodem, miſta ex Pontificijs Cæſarianiſque nauibus claſſis contra Genuae portum obijciebatur in ſpem aut terrorem commouendis il-

lic

lic etiam rebus, ſicuti turbata factionibus inteſtinis Ciuitas auxilia aliqua externa circumſpectabat. Ordo inſidiarum hic fuit, quae nullum felicem exitum habiturae erant, credo, quia iuſto potius bello debellari eijciq; Gallos oporteret, ne tantus ille liberandae Italiae titulus, & actio tam praeclara turpi fraudum vllarum nomine dehoneſtaretur. Dum trepidant exſules, dum ad facinus accinguntur, excepere Galli indicia omnia rei, quae ſumma ope tegenda erat, vltroq; Scudus, qui Mediolani Regis nomine prouinciam tuebatur, obuiam iuit, & auctis per omnia loca praeſidijs, erexit populares ad ſui cuſtodiam, atq; ita illud tantae ſpei conſilium repente diſcuſſum eſt. Ad Nouocomum verò facta eruptione inſidiatores oppreſſi, & Manfredus Palauicinus militari cuſtodia ductus in vrbem obtruncatuſq; eſt vna cum Barptolemaeo Ferrario, quem à Morono ſolicitatum fuiſſe conſtabat vt pro ſalute patriae aliquid auderet, neque rem ad magiſtratum vrbis ille detulerat. Adijcitur crimini & ſupplicio patris filius, propter aetatem nullius conſilij particeps ille quidem, ſed ob detectas inſidias, impetus & ira Gallorum etiam fortuita pro crimine arripiebat. Ita motus omni & coniuratio exulum irrita fuerat. At Genuenſes, ad foederatae claſſis adſpectum erectis ſubito animis, & coepta rebellione, compreſſi ſunt ab Duce Fregoſo qui cognito ciuium motu, ſeſe & vim imperij ſtrenue obiecit, atque in ea etiam parte ſpes eluſae. Spes deinde omnis in aperto Marte re-

lin-

linquebatur; & Pontifex Leo collata in violentiam manifeſtumq. feruorem latēdi arte, qua ad eam diem vſus fuerat, abrupta palam omni cum Galliae Rege amicitia, cuius manebat adhuc ſpecies, quaeſitaq; noua ſpecie, quaſi tunc primùm cum Hiſpano iniretur foedus, cauſando Gallorum in Apoſtolicam Sedem iniurias, obſequium & beneficia Caeſaris, armorum ſocietatem, quae pacta & diſſimulata erat, ſanxit ceremonijs, atque de ea re ſtatim in hanc ſententiam edicta promulgantur. Pontificem & Caeſarem ad pellendos vrbe Mediolano totaque Italia Gallos, arma, & imperium animoſque coniunxiſſe, quòd eam rem Apoſtolicae Sedi Eccleſiaeq; Catholicae, & nomini Italo ſalutarem atque glorioſam forè ſtatuerint: de eius rei proſpero exitu, vti omneis, enixe Deum obſecrarent, foederiſq; ipſius pro publica ſalute ſuſcepti ſanctum & inuiolabile nomen fauore ac veneratione amplecterentur. Foederatorum deinde ipſorum nomini ac maieſtati, principiò conſentanea cuncta erant, belli duces, equitatus robur, peditum cohortes, ſtipendia & commeatus; & quacunque exercitus incedebat, reuerenteis animi erga agmen, quod Pōtificis Leonis, & Caroli Caeſaris miſſu ad liberandam ire Inſubriam dicebatur. Summa copiarum fuit, equites quinque millia, peditum viginti millia & quingenti: Imperium & tota rei militaris poteſtas penes Mantuae Demarchum & Proſperum Columnam, ſed ille huic parere iuſſus, moxque eodem imperij iure Daualus acceſſit. Vn-

de

de poſtea aemulatio ducum, & ſæpe diſcordia inter ipſos allatura exitium rebus, niſi in hoſtem ire turiam conſilio ſuperum, iam mortalium ira eiectioni triumphoq; deſtinatum. Gallus tamen etiam ipſe viciſſim audito hoc rerum motu ſtrepituq; foederis, totas Regni vires ad defenſionem Prouinciae Mediolanenſis impigre ciebat; & exercitum aliquanto validiorem habuiſſe fertur, duces quoq; nihilo deteriores noſtris, Lautrecum & Scudum germanos inter ſe fratres, concordes eo vinculo, & continendis ceteris efficaces. Si pecunia, & quae temere inuocatur fortuna adfuiſſet, pars contraria in ſuam ipſorum perniciem inierat foedus, magnamq; Pontifex & Caeſar cum ignominia cladem accepiſſent. Sed apud iuuenem Regem infenſi fratrum gloriae principes, & Regina Mater muliebribus anguſtijs ſubſidia belli vertens in alios vſus, fortes Lautrechi conatus & magna coepta ſaepe turbauerunt, atq; penē ad deſperationem adduxere ipſum; interimq; ſi qua data erat opportunitas, fugacia occaſionum momenta, e manibus elabebantur, admodum procliui ad exitium itinere, cùm Ducis culpae fortunam ſua ſponte vrgentem aggrauarent, fortuna quaſi laceſſeret culpas, quò celerior veniret clades. Neque rurſus in foederato exercitu ludibria ſiue vitia eadem defuere, qui, cùm initio decorus tremendusq; omni Imperatoria & militari diſciplina inceſſiſſet, eique diſciplinae conſentaneus exitus communi omnium expectatione deſponderetur, paulatim, deinde perturbatione exorta, confuſis attenuatiſve

 rebus,

rebus, irritatis animis, infauſto etiam expeditionum aliquot euentu, eò eſt redactus, vt, & Gallorum potius quàm Sedis Apoſtolicae, vel Romani Imperij exercitus videretur, &, qui Gallico exercitui finis fuit, eum quaeri vltro & prouocari ab fœderatis hiſce appareret. Cùm enim in aggredienda Metropoli, ſtatuiſſent prius expugnare Parmam & Placentiam, ſcilicet vt tuta ab tergo cuncta relinquerent antequam negotio illo maiore implicarentur; magnum id imperatoriumque conſilium, & ſua ſponte infelix fuit, & quò infelicius addita inſuper ignominia eſſet, errores & diſſidia ducum fecere. Oppugnata per dies aliquot nequicquam Parma: diminutus ibi exercitus: abſceſſum à moenibus tunc cùm ſi pauliſper inſtitiſſent, capi vrbs potuiſſet: flagitij eius verecundia accenſi mutuis odijs duces, cùm alius in alium culpam conferrẽt, omnesq; verius deliquiſſent: prope alienatus à Caeſare Pontifex, foedusq; prope diſſolutum: facta apud populos imperatoriae exiſtimationis iactura. Neque res alia ab foederato exercitu cladem vltimam prohibuit, quàm Lauterchi maior infelicitas, & infortunia hoſtium maiora, ſi nomine appellari licet iſto, quicquid illud ineuitabili potentia arcanoq; impulſu, & modis occultis incubuerat genti Gallorum, vt Mediolano Italiaq; pellerentur. Poſtquã turbulente conſultando, miſere exſequendo, criminandoque inuicem, conſumpſere duces tempora illa inutiliter, dum iurgantur adhuc, tentantue nonnihil, haerentue, aut trepidantium modo ſubinde ſtationem mutant,

adſue-

adfuere decem millia Heluetiorum expectatum ante auxilium, & præcipua cauſa trepidandi, quia incertum fuerat, an venirent. Venêre per Bergomatum fines; aduentusque gentis & fortuita res etiam iter, quo minime ſperabatur initio & aditu victoriam dedit. Quia enim circa eos Bergomenſium fines coniungi exercitum vtrumq; oportebat, occaſio inde nata eſt tranſeundi flumen Abduam, cuius vlterior ripa Mediolanenſem agrum inchoat finitue. Proſperus Columna erat vt dixi in foederato exercitu arbiter omnium rerum, de quo homine ſecunda pleraque ad famam, nonnulla ſecus prodidit anceps ferè circa magnos viros hiſtoria memoriaq; hominum adeò recens vt nondum exoleſcat. Is, non apud ceteros modò duces militaremq; turbam inuidia laborabat quòd Parmae oppugnationem in propinqua ſpe eius capiendae vrbis ſoluiſſet, verùm etiam Romae atq; in Hiſpania coeperat ea res eſſe infamis; indeq; labor & inquietudo ipſi, vt conſilium illud ſuum ingenti aliquo facinore & felici exitu principibus iratis & communi famae approbaret. Speculatus ad Vaprium facile traiectu flumen incuſtoditamq; ripam, inconſultis Daualo & Gonzaga, vt famam gloriamq; rei ſolus haberet, vitata etiam per obtrectationem omni Hiſpanorum militum ope, nocte intempeſta, cohortes aliquot Italici generis, praeparatis in idipſum ante ſcaphis traiecit. Vt primi qui tranſierant, locum tenuere, alios ſubinde, atq; alios Columna tranſmittebat; & orta luce, plenam milite ripam, ſeq; operis

auctorem ducibus reliquis exercituiq; vniuerſo oſtendit. Tunc enimuerò, felici inuento acclamauere etiã qui inuidebant, & mox flumini pro ſe quiſque, varie inſultanteis veſtigia vniuerſi ibidem poſuere. Acre certamen in ripa fuit, dum Galli ſerò ad deijciendos qui primi tranſierant, accurrunt; & fratris miſſu Scudus ipſe cum quadringentis aderat. Sed maiora deinceps agmina tranſuehente flumine, opprimebantur. Diuerſo deinde trãmite, tempore eodem, exercitus vterque, Galli ad cuſtodienda mœnia portasque vrbis, fœderati ad ſpem conatumq; irrumpendi tetendere. Gallus propero agmine ſuburbia vicoſq; inſedit: noſtri capto longiore ambitu, Meliniano ab municipio in Clarae Vallis prata proceſſerunt. Ibi ſtatiua habebant; melioreq; iam fortuna, & ſpecie etiam auguſtiore ob Cardinales Legatos, Medicæum, & Sedunenſem, queis Cruces argenteæ praeferebantur, imminebant vicinae vrbi foederata arma, cùm res accidit, quam politica etiam ſubtilitate faſtidioſi ſcriptores quaſi crederent, retulere; referamq; ego Franciſci Guiciardini fere verbis pene admirabilem caſum. Apud Claram Vallem, in prato, dùm Legati Cardinales, ceteriq; principes exercitus ſederẽt ad inſpiciẽdas cohortes tendentium ordine Heluetiorum intenti, ſtetit in eorum conſpectu quidam natu grandis; os habitusque plebeij hominis erat; & ab D. Satyri Paroecia miſſum ſe eſſe vociferabatur. Pergerent, venirent; populum Mediolanenſem, conſpecto liberatore exercitu, protinus arma in Gallos eſſe capturum, id modò

cum

cùm magna voce dixiſſet, abijt repente ex oculis, & quamuis acri poſtea Legatorum cura ad inueſtigandum quiſnam ille mortalium eſſet, nuſquam eſt repertus. Ceterùm, Cardinales duceſque ceteri, nonnihil quidem etiam omine permoti eo, ſed multo magis conſilia ſequentes ſua, quae præſens forma rerum, & ex vicino conſpecta cuncta hoſtium dabant, motis ab Claraualle caſtris, appetente nocte ſubiere ad foſſam, quæ duabus Portis, Ticinenſi, & Romanæ interiecta muniebat vallum, & vallo regionìq; ei Veneti pedites cuſtodiae cauſa appoſiti erant. Hi, ſimul atq; ſiſtulatores conſpexere Hiſpanos, quam de induſtria manum Daualus obiecerat, dant impigre terga, valloque nudato, & ſtatione relicta, liberum ab ea parte aditum irrumpentibus dedere. Mox, & priorum veſtigia ſequentibus alijs, nouoſque ſibi aditus aperiente exercitu, & effuſa obuiam ad accipiendos liberatores nobilitate, tumultuante populo, praeſidijs labantibus, mutata omnium fide, plena omnia Caeſarianorum fuere. Pontificij, cùm in extremo agmine fuiſſent, captam iam haud dubie vrbem ouantium ſpecie intrabant. Gallis in tam repentina clade ſubſidium vnicum erat fugere in arcem Iouis, cuius haud vnquam neglecta, ſiue intermiſſa cuſtodia fuerat. Inter tela, & gladios, & ingruentia etiam ſuperne ſaxa, proripiebãt ſeſe eò milites, duces, magiſtratus ipſi, & dum euadere tendunt, vulnerabantur ab ciue ſimul & ab hoſte velut hoſtes in aliena vrbe deprehenſi. Sua nuper tribunalia ſuaſq; domos reſpergebant ſanguine, ſi quos

ibi

ibi cunctantes deprehenderat victor; atque tam improuiſa res obſtupefecerat animos ab vulnerum pene ſenſu, cùm omnia captiuitatis exempla adeſſe viderent antequam captam eſſe vrbem ſuſpicarentur. Nec minus obſtupefecerat tam laeta fortuna victores, quòd abſque ſuo ſanguine, abſque difficultate vlla caput belli Metropolim prima irruptione cepiſſent. Dederat autem fęderatis tantam ex inſperato victoriam ille qui plurimum in rebus humanis poteſt caſus, quique in bello praeſertim res ſaepe magnas & admirandas effecit. Namq; foedo imbribus tempore, verſis in coenum campis, atque corruptis itineribus, non crediderant Galli, moturum hoſtem eo die caſtra, maxime propter bombardas, quæ humido paludum, & profunda paſſim vligine, (ſicuti regio eſt illa) tarde tranſueherentur, etiamſi celeſtium aquarũ proluuies illa non acceſſiſſet. Ea ſpe reſoluti in ſecordiam Galli, feſſiq; inſuper recenti ad vrbem curſu, aut nocturno ad Vaprium praelio, ſegniter obibant munia ipſa ad quæ accurrerant. Sed Daualus interim, monſtrata ſibi fortè per agreſteis ſemita glareoſa quadam, ſubſtructaque, & marginata, atque ob id firma plauſtris, & expedita agmini, contempto pluuiarum incommodo, traduxit repente tormenta, & exercitum, oppreſſitq; inopinanteis. Capta in hunc modum, vel potius liberata Metropoli, ſubiectæ vrbes capiuntur vi eadem, exemplumq; ſecutae, caeſis pulſiſue Gallis, accepere noſtros, & cunctae fere Caeſaris nomen inuocabant. Lotrecus & Scudus cum

infe-

infelicibus reliquijs profugi ab vrbe, vagati aliquandiu per Bergomenſium fines, & petito inde ſupplemento, Cremonam poſtea aggreſſi, proſpero illic euentu, & fiducia Mediolanenſis arcis, locorumque nonnullorum, ſtrenue reparabant bellum. Interea Pontifex Leo extinguitur haud ſine veneni fama, ſiue corrupto pincerna, vti creditum eſt, miſcuere aliquid Galli, ſiue lautior victus, aſſiduaeq; curae inuexere febriculam, & homines ſuo more interpretati ſunt. Morte eius, atq. perturbatione nouorum comitiorum, Interpontificijq. licentia, ſuſtulere Galli animos, deceſſit ingens Caeſari auxilium, & magnis ad reliqua belli perficienda conſilijs, atq. apparatibus, nec pecuniae facultates, nec copiae militum eaedem ab Roma aderant. Itaque in ea rerum inclinatione, cùm quidem etiam Caeſar tranſalpino alio aduerſus Regem eundem bello implicitus teneretur, metus ingens inuaſerat omnes Inſubriae populos, ne fortaſſe deſerti redirent in Gallorum poteſtatem, & acrius deinde premerentur eo iugo, quod excutere conati eſſent, quoue excuſſo nimium laetati. Parmam Lotrecus acerrime oppugnabat: habebat Cremonam: Nouaria & Alexandria, Tritium, & Domuſſola, & Arona, praeſidio Gallorum adhuc tenebantur; & praecipuus omnium terror ab Iouis arce Metropoli imminens hoſtis, quaſi minitabatur, repentina illa & nimium felici irruptione nihil eſſe actum. Dux Ferrariae, qui Pontificis Leonis metu dubitarat, poſtquàm ille exceſſit, nudato penitus animo, commodabat

Gal-

Gallis arma, ipſeq. prodierat aduerſus prouinciae ſalutem armatus. Heluetij, decem millia ſuae gentis prius negata Regi Franciſco conceſſerant nunc, eaeq. copiae digreſſae Rheticis alpibus in Orobios, & eodem vſae titulo, qui foederatis fuerat, ad liberandam Inſubriam, Hiſpanoſq. pellendos ire ſeſe enimuerò gloriabantur. Non res magis alia ſpem populis inchoatae ſalutis abſciderat, quàm auxilia ea repente addita Regi Gallo: quem rerum bellicarum more, ex afflicta fortuna perditoq. ſtatu, rurſus Mediolani eſſe regnaturum credebant. Ad haec, incertus exitus comitiorum, ancipiti expectatione diſtraxerat curas, cùm tam Gallicae quàm Hiſpanae factionis, contingere Pontifex poſſet, ſicuti profane vaticinantes loquebantur. Qua vaticinatione & metu, Proſperus Columna, Cardinalem Eporedienſem per Mediolanenſis agri fines Romam ad comitia illa properantem, vi, ſeu dolis inhibuit; incertumq; fuit, Caeſaris iuſſu, an ſua diligentia, rem eam atrocem auſus fuiſſet. Nec minus ipſi inter ſe Cardinales id celeſte negotium intra conclaue ſtudijs humanis fruſtra impediebant, dum principes partium & factioſiſſimus quiſq. in Gallum, aut Hiſpanum proni, Pontificem, qui huic, aut illi cordi foret, anteponunt, ad momenta maxime belli huius, certamina ipſi ſua contentionemq. dirigentes, atque ita gratificantes Regibus. Sed hominum nequitias altitudine ſua contemnens Deus, vertenſq; ſæpe in bonum, eo certe comitiorum tempore, ſi vnquam alias, eluſit ſimul, & coegit inſtrumentum

eſſe

eſſe rei, quam nemo futuram vnquam exiſtimaſſet; Dum enim Medicaeus, & Columna, primores Patrum, aut habere ipſi, aut arbitratu ſuo collocare ſummum honorem volunt, magniſq; conatibus & artificijs ad ſua nituntur vterque vota, & pleni artium earundem ceteri Cardinales, hunc, aut illum ſequuntur, die quodã ad ferenda ſuffragia de more congregati, de Adriano Cardinale mentionem fortè iniecerunt. Erat is natione Belga, homo moris antiqui, expers Italicae conſuetudinis; & ſimplicitatem eius, rudemq; ad fraudes aulicas animum pleriq; adſpernanteis, barbarum appellabant. Fuerat pueruli Cæſaris magiſter, & in eius gratiam creatus a Leone Cardinalis, Hiſpaniae regna, hoc tempore, Caeſare ipſo abſente adminiſtrabat. Cùm nullo alio conſilio, quam extrahendi temporis cauſa agi de eo homine coeptum eſſet, laudeſque viri, litterae, & apertus animus, & Apoſtolica innocentia memorarentur in ſpeciem tantummodo, cæterùm ſecuro aemulatu, quia de abſente, & abnuente, omnibuſque ignoto & viciſſim ignorante omneis, agebatur, incaluere repente vniuerſi, ac regente animos Deo, Pontificem eum fecere, cùm ne ipſi quidem, ſententiæ iudicijq; ſui rationem intelligerent, cur tam dubijs Eccleſiae temporibus, tam præſenti neceſſitate, petijſſent regimen ab homine, qui nec vidiſſet vnquam Italiam, & tanto maris terrarumque ſpatio diſcretus maneret. Pontifice renuntiato hoc, & ex Hiſpania accerſito, irrita machinatio fuerat eorum, qui Sedis Apoſtolicae opes atq. praeſidium

ad Gallos potius inclinare voluiſſent; Caeſarq; rem Mediolanenſem maiore animo amplexus, ante omnia id agebat, vt Franciſcum Sforciam ab Tridento reduceret Mediolanum, ſiſteretque Vrbi, cuius aſſidue voce expoſcebatur. Verùm ea reductio quomodo facta fuerit, & quibus etiam ea res aduerſus prohibenteis Gallos indiguerit artificijs, paullo poſt explicabo. Nunc erecti Galli Leonis obitu, perturbatione Comitiorum, ac deinde ſpe noui Pontificatus eluſa, cum eis quae dixi Heluetiorum auxilijs, ad recuperandam Metropolim incubuerant, ac poſitis caſtris Vercellenſem inter Cumanamque Portas, vi tota Lotrecus obſidebat oppugnabatq. vrbem miſeranda rerum facie, cùm Caeſariani intra vrbem à Gallis, Galli intra arcem à Caeſarianis obſiderentur, atque duobus exercitibus interiecti ciues malorum extrema ſuſtinerent. Attamen, tanta erant Populi Mediolanenſis in Gallos odia, tam iucunda exſpectatio flagranſq. deſiderium propediem adfuturi Ducis, vt neque tumultuarentur ob calamitates, & cuncta pro defenſione vrbis ſtrenue exſequerentur. Vltro quin etiam deſcripto per ſingulas Paroecias oſtiatim milite, ducibuſque regionatim electis, ibant ad loca omnia, vbi plurimum laboris ac periculi oſtenderetur, & voluntario illo delectu; praelia ſtationeſue ipſi excipiebant, vt quies feſſo Caeſarianorum exercitui eſſet. Refert Guiciardinus, idque ego in alijs Patriae monumentis reperi, fuiſſe eo tempore in vrbe Andream Barbatum hominem Auguſtinianum, plauſibili concionum eloquen-

ti-

tia, quem audire, populo Mediolanenſi vacaret etiam inter eas miſerias; cuius oratio lenimen quaſi celeſte miſeriarum haberetur. Namq; magna vitae auctoritate concionator Auguſtinianus, ſolidaq. doctrina, & verborum vi, tum acer & ſeuerus, tum blandus & mitis, adſpectu quoque venerando, & ob ieiunia toruo; Gallorum gentem aſſidue inſectabatur, qui ſaeuitia, & libidine, & moribus ſuis, amoenam & piam, & ob merita ſaepe felicem, inclytamq. Metropolim, facere Babylonem alteram tentaſſent. Liberatricia Caeſaris arma, brachium excelſum ac forte Leonis, Pharaonem & Aegyptum, & promiſſae telluris bona iam in vicino, Aenobarbi quoque tempora, & ſementem inhumanam ſalis, eoq. diro myſterio damnandam iterum aeternae ſolitudini patriam hanc, aliaque profana & ſacra, vetera & recentiora, crebris concionibus arte ſua miſcebat Eccleſiaſticus orator, attollens partam vrbi ſalutem eiectione Gallorum, deplorans atrocia dictu, quae ſub imperio illo paſſi eſſemus, quaeue paſſuri etiam atrociora, niſi longius eijcerentur. Ad haec, Parmae & Placentiae paruarum Vrbium nouiſſima exempla referebat; quae, ſi depellendae tyrannidi pertuliſſent obſeſſae vaſtationem agrorum, famem & cędes, quanto magis aduerſus eadem mala durare Metropolim oporteret? His accenſi ciues, quibus ſatis per ſe odij, ſatiſq. patientiae aduerſus imminentem vrbi hoſtem eſſet, nihil recuſabant perferre incommodi, nulla munia detrectabant. Conferebant ex priuato quicquid pecuniae priori latrocinio ſubtra-

Hhhhhh 2 ctum

ctum adhuc occultarent. Inde ſtipendia exercitui aliquandiu ſuppeditabantur, dum à Caeſare, non quantum neceſſe eſſet, venit: Cumq. aquarias molas, Lotrecus & Scudus circa vrbem demoliti eſſent, manuarias inuenere ſibi, quarum arte, iniuria illa hoſtium eluſa, frumenta terebant. Vrbis interim moenia quatiebantur (& volitantes ab arce globi maiore tamen terrore quàm damno ferebantur, credo, quia incluſi illic, & obſeſſi Galli, aut timerent irritare noſtros, aut parcere ſe crederent vrbi, cuius nondum tota poſſeſſione excidiſſent. Erumpere enim etiam, accepto in arcem, ab exteriore parte, maiore ſuorum numero, parabant, ſpe certa, pellendi Caeſarianos vrbiſque capiundae, ſi vtraque res ex animi ſententia cecidiſſet, vt & intrò accipere ſuos, & vnà cum eis facere eruptionem poſſent. Quod ipſum, in tempore, ſuſpicatus Columna, ab vtroque arcis latere per totam hortorum latitudinem, duas ingenteis moles, hinc ad Cumanam, hinc ad Vercellenſem portam, opere ſubitario, & nocturno perduxit, & in molis vtriuſque capite propugnaculum excitauit. Ibi diſpoſita tormenta cohorteſque fiſtulatorum prohibere poterant, ne qua in arcem ſubſidia reciperentur, ac ne qua etiam eruptio ex arce fieret; opuſque fuit illud, tum ſubtilitate inuenti, tum vſu ipſo praeclarum & militari fama celebratum diu; quod quidem etiam caſus opportunus mirifice adiuit. Cùm enim ea ipſa nocte, quae faciendo operi deſtinata erat, plurima e celo cecidiſſet nix, vſus Columna beneficio illo, prototypa molium

ex niue raptim inſtituit, ſimul ad facilitatem atque deſcriptionem perficiendi operis, ſimul ad tutelam operarum, vt exemplaris obiecti mollities ipſa frangeret ictus, ſi qua in foſſores ab arce tormenta diſploderentur. In hoc ſtatu res bellicae Mediolanenſium erant, cùm, Leone Pontifice mortuo, ſuffectus ei Adrianus, nondum inito Pontificatu, abſens, nomine ipſo factionis, & terrae, vnde erat, noſtris animum, hoſti dolorem & ſtimulos addidiſſet. Mox Sforcia ipſe ab Tridento aderat, maximum, vt dixi, leuamen ciuitati, quae defenſores inter & hoſtes afflicta, & oppreſſa ſub Principe denique natiuo, & Caeſaris ipſius authoritate conſtituto, ſeſe reſpiraturam ſperabat. Diſtulerat autem Sforciae aduentum pudenda dictu res, pecuniae difficultas, dum exſuli, propter quẽ tot millia in armis erant, modicus & neceſſarius ille ſumptus ad familiam fortaſſe inſtruendã, iterue faciendũ deeſt; liberalitaſq; Caeſaris aduerſus id incommodum fruſtra inuocabatur. Scilicet, potentiſſimi Reges, ac domini terrarum, quibus genus humanum ſeruit, quorum gloriae ac cupiditati nationes armantur, queis auriferi amnes fluunt, & montium dorſa perpetuo vehunt argenteas glebas, qui margaritarum denique piſcatu prouincias fatigant; hi paruam ſaepe pecuniam in theſauris ſuis fruſtra quaeſiere; ridetque interea cum ſordido ſuo marſupio collybiſta & mercator diues. Sic nimirum etiam Sforciae huic ad breue iter exigua ſumma non ſuppeditabatur à Caeſare, qui, vt reduceret eum in pa-

triam

triam, tam graue ex longinquo bellum gerebat. Cardinalis denique Medicaeus, qui Sedis Apoſtolicae nomine bello ei præerat, adſpernatus in re tanta ridiculum id ac miſerabile impedimētum, procraſtinationeſque Regiorum, deprompſit vltro aureos nummos ad nouem millia, miſitq; exſuli, conditione hac magnifica & prolixa, vt ne aliter quàm melioribus poſtea ſuis rebus ille reſtituendi cogitatione ſolicitaretur. Ad id ſubſidium alleuato animo, & laxatis vtcunq; rerum priuatarum anguſtijs, Sforcia, profectus ab Tridento, per Veronenſem agrum, Mantuam, inde Placentiam venit. Ab Placentia Ticinum vſque progreditur: ab Ticino Mediolanum ſine mora iturus erat. Id modò inter duces, praecipuoſque amicorum ambigebatur, ex duobus itineribus, breue, & expeditum, an longius, eòque Gallis inexcogitatum ſequeretur. Nam licet ſex millia Germanorum peditum, equites trecenti, & valida exſulum manus, tenderent vnà praeſidioque eſſent, placebat tamen reditus incruentus in patriam, & intentos ad prohibendum pugnandumque Gallos fallere cupiebant. Delecta tutiore via, per calles inuios, per tranſuerſa, per directa, per nemoroſa, per aperta, in pagum, qui, quoniam ſex millia paſſuum ab vrbe diſtat, Sextus ex eo dicitur, peruenere. Auerſiſſima ab hoſte via haec erat, egreſſuſque Columna obuiam, nouum Ducem, ab Sexto pago tranquilliſſime in Vrbem deduxit. Fertur Lotrecus, poſt amiſſam Caeſariani exercitus irruptione Mediolanum, nulli magis rei ingemuiſſe, quàm ei, vel errori, vel cala-

mitati,

mitati; cùm furto quodam itineris Sforcia introductus illuc foret; id quod aſſidue proſpiciens ac timens, obſederat ipſe quidem ab Ticino diuerticula pleraque & egreſſus ferè omneis; ſed vti fit, ad cetera ſolers, in vno coecus aperuerat occaſioni viam, errore, qui tunc demum intelligeretur, cùm iam idipſum intelligere, moeſtum inutileque eſſet. Cetera deinde ad eundem modum fruſtrabantur Gallorum duces, neque Lotreco & Scudo, quicquam magis defuit quàm fortuna, cùm rebus alijs haud ſanè contemnendi eſſent, ita vt plerique numen inane belli vetere verbo vſurpantes, iniquum Martem eſſe illis dicerent; eaque de fratribus fama in vtroque exercitu eſſet. Potius autem infenſa prouidentia veri Numinis fuit, quae per ea Gallorum infortunia ſtruebat imperio alteri iter, vt reducto exule, firmatoque Principatu, poſt eius finem, Prouincia Catholicæ magnitudini accederet, augeretq. eam, & viciſſim ibi exhauſto, quicquid perferendum erat, denique frueretur pace. Sic abſente Scudo Lotrecus, cùm excluſus vrbe cuncta camporum teneret, aditum exſuli redeunti in vrbem, damno irreparabili dedit, & poſtquam ille cum militaribus pecunijs ex Gallia redierat, intercepto per noſtros, atque ad Aronam obſeſſo argento, irritus fratri iungitur. Mox vterque ad Bicocam, obſcurum prius, & nobilē poſtea ſemper Gallica clade pagum, cùm exercitus penè inter necione dimicauēre. Quo praelio perditas res, dum Lotrecus ad Regem excuſaturus vadit, ſummun Scudi opus fuit, deditis ad quae defenden-

da

da relictus erat, pepigiſſe vt redire in patriam poſſet. Rediјt cum exercitu, qui ad Bicocam ſuperfuerat cladi, & Regi iam Gallo ex tota Prouincia treis tantummodo arces, Cremonenſis, & Nouarienſis, & maximum vtique, ſed breue momentum, Metropolitana hæc, manebant. Quae vltima, ſepulcrum potius buſtumue Gallorum, quàm arx diceretur, ſi emortuum iam penè praeſidium, & quotidie immorientes reliqui, ſi pallores etiam luctuſq. viuorum, & deſperatio, & rerum omnium penuria, quae clauſa ibi, & ſecreta ab noſtrorum oculis latebant, in aperto eſſent, qualia, cùm deditio poſtea fieret, apparuere. Sed demerſa profunde moles, alte imminens ciuium tectis, cincta lato foſſarum ambitu, vndique armata tormentis, fama etiã & ſuperiorum temporum caſibus ingens, intacta conditionibus, veluti nimium quiddam, & ſicuti tenebatur relicta eſt, cùm quid intus miſeriarum eſſet, a noſtris ignoraretur. Vt autem, cum exercitu ſuo Scudus in Galliam redijt, tunc, qui ibi relicti in praeſidio fuerant, ſiue quia non poſſent ſuſtinere diutius, ſiue etiam moerore victi, quòd in aliena terra ſe eſſe deſtitutos viderent, nudauere vltro miſerias ſuas, pactiq. vt cum veſtimẽtis & armis abire ſibi liceret, arcem permiſere Caeſarianis, annuitq. Caeſar, vt ea Sforciae traderetur. Id ſolum Duci defuerat, ad ſolidi principatus ſpeciem, & vt maiorum ſuorum fortunam vere recuperaſſet. Ac res magna quidem, ingenſq. opus, haud ſine praeſenti Numinis ope effectum ita erat, ſcilicet deiectis, ex confirmata prope-

modum

modum Inſubriæ poſſeſſione Gallis, reſtitutâ Metropoli ſub imperium, quod pro natiuo & domeſtico iam expetebatur, Sforciâ poſt graues exſilij ſui aerumnas collocato in ſede, ex qua auus ipſius & pater, magnitudini Regum comparati eſſent. Ciues tamen ipſi malis fere premebantur ijſdem, &, niſi quod barbaricae libidinis ſaeuitiaeque exempla depulerant, nihil magnopere erat ex priſtini ſtatus calamitate diminutum. Non enim, vel temporum miſeriâ, vel aulae miniſtrorumq. vitio, aera militaria procedebant, atque id ipſum pecuniae, quod ex Hiſpania, ſiue ab Neapoli ad exercitum mittebatur, lentum & mancum fere compilatumq. veniebat, penè vt quaſi veniens ex longinquo viator, peregrinationis labore conſumptus, ſic pecunia illa multorum lacerata manibus in itineris fine expiraret. Et magnanimitate ſua Caeſar tardus remiſſuſq. ad cognoſcenda iſta & vindicanda, furandi interuertendiq. licentiam alebat inter ſuos. Hinc licentia maior, inſuperque irae victoris & egentis exercitus; ſtipendiaq. multorum menſium aſſidue requirens miles, rapere, ſpoliare, aſſueuerat, ita vt accepta ab Hiſpanis ſalute Mediolanenſes, praeda ijſdem manerent. Conſtat, Caeſarianum eum exercitum aliquando ob ſtipendia tumultuantem, cùm in hyberna dimitteretur, iuiſſe populabundos, vt niſi purpureae cruces (namque id inſigne Caeſarianis) diſtinguerent gentem, manipulos adeſſe Gallorum municipia & pagi arbitrarentur. Nec abſtinebatur ſacris, quae, religione populi, poſt Gallorum iniurias, inſtau-

rata ſtatim & refecta, rurſus militari violentiae ſuffi-ciebant, atque trahebantur ab ijſdem, à quibus defen-di & conſeruari talia oporteret; maieſtaſq; interim e-rat nulla, quae prohiberet vim. Nam Sforciae nouo Duci etiam ſua ſponte mitis animus, tum verò mol-lior fiebat recentis exſilij recordatione & verecundia quadam, velut in alieno imperio, quod armis recupe-ratum alienis, alienâ manu datum ſibi eſſet. Reliqui duces exercitus, & praefecti copiarum, obſtricti le-gionibus, quarum virtute vicerant, cùm nihil dare poſſent aliud, hanc fortaſſe praedandi veniam, vbicun-que praeda eſſet aliqua, ſicuti ſaepe mos imperato-rius fuit, dabant. Caeſar ipſe nimium abſens; & ab-ſente, ſicuti dictum eſt, adhuc Archiepiſcopo, Eccle-ſia per miniſtros regebatur, queis, id paſtorale munus alienigenis, paſtor etiam alienigena delegarat. Ce-terùm, ea populo Mediolanenſi tolerabantur etiam iu-cunde, vt in malis, quia, ſpoliatores circumſpiciendo ipſos, non iam amplius cernebant Gallica illa ora, & petulanti rubore armatos vultus, quorum ipſe adſpe-ctus ciuitati toti loco calamitatis antea erat. Decem millia nummûm aureorum pronuntiauere Reip. nomi-ne exercitui quae darentur, eoq; blandimento miti-gatus miles deſierat velut in hoſtico agere, & victo-riae fructus aliquo modo ſentiebatur, nondum ta-men verus ille, & duraturus. Vix totus ab eiectione Gallorum annus exierat, cùm varij primùm rumores, certi deinde nuntij attulere, Galliam omnem ſtrepe-re nouo armorum apparatu, iam iamque adfore exer-

citum,

citum, cuius inceſſu terram Italiam contremiſcere oporteret. Vocabat Rex Franciſcus ad arma omneis, dictitans palam, ad recipiendam Vrbem Mediolanum eſſe mittendos, præparanſq; exercitui itinera & commeatus, rei etiam gerendae conſilia diſponens cum Imperatore nouo, qui, Boniuetus Galliae Almirarchus fuit. Interiore ſenſu tacitoq; conſilio ſtatuerat in Italiam ipſe trãſire, exiſtimans, ducibus ſuis ad eam diem, non tam fortunam defuiſſe, quàm curam; idq; animi ſui arcanum premebat alte ob diſcordem in ea re matrem Reginam, quae filij caput obiectari caſibus nolebat. Verùm, & ea, quae aperte moliebatur Rex, & id quod occulte parabat, fuere ſimul in ore famae; commotiq; principes & Reges alij, quorum intererat, rem Mediolanenſem, Italiamq; totam, in eo manere ſtatu, quo tunc eſſet; aduerſus Gallica arma cum Caeſare confirmauere foedus; pecunias, arma, exercitus, tormenta & naues contulere in vnum, vt ſiue terra, ſiue mari veniret Rex, communi animo obuiam irent. Haec ipſa dum agitantur, & dum Mediolani, ex turbulenta illa pace, triſtiq; ob militum inſolentiam victoria, bellum etiam quàm ſuperiora omnia atrocius exſpectatur, Boniſacius Vicecomes Mediolanenſis occidere Sforciam eſt conatus ob iram interfecti eius iuſſu Hectoris Vicecomitis, quem ipſe propinquo ſanguine attingebat, & iuuenem vulgò Monſignorinum appellabant. De ea caede, in Hectorem patratâ, in Sfortiam tentatâ, pauca ſupra reptam, non ſolum, quia res vtraq; inſignis ad memoriam fuit,

ſed etiam, quia caedes illa Monſignorini, vnde minime crederetur, exorto maximarum rerum motu, Sforciam ipſum rurſus in diſcrimen de ſumma imperij totius adduxit, indeq; varietatum humanarum portenta extitere, vt, & priuatus homo cum Mediolani Duce bellum gereret, & reconciliatus poſtea Caeſari, inſereret principum famae nomen domumq; ſuam, ac ex domo eadem, fratres duo, alter ſummum militiae decus, alter ſummum Eccleſiae regimen obtinerent. Hector Vicecomes, cui Monſignorini cognomentum, ſumpta fortaſſe prius, dein omiſſa toga, & Eccleſiae honorum rudimenta, tentata primis annis indiderunt, fuit ex Ducis Bernabouis ſanguine, quem ille, ſicut in ipſius principatu memoraui, ob crebros mulierum amores late diffuſum reliquit. Ex ea ſpuriorum ſtirpe procreatus hic, gloriabatur potius origine, quàm erubeſcebat, ſumpſeratq; inde vltro ſpiritus nimios ac feroces. Aderant diuitiae, & magnae propinquitates, & cateruae aſſeclarum; hominesq; aſſueti caedibus ipſius ſumptu, multi palam, alij occulte, in vrbe, in domo, foris etiam apud amicos ad nutum intenti herilem alebantur. Vaſtus animus, promptum ingenium, & capiendo conſilio matura celeritas, ſermo blandus, obuia munificētia in omnes, miraq; miſtura, varius, iracundus, iniuſtus, inconſtans, idem exorabilis, clemens, miſericors, excelſus, glorioſus, humilis, ferox, cautus, & omnia pariter, vbi res, vbi tempus poſtularet. Inde, principum etiam externorum amicitiæ, veneratio populi in eum, & publicus

fauor,

fauor, neque abnueret ei quiſquam, iuſta, ſiue iniuſta ingrederetur. Magna eius merita fuerant in Sfortiam domo principatuq; extorrem, ac toto illo exſilij tempore, tum apud exſules alios, authoritate, tum apud principem ipſum, cōſilio, ad eos qui domi remanſerant, literis & nutu, cum principibus Italis, gratia & familiaritate, Gallorum quoque nulli contemptus aut reiectus, varie ſic adiuuerat rem, quò maturius exſul in vrbem principatumq; reſtitueretur. Vt ceſſere Galli, priſtinaq; cum Principe ſuo redijt aula, tunc Monſignorinus iſte enimuero apud reducem velut ſuo beneficio Sforciam, ſtare ante omneis, regnare ſeſe gratia & authoritate æquum cenſebat. Volebat in primis regere iudicia & magiſtratus arbitratu ſuo, facinoroſi ſemper alicuius fautor, ſemperq; aliquem eripiens capitali ſupplicio, petens etiam praemia ſibi & honores, ac volens vtique anteire Moronum, à quo anteiri ſeſe turpe arbitrabatur. Potiebatur enim aula Moronus, & in nouo principatu cuncta nutu illius fiebant. Cùm neſcio quid abſurdi ac violenti die quodam apud eum tentaret, abnuenſque Moronus, ſubnecteret etiam cauſas, quamobrem id fieri non poſſet, excidit hoc Mōſignorino verbum; fore ſe aliquando apud eiuſmodi Herum, cui non ſemper Paedagogus ab tergo iret; addiditque, telam, quam ipſe texuiſſet, eſſe retexturum eadem manu. Quid poſtea ſermonis, quidue conſiliorum ſuper ea re fuerit Sforciam inter & Moronum, neſcitur. Monſignorinus certe paulo poſt mandato Moroni occiditur ab Iacobo Medi-

caeo,

caeo, qui digredientem cum arcto comitatu alicũde eum ſpeculatus, direxit vulnera, & patratâ cæde euaſit. Iacobus Medicaeus, primâ iuuentâ ferox, inquies, iratuſq; natalium ſuorum fortunae, ex qua nihil niſi inopem nobilitatem, & magnae ſtirpis inane nomen haberet, contractis olim in vrbe inimicitijs, & aemulo interfecto, profugus, adiuncta ſibi exſulum manu, qui pulſi dominantium Gallorum iniurijs, circa Larium lacum praedabundi vagabantur, caput ſeſe fecerat ad Gallos ipſos quacunq; poſſet ope inſectandos, tempore ſcilicet eo, cùm Sfortia rerum exitum expectans apud Tridentum ſederet. Ita, aperto ſibi magnarum rerum itinere, cùm iuuenum ſuorum globo, die quodam ingreſſus vrbem, tabellarium, qui ex Gallia literas ad regios miniſtros ferebat, obtruncarat luce palam, quo facinore, omnia Gallorum arcana Caeſarianis & Sforciae innotuiſſe ferebantur. Ad facinora deinde, miniſteriaq; cuncta, vbi praeſentia & vigore animi opus eſſet, cùm ferè adhiberetur, tum verò poſt iactam illam temere ab Monſignorino vocem, potior nemo eſt repertus, cuius manu, Sfortia, & Moronus, ſuſpectum ſibi quidem ſemper antea, nunc ſcilicet etiam aperte minitantem eum tolli poſſe exiſtimarent. Sublato in hunc modum Monſignorino, cùm & miniſter caedis, & qui iuſſerat caedem pariter anxij ſolicitiq; eſſent, obſequijq; & mandati conſcientia inuicem animos inquietaret, hinc ſuſpicione, ne prodito arcano, potentior quàm hodie gens illa Vicecomitum ad arma iret, hinc metu, ne qui pro-

dere

dere poterat rem, ipſe tolleretur; Medicaeus ita procul ab coetu colloquijſq; vrbanis ablegatur in Muſſenſem arcem, quae ad radices montis in Larij lacus litore ſita eſt. Ibi quid paratum interfectori eſſet, anceps opinio interpretantium fuit. Sed ille in tali tempore audendum ratus, data fortè occaſione, inſedit firmauitq; ſibi arcem; atque ab eo principio, quae fortuna viri fuerit, in tradenda deinceps fortuna Sforciae caſibusque vrbis, exponemus. Nunc nouos ancipiteſque caſus, & incredibile bellum, quod ab miniſtro magnae caedis Medicaeo hoc imminebat, portendere Duci viſa eſt noua item ac penè incredibilis audacia Bonifacij Vicecomitis, ex cuius domo Monſignorinus fuit. Is namque, deſiderio conſobrini violentus, & auidus petendae vltionis, neque ambigens vnde ea petenda eſſet, redeuntem ab Modoetia Principem ſtricto pugione aggreſſus, iugulum primò ipſum appetiuit; deinde, cùm ictus ille in irritum cecidiſſet, educto longiore gladio, laeuum eius humerum vulnerat, & quia circumfundebatur à Praetoria ſtatim ipſe cohorte, proripit ſeſe praeceps, ac celeritate barbari equi quo vehebatur, inter tot armatos euaſit intactus. Abiſſe in Subalpinos ad Sabaudiae Ducem memorant; ibi ſaluum fuiſſe ſub Principis tutela, per cuius fines, adfuturo mox Gallorum exercitui iter parabatur. Sfortiam ex tanto periculo ſeruarat minima dictu res, humilitas nempe paruulae mulae, quam ad illud ſuburbanum quaſi iter fortè popoſciſſet. Ea ſcilicet, equi pariter equitiſque aſſultu, & micante ante

oculos

oculos ferro contremefacta ſubduxit conſternatione ſua vulneri ſeſſorem, qui ipſe humilior, venientes in caput alte ictus fefellit proceritate vulnerantis & leuiter humero caeſimque excepit. Magnus inde metus erat veluti per miraculum viuo & ſaluo Principi, ne coniuratio ciuium ea potius quàm furor hominis vnius fuiſſet; ac vitata vrbe Modoetiam reuerſus pauebat etiam ibi vmbras, ſuſpectaq; cuncta habebat. Moronus & Columna, ad eius rei nuntios, protinus excitato ſatellitio turbauere quaeſtionibus vrbem; iudiceſque & ſcribae, importuno ſuo more confecere volumina, queis confeſſiones, & indicia multorum inerant, quaſi genus omne Vicecomitum, & eis adnexi alij manifeſtae coniurationis tenerentur. Tormentis enim & carcerum ui, fraudibuſque ſuis cogebant homines ea de ſe confiteri, quae ne cogitaſſent quidem; adeo non moliti eſſent. Re autem vera fuit nihil aliud, quàm impetus, & ira Bonifacij illius priuatumue conſilium, quo, vitae ſuae diſcrimen contempſit, dum vlciſcenda conſanguinei nece, ſolatium animo praeſens, gloriam nomini apud poſteros quaereret. In eo feruore iudiciorum, Epiſcopus Alexandriae, frater interfecti Monſignorini, ſentiens in ſe quoque ire ſubtilitates & deſtinata Iudicum, anteuertit vltro, ſeque in quaeſtionem obtulit, ne fortaſſe violentius duceretur. Nec ideo effugit iniurias ac ludibria fori; & poſtquam profani Magiſtratus Epiſcopum rite interrogauere, lictor etiam iniecit manum, atque in Cremonenſi deinceps arce captiuus ille erat. Et Me-

diolani

Mediolani quidem ob temeritatem hominis vnius caſumq; Principis, bellum hoc in fortunas & capita ciuium gerebatur; hoſtes verò Galli, iam occupato alpium tranſitu, bellum vrbi aliud ferebant, ipſi quoq; detecta in Regem ſuum coniuratione turbati inter ſe & pauentes, quatenus ille exerceret iras. Quae coniuratio, non ficta calumnijs & adulatione Magiſtratuũ, ſed magnis & infelicibus Borbonij conſilijs inſtructa tenuerat nunc domi Regem eum, ipſumq; Borboniũ relictâ patriâ fugientem manifeſtae rebellionis poenas adiunxerat Caeſari, & inter noſtros poſtea duces ille fuit; nec tamen exitu meliore, quàm qui fere transfugas & proditores principum ſuorum, etiam apud eos, quos antepoſuere, ſequi conſueuit. Galli, ſuperatis alpibus, ſolita felicitate gentis circa initia rerum, primo ſtatim incurſu cuncta trans Ticinum amnẽ tenuere, mox ipſius quoque traiectu amnis ingenteis & fortunati nimium, ac prope incruenta expeditione, ſi extrema primis reſpondiſſent, ac niſi coecaſſet eos violentia & altitudo cauſarum inexſuperabilium, quae ſolidam vllam vnquam in hac terra contingere Gallo victoriam prohibebant. Nam alioqui tempore eo aperta ad vrbem & obuia cuncta venientibus fuere. Princeps ipſe vulnere licet leui debilitatus ob metum, & ſuſpecta coniuratione, animo magis quàm corpore aeger. Offenſa, & pauida, & irata pleraque nobilitas terrore & acerbitate quæſtionis, cùm ob facinus vnius, vniuerſi inquietarentur. Moenia quoque vrbis quaſſata paſſim & fracta ſuperioribus bellis, per

crebros hiatus ruinasque pateſcenteis aditum hoſti praebebant. Columna morbo implicicitus iacebat, qui, ſiue fortuitus, ſiue inuectus, vt creditum eſt, veneno, vltimus certe ei fuit. Reliqui duces eum ob valetudinem adſpernabantur, ob ſummum belli regimen oderant. Igitur ipſe tantum praeſidij deprehenſis in eo ſtatu rebus afferebat, quantum poterat & natura cunctator ac lentus, & moriturus breui. Circa lectulum huius, habito conſilio de ſumma rerum, ad cetera diſcordes, & mutuis odijs infenſi, communi animo ſententiam hanc dixerant, vt relicta Metropoli, ad Nouocomum, ſiue ad Ticinum euaderent fugâ, prout hoc, ſiue illud iter, alterutro venientes Galli vacuum opportunumq; reliquiſſent. In tali diſcrimine ſeruauit vrbem cunctatio hoſtium prope fatalis, qui transgreſſi celerrime Ticinum, morati deinde circa flumen, poſt aliquot dies ad Clarçuallis Monaſterium tranſtulere ſegniter caſtra. Ibi, triginta millibus armatorum, occupatis late campis, & circummiſſo ad Modoetiam quoque minore exercitu, ne quid commeatuum alicunde veniret, decreuerunt expugnare lenta fame vrbē, quam ſine mora vlla capere potuerant, ſi, quemadmodum à Caeſarianis factum antea erat, quo venerāt die, intrare apertam deſperatamq; voluiſſent. Obſidionis mala cito vertêre in ipſos, itaut, Mediolani tum ex ante praeparato ſuppeteret annona, tum equites noſtri egreſſi praeſidio ad ea, quæ ſupportabantur, ſecundis etiam aliquot certaminibus affligerent Gallorum equitatum, eiuſq; detrimenti fama

Gallum

Gallum imperatorem inter ſuos vexabat. Simul Heluetij, qui in eo exercitu erant, ob frigora tumultuantes, perpulere, vt caſtra retro Ticinum verſus moueret, aegre cohibitis noſtris, quominus terga abeuntium laceſſerent; quod ſi factum eſſet, non dubitant, quin torpida, & rigentia membra aegre molientes, atq; profectionis etiam eius ignominiâ conſternatos (& erat niualis forte dies) opprimere Caeſarianus exercitus potuiſſet, recens nimirum ab vrbanis hoſpitijs, vnde ſpe optima & ignium tepore alacer in pugnam iret. Sed Columna, praeterquamquod cautus natura & lentus tuta conſilia ex ratione, quàm proſpera ex euentu ſemper maluerat, etiam tabe morbi, & pauore ſupremorum alienatus fere à communi ſenſu, abnuit diſcrimen, et ſicuti vocibus poterat intermortuis, diſſeruit pauca in eam ſententiam; contentos ipſos eſſe debere, quòd cunctando & ſedendo abire prope à moenibus hoſtem coegiſſent. Galli, quacunque irent, ferro & igni cuncta permiſcenteis, incenſo Roſato municipio, praedati quicquid obuium fuerat, ad Abiatum conſtitere, qui locus quatuordecim millia paſſuum ab vrbe eſt; & quia ſatis validam, vti tunc erant munimenta, arcem habebat, idoneus viſus, vbi noua auxilia Heluetiorum, quæ mittebantur ab Rege expectarent. Ferme ſub id tempus, quo Gallus Imperator reducto ab Claraualle ceterisque ſuburbanis locis exercitu, & amiſſa occaſione capiendae vrbis, nullum niſi triſte de tota expeditione nuntium mittere ad Regem poterat; Cardinalis Medicaeus, qui ipſe in parte fœde-

ris aduerſus Gallos initi, Leoniſque animorum heres fuerat, Pōtifex Max. renuntiatur. Id accidit quinquageſimo die, poſtquam Adriano mortuo, Patres intra conclaue abditi, ſtudia ſua, & altercationes, & aſtus conſumpſerant in ea re, quae diuino ſemper nutu peragitur; & mores negotiationemq. mortalium excelſa Numinis benignitas ac prouidentia admittit illuc, vnde tamen mortalitas tota arcetur. Nec ſane Cardinales antea in vllo alio Pontifice tam intentis animis altercati erant. Creatus hic, Clementem VII. dici ſe voluit, vel appropinquante celebritate Diui eius, vel, vt nominis manſuetudine ſpem omnibus faceret, nullius offenſae, nullarum ſeſe inimicitiarum memorem, paterno in genus humanum ſpiritu noua ineuntem itinera vitae, capeſſere faſtigium illud. Nota tamen erant, & celebrata ſermonibus, in Caeſarem fauor, in Gallos alienatio, ſtudium rei Mediolanenſis, & foederis neceſſitudo, quo ſeſe olim vrbis eius cauſa illigaſſet. Ea Mediolanenſibus, & defenſori Mediolanenſium Hiſpano ſpem animoſq; addiderant, Gallorum genti incuſſerant ſolicitudinē atque inuidiam, & moerorem, ſi ſemper infenſum ſibi, ſemper Hiſpanae factionis Pontificem habituri eſſent. Super omnia, vrebat animos recordatio Leonis odioſa genti, quòd eo ſcilicet Pontifice aduerſus Regem Franciſcum ineunte foedera, pontificatus opes ad arma conferente Hiſpanorum, eiecti Mediolano eſſent, quam nunc fruſtra repetentes vrbem, in hoſtili terra conflictarentur. Pontificis nempe eius conſanguineum, gentilem, heredem, ſpiritus ani-

animoſq; retuliſſe eoſdem, imbutum eſſe conſilijs illius, & pari cupidine tollendi in perpetuum ex Italia Gallicum nomen, ne ad recuperandam vrbem Mediolanum adſpirare vnquam poſſint. Eadem apud Regem Franciſcum quamquam falſa agitabantur. Hunc etiam angebat conſcientia dati per ipſum veneni, vel certe, credito, tamquam dediſſet. Succeſſorem ſimul & vltorem adeſſe. Mediolani moritur ijſdem diebus Proſperus Columna, veneno amatorio, ſicuti creditum eſt, illigatus, manſitq; inter annalium monumenra Clarae meretricis nomen, quae deperierit virum. Eam Boniueto quoſq; cordi fuiſſe, adeò, vt cum ab Claraualle moturus caſtra eſſet, miſerit in vrbem Galeatium quendam, qui viſeret feminam, ac de inclyta pulchritudine eius comperta & ſpectata oculis referret. Colũnae morte, ſumma rei militaris redierat ad Carolum Lanoiam, qui Neapoli pro Rege erat; iamque ille ob Gallorum aduentũ & Columnae valitudinẽ prouinciae metuens, delegatâ Regni curâ alijs, profectus inde cum valida equitum peditumque manu aduentabat, ita moderans iter, vt ne prius ingrederetur urbem, quàm Columna, qui iam nulla in ſpe trahebat animam, expiraſſet. Id honori hominis dederat, caueratque laudabili modeſtia, nè propere intrando praecepiſſe imperium, & viuenti quodammodo ducere voluiſſe funus videretur. Paulò poſt Borbonius ipſe aderat tranſfuga Regis Galliae ſicuti dictum eſt, nouus Caeſaris amicus, anxia ſedulitate ad probandam oſtentandamq; fidem, ne intentis in ſe totius aulae oculis & ſuſurris, vl-

la,

la, vel actione, vel voce, vel motu vacillans ambiguuſue reperiretur, vtque probaret omnibus hoc ipſum, quod à priori aula, non ingenij vitio, ſed coactus inuituſque deſciuiſſet. Viciſſim Caeſar abſens, & occulto eius nutu Sforcia, & Lanoius, & Daualus, ceterique intenti, nè proditor obſeruari ſeſe intelligeret, neve intelligere ipſi, aut meminiſſe viderentur illud, quod ſui Regis deſertorem in exercitu haberent. Inde, liberalitatis & diligentiae certamen, qualia ſolent initia eſſe omnibus, qui tranſire ad hoſtem. Borbonij tranſitione huius, aduentu Lanoiae, foederatorum auxilijs, exercitus noſter, cùm, & ducibus, & milite inſtructus egregie eſſet, diuiditur bifariam, & parte relictâ vnâ ad cuſtodiam praeſidiuſq; vrbis, ceteri Ticinum tranſeunt ad ea recuperanda, quae hoſtes ab repentino alpium tranſitu tenuerant; ipſi ſtatim ad eadem defendenda concurrunt; pugnabaturq; leuibus praelijs, quorum taedio, & damno Boniuetus ad vniuerſam rei dimicationem venire concupiuit. Sed detrectauere noſtri, non, quòd animis, aut vlla uirium parte inferiores eſſent, ſed quia ferociam imitari Gallorum nolebant, quos fatigari & diſſolui, compellique domum poſſe cunctando ſpes erat, ſicuti etiam euenit. Boniuetus ingentia de ſe principio pollicitus Regi, ipſo etiam expeditionis initio non infelix, mox occaſione felici improuide abuſus, feſſus poſtea rebus ambiguis, ſiue infauſtis, relinquendae Italiae conſilium cepit, redienſque in Galliam, nullius bene geſtae rei gloriam ad Regem ex prouincia Mediolanenſi tulit, niſi quòd quatuor-

tuordecim millia nummûm aureorum, quae Caeſar ad exercitum mittebat, intercepiſſet. Abeuntes Subalpina Regione Gallos, qua etiam irruperant via, Eporoediam vſque perſecuti noſtri, partem impedimentorum, & pleraſque bombardas relinquere coegerunt. Quominus etiam conuertere agmen, atque in aciem adſiſtere cogerent, ea res obſtitit, quia, nec totus exercitus ductus erat ad perſequendum, & Venetorum auxilia, ſimul atque fines Sabaudiae Ducis attigerant, negauerunt habere ſe id ab Senatu ſuo mandatum, vt in ea terra veſtigium ponerent, ideoque progredi vlterius recuſauere. Boniuetanae expeditionis in Mediolanenſes exitus hic fuit, cuius infortunio Rex Gallus irritatus, abruptis quae obſtabant, venire ipſe Mediolanum, & fortunam experiri decreuit. Quod decretum atque conſilium optimi & generoſi quidem, ſed in re iſta Mediolanenſi ſemper infelicis Regis, qualia rerum humanarum, & faſtigij regalis ludibria ediderit, poſtea narrabitur. Iuuenemq; Regem, poſt priſtinos infelices conatus, toto nunc potentiae ſuae molimine ingreſſum feliciter Italiae fines, capta ſtatim vrbe Mediolano, cetera obſidentem, & Neapolitani quoq; Regni iam prope dominum, mox, dum ſuo corpore miſcet certamina, ſternitque hoſtes, in medio feruore pugnae, ſuffoſſo equo ſtratum humi, captiuum inde, & per alium aliumque carcerem ductum in victoris Caeſaris aulam, cum vetere nouoq; regno factum alieni iuris, vitam demúque & ſpiritum ab hoſte deprecantē exhibebo. Sed prius exponam Vrbis noſtrae caſum lō-

ge

ge foediorem etiam, quàm ille hoſtis Regis fuit, exortâ ſcilicet interim peſtilentiâ, quae, dum Rex ille ab domo exercituum mouet, dum tranſit alpes, dum expedito agmine aduentat, ſine telo, ſine ſanguine, tabe funeribuſque debellauerat vrbem, & venienti infeſto Gallorum exercitui, reliquias ciuium quaſi deuinctas & ligatas, patefactis moenibus, ac remoto omni portarum obijce obtulit. Initia mali ad Abiatum, quò Boniuetus ab Claraeuallis Monaſterio cum exercitu ſeſe contulerat, extitere. Inde, breui confinio, facilique traiectu peruenere in vrbem, & corripuere cuncta, manante ſcilicet paulatim per corpora, per domos contagione rerum earum, quas ſordidi, & marcidi putreſque Galli, cùm inde pellerentur, reliquerant. Ac primò quidem, milites noſtri, rerum earum contactu, & aegri erant, & moriebantur. Poſtea, qui curant eos, quiue inuiſunt, aut miniſterio aliquo contrectant, propinqui, familiares, amici, etiamſi nihil aliud, quàm ſpiritum habitumue communicarant, commercio illo trahebant luem, atque ad alios deinde perferebant. Hi rurſus, alloquio vel adſpectu contaminabant plures, & à pluribus ad vniuerſos permeante morbo, citius quàm credi poſſet, vrbs tota exhauriebatur, populuſque morientium erat, iacente paſſim alio mortuorum populo, cùm ne ſolita quidem ſepeliendi cura maneret erga id, quod ſemper ab ſuperſtitum oculis & communi luce ſubmouetur. Haec ipſa iniuria cumulus alimentumque mali erat. Iacebant enim ſtrata per vias, perq; vacuas domos cadauera, & ſimilem exitum ex-

pectan-

pectantes eos,qui ſupererant, peſtifero odore, nec minus triſtitia, & praeſentis imagine mortis,vt in eoſdem ruere aceruos quamprimum cuperent, quod vnicum remedium calamitas ipſa afferebat. Interciderant ſenſus humani commercia; & quos tabes illa infecerat,aut neglecti deſertiq; moriebantur, aut,ſi quis aſſidere voluerat,fiebatipſe ceteris exemplum ne cunctaretur adſidere quiſquis mori,& finire miſerias vellet.Neq. ſolita effugia dabantur in villas amoenoſue ſeceſſus, cùm etiam illi qui rure agebant, conditioni vrbanorum inuiderent, ac proripere ſeſe eodem conantes caderent in itinere ipſo, & cadauera ſua, ceu fugae veſtigia infelicis ſpargerent. Moriendi tamen celeritas, agreſtibus iuxta, & vrbanis, leuamento erat aduerſus rerum omnium egeſtatem, cùm tota ciuitas, & vicina pariter ac longinqua rura, per aliquot iam annos,inter maximorum exercituum, lingua moribuſque diſſonas, licentia & rapacitate ſimillimas gentes, ſpoliata, & exhauſta, & vaſtata, ne vulgaribus quidem & quotidianis alimentis ſufficerent, adeò pharmaca, hauſtuſque delicati, & mollior aegrotantium victus deeſſet. Vix ampli negotiatores, & olim opulenta nobilitas, ob recentium bellorum iniurias deſerto agrorum cultu req; coarctata familiari, peſtilenti illo tempore propulſabant famem. Egens verò ſemper populus, & miſerrima pauperum multitudo contabuerat fame niſi velocius aliud malum remedio eſſet. Et miſerabilis adſpectus interea erat manducare volentium inimica palato, & in ipſo manducandi conatu ob peſtem alteram

exeunte vita. Sed & aliae triſtiores formae mortis traduntur, quas referam, vt ex comparatione temporis eius agnoſcat omnis populi Mediolanenſis aetas, quanto mitius in ſe agat Numen. Neque enim talia exempla celeſtium irarum, vel redijſſe vnquam, vel in poſterum reditura eſſe arbitramur. Vna nec inhoneſta domus fuit, quae ante illam peſtilentiae calamitatem, ab Gallo violentiâ & rapinis, ab Hiſpano tributis, & immodico exactionum pondere afflicta, nuditatem & famem aegre tolerabat. Vbi graſſari morbus totamq. depopulari vrbem coepit, domum etiam hanc irruit inter primas, ſcilicet affectis iam corporibus animiſque, & paruo illo ſordiduloq; grege conferto intra anguſtias humilis tecti. Omneis ibi exanimes ab ijs, qui fortè ingreſſi erant, reperti ſunt, ſed alius alia facie lethi melioreq. poſtea ciuitatis ſtatu celebrata ſermonibus res digna eſt viſa pictoribus, qua certatim exprimenda ſpecimen gloriamq; artis oſtentarent. Collapſa repente retro mater fregerat illiſum pauimento caput, & fuſa per plagam viſcera cernebantur. Duo lactentes adhuc infantes, nullo materni caſus intellectu adrepſerant ad notas ſibi papillas, & emortuo illic lacte irriti mordebant alimenta ſua ſiccatoſq; fontes, & ſpiritum vltimum morſu exhalabant; cetera grandiuſcula, & propter aetatem tamen ſecura proles circumfuſa mortuae parenti, aut mandendo ſimpliciter terendoque dentibus aliquid expirarat, aut incertum relinquebant in adſpicientium animis, contagio, an fame expiraſſent. Ac deforme dictu; liberorum pater, mu-

lieris

lieris maritus, victo malis animo, cunctantem mortem vltro accerſierat, vitaeq; ſuae attulerat vim, & pendentem ab iugulo nodum notauere, quo ſeſe exanimarat. Talia viderat retuleratque vicinorum aliquis funeſtam eam forte domum ingreſſus; caſuſq; ille a ſſuetudine quotidiana horribilium ſpectaculorum, quamdiu manebat peſtis, in leui habitus, vbi haec abierat, ſalute verbi reddita, in nouo deinde populo, materies, vt dixi artificum etiam ingenijs fuit. Pleraque alia generis eius, & narrabantur ab ijs, qui publicae cladi ſuperfuerant, & inde audita ſcriptores etiam litteris mandauere. Vigiles, qui excubias in arce agerent, exanimes in foſſam eſſe delapſos; praefectum ipſum arcis, dum circuit muros, cuſtodiaſq. obit, repentino peſtilentiae ictu praecipitatum, abſumptum illic praeſidij robur, vt niſi propugnaula, & bombardae, & turres, & portae cataractae conſpicerentur, nihil fere arcendo & deterrendo hoſti ibi eſſet. Senatores, & principes vrbis, quoſue alios, in tanto ſuae vitae diſcrimine cura aliqua publicarum rerum attingebat, dum congregantur vtique conſultandi cauſa, dum ſententias dicunt, dumve ab inconſulto illo concilio redeunt domum, infimae plebis ſorte corruentes, ſiue domi manſerant, pari exitu, reliquerant fere abſque regimine vrbem, & quibus ſaeuitia morbi pepercerat, confuſo iam nobilium ignobiliumque diſcrimine, autoritas nulla eis, & prouidendi iubendiue quicquam irritus labor. Dum cadunt atque coaceruantur promiſcue clari ſimul & obſcuri, virorumque & femina-

rum cadauera ſine vllo intuētium pudore iacent paſſim ita vti naturae ſimplicitas & miſeria ſeſe habet, ipſi etiam inter ſe viui nihilo plus pudoris ac verecundiae retinebant. Tamquam mox amiſſuri vitam, ad id quod aderat praeſenſque erat, deſperate & inuerecunde plerique ferebantur, & certa ante oculos mors, quae ſupremi iudicij terrore flagitia inhibere debuerat, eadem erat velut illico morituris incitamentum, ne ſcilicet vſurpare cunctarentur laſciuias, à quibus in perpetuum abirent. Valuit apud alios obiecta oculis animoque ſpecies diſſoluendae mortalitatis, futurae vermibus alimento, & abiturae in vermes, quodque longe terribilius, os immane Orci, praeſens tartarus, ſempiternæ flammæ, & ex diuerſo, beatioris vitae praemia, quorum ſpe ac meditatione multi innoxie ſancteque agebant; taliumq; pia facta & mortes ipſae nobilitauere deformem eum annum. Nam diuino vere ſpiritu feminae virique, pedibus nudis, cincti funibus colla, & voluntario frequenti verbere fundentes ab humeris ſanguinem, expoſcenteis flebili voce celeſtem veniam adibant templa, interimq; tamen vrente intus peſte abſumpti nonnulli eorum cadebant, teſtati ſplendore oris, quòd eiuſmodi morte vitae poenis eximerentur in celum, nec poena ſed praemium ipſa eſſet mors. Iam inclytae animae ſubſidia urbis, apud ſuum pars utraque ſexum, functæ erant Apoſtolico munere, cibos & hortamina egenis tulerant, quid poſt mortalem hunc ſpiritum reliqui eſſet, docuerant ignaros, ſiue nihil tale cogitantibus iniecerant alterius uitae curas,

ſpemq.

ſpemq. aut metum. Iam ueteris quoque Tobiae erga inſepultos ſtudio & caritate, quantum potuerant in tanta ſtrage aſſequi, per ſe, per alios adlaborarant, ne corpora exanima in publico & aperto putreſcerent, & paſtores iſti haud dubie Vrbis in tali tempore fuerant. Nam abſente, ſicuti dictum eſt Archiepiſcopo, mercenarij miniſtri, quibus interim Eccleſia commendata erat, minime mouebantur animarum clade, ac ſicuti lupo ſuperueniente, cuſtos alieni gregis dat impigre terga, deſeritque nihil ad ſe pertinentes ouiculas, ita conductitij illi curatores, nulla alia quàm ſarcinarum & peculij ſui ſolicitudine ad prima peſtilentiæ ſigna, ſublatis callide rebus abierant domum.

IOSE.

IOSEPHI RIPAMONTII E COLLEGIO AMBROSIANO

HISTORIARVM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Sextusdecimus.

PLacato tandem Numine, annoq; circumacto peſtilenti (is fuit humanae ſalutis milleſimus quingenteſimus vigeſimusquartus) Populus & Eccleſia Mediolanenſis, ignobili paruae vrbis populo, quàm Metropolitanae Maieſtati ſimilior erat; & ſicuti corpora momento vno diſſoluuntur, tardis incrementis augeſcunt, lente ab noua ſtirpe renaſcebatur. Rari & attoniti qui fieri parentes poſſent: vacuae pleraeq; domus: inania procerum etiam tecta: parui magniq; penates iuxtà deſerti: compita, & viae, & fora illa calcata tantae quondam multitudini herbeſcebant agreſti ſimillima ſolo; & ſinguli ciuium velut attollentes ab tumulo caput, iratam adhuc

huc fuſcamq; lucem adſpicere ſeſe putabant. Manſueuiſſe celum, inhibita eſſe peſtilentiae tela, tutam eſſe ſibi vitam, vix fides. Et erant iſta tamen, licebatque iam creſcere, & nouam ſobolem reparare vrbi, cui Rex Gallus imminebat, vt ſtatim victor, poſtea captiuus, cladem ignominiamq; inde aegre elapſus vincula, referret domum. Incitauerant deſtinata eius Caeſariani ipſi illato in Regni fines bello Maſſiliaque per quadraginta dies diuerberatâ & quaſſatâ, non tamen captâ; quae oppugnatio poſtquam irrita fuit, confirmato ob eam rem animo, & ad veterem impetum addita recenti ira, parem eis animis offenſionique exercitum celeritate mira in Italiam rapit. Simul Duces noſtri cognita profectione Regis, timentes vrbi Mediolano, quam, & relicti illic praeſidij tenuitate, & eo ipſo quantulocunque praeſidio, ſicuti demonſtratum eſt, abſumpto, apertam fore hoſti proſpiciebant, cõcitato ab Maſſilia nauium curſu legentes oram proſpera velificatione Monoeci portum tenuere. Ibi expoſito exercitu, tormentiſq; membratim in iumenta impoſitis, pari fere cum hoſtibus gradu, diuerſo itinere procedebant, ita, vt eodem die Galli Vercellas, noſtri Albam peruenirent. Inde, & hoſtes nemine prohibente, traiecto Ticino, Mediolanum verſus rectà contenderunt: & Caeſariani praemiſſo iam ad prouidenda quae tempus moneret, Hieronimo Morono, quanta maxima poterant celeritate ſubſequentes anteuenire ſeſe poſſe Gallum ſperauerant. Sed Moronus, vbi ſolitudinem vrbis, vaſtaque & ſqualentia cuncta vidit,

re-

relato etiam mortuorū numero (centum quadraginta millia perijſſe conſtabat) ſqualens ipſe, & confuſus, deſperata defenſione, vltro rogare & hortari ciues inſtitit, vt ſaeuienti fortunae ſubmitterent capita, neue Gallo venienti ſaeuiendi inſuper materiem praeberent. Acciperent exercitum Imperiumq; cui fruſtra reſiſteretur: Id Sforciae, id Caeſari gratius fore, quàm ſi pauci & inualidi tot armatorum millibus offerrent ſeſe trucidandos. Satis ſpectatam eſſe populi Mediolanenſis virtutem: nunc ſaluti conſulendum: generoſa pectora melioribus ſuis & Reip. temporibus reſeruarent: memorem Sforciam fidei ciuium optimorum; ſi cedendo tempori conſeruare eos potuerit, ad nixurum, vt priſtina quoq; ipſorum gloria recuperetur: vindicem fore Deum, nec homines vitio daturos, quòd in manifeſto diſcrimine cauta conſilia temerarijs antetuliſſent. Haec & alia praeſentium miſeriarum ſolatia & hortamenta, ſuadente deſperatione, Moronus admouebat ciuium animis qui aduentantium fama Gallorum vndique exciti, concionis more circumſteterant virum, & in tam dubia re, quidnam ille afferret, ſuſpenſi ab ipſius ore expectabant. Accetera quidem eius miſerae conſolationis peregit Moronus, apud Populum Mediolanenſem quomodo quilibet etiam alius orator, deſperatarum rerum ignominiam & pudorem eleuare verborum arte potuiſſet. Illud verò nouum & ſingulare, & ad Chriſtianos animos maxime efficax attuliſſe eſt viſus, quod in excuſanda deſerendae vrbis neceſſitate, tenerrimam illam Euangelij vocem

ſem vſurpauit, qua Saluatorem in extremis ſuis rebus mortalitate ſuccumbente eſſe vſum tradunt. Praefatus enim, vt in paribus animi tormentis, verbum vſurpare idem licitum ſibi eſſet; ſpiritus quidem promptus eſt, inquit, caro autem infirma; & reliqua deinde ſicut expoſui, ſubiecit. Ab ea concione, datis quibuſdam propere mandatis, & firmata ſicuti potuerat, arce, Mediolano egreditur; ac vitata militaris viae celebritate ſeſe Ticinum confert, qua in vrbe Caeſariani duces cum Franciſco Sforcia exercituq; toto ſubſtiterant. Sub ipſa vrbis eius moenia Sforciam reperit egreſſum impatientiâ diutius expectandi quid ipſe renuntiaret. Vbi, perditas res, iamque tenentem Metropolitana moenia Gallum accepit, pauca cum Morono eodem ſecretò colloquitur; deinde recipiunt ſeſe vnà intrò ad Caeſarianos, ipſos quoq; intentos in nuntium, vnde cuncta pendebant. Quidnam illud ſecreti ſermonis, quaeue ſuſpicandi cauſa Caeſarianis fuerit, neſcitur. Ex eo certe die, Sforcia & Moronus in Caeſariano exercitu haud ſecus adſpiciebantur, quàm ſi Gallis Metropolim ipſi prodidiſſent. Et eae deinde ſuſpiciones ab qualicunque ortae principio, ceterâ additâ offenſione animorum, ſiue, per artem & calumniam arrepto quolibet obtentu, in tantum exceſſere, vt apud Caeſarem grauiſſimo rebellionis & ingrati animi crimine Sforcia accuſatus infeſtam inter miſerias & pericula vitam ageret, atque partâ de Gallis victoriâ, pro hoſte ipſe haberetur; quas principis infeliciſſimi calamitates, & eius negotij exitum reli-

quoſque Sforciae caſus ad finem vſque vitae ſimul & imperij, in ſequentibus libris demonſtrandi locus erit. Nunc perculſis repentino caſu Caeſarianis, Rex Franciſcus ſine certamine victor Metropoli inſtabat adeò non repugnanti, vt imperium accipere eius, cum bona prioris domini venia, communi ob recentem peſtilentiam approbatione famae, ſuperûm etiam quaſi iuſſu parati illic cuncti eſſent. Ille enimuero, neque ingreſſus vrbem, neque ingredi paſſus quemquam ſuorum, tantùm collocato circa moenia praeſidio, & conſtituta obſidione arcis, graui propoſito edicto ne quiſquam Mediolanenſium vlla iniuria violaretur, infeſta ad Ticinum ſigna repente conuertit, ne vrbem ſcilicet eam ab tergo relinqueret; idq; caput eſſe belli dictitabat. Caeſariani duces, iam oppido probe communito, circa vrbes diuiſi alias, in rei Ticinenſis euentum intenti, ſeſe ad Metropolim denuo recuperandam accingebant. Miſerant Borbonium in Germaniam ad conducenda gentis eius aliquot millia. Sforciam & Moronum interim, neque vt palam irati tractabant, ne alieno tempore exaſperarentur, neque vt incauti, ne ſuſpecta iam eorum fide, locum nouae fraudi aperirent. Angebantur difficultate pecuniarum, exiguis vt ſemper ac lentis ab Caeſare ſubſidijs, & mutata Pontificis volontate, qui in minore ſua fortuna, arcendis Italia Gallis, vt demonſtraui, foederatus; abnuebat nunc omnem armorum ſocietatem, Apoſtolicoq; nomini indecoram eſſe profitebatur. Florentini item antea foederati & moniti iam ex foe-

dere

dere, quibus auxilijs Metropolitana res indigeret, conſentanea quaedam alienationi Pontificis reſpondebant. Paria referebantur ab Venetorum Senatu, qui prudentiae ſuae genere, conſilium ex inclinatione rerum capere ſoliti, poſtquam cum magno exercitu prope victorem in Inſubria ſenſere Gallum, iam amicitiam armaq; illius ſpectanteis, non teneri ſeſe arbitrabantur foedere, quod fortuna inutile feciſſet, & haud dubie immutati verba pro rebus dabant. Alienatis ita multorum animis, & ob res aduerſas, vti fit, quotidie magis detecta mutatione voluntatum, res vna tamen exercitui noſtro ducibuſq; Caeſarianis adiumento erat, quòd nimirum, Rex Franciſcus aggreſſus magno impetu Ticinenſis vrbis moenia, & praeſidij robore, & oppidanorum virtute inde repelleretur. Atque dum Gallus ibi tempus terit, & nunc dimouendo auertendoq; amni, nunc agendis cuniculis operibuſque fruſtra fatigat militem, interim confirmati noſtri Heluetiorum auxilijs, quae Borbonius adduxerat, & animorum fiduciâ, minime dubitabant, quin recepturi Metropolim breui tempore eſſent, & excitata ſic priore fortuna, deiecturi Italiae finibus Gallos. Spem quidem illam, vt Rex etiam ipſe caperetur, vtque tantum munus in Hiſpaniam ad Caeſarem poſſent mittere, nondum credo agitabant. Cùm noſtra hoſtiumq. negotia in hoc ſtatu eſſent, & Gallus, quia Mediolanum haberet in poteſtate, mox cetera ſeſe habiturum ſperaret, Hiſpani, quia oppidi vnius irrita oppugnatione detinerentur,

Mmmmmm 2 fra-

frangerenturq; hoſtes, propediem crederent fore debellatum; tempus id opportunum tentandae pacis inter Reges viſum eſt Pontifici Clementi, dum ſcilicet pars vtraque victoriae pignora manibus teneret, dum Rex etiam vterque vinci ſeſe poſſe arbitrari poſſet. Sanè Pontificis eius animus initio fuerat, ne ſeſe immiſceret Regum armis, & diſpari quondam ſtudio molitus bella, factiones foederaq. amplexus, famam nunc ingentem illam & Apoſtolicae maieſtati conſentaneam adamarat, vt Pater humani generis, publicae pacis cupidus, turbarum inimicus omnium haberetur. Ceterùm, ſecuritatis etiam ipſe ſuae cauſa, dederat hanc occulte Gallo fidem; cum bona ſua pace Mediolanenſem expeditionem eum ſemper eſſe obiturum, neque ab Roma quicquam vnquam ad eam rem ei fore impedimento. Poſtea, Gallicas quoque copias eunteis ad Neapolitani Regni damna tranſmiſerat per Eccleſiae fines, cauſatus apud Hiſpanos hoc ipſum, quòd niſi exercitui infeſto praebuiſſet iter, auerſurus in ſe bellum fuiſſet. Demum haud procul iam aberat ab eo, vt Gallicae potius quàm Hiſpanae factionis diceretur, indueratq. in communem ſeſe laqueum, nec ferme ſentiebat. Implicatus ita & haerens, ſuſpectanſq; multa & viciſſim ipſe ſuſpectus mittebat crebras de pace legationes, in Inſubres quidem, ad Gallum Regem, ad Lanoſam, ad Daualum; in Hiſpaniam verò, ad Caeſarem ipſum, eiſque legationibus miſcebat conſilia, preces, & Apoſtolicos hortatus, & quicquid à Pontifice maximo communis otij

cauſa

cauſa dici Regibus poſſet. Reputarent incerta belli, & longinquam ab domo militiam, & ancipites caſus, & tot infidas ab vtraque parte victorias, & tantum Chriſtiani ſanguinis hauſtum iam & hauriendum. Conditiones quoque proponebat, vtiles vtrique parti, ſicut arbitrabatur ipſe & honeſtas; vt Regis Franciſci filius natu minimus, ab Caeſare Dux Mediolani appellaretur: pro eo munere Caeſar ipſe pecuniae ſummam acciperet quantamcumque dari iuſtum foret. Ita rem Mediolanenſem, extra Gallici Regni corpus, & Caeſarem, eius dandi, vel adimendi principatus authorem fore. Nuſquam ea ſecundis auribus accepta ſunt. Negabant Hiſpani, glebam vnam Italici ſoli Gallis vnquam eſſe relicturos, inſuperq. taciti indignabantur, quòd conſilia pacis & hortamenta ſibi mitterentur ab eo Pontifice, qui relicta foederis fide, ſeſe manifeſte feciſſet hoſtem, hoſtiliaq; iam coeptaſſet: Rex Gallus, capta iam Metropoli, & Neapolitanae conquiſitionis vanitate vitioq; natiuo inflatus, nihilo aequiorem ſeſe ad Pontificis monita accipienda praebebat. Ea pertinacia Regibus, iſque vtriuſq; aulae conſenſus ad dirimendam hanc ferro litem, quaſi, non Inſubriam in eo diſcrimine, ſed Regnum pars vtraque ſuum, & omnem ad reliqua famam agi cenſerent. Lanoia fuit vnus in Hiſpana parte, qui, poſteaquam circumfundi Neapolitano etiam Regno Gallos ſenſerat, prouinciae ſuae metuens, inclinaret nonnihil ad pacem animum, vel certe ſummam virium illuc transferre conaretur. Inde pugna ſententiarum

ei

ei cum Daualo, contendente, ſi abſceſſum Mediolano eſſet, Inſubriaque relicta Gallis, etiam Neapolitani Regni nullam irritamue fore defenſionem, & nulla alia ſpe minitari Neapolitanis rebus Gallum, quàm vt exercitum noſtrum ab Metropoli abſtraheret. Si manerent in Inſubria, poſſe vtrumque ſuccedere, vt & deijcerent Mediolano hoſtem, & Neapolim, eo, qui ibi eſſet milite tuerentur. Inſubriâ deſertâ, hanc ſimul Regnumq. amitti, & profectione ipſa fieri famae militaris irreparabile damnum, quod triſtius foret etiam, quam Regna & prouincias amiſiſſe. Potiora haec viſa concilio, ipſeque Lanoia, damnata priore ſententia vinci ſeſe paſſus, prouiſis quibuſdam ad firmanda praeſidia Regni, totas huc vires animumq; intendebat. Iam exercitus erat noſter Gallico exercitu, nulla virium parte minor, fortaſſe etiam, Germanica auxilia, quae cum Borbonio & Franiſpergo, & Marco Sitico venerant, non aequauerant modò, ſed exceſſerant hoſtium numerum. Decem millia peditum, duo equitum millia fuere veterani fere militis, quod robur fida Caeſari pars Germaniae, & Ferdinandus eius frater, accuratiſſimo delectu miſerat, neceſſitate ſimul tanti diſcriminis, & gloria elatus, vt Germanicae militiae vim intentis in rei Mediolanenſis exitum principibus gentibuſque omnibus oſtentaret. Haec ad veterem exercitum addita ſubſidia ſpem haud dubiam attulerant, ſi duae contrariae acies libero campo adſiſterent, poſſe victoriam eſſe Caeſarianorum, Galloſque profligari. Non minus virtu-

tis

tis in exercitu Gallorum erat, duceſq; ibi, vel animi fortitudine, vel armorum vſu, nominiſq; etiam gloria pares noſtris. Sed apud iuuenem Regem, Anna Moranſius & Philippus Ciabotus, ob amoena ingenia, gratoſque mores, anteſtabant. Inde toruitas & indignatio ceterorum, quibus ſaepe iratis, pleraque in exercitu negligebantur. Rex ipſe Franciſcus, acer ſane bellator, ſed nunquam ita ad negotia intentus, vt voluptates obliuiſceretur. Dum Ticinenſibus adſidet muris, dum coronâ cingit vrbem, dum admouentur ſcalae, ſcandereque fruſtra conatur miles, cum illis Annâ & Philippo abditus Auguſtali inter ludicra ſermonibuſque vagis terebat tempus. Laborabant adhuc vti ſemper pecuniae difficultate noſtri; ſed apud hoſtem, ſtipendia militum intercipiebantur auaritia quorundam & fraude nequaquam ibi tantum factitata, dum ſcilicet, ementito militum numero, redundantia aera praefectis cedunt. Abduxerat etiam ex Gallico exercitu ſex millia Rhaetorum inſigni facinore Iacobus Medicaeus, de cuius audacia initijſque fortunae antea demonſtraui. Is, patrata caede Monſignorini, praemium eius nauatae operae malum aliquod timens, eoque metu factus audacior, ac pericula ipſa magno diſcrimini remedium quaerens, ab ſua illa ſolitaria Muſſenſi arce, quam ſibi in tam ancipiti fortuna, proſpere, ſiue ſecus conandi aliquid ſedem initiumque deſtinarat, perſcribit ſignificatque Daualo, poſſe ipſum, Clauenenſi arce capta efficere, vt Rhaetorum proceres, qui miſerint auxilia Gallo,

in metum ingentem de ſumma rerum ſuarum adducantur. Sic auxilia illa domum eſſe reuocaturos: de ea re, quid ſibi mandatum ſit, exſpectare. Haud diſplicet Daualo res, laudatoque conſilio viri, & miſſâ ad eum pecuniâ, quò promptius libentiuſq; exequeretur, monet dicta factis comprobare. Si ſuccedat, honori atque emolumento id ei apud Caeſarem etiam fore promittit. Exibat matutinis horis ab arce quotidie Rhaetus, & ibi ante portam aliquandiu inambulabat. Ea quotidiana conſuetudo praefecti nota Medicaeo; poſuitque in vicina latebra inſidias, ac proſiliens inde ipſe repente comprehendit hominem & multae ſimul iniectae manus. Ad quem caſum trepida captiui coniunx, cùm reddi ſibi maritum ex arce conclamaret, furcâ repente in eius oculis erectâ Medicaeus, ſtrangulari laqueo iniecto ipſum iubebat, niſi porta patefacta illico eſſet. Ita, capta per Medicaeum arce, timentes Rhaeti, ne initium id belli eſſet aduerſus libertatem ſuam exorientis, quo exardeſcente mox bello, depellerentur vniuerſo Vulturenae Vallis tractu, ſciuere ſuo more, Vt Tecanus, qui ductor popularium in exercitu noſtro erat, illico rediret domum, ſeque & copias illas patriae periclitanti reſtituere ne cunctaretur. Ea non parua lacuna facta erat in Gallorum exercitu; machinatorque fraudis Medicaeus, ab ea primùm commendatione, innotuit Caeſari ſimul, & incuſſit aliquam ducibus ſolicitudinem, ſi homini tam prompto adfacinora, minitarique rebelliorem auſo, tantum etiam prouidentiae

ad

ad militaria opera eſſet. Ceterùm, ita ſicuti demonſtrauimus aucti confirmatique noſtri, ab Laude Pompeia, qua in vrbe ſeſe recollegerant, numero copiarum inito ad Melinianum proceſſere. Inde Ticinum vadunt, & caſtris prope noſtra caſtra poſitis tantulo interuallo, vt partis vtriuſq; fiſtulatores inuicem ſeſe laceſſere poſſent, plumbeaeq; glandes hinc inde certo ac deſtinato ictu adigerentur, paruis illis certaminibus ſummae rei ſpecimen auguriumq; captabant. Caſtra Regis Galli in eum modum ſita fuere, vt pars militum tenderet intra ferarum ſepta, quae veterum Vicecomitum oblectamenta, ſexdecim milliaria campi peramoeni includunt, pars latius ab exteriore parte porrigeretur, diruerantq; murum interiectum quanto neceſſe erat hiatu, ne ab ope mutua dirimerentur. His caſtris, vti dictum eſt, appropinquauere Caeſariani, partim, conſpecto per campos & prata exercitu, partim abdito nemoribus, ad D. Iuſtinae, ad D. Lazari, ſicuti planities tunc ea pateſcebat, obſcurabaturue. Interfluebat dirimebatque munimenta flumen ſatis profundo alueo praecipitibuſq; ripis cuius fons ex ſepto ipſo manat. Accolae Vernaculam dicunt. Circa eum amnem crebra certamina erant tranſire conantibus noſtris, prohibente Gallo. Et munitiones alioqui ceterae caſtrorum, aggereſque, & foſſae, & bellicâ arte reperta cuncta militum ſecuritati, intra ſuum vallum partem vtramq; defendebant, vt neutri alteros ad pugnam compellere poſſent. Atque compertum poſtea eſt, ſecretò

Nnnnnn mo-

monitum fuiſſe Regem à Pontifice Clemente, ne pugnae diſcrimen adiret multis iam rebus impar: daret Hiſpanorum exercitui ſpatium, quo ſeneſcerent pauliſper atque debilitarentur: non poſſe diutius eos ob pecuniae anguſtias in eo loco ſuſtentari. Nec vtique poterant, & ideo cupiebant quamprimum praelio defungi. Ad x. Cal. Martias, nocte, quam ſacer Apoſtolo Matthiae dies, idemque natalis Caeſari ſequebatur, Daualus, & Borbonius, & Lanoia, mandant ceteris ordine praefectis, vt ſingulos milites tunica alba ſuper extimam veſtem iniecta iubeant eſſe amictos. Id ſignum, & quaſi teſſera debebat eſſe, per quam inter ſe dignoſcerentur, ne obſcurum noctis & gladiorum agitatio anceps, vulnera & ictus ab hoſte in ipſos anerteret. Ita praeconium miſſum; temporiſque fere momento, ſicut imperatum erat, ſtetere omneis ad nutum intenti Ducis. Tum de tertia fere vigilia adſultatum eſt hoſtium caſtris, atque ab diuerſa parte praelio oſtentato pars ſeptum irrumpunt, alij regiam ſtationem aggrediuntur. Et Rex ipſe, audito ſtrepitu ſentiens adeſſe diſcrimen, prodierat vltro ab ſtatione illa eduxeratque ſuos in liberiorem campum ſperans equitatu ſuperiorem ſe eſſe. Pepulere primò Galli noſtros quia, necdum vniuerſi irruperant, & equeſtris procella vehementius ab latere incubuerat. Mox Lanoia cum Germanico peditatu ſuperuenit, inclamante Daualo, vt opem ferre properaret. Eius aduentu ceſſere noſtris Germanis peditibus Gallorum Heluetij, qui primo impetu feroces

ces aegre antea ſuſtinebantur. Pugna erat atrox, magnumque diſcrimen etiam ijs qui deinde vicerunt. Rex ipſe ante alios terrorem & caedem eximio bellatore equo, & victrice per aliquod tempus machaera animoque elato circumferebat. Strauerat humi multorum corpora equoſque, abſciſſas à brachijs manus, abſciſſaque brachia, & detruncatas ab reliquo corpore ceruices; ſuorum quoque nonnullos coecus ſua & noctis caligine obtruncarat. Demum ipſe lapſu ſaucij morientis equi in foſsam effunditur. Tectus humeros fuerat argentea chlamyde vincente tenebras noctis ſplendore ſuo; cetera ignotus quinam homo eſset. Spe praedæ treis gregarij milites illico circumſiſtunt, recuſantemque dedere ſeſe & obluctantem interfecturi erant, ni Regem ſe eſſe dixiſſet. Tanto magis tenent inhibentque attoniti magnitudine ſuae ſortis & ſubita reuerentia in captiuum. Accerſebant deinde Borbonium, vt is exciperet Regem; qui, proditorem contumaci ore abominatus, etiamnum imperitans, venire potius Lanoiam iubet. Ab eo exceptus, & cum omni honore, qui captiuo Regi haberi poſſet, ductus in Hiſpaniam, quae deinde libertate adepta ob rem Mediolanenſem hoſtilia & infauſta adhuc tentarit, in tempore exponemus. Captiuitate Regis, conſternato & fuſo diſſipatoque omni Gallorum exercitu, diei inſequentis lux Populo Mediolanenſi victoriam aperuerat, & dilapſis repente etiam qui obſidebant arcem, nocte ſeſe vna potuiſſe liberari admirabantur. Galli, qui

praelio affuerant, quiue circa praeſidia diſpoſiti celerem acceperant famam cladis, cateruatim, ſiue ſolutis ordinibus abeunteis, haud prius conſtitere quàm relictas ſibi ab tergo alpes cernebant. Mediolani, pulſo in hunc modum hoſte, nullus in praeſentia fructus tantae victoriae erat, inanemque laetitiam fecere populo ea quae ſecuta ſunt. Iam Rex ille, qui Metropoli prouinciaeq; bellum intulerat, ductus in Hiſpaniam ad Caeſarem, Madriti in arce cuſtodiebatur humanarum rerum & regiae fortunae miſerabile exemplum, cùm Caeſar victor ne adſpicere quidem eum voluiſſet; vnde moeror captiuo, & ex moerore morbus, qua denique miſeria impetrauit, vt benigne inuiſeretur ab eo, quem armis ipſe laceſſiuerat. Iam Regina Mater prius etiam abominata infauſtum illud in Italiam iter filij, tantò nunc magis conſilia belli conſiliorumque authores oderat. Et Gallia tota, caeſo inſuper, aut caſibus alijs amiſſo nobilitatis flore, omnique propemodum amiſſa militari ſobole, poterat lugere magis quàm vindicare caſum Regis; ac diſcordijs & moerore vtique occupata deſierat iam reparare vel minitari nobis bellum. Vrbs tamen ipſa, quaſi nocturnâ illâ victoriâ, ſtrageque hoſtium, & captiuitate Regis nihil actum eſſet, oneribus adhuc exactionibuſque immodicis, &, quod omni onere acerbius, victricium legionum licentia & rapacitate vexabatur. Ab gregario egenoque milite ſimul, & ab ducibus opulentis, exhauriebantur ciuium iuxtà & agreſtium, dites pariter &

vacuae

vacuae iam domus. Carebant adhuc paſtore Medio-lanenſes, ſicuti deinde etiam caruere vſq; ad Ioannē Angelū Arcimboldū, cui poſtea Cardinalis ille Hippolytus ſua feſſus abſentia, & conſcientiae credo ſtimulis ictus, Eccleſiam hanc authore Pontifice Maximo, tradidit, cum Ambroſiana emolumenta curis ſemper intentus alienis diù ipſe percepiſſet. Facilè quilibet ex eo coniectauerit ſacrarum rerum adhuc nuditatem, & miſerias, quæ in tanta militari proteruia & turba male propulſarentur etiam ſi ſuus Pontifex Metropoli praeſens intentusq; eſſet. Sforcia porrò ipſe, quem illa arma defenderant, qui ve vnus defendere nunc vrbem ac tueri ſuos deberet, miſerrimus vere mortalium erat, ac miſeratione ſui moerorem publicum augebat. Namque ducibus Caeſarianis, iam antea, quomodo narraui ſuſpectus, ceu prodidiſſet ipſe Gallo vrbem, ſiue innocens ab ea parte & aemulatione fortè aliqua inuiſus, indeque apud Caeſarem accuſatus falsò, perfidus amicus, occultus hoſtis habebatur; & velut in alieno adhuc imperio cuncta ſeruientium mala ſuſtinebat. Nec Caeſari tantùm erat obnoxius, cuius beneficio redijſſet in vrbem, cuius etiam armis & praeſidio ad reliqua pericula caſuſque indigeret, ſed mancipia eius erant ipſi Regum inſtar; incredibileq; dictu, Dux Mediolani nemini regnantium antea ſecundus, regiorum hodie nutu ſupercilioq; regebatur. Suſpicatus etiam erat ipſe, & ſicuti ſcriptum lego, compererat, habuiſſe Lanoiam illud à Caeſare mandatum, vt, ſi fieri poſſet abſque tumul-

tu,

tu, ſeſe detinerent abderentque aliquò, vbi mouendi quicquam adempta facultate vacuam relinqueret imperij ſedem ad ea quae pararentur. Quæ ludibria, atque tam infeſtam principatus & vitae conditionem effugere volens, agitaſſe fertur, de Hiſpanis, qui Mediolani erant, interficiendis, atque de ea re cum Galliae proceribus pernicioſe inita conſilia habuiſſe. Nec ego de ea coniuratione certi quicquam affirmauerim, cùm temporum etiam eorum ſcriptores, quibus notiora cuncta eſſe potuerunt, negotium illud omne haeſitanter & ambigue tetigerint. Sed neque omittam ea quae ſcriptores ijdem poſuere pro certis, dum coniurationis crimen aduerſus Caeſarem, inter Sfortiam, & Daualum, & Moronum diuidunt communicantque, & ipſum adeò Pontificem, Venetoſq; Senatores ſuſpicione nonnulla adſpergunt, vniuerſi tamen facinoris authore & quaſi proxeneta Morono, de cuius hominis apud Sfortiam gratia & potentia nonnihil etiam antea demonſtraui. Is Gallicarum irruptionum tempore profugus vnà cum Sforcia, calamitatum omnium exſilijque comes, dein exorta apud Caeſarianos ſuſpicione, ſocius criminis, poſt victoriam hoc tempore non contentus victoriae fructu, ſua principiſque conditione inquietus, coquebat moliebaturque aſſidue multa animo, & molientibus noua alijs aptus opportunuſq; erat. Ingenium ei cum magnis virtutibus, nec extra vitia, quae ab virtutum ferme confinio oriuntur. Animus ingens cùm ſuperbia & faſtu: belli paciſque artes cum fraude ac

dolo:

dolo: fides & obſequium erga Principem haud ſine adulatione emolumentiſque quotidianis: apud pares, apud ſuperiores, modeſtia & ſubmiſſio: comitas erga infimos: iuſtitia in omneis; ſed cuncta potentiam ſpectabant. Etiam patientia rerum aduerſarum, atque quotidianas inter offenſiones, tenor ſemper idem oris, eorum interpretatione, qui talia intelligebant, ad vindictae cupidinem & expetitum inde ſolatium referebantur. Hunc, magnae cogitationis, per haec indicia compertum ſibi Daualus, ſiue Daualum ipſe pares animo fluctus voluentem ſagaciſſime odoratus, poſt colloquia nonnulla, poſt captos varie ambitus ad aegrum animum, vbi tuta res viſa, ſocium ſibi aſſumit ad ea, quae ſortis vterque ſuae contemptu noua & praecipitia experiri ſtatuerant. Id modò incertum fuit, vter eorum iecerit prior tam periculoſi ſermonis aleam, auſuſque fuerit emittere primam illam funeſtam vocem, quã etiam audiuiſſe, capitale foret. Sed, ſiue Moronus incoepit, ſiue Daualus; prodidit certe Regnicola hic homo Mediolanenſem illum, & noſtrati ſimplicitati Neapolitana fides illuſit; apparuitque noſtrorum hominum aſtutias fraudibus cedere externis, etiam vbi palmam in eo genere non nemo fortaſſe eſt aſſecutus; quae certe palma Morono illi tribuebatur. Regnicola igitur Daualus, primo quidem communicauerat conſilia cum Morono, vt bona fide proderet abſentem Caeſarem, vtq; Hiſpanorum caede firmato Sforciae principatu, eo deinde adnitente, Neapolitanum Regnum ipſe adipiſce-

piſceretur. Verùm, vbi gerendae rei difficultates, & pericula horrenda, ſummumque diſcrimen, inter conſultandum primò, deinde inter moliendum, occurrêre animo, ne nihil plane lucratus eſſet, impedimenta ipſa, & væcordem iam fatali prope calamitate animum Moroni pro lucro arripuit. Ceu fidiſſimus homo Caeſari, defert vltro per celeres nuntios ad eum, quam deprehenderit Moroni mentem, quid ſecum ille communicare auſus; qua adhuc ſpe & deſtinatione ſuſtentetur. Nec vnius eſſe Moroni flagitium illud, ſed Sfortiam, interprete mancipio, deprompſiſſe quae ingrato aduerſus liberatorem ſuum animo concepiſſet. Vt autem auderent vterque depromere, effectum eſſe arte ſua & prouiſu, quo ſpeculatus inquietam vtriuſque mentem, tumultuantemque perfidiam, fingendo ſe quoque aegrum animi, & fortuna ſua male contentum, illexerit vt portenta ſecum illa communicarent. Cognouiſſe etiam, parari aduerſus rem Hiſpanam Sforciae ipſius inſtinctu nouum foedus, eique foederi Pontificem Romanum addere arma & opes ſuas. Rem eſſe in magno diſcrimine, fruſtraque captiuum teneri Gallum Regem, fruſtra partam eſſe de Gallis victoriam, ſi Dux Mediolani ſinatur ille, qui per ſatellites ſuos id agat, ne Caeſaris nomen audiatur in Italia, vtque ſaturetur ipſe caede eorum, quorum ſanguine patriam atque principatum ex miſerrimo exſilio recuperarit. Contexta in hunc modum accuſatione Daualus, qui ipſe maxime accuſandus foret, miſſoque in Hiſpa-

niam

niam Ioanne Baptiſta Caſtaldo familiari ſuo, qui Caeſari cuncta ordine demonſtraret, dum ille proficiſcitur, proſpiciebat deinde agebatq; omnia, vt Sfortiam & Moronum publicè atque teſtatò arguere coniurationis poſſet. Cùmque Sfortiam ipſum interim in colloquia eadem traxiſſet, mirificâ inſuper tentauit obtinuitque fraude, vt certus ab Roma cum Pontificijs litteris ſibi mitteretur homo ſuper ijs rebus, quæ aduerſus Caeſarem foederis lege agendae eſſent. Ita, & teſtibus iam, & indicijs illigatos improuidos homines tenebat Daualus; iam res nota Caeſari erat, & quotidie tamen Sfortia & Moronus cum ſocio eodem & proditore ſuo tamquam de re arcana ſecretò conſultabant, fallaciâ atque errore etiam apud animum noſtrum miſerabili, niſi fraudulenti machinatoris exitus, qui propediem inſecuturus erat, ex imagine moeſta & triſti laetam iucundamque aliam offerret. Daualus enim ipſe, dum irati Caeſaris mandata in Sfortiam & Moronum poſtea exſequitur, mortuus eſt è phtiſi, & marcidum illud liuore ac malignitate pectus concepta fallaciarum labore tabes abſumpſit. Nunc laetus Caſtaldi reditu, & Caeſaris mandato, rebellioni puniendae rebellis ipſe ſtrenue intentus erat. Mandauerat autem Caeſar, vt propter irritatos victoriâ recenti ſuâ principum Italorum timores; qui velle ipſum oppreſſo etiam Sfortia Italiam occupare totam ſuſpicabantur, atque ob id inter ſe coniurabant, eâ quâ inſtituiſſet ſimulatione Sfortiam Moronumque detineret. Sic poſſe conſilia

melius hoſtium cognoſci, & ſecuritate iniecta illis, ſpatium interea ſeſe habituros, ad prouidenda & comparanda cuncta, quae aduerſus noui foederis pericula opponerentur. Miſerat verò interim etiam diplomata, queis Sforciam Mediolani Ducem creabat authoritate ſua, ſiue ad diſſimulandam animi offenſionem, indiciumque tegendum, ſiue, vt tumentem illius animum hoc dato blandimento placaret; eaque mollior interpretatio fuit. Mox Daualus, incertum, Caeſaris iuſſu, an ſponte ſua priuatoque conſilio diuerſa quaedam orditur. Volebat adimere Sforciae Metropolim, arcem, vrbeſque ſubiectas, & imperium hoc omne Mediolanenſe inuadere Caeſaris nomine, quaſi priſtinus poſſeſſor manifeſtò perduellis, ob id crimen omni iure excidiſſet. Opportune ad id etiam valetudo Sfortiae ipſi acciderat, anceps adeò & grauis, vt vulgò actum de eius vita exiſtimarent. Vnus obſtare poſſe Moronus videbatur, quia feſſum animum Principis ille conſilio & ſpe optima ſuſtentaret, ne rebus ſuccumberet aduerſis, neve frangeretur metu. Hunc ad ſe accerſitum, & quambenigniſſime exceptum artifex doli, per ſpeciem colloquij ſecretioris cubiculo inducit, vbi Antonius Leua, periſtromata inter & parietem, obſcuro in angulo compoſitus occultabatur, vt ſuis ipſe auribus, ea, quae ab Morono dicerentur audire poſſet; audiuitque cuncta & excepit, quaſi res iam ipſa gereretur. Namque ſimpliciſſime Moronus ignarus adhuc fraudis, illato per duplicem illum proditorem ſermone, aſſentiri interdum

& lau-

& laudare hanc illamue conſilij viam, interdum addere de ſuo, & exponere tutiora, ſiue expeditiora quae ſibi viſa eſſent: ambigere nonnunquam, ſciſcitari modò aliquid, & ſuper omnia, inſtare ne rerum dies verbis amplius & ſegni conſultatione abſumerentur. Interimque Leua Dauali manibus in turpi illa collocatus latebra, voces etiam audierat, queis ipſe deſtinabatur neci. Nam inter cetera conuenerat hoc, vt ille occideretur. Ab ſcena deinde illa fallacique colloquio mittitur Moronus in Ticinenſem arcem, & Daualus eò confeſtim ſubit ad quaeſtionem de ſcelere habendam, cuius particeps auctorue ipſe erat. Scilicet, impudentia & malignitate Tiberianis quoque temporibus fortaſſe intolerabili, certe ab temporibus moribuſque ducta ijſdem, interrogabat reum, pariter reus ſociuſque coniurationis, & ex reo ac ſocio, repente inimicus, accuſator, iudex. Reſpondebatque Moronus, non ſicuti ira & deſperatione deberet; plura ſcire Iudicem, quàm alios omneis, ſed qualia verba miſtus fiducia pauor gignit; adhibebatque temperamentum, vt ſi qua reliqua eſſet ſalus, eam ne ſibi libertate intempeſtiua abrumperet. Reperio quin etiam, ſcripſiſſe ſua manu eum ſeriem vniuerſam coniurationis, prima poſtrema omnia, & quemadmodum inito aduerſus Caeſarem foedere Sforcia, paratiſq; inſidijs exercitui Hiſpano, nihil aliud quàm idoneum gerendae rei tempus exſpectaret. Reticuit de Daualo ipſo, quod vnum tacitum atque diſſimulatum prodeſſe ſibi poterat. Debuerat namque placari Daua-

lus facta ſignificatione tam reuerentis animi erga ipſum; atque ea modeſtia apud quemlibet alium vtilis futura reo fuit. Sed callidus homo, ex Hiſpania oriundus, Neapoli natus, iam inde à puero ſtipendijs ſemper nutritus alienis, domi diues, potentiae maioris auidus, nihil praeterea curabat aliud, non humanitatis iura, non famam ad poſteros; & iam eò proceſſerat, vt ne parcere quidem aut eleuare crimen poſſet. Interrogato reo, & extortâ quam voluerat confeſſione, ipſum quidem in vinculis relinquit, augetq; cuſtodias, tamquam ſceleri infenſus, ac nec elaberetur; Sfortiam verò ipſum, ne quis grauior in vrbe motus exiſteret, haudquaquam pari violentia ſtatim aggredi auſus, rogat primò, vt publicae ſalutis atque ſecuritatis cauſa tradi ſibi iubeat arces quaſdam Caeſaris nomine cuſtodiendas; deinde etiam vt circumuallari arcem Iouis ſineret, petit. Petebat ſimul vti dederet ſibi Ioannem Angelum Ricium & Angelum Politianum, quorum vterque ſcriba intimus, hic Moroni, ille ipſius fuiſſet. Oportere vtrumque interrogari de rebus ijs, quas ipſe aduerſus Caeſarem molitus eſſe argueretur. Sforcia adhuc morbo implicitus, & multò magis ob eiuſmodi rerum ſtatum detectamque coniurationem animo aeger, conſilio praeſidioque nudatus omni, neque negare audebat, & concedere omnia flagitioſum rebatur. Tritium, Leucum, Picicatonem, has in Abduae fluminis ripa poſitas arces, ſicuti petitae erant, conceſſit: Iouis arcem, ipſum eſſe Caeſari conſeruaturum aiebat: Ricij ope-

ra miniſterioque quotidiano indigere: velle apud ſe detinere Politianum, vt in tempore teſtem hunc Caeſari exhiberet earum rerum, quas Moronus ſe inſcio atque aegrotante egiſſet. Non enim eandem eſſe ſuam & Moroni cauſam; & qua vixiſſet erga Caeſarem fide, cum ea ſeſe moriturum. Haec ab Sforcia reſpondebantur, litteriſque etiam & libellis agebatur res; queis Daualus haud dubie vincebatur; ſed vincebat ipſe manifeſtâ iam in eum quoque violentiâ, ſparſoque per vrbem & agros late exercitu; rurſuſque diuinae iuſtitiae telo eſt victus. Namque, dum aduerſus Iouis arcem pergit excitare munimenta quae deſtinarat, dum obſeſſum ibi Sfortiam tenet, dum etiam adacto in Caeſaris verba populo Mediolanenſi, omnique vetere deiecto magiſtratu, Caeſarianos magiſtratus imponit, atque ita ceu patrator ingentium rerum, praemium hoc à Caeſare promittit ſibi, vt ne prouinciae vnquam huius imperio & adminiſtratione dimoueretur, mors eum quae iam eſt repraeſentata dimouit. Cuius tamen viri manibus detur etiam narratione hac noſtra elogium, quod dedêre ſcriptores alij; neq; perfidiâ magis infamem, neque bello clariorem vllum per ea tempora fuiſſe. Et Daualo quidem finis Mediolani obtigerat ille, mitior etiam, quàm proditori Caeſaris, proditori ſociorum ſuorum obtingere debuiſſet; Metropolis autem ab eo conatu, in quo eum vita deſtituerat, nullum, extincto quamquam authore, calamitatibus inueniebat finem; atque conuerſis in vnam vrbem Regum

gen-

gentiumque fere omnium armis, tempore vno, ſicuti aliquando etiam aliâs, ab ſuo hoſtilique exercitu eadem patiebatur; & facti erant hoſtium loco, qui defendebant; populique adeò pars inermis, dum aduerſus defenſores ſuos, ob atroces iniurias armatur, grauiora quotidie mala indidem prouocabat. Pontifex Maximus, & cum Galliae Rege Veneti, Sfortia princeps, & Caeſar ipſe, finitimi longinquiue alij, quos ira, quos dolor & inuidia, curaue aliqua, & ex aliena felicitate damnum, & generi humano infeſtae regnantium neceſſitates ſtimulabant, omneis vno conglobati armorum turbine, Vrbem atque prouinciam, de qua dimicabant inter ſe, vaſtauerunt, & amens ob talia populus, ſui vaſtator fuit. Id erat foedus, quod Caeſaris metu ſolicitati principes, poſt victoriam ad Ticinum captiuitatemq; Regis agitare inter ſe coeperant, & liberato nunc Rege, obſeſſoq; intra arcem Sforcia, tantò magis inire properabant, ne Caeſar, addito ad Neapolitanum Regnum imperio Mediolanenſi, appeteret etiam reliqua, & totius Italiae arbiter foret. Dilata autem in hanc diem confirmatio foederis eius fuerat ob plures & diuerſas inter ſe cauſas, neceſſitate rerum, diffidentiâ partium, fraudeque aliqua minime ſociali, cunctatione etiam innoxia, & prouiſu, & ſpe, timoreque nonnullo; & ſuper cetera, tardauerat rem idem qui nunc incitabat Sforciae Moronique caſus iniectus proditione Dauali, patefactis quae ſecreto agebantur, & poſtquam detecta erant, celeritate aſſumpta ſubſidio. Cumque

cun-

cunctarentur adhuc, & in ipſa deſtinatione celeritatis, Gallo quidem Regi moram inijceret multis etiamnum vinculis illigata libertas; vt ſe carcere eximeret, proles data obſidio, & relicta apud Hiſpanum cariſſima pars ſui, & pacta viciſſim ipſi Caeſaris ſoror; Pontifici autem Senatuique Veneto obſtaret imperij, vtriuſque natura, & Rex Anglus (is quoq; enim inibat foedus) lente vt ex longinquo moueretur, abrupit impedimenta eis cuncta res Mediolanenſis in vltimum iam adducta diſcrimen, quae ſi apud Hiſpanum maneret, haud dubitabant, quin Italicis externiſque imperijs periculum ab eadem potentia, vt dixi immineret. Mittebat ad eos incluſus obſeſſuſque Sforcia crebras ex arce literas plenas vltimae deſperationis, quae litteræ partim per intermiſſa cuſtodijs loca, fida manu & occulto itinere peruniebant eò, quò deſtinabantur, partim ab ijſdem, qui ferebant, proditae, vel quo alio caſu interceptae nudabant arcis miſerias, & ea, quae ſemper ab obſeſſis teguntus. Vix menſis vnius alimenta eſſe ſibi; ex octingentis peditibus, quos ſecum initio habuerit, partem abſumptam eſſe fame, & paucos qui ſuperſint, fieri quotidie inutiliores; nimiumque multos eſſe prae annonte modo: ſi ſubſidium vltra dilatum ſit, minimum malorum fore deditionem: dedita arce, videre ipſos, quantulum Caeſari ad opprimendam ſeruitio Italiam reſtet. Maturando foederi, quod multa ſimul diſtulerant, haec fuere. Sed & Mediolani, propter intolerandas exactiones, cùm hoſtilia cuncta Caeſarianos

inter

inter populumque eſſent, ſpem propè certam foederatis inter ſe hoſtibus ea res fecerat; ſi ad vrbis moenia ſucceſſum eſſet, poſſe obſidione eximi Sfortiam, Caeſarianoſque depelli. Namque abdito & obſeſſo intra arcem Sforcia, verſaque Metropoli in Caeſaris ditionem, pecuniae ferè nihil in militum ſtipendia à Caeſare mittebatur, & Daualo ſucceſſerat in rei militaris adminiſtratione Antonius Leua bellica laude ei par; magnae fortunae vitijs, & prodiga rapacitate damnoſior etiam vrbi. Tricenos aureos nummos ſingulis diebus publicè exigentem ſibi, ampliuſque quotidie effundentem, non interea caruiſſe coaceruandi ſeponendique curâ aiunt. Et quota pars calamitatum vnus homo tot inter duces legionum, quae capto Rege triumpharant Gallos, quae, cùm Regem eſſe ſibi Caeſarem gloriari poſſent, poſt tantae victoriae faſtum, nitebantur abſentis Caeſaris indulgentiâ, ducum ſuorum exemplo, & licentia in vrbem, quam praedae ſibi datam eſſe interpretabantur? Quotidiana tributa exercitui huic alendo, quicnûm millium aureorum ſummam explebant, & ſparſi per domos manipuli occupabant fortunas vnde ſumma illa reficeretur. Itaque populus Mediolanenſis, ob iniurias & damna vimque ſibi illatam, ſemel atq; iterum concitato tumultu arripuerat arma, pugnaueratque in hoſpites ſuos, & direpta praefecti rerum capitalium domo, minitati fuerant haud dubiam à Caeſare ipſo defectionem, niſi nobilium precibus & authoritate placati inhibitique eſſent. Popularis igi-

tur illé tumultus principum interuentu ſedatus in praeſentia, cùm ſaepius deinde renouaretur, opportuna res viſa foederatis ad coepta proſequenda Metropolimque Hiſpano adimendam, qua liberata, non Sforciae tantummodo principatum, ſed imperia omnia libera & conſtituta fore aiebant. At Caeſar, poſteaquam videt, Regem Gallum, non modò ſpreta pactorum fide, quibus pactis liberatus ab ſe dimiſſuſque eſſet, verùm etiam hoſtili poſt mutua pignora animo, neglectuque pignorum ipſorum, non relictae prolis, non deſponſae Eleonorae memorem rurſus ad arma ire, hoſtes aſſumere alios, caputque fieri foederis, nimium quantum etiam ipſe turbatus, tentato nequicquam, ſi fortè diſijcere foedeus illud poſſet, vbi vana ea ſpes erat, parare ac prouidere cuncta inſtitit, vt negotio illo infeſtiſſimo quamminime laederetur. Atque, ne in ipſo quidem belli apparatu, quo Caeſaris interim Regna perſtrepebant, deſtiterat vltro compellare, nunc Regem, nunc Pontificem, vt amabiliter, & clementer, fraterneque vellent agere, potius quàm vt bello ſecum aeterno implicarentur. In eam rem Vgo Moncada Romam à Caeſare proficiſcens cùm Mediolanum ex itinere diuertiſſet, petito Sforciae ipſius colloquio, in arcem vnà cum Martino Carraciolo, qui Romanae dignitatis vocabulo Protonotarius vocabatur, admiſſus, egit dixitque multa, vt Principem obſeſſum, cuius gratia foedus hoſtile inibatur, Caeſari reconciliaret. Si permitteret eius ſeſe fidei ac beni-

gnitati, fore aiebat, vt perduellionis crimen, cuius inſimularetur, compendiario iudicio cognoſceret diiudicaretque Carracciolus, de cuius erga ſe animo dubitare ille non poſſet. Et erat ſanè ſumma neceſſitudo Sfortiae principi cum Carraciolo hoc, vnuſque iam iſte Caeſarianorum manebat, qui, vel caſum fortunamque illius reſpiceret miti aliquo ſenſu, vel ab ipſo ſine offenſione animi adſpiceretur; poteratque ſperare iudice ab illo exitum cauſae forſaſſe meliorem, quàm ſi res decernenda ferro permitteretur. Affirmabat etiam Monacada multumq; teſtabatur; non iudicium illud, ſed imaginem & vmbram fore iudicij, vt ea, quae accidiſſent, ſimulacro ſaltem aliquo tegerentur, & in reſtituendo imperio reſcindendaque Dauali actione, maieſtas & iuſtitia Caeſaris aliqua emineret. Moncada deinde Romam ire pergit, ibique apud Pontificem Clementem multa de pace eſt locutus. Summa ſermonum fuit. Mandaſſe Carraciolo Protonotario Caeſarem, vt cognoſceret quambreuiſſime de ijs, quae Franciſcus Sforcia aduerſus imperij ſui ſtatum egiſſe argueretur; ab ea cognitione relinqueretur in eo ſtatu, quo ante perfidiae crimen fuiſſet. Ob eam rem, eamq; cauſam, nihil opus eſſe exitiabili bello, & prope ciuilibus inter Chriſtianos principes armis. Reſponſum à Pontifice eſt; iam rem in eum locum eſſe deductam, vt arbitrij ſui nihil amplius foret. Si ſibi eſſet integrum, facturum omnia libenter, quae Caeſari grata & vtilia poſſe eſſe arbitraretur. Ad bellum

inde

inde haud dubie atrox res ſpectabat, parato etiam vtrinque exercitu, quantae partium opes, & quanta diſcriminis magnitudo erat; & ſpatium comparandi cuncta habuerant dum ea quae demonſtraui aguntur. Sed apud Caeſarianos infeſtiſſima vna & capitaliſſima res manebat, quae ſi relinqueretur abſque remedio, ſicuti confirmauerat magna ſpe iam inde à principio foederatorum hoſtium animos, ita victoriam illis eſſe datura videbatur niſi plaga ſanata illa foret. Et remedijs exulcerabatur ipſis, grauioremque vim mali eam fecere Hiſpani dum curant. De qua quidem ſeditione, belloue inteſtino ſic tradunt. Populus Mediolanenſis, patiendo quotidie grauiora, & iniurias ab Hiſpano milite vorando aſſiduas, ſeipſo contumacior factus iam eò proceſſerat mutuis iniurijs, vt viciſſim timeretur. Non modò vllum habere domi militem, hoſpitiaque & alimenta praeſtare exercitui abnuebant; ſed ſi quis in vlla vrbis parte ſolitarius miles, biniue, & terni deprehenſi erant, ab iuuenum noſtrorum globo ſtrenue interficiebantur. Atq; irritati illi manipularium ſuorum nece, multorumque iam caſibus & exitio cautiores facti, nuſquam ferè niſi gregatim incedebant adoriebanturque noſtros, qui item agmina cogentes maiora prodibant vltro, & per compita quaerebant pugnam. Multae paſſim acies dimicabant in vrbe nuſquam aliàs adeo incertâ, dominos, an hoſtem intra muros haberet, quippe cùm, & facerent hoſtilia, & paterentur ijdem, qui Metropolim tenebant.

Pppppp 2 Tunc

Tunc Antonius Leua, propinquante maiore cum hoſtibus alijs diſcrimine, proſcribit edicto quos capita eſſe populi compererat, finita die, intra quam exiſſe portis deberent. Ob id edictum, tantò violentius armari plebes, ſtationemque aggreſſi Hiſpanorum magno impetu ſtragem dedere. Leua etiam ipſe facto eo magis irritatur, & diripiendam dare exercitui cum promiſcua caede vrbem parat. Tutius id inter belli imminentis pericula meliuſque fore, quàm ſi Hiſpanus exercitus, pro amico & ſubiecto populo hoſtium gentem circa ſe habiturus eſſet tunc cùm aduerſus vndique circumfuſos foederatorum exercitus rem geri oporteret. Igitur, concitandae multitudinis vltro initium quaerens Leua, arripi repente è foro negotiatorem vnum obtruncariq; iubet, ideo, quia ſedens in apothecae ſuae limine, tranſeunti fortè ſibi illac, neque aperuerat caput, neque aſſurrexerat, contumaciq; inſuper ore, & proteruo obtutu contempſiſſe ipſum videbatur. Treis deinde alij, qui ad eum caſum tumultuoſe vociferanteis commouere ſeſe voluerant, arrepti ſtatim & occiſi. Ea tumultuandi materies principio oblata multitudini erat. Mox Germanicae cohortes praedabundae per omneis vrbis vias, de induſtria occaſionem dedere ad arma conclamandi. Satis ſciebat Leua, promptum ad talia populum fore illico in armis, ideoque partem exercitus, quae in ſuburbijs aeſtiua agebat, iuſſerat ſilentio ſuccedere ad moenia, ſignoque accepto, gradum inferre & facere vti ceteros vidiſſent. Populus

lus

lus; ad primos Germanicarum cohortium inſultus, momento penè vno, in multa agmina multaſque acies tota vrbe adſiſtit, exiſtimans cum vrbano tantùm milite eſſe pugnandum; alium ad portas ſtare exercitum neſciebant. Praetorium, & turrim iuxtà Archiepiſcopi aedes primo impetu tenuere, ac neutrò inclinata ſpe, cùm caderent è noſtris plurimi, nihilo minor ſtrages fiebat in parte, quae tumultum eum optarat. Mox Germani, ex compoſito tectis inijcere ignes coeperunt, & dato ſigno, ſuburbana alia acies accerſebatur. Iam fumabat incendijs vrbs, & maiore ſuperueniente exercitu, noſtri opprimebantur. Hinc ferrum, hinc flammae, & vagitu miſtus puerili, feminarum ſenumque vlulatus, improuidam ad belli opera multitudinem, & potius dolore animorum, quàm vlla militari ratione & arte ſeſe regentem ſubegere vt placare quacunque conditione Leuam repente auerent. Miſſo ad eum caduceatore conditiones haſce pacis ferebant. Abituros vrbe principes plebis, ipſos, aſſeclaſque eorum, & quoſcunque praeterea Hiſpanus vellet. Tradere protinus arma, & polliceri, quod nuſquam amplius tributa detrectarent, neque eorum cauſa tumultuarentur. Leua enimuero, quamquam periculoſi ingenij populum excidio deſtinaſſet, agitabat animo tamen interim etiam pericula & damna, quae direptionem eam clariſſimae vrbis ſequi neceſſe eſſet. Nam, & ditatum praeda militem, poſſe contumacia & luxu corrumpi langueſcereque autumabat, & in vaſto ac nudo poſtea ſo-

lo

lo fruſtra requiſiturum aliquid eorum, quae nunc reconciliatis animis & ſedato tumultu, ad tolerandas belli neceſſitates, multa & magna ſuppeditarent. Ita pax data populo Mediolanenſi, ſuppreſſique ignes, & in ſua quique tecta, non poſitis modò, ſed etiam abiectis armis, rediere; fidaque deinceps aliquandiu hoſpitia militibus erant, qui nuper incendere voluerant eaſdem domos, & cum hoſpite ipſo conſeruerant manum. Compoſitis in hunc modum vtcunque rebus, & ex quotidianis ferè praelijs, nouiſſimoque cruento tumultu, redacta in aliquem tolerabilem ſtatum vrbe, ſpes haud dubie magna foederatis deceſſerat, qui Mediolanenſium ipſorum manibus vinci poſſe Caeſarianos exiſtimabant. Nec ſanè alioqui res eorum ſatis ex animi ſententia procedebat, ortâ etiam inter ipſos haud leui ſuſpicione, quia Dux Vrbini, qui Venetum exercitum ductabat, eratque rerum ipſe ferme caput, cùm traiecto ſtatim Abdua flumine, debuiſset copias admouere vrbi, Sfortiaeq; obſeſſo, & ad famem iam prope redacto, ſubſidij ferre nonnihil, cunctabatur in ripa, ſiue traducto ad Melenianum agmine progreſſus inde circuibat declinabatque vrbem, pro ſubſidio diu expectato ſpem vanam oſtentans arci. Sanè ille, cunctationis ſuae cauſam in concilio hanc afferebat, quòd nollet exercitum committere diſcrimini antequam mercenaria auxilia Heluetiorum, ad quae conducenda, Iacobus Medicaeus, & Epiſcopus Laudenſis fuerant miſſi, adueniſſent. Sed qui rem eam altius coniectauere, exiſtima-

ſtimarunt, Vrbinatem, vel occulto Veneti Senatus admonitu, vel ſua vetere recentique erga Pontificem Clementem offenſione, ſic eſſe procraſtinatum; ſiue, vt authoritatem animumque huius affligeret, ſiue, vt Veneti ab vltima Sforciae neceſſitate Cremonā Vrbem extorquere poſſent. Et auxerat hanc ipſe ſuſpicionem, poſteaquam ducto deniq; ad vrbis moenia exercitu, coeptâque Romanam inter & Tonſam Portas acri oppugnatione, retulit ſubitò inde caſtra ad Melinianum, obnuntiante multa, multumque reclamante Pontificis Legato, iratis Gallis, & Leua admirante ipſo, vndenam ſibi tam laeta repente fortuna accidiſſet. Ita Caeſariani liberati erant ingenti metu, Sforciae ſpes eluſae, atque ex eo terribile antea foederis nomen euaneſcere paulatim contemniq; & eleuari; ac ſimul, Mediolanenſium calamitates non renouatae ſolùm, verùm etiam ad tragica pene & cùm horrore abominanda exempla euectę, quas repreſſerat lenieratque formidata apud Hiſpanum eadem quae nunc hoſtium fama contemnebatur. Atque vniuerſos Patriae caſus ego iam inde ab initio operis apud monumenta requirens ea, quae ad veteris memoriae cuſtodiam fidiſſima eſſe exiſtimaui, referenſque ſingula, prout narrator iſte ſermo vulgò vſurpatur, portenta referam ea Scriptoris alieni verbis, qui aequalis fermè aeui eius, debuit audiens talia commoueri miſericordiaė ſenſu erga tam indigna exempla, vel etiam debuit indignatione eſſe commotus aduerſus eos, qui Metropoli tam proterue,

tam

tam inhumane inſultarent. De ea Mediolanenſium calamitate per mutuos timores repreſſâ, per Cæſarianorum elationem auctâ, Franciſcus Guiciardinas ita in-
» fit. Diuiſi milites in ciuium domos, non copioſe tan-
» tùm, & opipare, delicateq; propter faſtidium & violen-
» tiam alendi erant, ſed libidinibus eorum inſuper ex-
» plendis pecunias ab hoſpite ſuppeditari oportebat.
» Aduerſus quod intolerabile malum, nihil remedij præ-
» terquam in fuga relinquebatur. Sed eo deprehenſo
» ſubſidio, miles Hiſpanus nectebat vincla hoſpiti; femi-
» nas, paruoſque pueros, ne poſſent abire, ligabant; &
» triſtiora his ſilentur. Tabernæ clauſæ omneis: nihil
» vſpiam venale proſtabat. Defoſſa ornamenta tem-
» plorum, & quicquid aliud ſinguli occultarant, tormen-
» tis admotis proferebant eædem manus. Mœſtitia, &
» pallor, & deſperatio in ſingulorum vultu eminebat: vi-
» ri feminæq;, eleganti aliâs nitidoque cultu, nunc ſqua-
» lore & illuuie deformes in pauperrima veſte conſpi-
» ciebantur. Exemplum incredibile varietatis huma-
» narum rerum; vrbem, quæ olim diuitijs, & frequentiâ
» incolarum, artificum ingenijs, finitimorum, externo-
» rumque commercio, religione, luxu, bello, diſcipli-
» niſq; ſcientiarum, & omni, vel publica, vel priuata
» amoenitate, florentiſſima Italiae totius fuiſſet; eam
» nunc exhauſtam peſte & fuga, & hoſpitum iniurijs, de-
» ſertam oppreſſamque iacere, & fortitudinem inclytam
» gentis roburq; virorum, humilitate ſeruili ſic eſſe deformatum. Hæc ferme Guiciardinus alienigena tamquam de ſua vrbe, deploranti ſimilior quàm narranti, refert.

Cæte-

Ceterùm, vrbem ita affectam recreauerat paulisper Borbonij ex Hiſpania aduentus, quem, & magnis pecuniae facultatibus ad refouendam Prouinciam ſtipendiaque perſoluenda militi, inſtructum à Caeſare eſſe, & fieri Mediolani Ducem, miſcens falſa veris, ſiue diuulgans maiora vero fama nuntiarat. Attulerat autem ille in ſyngraphis, nihil amplius quàm centum millia nummûm aureorum, ingens priuatis fortaſſe rebus laxamentum, inutilem bello ſummam, quae, voragine exercitus neceſſitatumque aliarum abſorpta foret prius quàm exacta & deprompta. Dux Mediolani, neque fiebat ille, neque ſi fieret, attinuerat ſperare quicquam miſericordiae vel humanitatis ab homine trausfuga, & Gallo, & proditore Regis ſui. Mediolanenſes tamen, vt in perditis rebus adſolet, faciles ad credenda & tentanda, quae, tempore alio, ſicuti ſtolida & vana aſpernarentur, facto nobilium caetu, & iactatis inter ſe quae nouo Principi dicenda eſſent, ſupplices ad eum acceſſere ſpe ipſa maximè miſerandi, cum qua ad traditorem accedebant. Quae dixerit electus ceterorum conſenſu orator, minimè neceſſe fuit probabiliter & accommodate excogitari, ſicuti fieri aliquando in hiſtorijs ſolet. Nam, qui tunc in Italia ſcriptores rerum erant, attenti ad hoſce Mediolanenſium caſus, ſicuti ciuitates totae attentae ſimul erant, excepere capita infauſtae orationis & prodidere. Summa haec fuit. Populum Eccleſiamque Mediolanenſem, aduentu Borbonij, quem dari ſibi nouum à Caeſare Du-

Qqqqqq cem

cem audirent, pro eo ac debuerat, fuiſſe gauiſuram, & ſolenni etiam pompa triumphoque teſtaturam id gaudium, ſi calamitates infandae, quibus oppreſſi tenerentur omneis, alium vllum quàm doloris & moeſtitiae ſenſum, pompam aliam vllam quàm lacrymarum, & Populo & Eccleſiae ipſi iam reliquiſſent. Omnia, quae captis vnquam vrbibus accidere ab irato hoſte potuerint, ſeſe ab Caeſariano exercitu eſſe perpeſſos; & cùm nihil fieri crudelius potuerit, illud tamen ſibi eſſe longè acerbiſſimum, quòd propter ciuitatis erga Caeſarem perfidiam, licentia permiſſa militi dicatur velut in rebelleis. Atque non fuiſſe rebellium ea, quae facta ab ſeſe memorare poſſint. Namque tenente vrbem Gallo, coortos ad arma ipſos, fauſtis in Caeſarem clamoribus animos turbaſſe hoſtium, & res eorum profligaſſe. Bis deinde hoſte ab illo obſeſſos, vt Caeſari conſeruarent vrbem, pertuliſſe omnia, quae Caeſar etiam ipſe, ſi intra moenia eadem obſideretur, gloriae imperijque ſui cauſa perferre paratus eſſet. Cùm nulla interim ab Caeſare ſtipendia exercitui mitterentur, fortunas ſuas, muliebremque mundum vltro in ſtipendium obtuliſſe. Singulorum ciuium domos benigne apertas fuiſſe militi; corpora, non die, non nocte, ſtationibus, excubijs, periculis vllis extra teli iactum; & magno illo ad Bicocam praelio, quo Gallorum arma fracta in perpetuum, aut debilitata ſint, ſi vere aeſtimetur, populum Mediolanenſem fuiſſe inter victoriae cauſas, eiuſque rei teſtimonium

da-

datum Metropoli prolixe ab Daualo & Columna ; & Borbonium vidiſſe ipſum, qualem pro Caeſare pugnam ediderit gens, quae nunc deleatur vt rebellis. Vltimos profectò tumultus, quae vna deſperatae plebis noxa obijci poſſit, ab nobilitate eſſe ſedatos ; nobilitatem perſuaſiſſe plebi, vt concitores ſuos ab ſeſe ablegaret, & traditis armis cum modeſtia & quiete clementiam Caeſaris opperiretur. Sed oratorem eum, per quem iſta dicerentur, ſcribunt, longius etiam dolore motuque animi prouectum alia quaedam ſubieciſſe propiora confidentiae & libertati quàm modeſtiae vel abiectioni ſupplicum. Diruerant, inquit, Aenobarbi manus, vrbem hanc, idq; ſaeuitiae hoſtilis furioſum exemplum viderat maiorum noſtrorum aetas. Saeuitum in nos eſt magis, Caeſariſque milites crudeliora auſi ſeſe nobis fecere Aenobarbos. Et illum vtcunque furorem veteris Aenobarbi, dies vnus, alterue, tertiuſue conſumpſit: noua haec militum inſania inſatiabilis aeterna eſt ; pauliſper mitigata ſurgit infeſtior ; & quomodo flagrantibus aſſidue damnatis deſperatio ipſa fit poena ; ſic nos, iſti ne optare quidem malorum exitum volunt. En Mediolanenſes clari victorijs quondam, & Caeſaris ipſius teſtimonio laudata gens, certe defenſa totius imperij viribus, & tanto impendio expetita illi inter ſubiectos, Metropolitanus populus imperij effector huius, domitorque finitimarum vrbium, verberum vibices & cathenarum veſtigia oſtentare poſſumus, quae dedecora, non hoſtes aliqui impoſue-

„ re captiuis, ſed hoſpites enimuero noſtri imponunt,
„ dum perpeti iſta, quàm exſuere fidem placet. Te
„ Princeps obſecramus, vt, aut abire nos hinc ſinas
„ quieturos in ea terra, in qua quieſcere nos voles, aut
„ ſtatuas aliquem hiſce miſerijs modum, aut, ſi neutrum
„ horum placuerit; age ſanè; dic praefectis militibuſ-
„ que tuis, vt bombardas, & tela, & quicquid armorum
„ ad conficienda reliqua belli promptum habent, ex-
„ pediant in populum hunc, ſcilicet vt vno tandem
„ ictu tollamur rebelles. Quicquid virorum eſt,
„ cum vxoribus liberiſque noſtris procedemus in cam-
„ pum, & immota acies ibi exſpectabimus quicquid
„ iſtud imperij ſecuritas requirit. Non erat Borbonio ingenium, ſenſuſue vllus, quem flectere miſerabilia haec poſſent; ſed ne irritatus quidem feritatis exprobratione, quae verbis ineſſe vltimis videbatur, ſiue irritatus, & alte amareque diſſimulans, dixit, facta quae eſſent, infecta reddi non poſſe, & cordi fore Caeſari, ſibique, vt omnia deinceps rectè adminiſtrentur. Secutis poſtea diebus, accerſendo ad ſe principes eoſdem ciuitatis, talia quaedam aiebat. Incommoda, quae accidiſſent, non Caeſaris erga fideles amicos negligentiâ, non praefectorum Hiſpanaeque nationis vitio, ſed ob pecuniae inopiam ac-
„ cidiſſe. Frequens id in re militari malum & Catho-
„ licae Regiae propria temporibus hiſce labes coegit,
„ inquit, & facere milites ea quae nollent, & diſſi-
„ mulare Caeſarem, ea quae punire vellet, & pati vos
„ interim quae nuper haud ſine magno noſtro non do-

lore

„ lore ſolùm ſed pudore etiam ab oratore veſtro de-
„ plorabantur. Nunc id agimus, idque molimur, vt
„ nobiliſsima ciuitas redeat in priſtinum ſtatum, &
„ ſublata militum neceſsitate, ſimul obruatur quicquid
„ antea licentiae, & iniuriarum fuit. Atque ad ſanan-
„ da & tollenda quae oportet, eſt nobis quidem pro-
„ uiſa pecuniae ſumma, quantam impliciti tot vno tem-
„ pore negotijs regij curatores tranſcribere huc po-
„ tuerunt. Sed nequaquam ea lacunas explere omneis
„ poteſt. Ad centum millia nummûm aureorum, quae
„ ſunt nobis in promptu, ſi triginta alia vos adijcere
„ vultis, ſpes eſt, breui calamitates & lamenta procul
„ hinc fore. Ego certe exercitum educam hinc, & ma-
„ teries ablata malis erit. Si fallam; tunc vt hoc mi-
„ hi caput ab reliquo corpore auferatur, ſiue, cùm in
„ aliquo diſcrimine belli rem geram, igni plumboque
„ abſumar. Talia dixerat Borbonius vt exitu poſtea ſuo nobile documentum ceteris etiam ipſe ducibus fieret, ne periurio populos fallant. Quem Borbonij caſum ludibriumque vecordiae ſpectauere Romani homines haud ſine riſu etiam in media clade, tunc ſcilicet, cùm Hiſpanogallus, ad moenia vrbis, in ipſo petendae coronae muralis feruore, deuolutus retro moribundus amenſque per ſcalas rueret, & brachijs ludens, & crure, ranae inſtar, cuiuſmodi mortis facies Homeri carminibus ineſt. Sed Caeſarianus quoque exercitus interim riſit, quia Galli Regis transfuga & proditor, in eo quoque Caeſarem prodiderat vt arma, quae pro ſalute & libertate Italiae acceperat,

ijs armis ad inuadendam vrbem Romam ſtolide abuteretur. Verùm haec aliquanto poſterius acciderunt. Mediolanenſes autem, fallaci promiſſo decepti, luctati cum tenuitate quiſque ſua, & exhauſtis omnibus loculis, vt ſummam eam triginta millium conficerent, protulere ipſi quidem id quod poſcebatur; ſed nihilominus manebat vnicuique miles in domo, non modeſtior interea, non mitior factus; nec facultas vlli iam eadem alendi militis manebat. Borbonij ea fuerat fides. Conſtat, ab hac fruſtratione proditoris, eum fuiſſe Mediolani cumulum aerumnarum, vt plerique, ne inter aſſidua tormenta animi agerent vitam, vel iacto in praeceps corpore, vel iniecto ſibi in fauces laqueo, informe aliquod eiuſmodi mortis genus eligerent; qui finire honeſtius voluerant, occubuere ferro. Deſperatio eadem in arce erat, niſi quòd vnicum ibi malum fames. Cui leuandae, turbam inutilem, ferè ad trecentos, ab ea parte, quae in hortos ſpectat, expoſuere, tantaque negligentia obſidentium fuit vt intacti omnes euaſerint, & per media munimenta exeuntibus obſtiterit nemo. Pueri erant, feminaeque, & imbecilli ſenes, qui humanae ſocietatis vinculo aliquo validioribus adiuncti, poſtquam vltima neceſſitas ea vincula diſſoluebat, coacti abire à ſuis, viciſſim poſito omni ſuorum deſiderio abiere. Famelicum id atque miſerabile agmen ad Melinianum in foederatorum caſtra proceſſit, accenditque ibi multa indignatione militum animos, tum adſpectus eorum, tum verò pudor ipſe,

ſi mul-

ſi multitudo imbellis erumpere ab obſeſſa arce potuiſſet, ipſi ſubſidium illuc intromittere nullum poſſent. Itaque, clamore, & ſtrepitu, qualis eſſe tumultuantium ſolet, peruicêre, vt ſingulorum ordinum ductores adirent tribunos; & Tribuni, Vrbinatem, demonſtrato ſeditionis periculo, referre rurſus caſtra coegere Mediolanum verſus; quatriduoque proximo, circum ſuburbana rura Caſoretum & Lambratum, & inde vſque ad D. Gregorij & Sancti Angeli Aedem miſti Venetis Galli, & in vtroque exercitu Romanae legiones ſtetêre tamquam haud vltra dilaturae, quin irrumperent arcem & neceſſaria tolerandae obſidioni intrò ferrent. Vrbinati tamen, cui, ſicuti dictum eſt, cuncta obediebant, mens eadem quae iam inde principio fuit, manebat, vt ſcilicet, pro ſubſidio & ope quae tantis quaeſita apparatibus fuerat, ſpeciem ſemper inanem arci oſtentaret. Conſultando cum tribunis, agitando multiplices vias aggrediendae rei, docendo in quae pericula iretur, de induſtria extrahebat tempus. Duces ceteri exercitus illius, videbant quidem cunctationem iam penè infamem imperatoris Veneti, & cunctandi fortaſſe cauſas artemq; ſuſpicabantur, ſed propter authoritatem & opes, ingeniumque viri, arguere nemo vnus audebat. Sforcia interim incluſus, non modò angebatur ſuorum fame, ſed ipſe quoque (rarum principibus) experiri ac ſentire coeperat, quid mali eſſet fames; & addito ad tormentum id dolore, quòd ſine exitu vllo ſpem auxilij propinquam videret,

agi-

agitare coeperat, vti permitteret ſeſe Borbonio, arcemque Caeſari dederet moeſtus ſimul & infenſus, & animo corporeq; languens. Iam ſuper ea deditione emiſſus ab arce Iacobus Philippus Saccus, qui Senatus poſtea princeps fuit, aliquoties commearat, & viciſſim à Borbonio miſſi in arcem fuerant, qui ſolarentur aegrum animi Sforciam, larga ei apud Caeſarem & benigna cuncta pollicerentur. Cùm in eo ſtatu res eſſet, & concilia quotidie inter foederatos, de auxilio ferendo arci, reque tentanda, vel omittenda quotidie haberentur; Iacobus Medicaeus, ille iam in abrupta progreſſus & ex ancipiti mutatione fortunae pendens, voluit tentare nonnihil, & non ſine magno ſuo periculo etiam tentauit. Cùm enim arce per dolum occupata Muſſenſi, neque receptum ſibi ad Sforciam reliquiſſet, & adiungendo ſeſe foederatis, à Caeſare etiam poſt magna merita deſciuiſſet, nec ſegni tutus eſſe quiete poterat, nec ad rem vllam ſuo marte gerendam habebat opes; interimque omnes ipſius motus & dicta omnia ſuſpecta erant apud eos etiam quibus ſeſe tradiderat. Pecuniae quoque partem, nuper in Heluetios ad conducendas inde copias, cum Epiſcopo Laudenſi miſſus interuertiſſe inſimulabatur. Volens igitur in tam lubrica fortuna ad ſeſe confirmandum conari & efficere aliquid, perſuadet Heluetijs, qui iam in exercitu erant, & ab ipſo regebantur, vt ab Vrbini Duce depoſcant ſibi periculum penetrandi in arcem, ſubſidiaque inferendi. Pulcrum ei genti videbatur tantae

rei gloriam occupaſſe, & cuius negotij cauſa, treis maximi exercitus conſociati eſſent, id Helueticis armis eſſe confectum. Ipſum conſilij authorem rogant, vt legionis nomine verba faciat; & nihil ille cunctatus, vt qui legationem eam vltro quaeſiuiſſet, extollit in concilio auidam periculi gentem, ſeque ducem ei fore periculo profitetur, & poſſe ita eximi arce Sfortiam, quod maius etiam foret, quàm commeatum ſubſidiaue alia intuliſſe illuc. Cùm in eam ſententiam pleraque militariter à Medicaeo perorata eſſent, Vrbinatem ferunt, motâ animo irâ exarſiſſe velut in diſturbantem ſic atque euertentem ea, quae ipſe deſtinaſſet. Diſſimulata ad praeſens indignatione, paulò poſt parata habuiſſe vincla Medicaeo; & ipſum, in tentorio, cùm daretur aqua manibus, notaſſe turbati oris argumenta malignaeque cogitationis indices vultus, atq; diſſimulato intellectu, quaſi neceſſitatis alicuius cauſa egreſſum inde, dum Principes ordine accumberent, innuiſſe ſuorum vni, vt ſiſteret ſibi equum, eoque raptim conſcenſo funeſtam eam cenam mutaſſe felici fuga, neque vſpiam conſtitiſſe donec Muſſenſi arce rupibuſque ſuis tegeretur. Et ille quidẽ cum tanto ſuo periculo rem eam infenſo Vrbinate tentarat; Sforcia verò deſtitutus omnibus vitae alimentis, cùm ne diem quidem iam vnum durare poſſet, pactus ſibi cum Borbonio nonnulla, quae irrita fuerunt, arce exceſsit, eratq; deinde ad Laudem Pompeiam, quam vrbem foederati habebant, eique attribuerunt. Deditio arcis facta eſt ad x. Cal. Sextilis, Anno ſalutis CIƆ IƆ XXVI. qui An-

nus Hiſpani *I*mperij principium Metropoli, non tamen finem vllum malorum afferebat. Nam,& antea ſine arce imperium id male inchoabatur, &, vt in nouo lubricoque adhuc dominatu, militares iniuriae multae & magnae perferendae erant. Leuamenti nonnihil dedit auerſum pauliſper aliò bellum; & res eae, quae genus humanum moeſtitia ac terrore compleuerunt, ſubſidio nobis fuere, ducto per Borbonium exercitu ad diripiendam vrbem Romam capiundumque Pontificem, & agendos in vincla Cardinales, quo facinore inhorruere animi, & Caeſar ipſe, dolore & ita contraxiſſe morbum dicebatur. Quòd niſi authorem tanti ſceleris Borbonium vindex Deus in medio ſcelere oppreſsiſſet, credidere gnari cogitationum Caeſaris, facturum fuiſse eum, vt ſuae religionis famam, edito magno aliquo in id rebelle caput documento ſanciret. Sed, vt demonſtraui, iuſtitia Numinis anteuertit; portentumque illud hominis, vt omni deinceps aeuo memorabile exemplum fieret, per ſcalarum gradus praecipitauit plumbo abſumptum & igni, ſicuti deuouerat ipſe ſeſe tunc, cùm populum Mediolanenſem periurio impudenti fallebat. *Is* igitur annus, captiuitate Romana, bellorum externorum caſibus, ambiguaque etiam foederatorum inter ipſos & iam prope diſsoluta ſocietate, varius apud alios, turbidus, inſtarque prodigij cuiuſdam, modica nobis quiete poſt receptam arcem agebatur; ac niſi per milites in praeſidio vrbis relictos ſtaret, tota ad breue tempus parta quies vr-

bi

bi erat. *I*nterea Medicaeus, quem ob minaces in Vrbinatis ſupercilio notas, contempta ferali coena elapſum repente tentorio caſtra fugiſse foederatorum memoraui, coeperat ab Muſsenſi ſua arce altius attollere animos & nihil iam mediocre meditabatur. Neque Caeſarem iam, neque principes alios à quibus abierat, ſed fortunam qualemcunque ſuam reſpiciebat anceps & paratus ſequi quocunque ea vocaret. Hac mente deſpectans cetera, Venetos legatos proficiſcentes in Galliam, aggredi intercipereq; auſus detinuit apud Muſsum in arce donec pecuniae ſummam repraeſentauere quam poſcebat. Aiebat, tantam ſe pecuniam erogaſse de ſuo, cùm in Heluetios auxiliorum cauſa mitteretur; atque id ipſum poſtea miſsis Venetias ad Senatum litteris excuſauit. Rupe deinde arceque minime contentus ea quam periculorum ſuorum initio occupaſſet, munitiora quaedam & principali cultu magis digna domicilia exquirens ſibi, ne in latebra ſemper illa, ferae ignobilis ritu occultaretur, ad Montis acuti arcem animum adiecit. Eſt eo nomine collis in Mediolanenſi agro, medius ferè Briantaeos inter & Orobios, multa frugifera arbore, viteque conſitus; in ſummo vertice, tecta capacia quamuis amplae nobiliſque familiae in arcis emunita modum habet. Tunc habebat eam arcem idque domicilium vnà cum ſubiecto colle Alexander Bentiuolus *I*oannis f. quae familia dominata Bononienſibus olim, principatu amiſso, fuerat ob propinquum genus à Franciſco Sfortia col-

locata ibi, priuſquam hic quoque principatum amitteret. Medicaeus, poſteaquam loci opportunitates ingeniumque adamauit, per litteras ſimul, & per amicos coram, Sfortiae ipſi demonſtrat, ſegniter & incurioſe Montem acutum à Bentiuolo cuſtodiri; ſi Caeſariani oculos eò adijciant, poſſe ipſos nullo negotio & expellere inde Bentiuolum, & munimenta inexſuperabilia addere arci, quam vbi in poteſtate haberent, circumiecta ſimul omnia habituros, atque ita de amoeniſſimo tractu actum fore. Si fides ſibi habita ſit, non ſolum poſse ſua cura & vigilantia inde ſummoueri Hiſpanos, ſed ſtationem quoq; Leucenſem ex propugnaculo eo infeſtam genti ipſum eſse effecturum. Ingenium credo Medicaei nondum ſatis cuiquam innotuerat, & quiduis fortaſse aliud Sfortia ſuſpicabatur hoc tempore, quàm ex interfectore Monſignorini nouum hunc ſibi parari hoſtem, cum quo homine geſturus aliquando eſſet bellum, vbi pacem, fortunamque priſtinam à Caeſare impetraſſet. Siue ille, amiſſa Metropoli, de ſumma rerum anxius imperioque ſuperſtes, & iterum iam prope exul, Montis acuti fortaſſe ne meminerat quidem. Vtcunque ſeſe ea res habuit, ſcripſit certe Sfortia ad Bentiuolum, vt ei qui epiſtolam ferret, tradita arce, abire inde ne cunctaretur. Epiſtolam Medicaeus ipſe ferendam acceperat. Sed exiſtimans poſſe etiam accidere, vt apud Bentiuolum loci amor plus quàm verecundia Principis valeret, nocturnus eò cum militum manu acceſſit, & excitato Bentiuo-

lo armatas ei obtulit literas,ita,vt ille Sfortiae mandata ſimul & parendi praeſentem neceſſitatem intueretur. Arce in hunc modum occupata illa Medicaeus, exercet in vicina rura populoſque Briantaeorum quicquid iuris & imperij iuſtus alius legitimuſque princeps in magna aliqua ſua neceſſitate ad cogendas pecunias, exercitumque ſupplendum vſurpare poſſet. Statim ei tribunalia & magiſtratus, & forenſe miniſterium, carceres quoque & carnifices, & multis locis erecta patibula erant, ne quis detrectare nouum imperium auderet. Milites, & veteranos pleroſque habebat, qui fortunae minoris olim periculorumque ſocij, tantò promptius nunc ad grandiora ſeſe attollentem ſequebantur, & ex tota illa circumiecta regione conſcribebat nouos, qui ipſi à veteranis ad omnia belli opera exercebantur. Ipſe, obuia comitate in omneis alloquioque ſincero, nec minus effuſus beneficijs, quàm poenis acer, caritate ſimul & metu ſanxerat terrarum earum obſequium erga ſe & fidem. Nobiles Briantaeos, prout ingenio prompti, vel ſtolidâ opulentiâ inutiles erant, varie etiam tractabat. Illi curationibus arcaniſque conſilijs admouebantur: hos ſaeuo ad Montem acutum carcere cogebat indicare quid vbi defodiſſent, nec dimittebantur antequam accerſierant ab domo pretia redemptionis pro captu ſuae quiſque fortunae, & in fortunas conditionemque ſingulorum accuratiſſime inquirebatur. Quibus rebus conſtituta aliqua tyrannidis forma iuſtoque propemodum exer-

citu

citu coacto Medicaeus, magna quotidie inferebat detrimenta Caeſarianis, adeò quidem, vt Antonius Leua dicere ſolitus fuerit, plus negotij ſibi exhibuiſſe tumultuarias iſtius cohortes, quàm ipſa foederatorum arma. Quas enim arces in Abduae fluminis ripa Venetorum terris obiectas ad Bripium præſertim, Tritiumque Hiſpani habebant, has ille crebris incurſionibus acerrime infeſtabat, & obſidendo itinera effecerat, ne quid ab Leuco Mediolanum, ſiue hinc illuc liberi & aperti eſſet; ac vltro citroque commeandi facultate erepta haud dubie illam magni momenti arcem erepturus eſſe Hiſpano videbatur. Aduerſus hunc hoſtem Leua, vi ſimul doloq; connixus, ab vtraque parte infelix fuit. Martinus erat quidam ex ignobili Briantaeorum pago (Mondona cum vocant) idque Martino etiam cognomen. Aſper homo & violentus, infidus, nulla bona arte, ſed in alienam pecuniam diligentiâ probatus Medicaeo electuſque ad tributa exigenda, tantò capitalior erat in eo magiſtratu, quò plus vtilitatis peruenire inde ad ſe ſimul videt. Sicuti fit, pari gradu procedebant, fauor & beneuolentia heri in ſeruum, & mancipij erga herum diligentia magis quàm fides, cumque ditaret quotidie principem exactor, viciſſim ab illo iſte ditabatur. Poſſe hunc miniſtrum eſſe Medicaei interficiendi Leua arbitratus, & praeſenti pretio, & maioribus in poſterum promiſſis per homines idoneos eum corrumpit. Non recuſat agreſtis publicanus; ſed callide reputans ipſe ſecum,

quod

quod interfecto hero transfuga proditorque vilis haberetur, tranſire cũ alio inſuper haud vili munere agitabat, occupata ſcilicet per furtũ traditaque Hiſpanis arce & pago, qui Peregus dicitur. Latrunculorum habebat manum ad ea, quae parabat adiunctam ſibi & fidam. Hos tamquam iuſſu Medicaei captos, iniectis catenis appetente veſpera ſecum trahens, appellat ex itinere praefectum arcis familiarem ſibi hominem, vt deponi apud ſeſe patiatur; & ipſum ea nocte futurum ibi caenaturoſque vnà. Facile acceptus intrò ſoluit repente captiuos: hi praefectum ligauere reſque geſta pulcherrime erat. Sed poſtero die Medicaeus, comperta fraude exactoris ſui, mittit ad oppugnandam arcem latrunculoſque vnà cum proditore capiendos. Capti omnes, atque ad montem acutum illico raptati, ſtatutis toto vertice furcis ordine ſuſpenduntur. Martinus, quia primo tormentorum adſpectu ediderat inſuper ea, quæ ſibi cum Leua conueniſſent, genere alio ſupplicij punitus vt apud incolas regionis eius in terribile exemplum abiret. Singulos viui artus rotae pendere fregere lanij, totoſque dies dilata & continuata carnificina eſt, quò lentius ille moreretur. Hunc exitum habuere inſidiae, quas Leua in Medicaei caput excogitarat; & ipſe tanto ſuo periculo irritatus in Hiſpanos, odio deinde nominis eius ac metu, aditum ſibi nouum ad foederatos quaeſiuit, quos necdum vllo grauiore facto violarat, niſi quòd vt ſaluti ſuae conſuleret, aufugerat è caſtris, & Venetae

le-

legationi iniecerat moram, pecuniaeq; nonnihil aucupatus inde ſibi erat. Ita foederatorum ab eo tempore totus fuit, inſtinctor eis & miniſter contra Caeſarianos, donec Leua, ob continua damna verſus in viri admirationem, ſtatuit per beneficia adiungere Caeſari, quem nec tollere dolo, nec aperto Marte ſuperare potuiſſet. Subegere autem Leuam vt beneficijs vincere Medicaeum tentaret, aſtutiae horribiles viri eius, & calliditate maior fortitudo, roburq; animi inuictum, & belli fortuna conatibus eius raro inimica; & quod deniq; appareret, ſi foederati hunc diutius in partibus ſuis hominem haberent, haud magnopere ad rei Mediolanenſis ſecuritatem profutura eſſe Caeſari, vel diſſidia eorum, vel quae inde data laxamenta Metropoli erant. Dum enim diſſident illi cunctanturque, & parum ſincera inter ſe fidem rem agunt eam, cuius rei cauſa coniurarant, accepta ab eis pecunia Medicaeus, Rhetica vna conducta legione irrumpere in vrbem tentauit, apertam tum forte & opportunam, quia Leua educto ad Melinianum exercitu, nihil fere praeſidij ibi reliquerat. Quominus ab legione illa, Medicaei ductu tunc vrbs caperetur, nulla res alia obſtitit, quàm ipſius Leuae celeritas, qui comperto diſcrimine obuiam iuit, & Rhaetorum contumacia, qui praelio aduentante ſuperiorem locum tenere noluerunt, in quo ab duce collocati ſternere impune Hiſpanos potuiſſent. Ille, hinc pertinacia ſuorum, hinc hoſtium impetu coniectus in vitae diſcrimen, atque deprehenſus inter loci anguſtias,

&

& Hiſpanorum tela, concitato quantum poterat equo, traiecit ingenti ſaltu carrum, quo obſepta via erat, intactusque euaſit. Res geſta eſt ad Carratum pagum, qui diſtat ab vrbe quatuordecim millia paſſuum Lambro flumini appoſitus, & imminent rupes, vnde paratum Hiſpano exitium ſtabat, ſi parere voluiſſet gens obſequij ignara, & tunc irritata ſuſpicione, tamquam ab ipſo Medicaeo trucidanda Hiſpanis rupe in illa obijceretur. Sed non, quemadmodum Medicaeus tanto facinore infeliciter tentato euaſerat ex media Hiſpanorum acie, ita Hiſpani ex ipſius euadere manibus potuerunt cùm Muſſenſem arcem adimere ei paulò poſt tentaſſent. Hiſpanus erat Villaterellus apud Leucũ pręfectus arci, non Medicaeo tantùm infenſus ob ea, queis famam quotidie Caeſarianorum ille obterebat, ſed nationi quoque ſuae iratus, quòd ab nouo homine (ſic enim eludentes appellabant) tantopere inſultari ſibi paterentur. Hominem Medicaeo percarum iſte habebat in cuſtodia Sardum cognomento. Quem vbi tentando varie, callidum audacemque cognouit, traxit paulatim in quendam huiuſmodi ſermonem; ſi dimitteretur è carcere ſalutemq; acciperet, ecquid poſſet ipſe excogitare ac moliri, quo remuneraretur id munus? Ad ea Sardus dicere, nihil poſſe amplius ab ſe praeſtari, quàm vt Muſſenſem arcem ei traderet, idq; pro ea conſuetudine ac familiaritate, quæ ſibi cum Medicaeo eſſet, facili negotio effecturum. Res magna viſa Villaterello; ſed tanti promiſſi vadem dari ſibi aliquem poſcebat.

Captiuus Palamedem Abduam Brianta eorum facilè ditiſſimum, vadem fore pronuntiat; nec ille recuſauit. Ita Sardus è carcere dimittitur, auideq; deinde Hiſpanus promiſſa expectabat. Res inter eos ita conuenerat, vt paratis ad inuadendam arcem omnibus, proditor Leucum vſque excurreret; inde ſublata ſecum in lembum Hiſpanorum cohorte perageret. Sed ille, ſtatim vbi ex tetro carcere magnoque capitis periculo ſaluus in Medicaei venerat amplexum aperuerat ei cuncta, & vbi tempus viſum, ad illiciendos in retia Hiſpanos, ſimulata quadam ſua profectione Medicaeus abierat palam ex arce nocturnusq; redierat. Tunc Sardus ad Villaterellum exit, & lectiſſima Hiſpanorum corpora, in his Villaterelli fratrem ipſius virtutis eximiae iuuenem, ſub titulo gerendae rei ad necem ducit. In ipſo arcis ingreſſu obtruncati omneis, duobus exceptis, qui, cùm porta cataracta demitteretur, nondum illato pede conſpicati ſociorum ſtragem aufugere inde maturarunt, & per montium eorum deuia, per abrupta, prope exanimes in tutum peruenere. Hi poſtea beneficium celeſte agnoſcenteis, cuius prope miraculo viuerent ſaluiq; eſſent, ſimul res pertæſi humanas, contulere ſeſe ad Franciſcanos, & vitae reliquum cinerea in toga ſancte ibi laudabiliterq; egerunt. Villaterellus ipſe, poſt tantam cladem, præfecturâ damnatâ & contemptâ illâ; fatris praecipuè deſiderio moerens, impetrato ad ſepulturam corpore, cũ bona Leuae pace, & venia, Lucio Briſighello ſucceſſori tuendam arcem reliquit. Fraus igitur etiam iſta

Me-

Medicaei, ſiue Imperatoriæ prudentiae ſucceſſum appellare quis malit, cùm ad pleraq; alia noua, & tremenda viri eius acceſſiſſet, occulte perculerat Leuam, vt ex hoſte facere amicum tacitus deſtinaret. Sed cunctantem adhuc, & in ancipiti conſilio expectantẽ tempora Hiſpanum, ne id vltra differret, compulere ea, quae mox ad Leucum geſta ſunt. In vlteriore fluminis ripa locus ille eſt, frequenti mercatu, & arcis fama ſatis notus; tunc quidem etiam maxima cura, ſimul Hiſpanis, vti tuerẽtur, ſimul foederatis, vt capere poſſent. Aditur ex Briantaeis, ponte, quod Ioannis Vicecomitis antiquum opus & quadrato lapide per decem pilarũ interualla fornicatũ, Abduae nomen magnitudine ſua auget. *P*oſuit eam molem Archiepiſcopus Ioannes cùm potentiae Regum aequiparatus, *P*ontificatum ſimul & arma imperiumque vrbis ipſe haberet. Medicaeus, expugnato ponte diſiectoq; militum praeſidio, qui tamquam arcem alteram eum tuebantur, premendo obſidione Leucenſes, cogebat Leuam mittere ab vrbe eò ſubſidia, quae, nec terreſtri per Briantaeos itinere commeare poterant ob crebra regionis caſtella & arces, &, ſi ab altera parte nauibus venirent, obſepto cathenis lacu arcebantur. Cumque Leua extremo iam fere Leucenſium periculo accenſus, delectas cohortes, atque robur equitatus, Balbiano, & Torello, & Caeſare Neapolitano ducibus miſiſset, Medicaeus viciſsim, accito Venetorum auxilio, curulibus inſuper tormentis, & omni alia armatura, ſi quid fotte ad iuſti praelij diſcrimen deerat, id quoque ſubdium prohibere

Sſſſſ 2 cona-

conatus, obſtando ad omnia loca, circumueniendoq; agmen, & pugnando, cruentum id Hiſpano exercitui iter fecit. Quòd niſi Venetorum copiae, quas ad anguſtę crepidinis fauces ipſe collocarat, conſpectis Caeſarianis, terga repente dediſſent, fama fuit, totam eam repente manum potuiſſe deleri; quippe, hinc claſſe, hinc ponte, hinc crepidine valido praeſidio armatis, vt ſicuti aditus in Leucenſes, ita fuga retro impediretur. Relinquebatur vna per Briantaeos via, qua redire Mediolanum poſsent; ſed redeuntibus illac, praelia parabantur eadem, quae venienteis afflixiſſent, tenente regionem Baptiſta fratre Medicaei, & ipſo cum ſeptingentis qui poſt Venetorum profectionem reliqui erant mox inſecuturo. Verumenimuero, corrupit occaſionem nihil aliud quàm infida fœderis ſocietas, dum partes, nuſquam in commune, ſed ſibi priuatim conſulunt, arcemq; Leucenſem illam, nec Veneti Medicaeo relinquere habendam, nec Medicaeus ad Sfortiæ vtilitatem capere admodum curat. Ob id enim, neque datus vnquam impetus in eam eſt, impreſſioue facta, & Veneti locum deſeruere, qui retentus haud dubie victoriam dediſſet. Ceterùm Leua, quamquam, & penetraſse vtique ſubſidiũ illud videt, & ſpem magnam defendendae arcis habebat, reputans tamen ipſe ſecum ingenium, & artes, fortunamq; Medicæi, & pleraq. alia voluens animo, promere denique ſtatuit id quod de reconciliando homine ſecreto agitabat. Loca, & arces, tractusq. terrarum, quos illo defectionis tempore occupaſſet, confirmat

ei Caeſaris authoritate; Muſſi Demarchum appellat; attribuit etiam Leucum, copias & arma parata habere iubet, & praeſto eſse Caeſari ad omnia quae res poſtularet. Fueritne Leuæ conſilium hoc reconciliandi Medicaei, an verò Caeſar ipſe mandaſſet, etiam qui tunc erant homines dubitauere. Pro certo illud habitum eſt; Moronum, qui, poſt captiuitatem, deſerta infelici fortuna Sfortiae ſeſe Caeſari addixerat, & nihil aliud quàm gratiam hoc tempore Caeſarianorum ſequebatur, egiſſe de ea reconciliatione cum Leua, multisq; rationibus demonſtraſſe ei, quemadmodum vtile Caeſari futurum eſſet, ſi hoſtis rebellisue ille mitigaretur. Mitigatus autem ita erat, vt in curas benemerendi de Caeſare ſimul & fortunae ſuae augendae diuiſum animum haberet; augebatq; munimenta caſtellis, conciliabat ſibi per hoſpitia, & affinitates animos eorum, vnde proferendis finibus auxilij aliquid ſperaret; Venetos, vt imperio ſuo finitimos, vtq; Caeſaris hoſtes aſſidue carpebat. Ad omnia, Caeſaris nomen obtentui erat, & alba cruce (inſigne Caeſarianum id fuit) ſibi ſuisq; indita, abdicato rubro geſtaminis eius colore, foederatorum nomini ſeſe hoſtem aperte profitebatur. Aduerſus eos, pro parte in quam tranſiſſet, fieri cuncta volebat, ille potius credi quàm credere homines poterant, ſiquidem cum aliquo iudicio intuerentur viri animum, & quantum ei fortuna tribuiſſet, & conditionem temporum, quæ erant eiuſmodi, vt quod quiſque tunc occupaſſet, id etiam poſtea eſse habiturus videretur. Quin etiam, tunc fuere qui ita diſſere-

rent.

rent. Sfortia propediem morituro, & propter Metropolim conflagraturâ bellis Italiâ, nuſquam melius poſſe placari principum animos componique ſtatum rerum, quàm ſi Medicaeus, vti iam eſſet in parte dominationis, ita relictâ Venetis Cremonâ, & ſi quid omitti aliud intereſſet pacis, cetera obtineret. Alioqui, neq; Caeſarem vnquam Gallo, neq; Gallum Caeſari eſſe conceſſurum, vt ad priſtina regna hoc adiecto principatu tantò potentior fieret; tum vter eorum adipiſceretur, ceteris omnibus formidabilem fore. Venetos praecipue hoc adhibito temperamento denique acturos quietem, cui genti calamitatis loco ſemper habitus fuiſſet adeò potens accola ſub nomine Reguli Regum opes amplexus. Pauperem Principem fore Medicaeũ, qui abſque vlla finitimorum iniuria, nomen tamen famamq. Ducis impleret; fore apud eum gratiæ locum, fore beneficio, & ſubiectos interim, magis cum principe, quàm ſine libertate, moderationem eſſe ſalubrem imperij habituros. Homines quidem de animo fortunaq; Medicaei, & de eo, quod aliquando futurum eſſet, ita diſſerebant. Ipſe verò nihilo humiliora voluens animo, quàm quae ſermonibus hominum tractabantur, tam prope a principe quàm olim ab exsule, in Lario lacu claſſem; exercitum in Briantaeis, Venetorum Heluetiorumq; finibus obiectas terras, montium cacumina, vallium receſſus, ſpatiaque camporum, & vbique arces, obſequium apud ſubiectos, apud exteros famam, & haec omnia velut conceſſu Caeſaris habebat, cui nuper inter hoſtes fuiſſet. Imperij ſedes ei

apud

apud Montem acutum modò, nunc apud Muſſum, quæ loca excoluerat, munierat, aderantque bombardae, partim, quas conflauerat ipſe ſibi, partim quas ademerat Venetis; & donatas ei ab Leua fuiſse nonnullas conſtabat. Iam egregie ſubnixa pluribusq; munimentis inſiſtens domus: quatuor fratres, totidem ſorores, & quas in fraternam ſibi curam adoptarat, cōſobrinae duae: ipſe laboribus & vigilijs attenuato corpore, ſed florens integraq; aetas ſubſidio erat. E fratribus, Baptiſta, & Gabriel, hic adoleſcens, ille iam virili robore, ſocij expeditionum participesq; cōſiliorum erant. Auguſtus ad ſpem generis familiæq; ſucceſſionem reſeruabatur: Ioannem Angelum, qui poſtea Pius IV. fuit, ad ſacros honores ordine enitentem exſpectabat Eccleſia, dum maturam capeſsendo Pontificatui aetatem afferret. E ſororibus, duæ Mediolani ſolennibus obligatae votis virginale æuum agebant: duæ ad Muſsum vnà cum duabus conſobrinis conſtituta in Monaſterij formam domo, procul ab militaris aulae ſtrepitu habebantur; prouideratq; ſeuerus ad talia Demarchus, ne miniſterio illic virili opus eſset, neu quiſquam illuc inferret pedem, excepto decrepito vno capulariq; presbytero, qui ſacrificij cauſa deſcendebat ad clauſtra illa quotidie, & vbi perlitaſset, abibat. Harum deinde alteram, Claram nomine, Vultheoderico Sittico nuptum dedit, cùm Germaniae procerum clariſſimus Muſsenſi lacu renauigans domum, exceptus ab Demarcho ſplendidiſsime fuiſſet in hoſpitio apud eum, indeque orta inter ipſos amicitia

&

& familiaritate, iuuenis, poſtquam domum peruenerat, petere virginem inſtitiſset. Medicaea minor, cui Margarita nomen, paulo poſt data eſt Giberto Borromaeo Comiti Aronae, modeſto iuueni & pio, qualem præparari D. Caroli patrem oportebat. Sed futuram eius matrimonij gloriam, celeſtemque fructum coecâ ad rem tantam humanae mentis coniecturâ minime proſpiciens bellator auidusq; rerum aliarum Medicæus, quæſierat potius id nuptialis pacti compendium, vt inita cum Borromaeo neceſſitudine, Aronae arcem ab eo eblandiretur, quod tamen, neq; conditionibus aſſequi vllis potuit, neque aſtu, cùm vtraq; machina expertus conatusq; eſset. Haec fortuna Medicaei ab initijs orta illis, quae demonſtrata ſunt, aucta deinde, & adulta varijs rerum euentis, & ipſius virtute, ſicuti item demonſtraui, ita ſe ſe habebat ad annum vſque vigeſimumſeptimum ſeculi eius videlicet cIↄ Iↄ. vt ab eo tempore fluctuare inciperet, rurſusq; conflictata redigeretur in eum ſtatum, in quo Medicaeus fuit, cùm vitae finis ei accideret. Ceterùm, anno illo quem notaui, cùm Caeſari natus eſset Philippus auus Philippi IV. qui nunc regnat, conuersâ in tot Regnorum heredē humani generis gratulatione, vel inuidia, vel ſi quæ ob eam rem aliae regnantium curae commotae erant, etiam Mediolanenſes ad ſpem erexere animos, poſse per eius Regij exortus lætitiam à Caeſare impetrari, quae legatione miſsâ aliâ pro miſero vrbis ſtatu nequicquam imploraſsent. Namque cùm ſub Borbonij diſceſsum iuiſsent ad Caeſarem legati petentes, vt

exo-

exonerari militum parte vrbem iuberet, ſpreta ea, & reiecta legatio fuerat in contumaciae pęnam, qua crebris aulae ſermonibus tumultuati eſſe aduerſus regios praefectos, nationemque pulſaſſe Hiſpanam incuſabantur. Nunc, vt dixi, ſpe animis ſumpta noua, tamquam, ob regios natales, hilaritate & clementiâ cuncta apud Hiſpanum reniderent, mittitur Valleoletum in regiam ex vetuſta vrbis nobilitate Philippus Archintus, qui poſtea Mediolani Archiepiſcopus fuit. Mandatum ei ab Decurionibus Vrbis, primùm omnium vti diceret; Populum Eccleſiamque Mediolanenſem ita laetatam eſſe Philippi Principis ortu, vt veluti natalem ſuum diem eum ſemper concelebratura ſit. Verè enim Metropolim arbitrari ſe ſe renatam, propagata per eum infantē ſucceſſione imperij, cuius deſiderio, fideque erga illud, & pietate armati ciues potuerint trucidare Gallos, euertere eorum tribunalia, ferre obſidiones, exire contra, & ad omnia loca pugnare, donec Rex ille captiuus nonnullâ etiam Mediolanenſium operâ fuerit in victricem aulam attonita omni hoſtium gente deportatus. Haec de ſe profiteri Mediolanenſes, & ſi quis negare velit, defendere eſſe paratos, & poſſe nationes interrogari, quae rebus adfuiſſent. Quòd ſi poſtea conſtituto apud Inſubres Auſtriaco Imperio, & diuiſis per omnia vrbis tecta militibus, nonnulla minus beneuole Mediolanenſes inter & Hiſpanos accidiſſe dicantur, illud quoque defendere eſſe paratos, quòd nullâ ſuâ malâ mente ſed mutuis irritationibus acciderint, & ſicut in domo nonnunquam eadem inter fratres etiam tędia diutur-

nae conſuetudinis res aliquando dedere odioſas, ita in militari contubernio potuiſſe contingere nonnulla, quę poſsint defleri magis, quàm defendi. Verumenimuero, neque purgandi, neq; deplorandi cauſa legationem eã decreuiſſe Mediolanenſes; petere à Caeſare confidenter, vt dum cetera terrarum geſtiunt plauduntq; regnaturo infanti, velit ipſorum quoque plauſus & geſtientem alacritatem eſſe ſine ſqualore & luctu, velit vrbem leuare tributis, & onere inſultuq. quotidiano militari; ſimul annuat, vt eiectos vrbe ciues ob tumultus, patriae redonet, authoritasq; Senatui priſtina reſtituatur. Philippus Archintus Mediolanenſium nomine hęc ferme petierat. Reſponſum à Caeſare eſt; diſplicuiſſe ſibi ciuitatis eius miſerias, inuitumque credidiſſe quòd haud immerito ea paterentur. Sed præterita omnia malle obliuiſci; optare in poſterum, vt obedienter manſueteque agerent; & hominibus ibi ſuis mandaturum, vt pro magnitudine, & nobilitate vrbis benigne viciſsim clementerq; agant. Caeſaris epiſtola ad Decuriones vrbis, in eam ſententiam data Archinto eſt, vidimusq; nos autographum eius exemplar, inter Patriæ monumenta, rem ſanè dignam publica cuſtodia ob illuſtre Caeſaris ipſius iudicium de gloria ſplendoreq; vrbis. In eadem epiſtola erat; Caeſarem, qua clementia, & magnitudine animi erga Regem Franciſcum Mediolanenſium ipſorum virtute captiuum vſus fuiſſet, ea ſe Mediolanenſibus ipſis eſſe conſulturum. Inter maximas Imperij curas eſſe hanc, vt ciuitas ea, populuſq; & Clerus, depulſis praeſentibus miſerijs rediret in eum ſtatũ,

quo olim fuiſſe diceretur. Ideo, quae ſtatim tribui poſſent ſine mora conceſſa eſſe, perſcriptumque diligentiſsime ad Leuam, vt praeſidia ex vrbe deduceret; ſatis praeſidij in fide Mediolanenſium fore; vel ſi ea abeſſet, ne arma quidem vlla aduerſus contumaces eſſe valitura. Ab ea legatione Archinti Caeſariſq; mandato, commodiora omnia Medlolani aliquandiu erant, exonerata vrbe, ductiſq; aliò in hyberna vel aeſtiua militibus, quae ad eam diem publica, & intoleranda Metropoli calamitas fuerat. Paulò poſt reuocantur in ſtationem quique ſuam recrudeſcente circa vrbem bello, quod coeptum ſimul finitumq. eſt. Namq; dum Caeſarianus exercitus, Borbonij ductu alibi rem gerit, & eodem ſublato Borbonio, coeptis tamen illius inſiſtit, nouae Gallorum copiae, duce Borbonio altero, qui Sanpaulanus dictus eſt, apud Valentiam tranſgreſſæ flumen, perpopulatae Mediolanenſem agrum, municipijs vrbibuſq. captis, ad Metropolim obſidendam nemine obſtante tetenderunt. Adeò ſoluta & neglecta repererant omnia, vel ſecuritate Caeſarianorum, vel viribus in pericula alia diſsipatis. Seruauit in eo diſcrimine vrbem, eadem quæ non ſemel alias ſaluti fuerat, ſiue leuitas, & inconſtantia Gallorum, ſiue fortuna quaedam initijs eorum ſecunda, ad exitum fallax, & tunc maxime aduerſa cùm prope victoriam eis in manum dedit. Namque Sanpaulanus animo caſuque vſus eodem quo ceteri etiam ante ipſum Galli duces à moenibus captae iam fere vrbis vltro abſceſſerant, retulit áb Landriano repente caſtra tamquam iturus ad inuadendam Genuã,

cùm ſi pergeret huc ire, capere Mediolanum potuiſſet. Et Antonius Leua cum eo exercitu, quem habebat, vrbe egreſſus perſecutusq. abeuntem, turbauit primò ac fudit, deinde etiam cepit; qui ſuperfuere Galli, cum inſana trepidatione petiere alpes, & rediere domum, nec res alia magis extulit Leuam. Reliquerat hunc Mediolani Borbonius cùm ipſe Romam ad exitium dedecusq; ſuum poſt illa quae memoraui dedecora proficiſceretur; fuitq; Leua inter Hiſpanos duces, qui Cęſaris nomine Mediolani imperitarunt, uirtute magis ſua, quàm origine par ceteris, Dauali propè diſcipulus, Borbonio melior; & pietatis monumenta reliquit. D. Dionyſij Aedem, Et cum ea Aede Monaſterium extruxere Seruitae erogatâ per ipſum pecuniâ, ut militare flagitium expiaretur, quo Monaſterium Aedemq; aliam ordinis eiuſdem demoliri neceſſe habuiſſet. Geſsit bella conſilijs nutuq; & nominis authoritate potius quàm manu, cùm ob magnos articulorum dolores inuolutus ferme faſcijs iaceret; ac ſi prodeundũ utiq. erat, geſtatoriâ ſellâ circumferebatur, ſplendidiſsime armatus, & criſtarum amoenitate faſtuq; diſsimulans poenas. Tam felici uictoria factus etiam elatior, flagranſq; ira in finitimos Venetos, quorum praecipue ſtimulis, nouum illũ ex Gallia factum eſſe impetum ſciebat, dum traiecto Abdua flumine, vaſtitatem eorum terris infert, nuntium accepit, haud equidem crediderim ei animo gratum, de pace, quae diu agitata conuenerat, feſsis ob mutua dãna regibus, & anxio Pontifice, ſi tot malorum orbi chriſtiano cauſa ipſe haberetur. Nuntiata pace, reducto

ad

ad urbem exercitu, quies armorum erat, atque erectis exſpectabatur animis, quo denique modo reconciliati inter ſe Reges componerent orbem terrarum; quae ſumma conditionum fuiſſet habendae etiam in poſterum paci, ſi pax fida vnquam eſſe poſſet, vbi bellorum cauſae aſſidue exiſterent, & ſemel exciſae renaſcerentur. Mox fama accidit, venire petendo diademati Caeſarem in Italiam, vt veterum more coronaretur. Barcinone ſubſtiterat quamprimum inde traiecturus. Mediolanenſes illuc Archintum deſtinauere eundem, qui priore legatione functus fuerat. Legandi iterum ea fuit cauſa, vt, & indicarent Caeſari lætitiam gratulationemque ciuitatis ex eo quod Imperatorem omnis memoriae clariſsimum terra Italia acceptura eſſet, & ad gloriam ornamentumque vrbis nonnulla peterent, quae priores etiam indulſerant. Caeſar, benigne audita legatione, legatiq. etiam ipſius prudentia, ſicuti fama eſt, haud parum delectatus, conceſsit Iuriſconſultorum præcipue Collegio multa quae manent hodie, nec faſtum modò nobilitati, ſed etiam incitamenta virtutis addunt. Eſt id Mediolani Collegium fundatũ antiquitus ſeuera lege, ac ſuperba, ne recipiatur vllus, qui ſuos ab origine vltima auos intactos omni natalium & vitae labe exhibere non queat; quae neceſſitas, neſcio, an principum quoque nonnullis moleſta futura ſit, ſi talia proferre documenta cogantur. Non pecuniae magnitudine, non gratiâ, claudicans & noua nobilitas aditum eò inuenerit; extantque exempla praediuitum candidatorum, quos ſuffragia omnia reiecere propter illibe-

illiberalem maiorum ſolertiam, atq. mercimonio nonnullo contaminatos olim penates. Huic tunc Collegio noua decora quaerebantur, deditq; ea Barcinone ſedens adhuc Caeſar. Inde ille Bononiam venit, eoq; Pontifex Clemens, & Pontificem aſſectati Cardinales, legati præterea Principum & Regum, principesque multi vnà adfuere celebraturi coronationem Caeſaris, pompamq; viſuri, qua nulla fortaſſe vnquam, neque illuſtrior, neque ſpectabilior fuit, coronante Caeſarem Pontifice, inter quos paulò ante hoſtilia cuncta facta erant; adſtante purpuratorum corona, quos nuper vnà cum Pontifice captiuos egerat Caeſaris miles; adulantibus denique ceremoniae huic legatis eorum, qui Hiſpani nominis inſectatione gratiam inter ſe certatim, & gloriam apud alios quaerebant. In ea tantarum conuerſione rerum, vel mutatis omnium animis, vel compoſitis certè tamquam mutati eſſent, petitum à Caeſare impetratumq. eſt, vt Franciſco Sfortiæ veniâ præteritorum conceſſâ priſtinum ſtatum redonare vellet; ſtatimq. ille ab Cremona accerſitus, Dux Mediolani iterum fiebat. Ob eius rei gratulationem Archintus tertiùm legatus ad Caeſarem iuit; cui deinde legato gratiā apud Hispanos, odium apud Sfortiam peperit, & rurſus Hiſpani hominem vexauere, poſtquam Archiepiſcopus vrbis factus capeſſere Eccleſiam parabat. Nunquā enim per eos inire honorem potuit; ac Bergomi prope exſul eſt mortuus. Verùm, & quomodo ſuſpicionibus apud regnantem Sfortiam ille conflictatus fuerit, & quomodo in Philippi Regno Pontificatu prohibitus, poſtea

ſtea ordine exponam. Sfortia reſtitutus eſt in Mediolanenſe imperium ea conditione, vt quadringenta millia nummûm aureorum intra anni ſpatium, decennio deinde proximo decem penſionibus quingenta millia Caeſaris fiſco perſolueret. Prior illa ſumma donec perſoluta eſſet, arcem Iouis urbemq. Nouocomum haberet Caeſar; pernumeratis quadringentis millibus ea quoque reſtituerentur. Hæc & alia dum fierent, Antonius Leua cum idoneo exercitu apud Inſubres maneret. Quae ultima conditio, velut fidei pignus ſtabilimentumque rerum inducta, & rem prope euertit, & labefecit fidem. Semper enim Leua Sfortiae infenſus fuerat, & Sfortia viciſſim oderat Leuam, inuicemq; alter alteri ſtruxiſſe inſidias dicebantur; & fama fuit; iam illectum prouinciæ dulcedine Leuam, ſecretis apud Caeſarem ſermonibus agitaſſe multa, ne rem Mediolanenſem vllo modo alienaret. Poſſe ipſum, retenta Metropoli, totam ſubigere Italiam, & qui Italiae potiretur, ad imperium omnium terrarum parum ei abeſſe. Cuius conſilij ratio, licet ab Caeſare ſpreta & repudiata fuiſſet, recordatio tamen eius apud Sforciae animum inter veterum irarum incitamenta aſsidue voluebatur, vt ſi cetera inter eos amica forent, poſsent hoc ipſo irritari, alter quidem, quòd ſibi conſcius eſset, tam maligni conſilij, quo Caeſaris praeripere beneficium voluerat, alter verò, quòd excitatae ſuae fortunae inimicum ac prope euerſorem imminentem adhuc ſibi legionibusq; ſuccinctum intra fines eoſdem videret. Hinc crebra materies offenſionibus mutuis, & veluti ſtante ſupra cer-

uices

uices inimico infeſtior pene vita nouo duci in principatu, quàm ipſo fuerat exilij tempore, tunc cùm, Gallicis prius armis, deinde Caeſaris irâ principatu arceretur. Sed exigendo etiam ipſe tributa diſſoluendis penſionibus, effecerat, vt Reip. ſtatus nihilo melior eſſet hoc tempore, quàm cùm Galli vel Hiſpani tributis vrbem iniurijsque vexarent. Et odio metuque Leuae coeperat in ſingulos ſaeuire ciues, quoſcunque, vel deditos ei, vel aliquo ipſius beneficio deuinctos eſſe compererat. Mitiſsimus antea princeps, & ob manſuetudinem ciuitati ſemper expetitus, coeperat nunc eſſe praeceps ad credenda deteriora; praecipitemque credulitatem poenæ in ſuſpectos ſequebantur, exilia nempe & proſcriptiones, & exſulio vel proſcriptione funeſtior diſsimulatio in alios, quos in vrbe retineri tutius videretur. Ea noua calamitas nobilitati Mediolanenſi exorta erat, manebatq; donec origo mali tolleretur, placatis caſu quodam inimicitijs, quas, Sfortiam inter & Leuam magnas, atq; capitales fuiſſe demonſtraui. Pacificator autẽ ille caſus huiuſmodi fuit. Philippus Archintus, quem ter ad Caeſarem Reip. Mediolanenſis nomine fuiſſe legatum oſtendimus, quique Archiepiſcopus poſtea futurus erat, egerat ſemper praecipua apud Leuam gratiâ, & honores ante Sforciae reditum obtinuerat ab eo, quoſcunque ab regio praefecto in ſua patria obtinere honeſtus ciuis poſſet. Ea beneficia & honores Archinto tributos torue intuens Sfortia, deſtinauerat hominem inter capita infida ſibi, & inimici ſui amicum amouere ex vrbe decreuit. Dici ei iubet; melius fore

ſi

ſi diſcedat vltro; dieſq; praefinita, intra quam exceſſiſſe finibus deberet. Enimuero, Archintus, repentinam eam vertendi ſoli neceſſitatem aegre admodum ferebat, ſibiq; & familiae fore ignominioſam rebatur. Tum quia immerito res ea ſibi accideret, etiam impauidus, & irato ſimilior quàm ſupplici, Franciſcum Tabernam, iuris praefectum intimumque Principi adit. Vixiſſe cum fide ſeſe erga Sforțiam teſtatur, & nullius culpae reum eijci Patriâ quae teſtis eſſe poſſet innocentiae fideiq; ſuae. Ceterùm, non tam diſplicere ſibi, quòd ſic immerito eijciatur, quàm quòd iniuria illa, pulcherrimi operis fructum interceptura eſſet, in quo tunc maxime ipſe fuiſſet occupatus. Videntem enim ſeſe & reputantem, quàm damnoſa patriae, quàm moleſta principi eſſent illa, ſiue odia, ſiue diſſidia, ſiue ſuſpiciones & offenſæ, quae cum Antonio Leua exercerentur, negotium id vltro habuiſſe ſuſceptum, vt principum animos pro ea quam habere videretur authoritate reconciliaret; ac ſperaſſe rem poſſe confieri, iamq. certiſsima pignora reconciliationis eius, quod ad Leuam attineret, manibus tenentem, atroci denuntiatione eſſe perculſum. Studioſus homo, tum publici otij, tum principis vtilitatum Taberna ille erat, ac pro eo ſtudio magnopere angebatur videns infenſum Sfortiae eſse Hiſpanum, qui, cùm arma exercitumque haberet, Caeſarisq. praeferret authoritatem, poſſe videretur in recenti dominatu obeſſe rebus & cuncta euertere, ſicuti Daualus antea obfuiſſet, atque euer-

tiſſet collegâ fraudis eodem. Itaque ſpe pacis iniecta illa, ſimul audita defenſione, vel potius querimonia Archinti, demonſtrat Principi hominis innocentiam, eique perſuadet, vt, & ſalutarem, egregiũq; ciuem domi retinere velit, & ad conciliandum ſibi Leuam eo interprete vtatur. Fuit deinde in vrbe Archintus multâ apud Sfortiam gratiâ ob id meritum, quia opus inchoatum abſoluens, rationibus inducere ſuis potuit Hiſpanum, vt offenſione depoſita omni, & abiecto ſi quid hoſtile meditabatur, conferret vltro ſeſe ad Sfortiam & bona fide cum eo in gratiam rediret. Minime dubitatum eſt apud prudentes, quin pernicies aliqua vi ſiue dolo conflata Sfortiam maneret, niſi inimicitiae illae ſublatae eſſent. Earum fine quieuere ciuium etiam calamitates, quae, & oriebantnr inde, & gliſcente duorum principum odio creſcebant ſimul. Sforcia, caſu magis quodam, & Archinti illius opera, quàm vllo ſuo conſilio depulſis periculis, quae ab inimico ſicuti demonſtratum eſt, Leuâ, imminebant, ipſo noui principatus initio deuenerat in pericula alia longe etiam grauiora ob irreparabile damnum exiſtimationis, turpemque notam eius nomini imminentem, ſi Dux Mediolani ipſe, propter quem, inter duos Reges tanta contentione dimicatũ eſſet, cuius cauſa, multi Gallorum exercitus, multa Hiſpana agmina, Romanae legiones, auxilia Venetorum, omnia fere Chriſtiani nominis arma in vnum conuoluta diſcrimen fuerant, nunc ab exule Medicaeo, non proditione aliqua, vel incurſu tumultuario,

do-

doliſue vllis, ſed iuſti more belli opprimeretur. Nihil enim propius factum eſt, quàm vt accideret iſtud; ac ſi qua debetur venia nimium iam ex ciuilibus bellicisq. negotijs aſſumenti mihi, nuſquam ea iuſtior, quàm in parte hac operis fuerit, vbi tradentur res geſtae Iacobi Medicaei, illius ſcilicet, qui D. Caroli auunculus, Pij IV. frater fuit, qui vltimis mandatis expiata ſuperiore vita, & ſororis filio dignum ſeſe prębuit, & fratre, quem demum vterque expiantes addidere ornamenta publicis Eccleſiae rebus, & militari aenea ſtatua poſita in templo maximo quotidianas ei hoſtias decreuere. Medicaeus, audacia, & virtute ſua, & proſperis rerum euentis in eam quam demonſtraui fortunam euectus, vbi reſtitui Sfortiam, eamq; reſtitutionem Bononiæ agitari magno principum ſtudio accepit, proficiſcitur ipſe quoque Bononiam, & deprecatore Leua, cui debere ſeſe cuncta profitebatur, petere à Caeſare inſtitit, vt fieret earum rerum auctor, quas ſibi Leua conceſsiſſet, caſtellaq; & arces, & loca omnia, ſicuti iam ex pacto haberet, munere conceſſiuq. regio poſteri etiam ipſius haberent. Id cum praeciſe negaſset Caeſar, dixiſsetq; placere ſibi, vt Sfortiae cuncta reſtituerentur, reuerſus ille domum, ad bellum haud dubie imminens ſeſe parabat, principesq. finitimos, quorum fidei ſeſe antea tradiderat, inuocabat, vt ſibi praeſidio eſſent. Sabaudi praeſertim ope nitebatur, qui pollicitus erat ſe ei nullo modo defuturum. Is Epiſcopum Vercellarum ad Sfortiam miſit petens ab nouo Duce, vt honeſta ali-

qua conditione cum Medicaeo tranſigere vellet: id ſibi gratum, & vtilius fore ipſi, quàm recuperato nuper patrio imperio, bellum ſumpſiſse nouum, quo, ne viciſſe quidem expediret ob ciuium cladem ſine qua non poſſet vincere. Sed ne victoriam quidem eſse certam ob vim ingeniumq. hoſtis, & locorum naturã, quibus ille ſeſe tueretur. Ea cùm ab Legato dicerentur, minime Sfortia abnuebat veluti cupidus homo otij, rebus acciſis, & anxius praecipue pecuniae ſummâ, quam Caeſari ad diem perſolutam eſſe oportebat; feſſoq; inſuper tot prӕteritis caſibus animo, partem vitae ſuae extremam cum aliqua exigere pace auebat. Apud Medicaeum diſpari de cauſa ſtudium otij idem erat, nec leue lucrum ei, ſi abſque armorum diſcrimine retinere poſſet ea, quae armis & dolo inuaſiſſet. Inclinatis ita ad quietem animis, Sabaudus legatus conditiones haſce pacis ferebat: Haberet Medicaeus Muſsum, & Leucum, & quicquid in Larij lacus ora iam teneret: cederet omni cis Abduam regione: Montem acutum relinqueret: deduceret praeſidia ex Briantaeis, neu colles eos poſtea attingeret. Populis & terris quae ipſi relinquerentur ita imperitaret quomodo quilibet alius princeps imperitat ſuis: vitae neciſq; arbitrium, arma & milites, & auri, argenti, aeris, flandi feriundi poteſtatem intra ſuos fines haberet nulla in re ſubiectus obnoxiuſue Duci, nullo in cauſis iudicijsue reſpectu vel cura imperij maioris. Quas lites, cauſas, ipſe magiſtratuſue eius alicubi iudicaſſent, earum litium, cauſarum iudicia,

con-

conceſsiones item & priuilegia, ſi cui ab ipſo, vel à ſuis data eſsent, rata haberentur; neu reſcindi & aboleri quicquam earum rerum vllo modo licitum eſset. Perſolueret Duci Medicaeus quadraginta millia nummûm aureorum pecuniae præſentis; Dux Medicaeo modios aliqnot ſalis & tritici in ſingulos annos abſq; pretio vllo exportationis daret. Cùm haſce pacis cõditiones edidiſset legatus, neque cuiquam eſset dubium, quin res ita conuenire poſset, turbauit eam ſpem caſus primò vnus, deinde ipſius Medicaei mutata repente voluntas, additis inſuper ſtimulis eorum, qui bellum illud ciuili ſimillimum bello, quàm patrię otium malebant. Antonius Dugnanus erat ex Medicaei aſseclis carus admodum ei ob promptum ingenium ad facinora; & quia multos in vrbe conſangueos amicosq; haberet, tanto pluris apud eundem fiebat. Forte hic, interea dum conditiones agitantur, auſus venire in vrbem, & pro exploratore comprehenſus Sfortiæ iuſsu in vincula conijcitur. Medicaeus ob id factum percitus ira, dimiſsis in varia loca cum delecto equite fratribus ſuis, plerosq; viciſſim capit e nobilitate Mediolanenſi, qui nullo tali metu, velut in media pace ruſticatum exierant. Ea nobilium captiuorum manu (& erant fere Principis familiares) ducta ad Montem acutum atq; abſtruſa ibi in latumias, ad Bentiuolum, qui pro Sfortia ipſo regebat vrbem illico ſcribit; Dugnani captiuitate ſe exiſtimare bellum ſibi eſse indictum accipereq; denuntiationem, & quo animo acciperet, eodem animo

iturum

iturum eſſe ad arma. Ceterùm ita acciperet ſciretque Sfortia; ſiquid grauius ab eo in Dugnanum fortè conſuleretur, id ſe etiam in captiuis ſuis abſque mora imitari paratum fore. Denuntiatio ea repente Dugnanũ ſoluit, ſoſpesque ille ad Medicaeum eſt dimiſſus, & viciſſim hic aperto ergaſtulo emiſit ſuos. Quæ dum fiunt, conticuerat omnis de pace actio, rurſusq; poſt dimiſſos vtrinq; captiuos, reſumitur eadem, deinde deſeritur, reſcindente ſcilicet Medicaeo caput illud, quod de quadraginta millibus in praeſentia perſoluendis inter conditiones erat. Reſciderat autem abnueratq; Medicæus id pactum, obſtrepentibus praeſertim amicis, quorum ille conſilio & opera vtebatur. Namq; fore aiebant, vt ſi ea pecuniæ ſumma res Sfortiæ anguſtas laxaret, nollet ille poſtea ſtare conuentis, atque ad ea, quae conceſsiſſet reuocanda ſubſidio illo armaretur. Legatus Epiſcopus, vbi difficultates exoriri tantas, inuicemque refractarios eſſe Sfortiam & Medicaeum videt, ab vtroque poſtulauit, vt ſex menſium induciae eſſent. Sic poſſe mitigari animos, remq; componi. Interea Medicaeus ab Sfortia nactus id quietis, ad negotium aliud longe maximum, grauiſſimumq. mentem adiecit, ſi pellere ex Valle thelina Rhaetos, idq; terrarum adiungere ſibi poſſet; quod bellum acceſsio fuit, eius quod cum Sfortia poſtea geſsit, & dimicatio illa hanc trahebat.

IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORIARVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimus ſeptimus.

VAllemthelinam, cuius tractu & ſinu Mediceus hoc tempore exigere Rhętos parabat, incolae ſic dictam putant ex nominis eius caſtello, quod, antiquiſsimum in eo tractu eſt, & antiquitati manet honos, eaq; ſemper munimenta inſtaurãtur. Clariora tradunt alij Valthellinenſium initia: Vulturenam vrbem in faucibus Larij lacus ſitam fuiſſe: nomen eam dediſse genti, Vulturenosq; inde appellatos. Excurrit longitudo Vallis ab ipſis faucibus ingreſsuq; primo, ad vſque alpium Rhaeticarum radices: colligit millia paſsuum ſexaginta. Dimenſio latitudinis incerta eſt, quia montium valliumque conterminarum extrema, prout cedunt

aut

aut prominent,nunc contrahunt ſpatia,nunc dilatant. Contermini ſunt,ab Oriente, Tirolenſes & Solani; à meridie Bergomates, & Camuni: Peſclauenſes in Septemtrionem, Engadiniq; & Rhæti miſcent ſeſe Vulturenis; ipſi viciſsim, ad occidentem, Larij lacus accolas attingunt. Per mediam vallem rapido curſu fertur Abdua, cuius fons in ſummo Rhæticarum alpium vertice ortus larga ſcaturigine tanti aluei gurgites implet. Regio vini ferax eſt: proueniunt etiam ſata quacunque duci ſulcus potuit: paſcua, & glandiferi colles, id quod in alimenta incolarum deeſt, ægre explent. Incolae, vel alimentis contenti illis patriũ ſolum fatigant, glebisq; ſuis miſera dulcedine perpetuò attinentur, vel peregre egreſsi per omneis Italiae vrbes, patientiam eandem ſegnioribus vrbanorum humeris commodant ad ferenda onera, eaque baiulorum Reſpublica eſt. Paucae familiae celebrantur antiquitus nobiles & opulentae; reliqua egentium multitudo. Ceterùm, de terra hac, vt inter valles alias, amoena, & diuite, vt inter Italiae regiones, paupere & infelici, tamquam de prouincia nobili & magna, propterea quod extremum Italiæ limitem aperit clauditq; ſaepe dimicatum fuerat etiam æuo ſimpliciore, cùm nondum opportunitares, & compendia iſta terrarum tam attente intelligerentur. Et poſtquam in Romanum imperium ceſſere Itali, non minima cura limiti etiam huic tuendo Caeſaribus fuit. Dein ruptâ Imperij reuerentiâ, duces partium, cùm turbarent certaminibus ſuis traherentq; cuncta, Val-

lem-

lemthellinam ſimul appetiuere tumultuarijs illis armis; Guelfique & Gibellini, Vicecomites & Turriani, magnis motibus initia finemue inde ſumpſerunt. Victis Turrianis, & exorto Vicecomitum dominatu, pars noui imperij fuit hæc Vallisthelina, donec Bernabos, diuiſo inter filios imperio, partem Maſtino eam attribuit paulò antequàm ab Ioanne Galeatio captus extingueretur. Tunc paterni caſus terrore, & dominatione patruelis profugus ad Rhaetos Maſtinus Vallemthelinam eis donat. Sed ea donatio quoniam ab exule facta eſſet, irrita habita, depulſoq; patruo Ioannes Galeatius cùm in auitum imperium ipſe ſucceſſiſset, ad recuperandam Vallem, & deijciendos inde Rhaetos animum adiecit; & vario poſtea ſemper circum eas rupes euentu dimicatum obſtinatis barbaris ad ea obtinenda, quae ſemel vſurpaſsent, & ſtimulante principes noſtros, praeter verecundiam, etiam religione, ſi Caluini, & Lutheri ſoboles impura ſub oculis pene dominaretur. Non Philippus Maria Ioannis Galeatij filius, non poſt eius mortem finitæ domus fortunam Sfortia adeptus deſtitere actionem eam perſequi armis. Poſt Sfortiarum inde finem dominante Hiſpano, inter alias imperij curas dilata res, ſiue infeliciter tentata eſt, nimiumq; magno Italici nominis dedecore genus infame Lutheri Metropolitanis finibus immiſcebatur ſimul, & ereptã eam Metropoli partem occupabat. Aetate demum noſtra, cùm importunitas, & impudentia ſectae impen-

ſius gliſceret, eſſetq. prouecta eò, vt Catholicas familias, quae promiſcuè incolunt Vallem, ferro atq. igni delere coniurauiſſent, id malum eaq. coniuratio in capita impiorum vertit, auctore operis Gometio Ficeroa Feriae Duce Catholicorum exercituum imperatore, qui cæſis intra paucos dies Lutheranis, & liberata regione, veterem eam patriã Catholicis tuto ſecureq. habitandam aſſignauit. Inde hoſtium foedera, Gallici incurſus, & ſuffecturæ voluminibus alijs fraudes; dum regio horrida ſaxis, incluſa montibus, patria infelicium baiulorum, egeſtatis ſedes, deſinentis Italiae lacuna, ſiue rudimentum incipientis, aſperitate cautibusq. ſuis, & ipſo faucium ſqualore, Regum prope populorumq; omnium inuidiam, arma, ſolicitudines mouet, dumque trucidato, vel pulſo Luteranorum coetu, aſſeritur Catholicae religioni & deuoluta rurſus ad impios, eorum inſuper furore vaſtatur. Tanta cura principibus circa clauſtra faucesq. illas, &, cùm ab Catholica parte interpretatio anceps ciuilibus ingenijs data eſſe videatur, ſtudiumne tantùmodo religionis, an verò cũ religione, opportunitatum etiam aliarum amor mouerit animos, nullam certe religionem iactare poſsunt, qui captata occaſione ingreſſi illuc, nihil omiſere quod impie nefarieq; committi poſset. Verùm quaeſiuiſse iſta & diſcreuiſse, ne tunc quidem iuuabit, cùm narrandi, atq. dijudicandi talia erit locus. Ceterum Vallemthelinã hanc in quam Medicaeus hoc tempore expeditionem

pa-

parabat, D.Carolus etiam poſtea multũ diuerſo conatu, tamquã Metropolitani Imperij partem recuperare cõtendit; mirũq. dictu, Auunculus ille D.Caroli, ductor exulum, & exul ipſe, profano tunc ſpiritu, & auiditate terrarũ, praelia ciens illa, neſcius futuri, ſimulacra praelij ſanctioris edebat, quod bellum expugnandae impietati D. Carolus Archiepiſcopus vrbis in iuga receſsusq; eos ſuo tẽpore illaturus erat. Et profectò, non ſine numine praeceſſit illac Medicæus, vt diuinæ prouidentiae miraculum ventura ſecula loquerentur, & aliquis ita diceret. Interfector hominum Auunculus per ſaxa rupesq; illas cum exercitu arma & caedem exitiumq; ferens inceſsit. Auunculi calcans veſtigia ſororis filius, cruce, paſtoraliq; alloquio armatus tulit hominibus ſalutem. Montoſa igitur & prærupta, cauaque haec Italiæ Germaníæq; confinia nondum tantis nobilitata caſibus, ceu prouinciam aliquã inclytam amplexus toto animo Medicæus, conſilia, & apparatus ad rem aggrediendam hoſce habebat. Videbat primùm omnium aiebatq; inter ſuos; ſi regionis eius potirentur, non modò inexſuperabiles fore ipſos Sfortiæ armis, ſed alijs quoque metuendos ceu tenentes clauſtra prouinciarum, arbitrosq; tranſmittendi belli, vel ex Italia in Germaniam, vel inde in Italorum fines. Et vbi ſemel inuaſiſsent tenuiſsentq. munimenta illa facta naturae ſponte, ſuffecturos aduerſus quamuis numeroſa agmina, cùm ſatis frugum in præſidij alimenta praeberet ager, & imminentes tumuli caſtellorum explerent vicem, ex quibus inta-

cti ipſe propellere ſubeuntes poſsent. Sed fortaſse etiam quietè ibi regnaturos, magnumq; dictu fore, vt & terrori omnibus eſsent ſimul, & cum bona omniū pace regionem tenerent, neque vi vlla hoſtili laceſſerentur. Infectam eſse Luteraniſmo Rhætorum gentem, rebellem Apoſtolicæ Sedi, nomini Auſtriaco ſemper infidam; & Regem Gallum, cuius præſidio gens ea nitatur, poſse conciliari obiectâ illecebrâ, ſi iter ei per ſuos fines ad inuadendam denuo Inſubriam darent. Talia quidem ab Medicaeo ſermonibus conſilijsq. agitabantur cùm ille expeditionem in Vulturenos ſiue in Rhaetos pararet; expeditionis autem apparatus erat huiuſmodi. Mille pedites Italici generis: nationum aliarum fere quingenti: & quotidie plures affluebant iam aſſueti bello, impatientesq. otij, quod Sfortiâ reſtituto prius, deinde pactis inducijs repente exortū erat: legionem praeterea vnā ex Germania Vultheodericus Sitticus adducebat: tormenta complura minoris formae ſubditis aptatiſq; rotis, vt in montium etiam cacumina facillime agi poſſent manu: belli duces egregij: Georgius Capucianus Epirotarum equitum praefectus: Caeſar Neapolitanus diſciplina patris & ingenio ſuo multùm laudatus inter bella. Tecanū quoq; nobilem Rhaetum, & inter primores gentis clarum militiâ corruperat occulte deuinxeratq; ſibi, vt Remp. ſuam in medio diſcrimine proderet; quod tamen poſtea non ſucceſſit. Aderat etiam ei Carauacca homo Hiſpanus tanta ſubtilitate ad explorandas ho-

ſtium

ſtium res, atq; tam varias & nouas latendi artes perpetua meditatione & ſolertia animi aſſecutus, vt in alienis caſtris verſaretur ea ſecuritate, qua quis domi ſuae ageret. Inſtructus ita Medicaeus, mittit repente Gabrielem fratrem cum ſeptingentis peditibus in Vulturenos, iſque prima irruptione Morbenium capit, captum validis vndique ſepimentis firmat, vt apertus antea pagus ſubito munitae vrbis inſtar eſſet. Ea re cognita Rheti vario telorum genere armatos ad quatuordecim millia ſtatim pago circnmdedere. Sed agreſtis & tumultuarius fere miles erat, atque rudis ad omnem oppugnandi artem multitudo. Stoliditate ingenita ſeſe vltro ad omnia loca obijciebant, vbi promptiſſime vulnerari & cadere poſſent. Cecidere ad quingentos: reliqui diſſipati, valle relicta Albitana Traonam vltra flumen conceſſere. Tecanus in ea oppugnatione plumbeo miſſili ab gregario milite percuſſus frontem, occubuit, cùm fretus agili corporis robore, grallatoris inſtar vtraque manu alte ſariſſam tenens, ſeſe intra ſepta eiaculari voluiſſet. Ingemuiſſe eo caſu Gabrielem ferunt, & acceptum intrò corpus cum multis lacrimis honeſte ſepeliſſe. Inde orta ſuſpicio proditionis apud Rhaetos tam valida vt nondum exoleſcat, eaque labes Tecani nomen inter barbaros ſecuta eſt. Partâ victoriâ, captaque in hunc modum Valle Medicaeus, quacunque imperitabat, ſupplicationes in triduum more Romano decreuit, ipſeque iuit ad templa ſupplicatum,

&

& omnis alius honos Deo immortali ob incruentam eam expeditionem aliquandiu ad Montem acutum totoque Briantaeorum tractu habebatur. Parochi omneis, & Clerici, & quicquid hominum ſacrorum in Monaſterijs erat, circummiſſis ab Medicaeo edictis admonebantur, vt in ſuo quique templo populos docerent adorare Numen ob eam rem quae diuino beneficio tam proſpere ſucceſſiſſet. Tanta erat, vel pietas & religio Medicaei in media curarum aliarum turbulentia, vel confuſio miſeriaque temporum, vt profanus homo Clericis talia imperitaret. Edicta autem ea, ab alijs ob metum cum reuerentia obſequioque accipiebantur, apud alios irrita erant; & ille, vel quia non intelligeret adſpernandi cauſas, vel quia nollet intelligere, tamquam in contumaces ſeuere animaduertebat. Quoſdam & terruiſſe contentus intactos dimiſit; referamque id, quod puero mihi contigit vt narrari audirem ab montium noſtrum antiquiſſimo homine, qui ſpectaculo ſe adfuiſſe aiebat. Spatiabatur ad Montemacutum tempore matutino Medicaeus in area, quae ibi ſubiecta arci & aedibus tunc fuit; nunc arbuſta & vites ocqupauere locum. Precantis more roſarium tenens, globulos illos, vti fit, per interualla tranſmittebat, & fortaſſe preces erant. Interea lictores adducunt, ſiſtuntq; ei presbyteros duos, qui ſpreuiſſe edicta, neq; ſupplicationes indictas obire voluiſſe dicebantur. Steterant attoniti in conſpectu Principis, cumq; ille protinus afferri ſecurriculam

iuſ-

iuſſiſſet, perfuſi necis horrore conabantur vtique dicere & excuſare nonnihil. Mox, allata ſecuri, innuit ei, qui attulerat, vt ramum illum quendam proſpectui officientem amputaret; dixitq; presbyteris; abirent aſſueſcerentq; obedire. Ceterùm, tam propere, tamq; feliciter capti Vultureni erant, vt miraculi prope loco haberetur, quòd in magna hoſtium caede victor, duos tantummodo e militibus ſuis, lixam verò vnum amiſiſſet. Conſtiterat deinde exercitus ad Morbenium, & maiores quotidie copias ſubmittente Medicaeo, Gabriel idem à fratre antea miſſus pergebat conſtituere Vallis imperium, iſq; Traonam, & Clauennam, & Tiranum, intra paucos dies capta habebat eadem felicitate, qua principio Morbenium ipſum cepiſſet. Tunc Medicaeus, aucto ad fortunae magnitudinem animo, non dubitauit etiam legationibus de re geſta mittendis imitari principum morem, & ea, quae auſpicijs ſuis, fratris ductu geſta in Vulturenis eſſent, demonſtrauit Pontifici maximo per Auguſtum e fratribus tertio loco natum, qui Romae agebat; Caeſari per Carraciolum Protonotariũ; Senatui Veneto per Leonem Arigonum; principibus Regibusue alijs per nuntios alios, perque literas, quarum exempla vidimus. At apud Sfortiam, interprete Bentiuolo, ſimulabat, communis vtilitatis cauſa ſeſe expeditionem eam ſumpſiſſe in Vulturenos, & noua illa conquiſitione contentum remiſſurum pleraque de conditionibus, & pacem quocunque modo vellet ille, conuenturam. Viciſſim ab Sfortia ſimulaba-

labatur; quòd regione ea Rhæti depellerentur, gratum ſibi laetumq; eſse; namq; fuiſse Mediolani Ducum olim, nec debere vltra barbaris relinqui. Talia inuicem finxerant iactarantque mutuo infenſi, interimq; Sfortia diligentiſsime Caeſarem monuerat, de ſubita impreſsione Medicaei in Vulturenos, & quid negotij foret, ſi ille ibi figeret pedem. Inde cuncta ſtatim infeſta Medicaeo; ſubducti Hiſpani, quos in exercitu habebat, denuntiatumq; Sittico pro hoſte ipſnm fore, niſi dimitteret legionem, quam illius nomine conſcripſiſſet, ipſeque maneret domi. Cùm tot repente pericula Medicæum exterruiſſent; hinc digrediens quotidie Caeſaris iuſſu miles, hinc ſubtracta Germanica legio; ſimul inſtans ab tergo Sfortia ruptis inducijs, & maiore numero defluentes è montibus Rhaeti, pretium ei fuit reuocare Gabrielem ex Vulturenis, militesq. qui cum eo erant, ne repente ibi opprimerentur. Omiſſis ita Vulturenis, bellum deinde aliquam diù gerebatur inter Sfortiam, & Medicaeũ æquo prope marte non ſine admiratione hominum & fremitu, quia Dux Mediolani tanti terroris nomen etiam inter magnos antea Principes aduerſus exſulem nunc vnum, habere delectus, & emittere cogeretur ab vrbe agmina tamquam aduerſus irrumpentes nouo agmine Gallos, vel certe tamquam iuncta rurſus hoſtium etiam aliorum arma Metropoli imminerent. Pugnatum eſt claſſe primùm in Lario lacu; eoque praelio ſuperior Medicaeus fuit: Sforciani ſuperſtites concitatis in fugam nauibus ad

Gra-

Grauedonam appulere. Ibi aſsumpta Rhaetorum manu, cuncta fere, quae Medicaeus circa lacuſtrem eam oram tenebat, inuaſerunt, validoque præſidio muniere Belaſium, quo nomine collis in promontorij faciem, medio fere ſpatio Leucum inter & Muſſum, imminet lacui, quà flectunt ſeſe vndae Nouocomum verſus. Geſta nauibus haec, praebente lacu aequoris vicem ſpatiaque claſſi, & fluctus, & quicquid etiam in pelago exiſtere ſaeuum atque atrox poteſt. At in Briantaeis terreſtri dimicatione, non minus caſuum, & periculorum, & caedis in vtraque parte fuit. Summa rerum ad Montemacutum conſtiterat exiſtimante Sfortia nequicquam in Larij vel Abduae ora res proſpere geſtas fore, ſi arce ab illa Medicaeus, hinc Orobios, hinc Briantaeos teneret. Itaque miſso illuc exercitu, obſeſsa, & oppugnata, deinde capta eſt, quomodo pertinaciſſimas olim gentes, poſt omnia, quae pati poteſt humanum corpus, ceſſiſse demum neceſſitati litterae veterum prodidere; ibique ciuium Mediolanenſium, quiue ſecuti Medicaeum propugnabant arcem, quiue ab Sfortia miſſi perrumpere illa rebellium munimenta nitebantur, enituit prope ad miraculum, & cum horrore ſpectata eſt, ſiue virtus, ſiue quaedam ex virtute rabies. Criminalem quendam Medicaei ſigniferum ferunt, cùm ipſius frater ad cuſtodiam defenſionemque propugnaculi vnius appoſitus ex vulnere cecidiſset; eoque caſu perterriti ceteri ſegnius iam repellerent ſcandere niten-

rem munimenta illa hoſtem, conſpecto diſcrimine proſilijſſe illuc, & arrepto mortui fratris crure, proieciſſe cadauer e muro, ne triſtis ea ſpecies auerteet à pugna animos, & ipſum deinde pugnaſſe vi tanta, truces vndique circumferentem oculos, vt Sfortiani plerique adſpectum ferre non poſſent. Idem poſtea captus perductusq. Mediolanum, adeò commouerat animos admiratione virtutis, vt ingentium rerum promiſſa adhiberentur ei, ſi in Sfortiae militare caſtris, & fidus eſſe Principi vellet. Abnuentem dimitti iuſſit Sfortia, virtutem etiam in rebelli & transfuga admiratus. Crediderat enim Ioanni Baptiſtæ Speciano præfecto rerum capitalium, qui ſpectatorē ſe fuiſſe aiebat tunc cùm debilitatis commilitonum animis praeſidioq. labante ob centurionis necem, inſiliens ille in muros, contemptor fraterni ſenſus in praelij diſcrimine, contemptor vitae capitiſq. ſui, proijceret in medios hoſtes corpus exangue fratris idque ſtrage hoſtium ſepeliret, & vndique incidentibus in ipſum telis pertinaciſſime tueretur locum, donec eo capto, propugnaculum ſimul locusque ille caperetur. Ob tantum animi robur, & quia pertinaci in Medicæum ſuum fide maius conſtantiæ ſpecimen dederat, eſt dimiſſus. In Sforciæ exercitu penè par huic Franciſcus Bernardinus Petraſancta celebrabatur. Eum quoq; corpore vno multas æquantem hoſtium manus, & erexiſſe vexilla in muros, & deieciſſe qui propugnabant, & ſcandere conantes alios manibus alleuaſſe ſuis aiebant. Mentem acutum per dies

aliquot

aliquot oppugnatum ita atq; obſeſſum nocturno egreſſu deſeruere incluſi conſpecto pridie ſigno, quod Medicaeus ex obiecti montis vertice ſublaturum ſeſe docuerat cùm diſcedi inde vellet. Eo nunc edito ſigno, deſperata defenſione Mõtis acuti vocauerat ſuos ad cetera tuenda, Muſſum nempe & Leucum, & ſi qua alia ex Lario lacu, vel ex Abdua flumine ſpes maneret. Collatis in eam partem viribus, & reparata claſse dum ab Muſſo Leucum nauigant, obuiae circa Mandellum Sfortianorum naues fuere, protinuſque dimicatum. In ea pugna Gabriel Medicaei frater cecidit, quo luctu ad deſperationem ille ferme eſt prolapſus. Iuuenis erat annorum xx11. eximia corporis ſpecie, ſed indole animi, omnique bellica arte longe praeſtantior; negligentiâq; ſui male cinctam illam, ideoq; terribilem adoleſcentiam Caeſaris referebat. Aperto pectore, nudus crura, capite intecto, vili paruoq. cibo contentus; ſed quoties expedierat, in Germanorum praecipue conuiuijs effuſiſſimus citrà noxam deformitatemq; potator, & pecuniarum idem ad belli vſum accumulator occultus, quarum latebras moriens vltimis vocibus indicauit. Huic dum ducitur funus, annuère hoſtes, vt induciae eſſent, corpusq; in D. Iacobi Aedem quae ſupra Leucum eſt, militari põpa delatum; atque mortualem eam cèremoniã quieti Sfortiani ſpectauere e caſtris ſuis, & indoluiſſe multos conſtabat. Adeò grata fama iuuenis eius etiam apud hoſtes fuit. Templum poſtea ipſum, in quo ſitus ille fuerat, fratris expians manes Pius IV. auxit

Yyyyyy 2 donis,

donis, quae ad ſalutem animorum fructumq; vitae alterius indulgere maxima & ampliſſima mos eſt Apoſtolicæ Sedi. Medicaeus, vbi fratri dederat inferias, magno inſuper aliquo Sfortianorum damno, ſanguineq; hoſtili parentare eidem volens ſimul, & obſidione eximere Leucenſes, nocte, quam ſacer Virgini Martyriq; Barbarae dies ſequebatur, aſſumptis è ſuorum numero nonaginta duobus, quorum virtuti maxime confidebat, monitiſque eis, vt alba tegmina ſinguli, pallio ſuperiniecto atro aſſumerent, inuocata Martyris ope, cuius peruigilio rem geſturus erat, feliciter hoſtium munimenta tranſgreſſus, alios ſomno demerſos obtruncat, ſemiſopitos attonitoſque alios, & aegre molienteis arma proſternit ipſe interim cum ſua palliata acie intactus. Stricto deinde ferro ſicuti ibat, per media hoſtium caſtra ſibi aperiens viam, peruenit in Tribuni militum tentorium, ibique hominem reperit agentem impudice noctem eam ob amorem agreſtis feminae, quam viro abductam trahebat ſecum habebatque coniugali licentia. Exterruit tumultuoſo ingreſſu tribunum ſimul & ſcortum, cùmque verbis increpans inſuper adieciſſet; ſiccine Sfortiae negotium geritur? iniecit vincla Tribuno captiuumque abduxit. Alexander quidam is erat Mantuanus, qui magno poſtea pretio redemptus à ſuis, ob dedecus abijt domum, neque Mediolani amplius fuit. Sic nocte illa Medicaeus parentauerat fratri, ſolueratque prope obſidionem, & pa-

ri deinde per dies aliquot fortuna fere potiebatur iterum lacu. Gabrielis Cerbelloni virtutem inter eas expeditiones plurimum enituiſſe ferunt, cùm penè puer adhuc ille eſſet. Affine genus ei cum Medicaeo, atque propinquus ab materna origine ſanguis erat; & vtriuſque fortunae ſocius conſobrino iſte, alumnuſque eius in re militari,debuit etiam eidem ad famam praeconiumq; virtutis harum literarum teſtificatione coniungi. Fugerat vnà cum eo Gallicas indignitates,miſeriaſq; vrbis, & ipſam deformatā tam captiuitate vrbem.Vnà carus acceptuſque Principi, rebellis & fugitiuus vnà, calamitatum expeditionumque omnium comes; & ſimul atque per aetatem potens armorum eſſe coeperat, nihil ſine eo Medicaeus geſſit. Secutis poſteà temporibus, cùm regente Vrbem Vaſthio Medicaeus ob ſuſpiciones exortas in Iouis arce detineretur, penetrauit illuc alieno habitu, cuſtodibus eluſis, & ſalutis viam conſobrino oſtendit. Rurſus,poſtquam, mutata in melius fortuna, blandimenta in Medicaeum omnia ab Hiſpano regnante conquirebantur; particeps item eius mutatae ſortis fuit; ac viciſſim ipſe, quacunqne in parte Hiſpana arma eſſent, ceu praeſidium aliquod ſingulare expetitus, praefuit militiae muneribus, quae illa regnantium natio relinquere apud Italum hominem poſſet. Tunetanum quoque Regnum pro Rege adminiſtrare iuſſus, & tota mox ingruente barbaria circumuentus, luit captiuitate illa, tamquam flagitium inter

Hi-

Hiſpanos, quia imperitare auſus fuiſſet. Sed vir tantus, & tanta fortunae varietate conflictatus, in aetatis rudimento hoc tempore erat ea apud conſobrinum opinione prudentiae, vt quotieſcunq; grauius aliquod diſcrimen aditurus iſte eſſet, relinqueret ei obſignata conſilia & mandata, quid geri tentarique oporteret ſi caſu fortè aliquo ipſe fuiſſet interceptus; atque nocte praeſertim illa cùm plena hoſtium caſtra numero exiguo aggrederetur, docuerat ſecreto colloquio adoleſcentem, quam inſiſtere deberet ſpei ſalutiſq; viam, ſi capi, vel perire ipſum contigiſſet. Ceterùm, poſt eius nocturnae irruptionis euentum, poſt alia etiam proſpere à Medicaeo geſta, poſt amiſſi fratris cladem, Epiſcopus ille Vercellenſis, quem à Sabaudiae Duce legatum in vrbem de pace veniſſe memoraui, proſpiciens, hinc labantem Sfortiae vitam, imbellemq; animum, & apud eum aptiora cuncta paci quàm bello, hinc apud Medicaeum res incertas & in lubrico fortunam, & fractos Gabrielis nece ſpiritus, funeſtamque domum, ſperauerat in ea rerum & animorum inclinatione rem ipſam poſſe confici cuius cauſa miſſus ipſe eſſet; neque ſpes eum fefelit. Repetita actione, & iactatis iterum conditionibus, pax denique conuenit inter Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem, & Iacobum Medicaeum gladiatorem primò, deinde exſulem, poſtremò, hoſtem ac prope debellatorem, Principis ſui, & facta pace, poſt illius mortem in nouo dominatu fidum Regi & carum.

Sum-

Summa conditionum hæc fuit adductis ad æquitatem capitibus, quæ Medicaeum antea prope æquando fortunae Principis, vt iniqua & indecora offenderant animos remq; turbarant. Nunc erant honeſtiora omnia, diſcrimenque agnoſcebatur inter eum qui veniam dabat, & eum, cui venia fuerat opus. Omitteret Medicaeus cuncta quae occupaſſet, Muſſum & Leucum, loca alia omnia, terras omneis; inſtrumenta quoque belli, tormenta, naues, ſulphurei pulueris copiam, pilas, & quicquid frumenti ſiue ſalis haberet. Perſolueret Sforcia Medicæo quadraginta millia nummûm aureorum, mille annuos aſſignaret: Meliniani Demarchum appellaret, ipſum poſteroſq; eius: fratribus Medicaeis, & omnibus, qui partes ſecuti eas fuiſſent, reditus in patriam daretur, venia obliuioque præteritorum eſſet. Haec ita conuenerant. Sed maluit Medicaeus relictâ patriâ conferre ſeſe ad SabaudiæDucem, quàm in eius imperio viuere cui rebellis fuiſſet; abijtque cum fratribus ſuis, datis etiam ab Sforcia militibus, qui ad extremos vſq. prouinciæ fines praeſidio ſimul & ornamento eſſent. Sfortia deinde ipſe moritur facto teſtamento, quo Caeſari legabat imperium; & miſſa in regiam legatione Mediolanenſes, ſeſe vrbemque ei, & ſua omnia illico permiſere petentes ſimul vt quanta fide & alacritate ipſi venirent in ditionem imperiumq. eius, tanta clementia, & benignitate Regum maximus ciuitatem populumq; & Eccleſiam Italiae maximam ſuſcipere ac tueri ſemper vellet. Principes legationis fuere, Maximilianus Stampa, & Philippus

Ar-

Archintus, de quo poſtea Archiepiſcopo Vrbis alibi dictum eſt, ceteraque de irrito eius Pontificatu, poſtea, ſicuti ſucceſſere, tradentur. Tam gratae, & rebus opportunae ſuis legationi reſpondit Caeſar omnia, quae renuntiata Mediolanum gratiſſima eſſe ciuibus poſſent. Agnoſcere ſe Mediolanenſium ſuorum obſequium & plenam fidei voluntatem; agnoſcere quòd temporum culpa accidiſſent quęcunq; eſſent vitio data ciuitati generoſae, populoque nobili & graui. Quoniam ea ſua opinio de Metropoli eſſet, re etiam ipſa effecturum, vt omneis intelligerent, nullã in imperio ſuo gentem eſſe, quam in pretio & caritate maiore haberet. Eius ſuæ voluntatis animique pignus id referrent domum, quòd omneis magiſtratus, omnia iura, quæ Mediolanenſes antiquitus tenuiſſent, tenere etiam impoſterũ iuberet, formamque & leges manere ciuitati, quibus legibus fundata olim per tot ſaecula florens incolumisque ſtetiſſet. Haec in commune legatis reſponderat Caeſar; Archinto deinde ſeparatim dixit, velle ſe opera eius vti; proinde ex aula ne diſcederet. Simul conſiliarium ſuum eũ creat: muneri tituloque huic conuenientem & decorum in aula locum aſſignat. Fuit deinde apud Caeſarem in eo munere Archintus, donec Pauli III. Pontificatu de re maxima & grauiſſima miſſus Romã & Pontifici illi probatus, inuitatione hortatuq; eius ad Eccleſiaſticam vitam adiecit animum; idque principium ei honorum fuit, vnde per gradus ad Patriae Pontificatũ peruenturus erat, vt in honoris denique eius aditu

prope

prope exul cum ciuium dolore extingueretur. Nunc fauſta ei ſecundaque cuncta erant; flagrans apud Caeſarem gratia: ſpes Mediolani de ipſo ingens: apud Pontificem Maximum cognitae virtuti dexteritatique honos: quodque maximum omnium fuit; in Caeſaris aula, inter Hiſpanos, homini Mediolanenſi, nulla interim maleuolentia, quæ praeſenti, vel abſenti, palam, ſiue occulte noceret. Id namq; demonſtrauere Caeſaris teſtimonia de ipſo; & inuitus ab ſe hominem dimiſit, ne Pontifici negaret, cuius demerendi occaſiones omneis tunc vltro etiam conquirerentur. Peracta Romana ea legatione, cùm Archintus reditum ad Caeſarem pararet, appellat eum benigne Pontifex *Paulus*, quod bona Caeſaris venia facere queat, vt Romae eſſe deinceps velit, ac ſperare ibi praemia, quae virtuti nunquã defuerint apud Apoſtolicam Sedem; honeſte ſentire ſe de eo, nec dubitare quin ipſius opera publicis Eccleſiae rebus vtilis eſſe poſſit. Ille præfatus pauca de eo quanti tale de ſe iudicium Pontificis faceret, excuſata Caeſaris maieſtate, dimittitur in praeſentia quidem & Caeſari impigre nauare operam iubetur. Sed paulò poſt, dum renuntiata legatione, alia deinceps, atque alia Caeſaris mandata exſequitur, adfuere Pontificis literae, quę Apoſtolicae Sedi hominem concedi eum poſtulabant, litterisq; eis acceptis Caeſar hactenus dubitauit, vt Archinti voluntatẽ ſuper ea re exquireret. Poſtquam is nihil arbitrij ſui eſſe, nutuſque heriles fore ſibi pro imperio ſimul & pro voluntate aiebat, hortatio Caeſaris eſt inſecuta, Romam vti proficiſceretur;

Zzzzzz ſic

ſic Pontifici Maximo placitum eſſe; eius authoritate ſe quoque commotum annuiſſe, vt viro egregio fidoque miniſtro careret. Ab eo colloquio Archintus Romanae profectioni ſeſe accingebat. Sed antequam ex aula abiret, retulit ad Caeſarem in ſupremo concilio, ſanctioreq; Senatu de lite Montisferrati, quae per eos dies magnis agitata contentionibus, & ad bellum prope deducta, Caeſaris arbitrio componebatur; iſque Archinto mandauerat, vt cognitis cauſae momentis, rei ſtatũ & ſententiam ſuam exponeret, quò promptius aequa, & iniqua diſcernerentur. Cùm enim Bonifacius Montisferrati Marchio, & Ioannes Georgius eius patruus, ille lapſu & conſternatione equi, hic morbo abſumptus, vterque ſine vlla liberûm ſtirpe deceſsiſſent; treis ſimul exorti, Sabaudus, & Mantuanus, & Salutienſis hereditatem adire volebant eam; & ſua iura ſingulis erant, ſingulos armabat ſpes & fiducia praeſidij alieni, cùm inſtinctu & fauore potentiorum vnuſquiſque niteretur. De ea controuerſia expoſuit Archintus apud Caeſarem & Selectos, quicquid inſpecto ſucceſſionum & gentilitatis iure, originibuſque examinatis, ad iudicij eius aequitatem pertinere ſtatuiſſet. Romam deinde proficiſcitur, & parato ſtatim ad ſacros honores aditu, Protonotarium Apoſtolicum Pontifex Maximus eum creat, non ex centummillibus illis, qui pretio definito paruoq; aere nulli denegata vocabula emunt, ſed ex nobilioribus inclytisque ſeptem, qui iam inde à Clemente Primo, ſcribendis Martyrum caſibus inſtituti, in tantam poſtea digna-

tionem

tionem permenere, vt Epiſcoporum dignitati anteſtarent, donec à Pontifice Pio, modus imponeretur. Manſit tamen honos vetuſtae origini, & ampla emolumenta titulum ſequuntur, ac patrum noſtrorum memoria Pius IV. cùm D. Carolum ſororis filium admouere ſibi & ſummis Eccleſiae rebus vellet, initia tantae ſpei ab rudimento hoc ſumpſit Protonotariumq; creauit eum vnum e ſeptem. In eundem nunc ordinem numerumque Archintus ipſo *Pontificiæ* familiaritatis initio aſcitus, per veſtigia illa D. Caroli ad Patriae Pontificatum ingrediebatur. Paulò poſtea, Praefectus Vrbis ab eodem Pontifice eſt factus; eamque præfecturam ita geſſit, vt ſeueritatis, & innocentiae eius pleraque exempla magiſtratum eundem inituri perhorreſcerent, donec, ſicuti cetera mortalium, ex fama prædicationeq; communi exoleuere. Sed & come ei inter facetos humanae vitae caſus fuiſſe ingenium memorant; atque inter cetera tale quiddam narratur ex Romana illa pręfectura litteris mandatum ab ijs, quibus cuſtodire iſta curae fuit. Peregrini duo homines in vrbe, Hiſpanus quidem alter, alter vero Germanus, cùm eidem mulieri aſſueuiſſent, eaque neutrius fortaſſe ſatu peperiſſet, quod natum erat, ambo vindicabant ſibi, & eius incertae prolis vterque dici ſe ſe parentem volebat. Cùm cedere inuicem nollent, ad præfectum Vrbis in ius iere, vt alterutri partum ille adiudicaret. Archintus ſcorto interrogato, menſibusq; computatis, nihil tamen ad eius iudicij veritatem aliquandiu extricabat. Demum circa patriã eorum, qui prolem ſibi eam aſſerere vellent,

callide philoſophatus, rationem inijt, qua naturam quodammodo ipſam interrogaret. Relictus ob eam litem in materno tecto infans iam pede certo ſignabat humum, poteratque voces & nutus intelligere quoſdam elementa quotidiani ſermonis. Hunc in conſpectum ſuum produci iubet. Vbi adfuit, mandat dari ſalſamenta nonnulla puerulo, atque ſic irritata ſiti, pocula duo admouentur, vt tam ex vini, quàm ex aquae capedine bibere poſſet. Ille, contracto ad Bacchi liquores vultu, vinumq; adſpernatus auide lambebat aquam. Tunc verò Germanus (aderat enim vterque litigator) ſublato incondito clamore negat vltro ſuam eſſe prolem, atque is controuerſiae exitus fuit. Seueriore mox alia ſubtilitate nobilitata eſt praefectura illa Archinti, de qua item, ſicuti accepi, referam. Iuuat enim memorare iſta, vt quoniam erepto nobis per hominum iniurias interceptoq; tali Pontifice, fructus ſimul animi ingenijq. eius periere vrbi Eccleſiaeq; huic; quales futuri fuerint ſaltem ex anteacta ipſius vita rebuſq; apud alios geſtis, notitia aliqua extet. Vir princeps Romae teſtamentum in haec verba fecerat. Ex duobus gentilibus meis, Lucio & Caio, vter eorum maior natu erit, mihi ex aſſe heres eſto. Cùm autem eſſent iſti Lucius & Caius eodem die nati, alter quidem Viennae in Germania, alter verò Cordubae in Hiſpania; inde lites, & vt in magna hereditate, tota cauſidicorum rabularumq; turba occupata concurſationibus, & iurgijs, & quaeſtu; principeſq; ipſi vrbis, ſtudio & fauore in

hunc

hunc aut illum rabulis & cauſidicis tumultuoſe immiſcebantur; neque contentioni finis erat. Archintus, vti totam Mathematicorum artem iam inde ab adoleſcentia egregie percalluerat, ab ſcientia ſtudioque illo petijt argumenta dijudicandae liti, quam nulla Iuriſperitorum reſponſa dijudicare potuiſſent. Inſpecta namque poſitione celiplagarum exortiuoque puncto, qua in parte ſol prius oriretur, in ea natum hominem, maiorem eſſe natu demonſtrauit, quàm qui eodem die in parte altera natus diei lumen poſterior vſurpaſſet. Subtilis & vera ratio viſa iudicibus eſt, atque teſtatoris voluntati ita ſatisfactum. Creſcente deinde quotidie magis fama Archinti huius, Sacerdotijs amplis ornauit eum Pontifex Maximus & S. Sepulchri in Etruria Epiſcopum fecit; nec ideo tamen ex vrbe dimittebatur; credo, quia magnis Eccleſiæ negotijs fieret, magniſq; neceſſitatibus, vt nota iam prudentia viri magnaeq; virtutes honeſtandae ſimul & retinendae in aula eſſent. Ad conſilia negotiaq; omnia adhibebatur, & grauiſſimi cuiuſque conſilij author ipſe erat. Is Pontifici ſuaſit, vt Carolum Caeſarem & Regem Franciſcum Nicaeam ad ſpem pacis exciret: cum Pontifice illuc eſt profectus; atque in agitanda ibi pace, tum ab Regibus ad Pontificem, tum à Pontifice ad reges commeaſſe quotidie Archintum conſtat. Vt vero ab irrita illa actione Nicaenoq; congreſſu reditum eſt Romam, Camerinatenſi expeditione legatus exercitui datus, ſapientia & authoritate recepit vrbem maiore gloria quàm ſi

acie

àcie dimicatum foret. Tum Vicàrius Pontificis creatur, & pro Eccleſia priore quam obtinuerat, Salutienſem ampliorem adeptus, id quoque quo nihil dare Pontifices auguſtius poſſunt, accepturus erat, niſi Paulum vita repente deſtituiſſet. Ab Iulio III. ſucceſſore Pauli miſſus Venetias Archintus, quomodo ex ea legatione ad Mediolanenſis Eccleſiae Pontificatum arcitus fuerit, poſtea demonſtrabo. Nunc hoſce Archinti progreſſus interiectis alijs Patriae caſibus temporibuſq; diſiunctos coniunxi vno narrationis tractu, vt expeditiora mihi ad narrandum cuncta eſſent, quae Mediolani euenere, poſtquam, Sfortia mortuo, Carolus Caeſar imperium vrbis tenuerat. Namque ad primos de Sfortiae obitu nuntios ſimul & rumores, ſicuti Caeſar inuadendae vrbi erexerat ſua ſponte animum, & àccepta dein Mediolanenſium ipſorum legatione, tantò promptius incubuerat in eam rem adieratque poſſeſſionem imperij huius: ita Regem Franciſcum Galloſque proceres, vetus & toties infelix, & nunquam ſatis punita libido lymphauerat ea ſpe, cuius temeritatem, Italiae terris abominata gens, & cladibus ſemper, & ignominijs luiſſet. Itaque ſtimulis nunc acti ijſdem, aggrediendam eſſe Metropolim fremebant. Actum tamen cum modeſtia & ratione nonnihil, miſſoque Mediolanum caduceatore Rex Franciſcus, dedi ſibi vrbem poſtulauit antequam ab domo exercitum moueret. Verùm, vbi Senatus populuſq; Mediolanenſis, contempta poſtulati eius leuitate, Auſtriaca vexilla Caeſariſq; nomen locis omnibus

at-

attollebant, & eo imperio laeta ciuitas, quaſi libertatem adepta geſtiebat; rei eius inuidiâ frementes in Hiſpanum Galli rurſus armantur; bellumque nouum inde exortum eſt, quod per vigintiquinque annos varia fortuna exercuit Reges, ducenta millia mortalium abſumpſit, maria terraſque infecit caedibus, & vrbem, de qua dimicabatur, intactam reliquit. Non enim fuerat animus & audacia Gallis, per veſtigia cruenta maiorum ſuorum tendere in Inſubres; ſed omiſſa Metropoli, campiſque circa eam, qui ſepulcra ſemper ſuae gentis fuiſſent, incurſauere Subalpinos, quia Dux ille Caeſaris ſororem in matrimonio haberet, eiuſque praeſidio niteretur, lædi ſic oppugnarique Caeſarem exiſtimantes, & Metropolitano quoque bello viam tutius ita aperiri. Caeſar viciſſim cum infeſto exercitu tranſgreſſus eſt in Galliam; atq; vt ad id bellum vteretur terrae eius milite, quae cauſa belli erat, aſciuit legiones ex agro Mediolanenſi; primoreſq; vrbis & ex reliqua nobilitate clariſſimum quemque militiâ, duces eſſe legionibus, ac ſecum ire voluit, ſiue vt obſides publicae fidei illos haberet, ſiue vt ſpectatam iam ſatis cognitamq; fidem ea viciſſim animi ſui ſignificatione complecteretur. In eo Gallico bello Antonius Leua moritur abſumptus moerore ob rem ibi male geſtam, eiuſque corpus, amici, quibus ipſe mandauerat, deportauere Mediolanum, & in D. Dionyſii Aede, quam ab eo extructam fuiſſe diximus, ſplendide ſepelierunt. Imperium atque poteſtatem, quam ille Mediolani habuerat,

rat, diuidi melius viſum; diuiſaque eſt ita, vt exercitus, & arma, & res tota militaris Alphonſo Daualo, quem Vaſthium dixere, traderetur; vrbis & prouinciæ gubernacula penes Carraciolum Cardinalem eſſent. Carraciolus hic ille erat, qui ſub Protonotarij nomine fidus Caeſari ſaepe etiam antea in parte rerum & hiſtoriae huius fuit. Nunc Caeſaris commendatione ac beneficio ſacrum latum clauum adeptus, atque ob id beneficium auctâ apud dignitatis & fortunae ſuae authorẽ gratiâ, idoneus habitus erat, cui nouae prouincię ſecuritas & magnitudo in tanto rerum diſcrimine niteretur. Primam Caeſari coronam ad Aquas Grani impoſuerat: legationes obierat; & à Paulo III. fuerat in Patres, Caeſare, ſicut dixi, producente cooptatus. Ita de eo perhibet ad dextram Templi maximi partem iuxta ſacrarium tabula ſubiecta, vel potius inſita monumento, quod poſuit Cardinali Ioannes Baptiſta frater ex atro marmore, cuius fulgor, atque coagmentatio, naturae illud, hoc artis opus, detinet elegantia, & maieſtate homines etiam, vel ſpectandi tantùm cauſa ingreſſos templum, vel iam operum ibi aliorum admiratione ſatiatos. Non enim tumulus ille res eſt vnà, quae alliciat oculos; ſed ſaxa ſpeculi vicem præbent: color micat ater: & prope inaedificatum parieti templum aliud cernitur, vt contrariorum quaſi miſtura poſſit eſſe ſpectaculo, ſi nihil aliud in artificij magnitudine ſpectabile admirandumue eſſet. Tum verò intentum operis deſcriptioni artificioq; ſpectatorem gloria ſtatuarum auertit. Hinc parens vrbis Ambroſius,

hinc

hinc Hieronymus ſtant iuxta defunctum velut argumẽto literararum, & ſacrae doctrinae, quæ Cardinalem deceret: ſuperne principes Apoſtolorum velut Eccleſię propugnatori praeſidium viciſſim opemq; pollicentur; ipſe protenſo ſupra cenotaphium corpore, in abolla & infula cubito leuat caput ad inſtar fere dormitantis. Haec ex candido marmore ſimulacra moles illa nigra & funeſta attollit, quæ intuentes eruditi, cetera parum mirantur, & vnum iſtud quaerunt; quomodo potuerit pecunia artifices inuenire tam praeclaros. Sed me prope pudet admiratum eſſe iſta, quaſi putreſcere cum pompa, & faſtu, glorioſam eſſe rem & hiſtoria dignam putarim. Carraciolo hoc tenente vrbem, Vaſthio rem militarem adminiſtrante, Medicaeus vnà cum fratre ſuo Ioanne Baptiſta, Mediolanum redierat, velut in nouo imperio, ſpem gratiamq; nouam ibi ſua in patria libere ſecuturus; & rediens in Hiſpaniam Caeſar, benigne ipſum allocutus eſſe ferebatur. Agitaſſetne adhuc ille turbulenta aliqua conſilia, rebuſq; nouis impatiens aequi ſtuduiſſet, an verò, quietum iam, experiendoq; fatigatum, aliena inquietudo, malitiaue, & liuor, & falſæ fortaſſe ſuſpiciones in periculum adduxerint, incertum fuit. Vaſthius certe perniciem ei machinabatur, & hominis abſq; tumultu comprehendendi rationem inierat hanc, ſi deliquerat ille, ſolertem & grauem, ſi immerito circumueniebatur, indignam atq; perfidioſam. Natalitia Chriſti aderant, quorum dierum gratulatione mittunt inuicem xenia ciues, mutuoq; inuitatu ex hilarantur. Vaſthius iam antea communicatis cum Car-

dinale gubernante ſuſpicionibus de Medicæo ſuis, ita cum eo compoſuit rem, vt ipſo Protomartyris die, ſeq; & Medicæos fratres, & aliam praeterea amicorum manum in Aulam ille inuitaret. Poſſe ita ſub veſperam conuiuio egredientes, circum fuſa repente Praetoria cohorte comprehendi duciq; in arcem; factumq; ita eſt, & ſeſquianni deinde ſpatio Medicaei in vinculis fuere, donec interrogati & abſoluti, vadibus tamen datis Caeſaris iuſſu dimitterētur. Sunt autem dimiſſi multùm concurſante Protonotario, qui de fratrum capite ſolicitus, & apud Nicaeam Caeſari ſupplex abſtulit ab eo literas, quae Vaſthio redditae, fuere eis ſaluti, cùm alio quodam modo dimittere eos hic pararet. Sed & alij plurimum ſoliciti fuerant, ne Medicaeis capita detruncarentur; mirumq; videri potuit, quòd ad eripiendos periculo eos exarſere principum etiam ſtudia, quorum intererat ſanciri exempla aduerſus rebelles; & prope Hiſpanorum inter ipſos pugna erat, de puniendis Medicaeis, aut dimitendis. Aluarus Luna praefectus arcis, Mediolani apud Vaſthium; & Granuelanus in Hiſpania cauſam eorum mirifice egerunt. Simul ex Germania, Rex Romanorum, adiuuante Sittico deprecator fuit. Neque dedignatus eſt Florentiae Dux Alexander, cùm ſuper ea re litteras ad Vaſthium ſcriberet, conſanguineum ſuum appellare Medicaeum hunc, & gloriam inde petijſſe videbatur. Amici quidem & propinqui, periclitante Medicaeo, velut ſocij diſcriminis ita laborabant; ipſe verò nihil vnquam interea dixit niſi bellatore ſpiritu; nec vlla commendatio cuiuſquam, vl-

lumue

lumue teſtimonium perinde valuit ad innocentiae fidem, quàm contumacia ſilentiumque ipſius. Rupit quin etiam minaciter fere vocem aduerſus Vaſthium ipſum tunc cùm dimiſſus ex eius conſpectu abiret. Namque monente Vaſthio in digreſſu, vt honeſte deinceps integreq; ageret, honoratum ſe virum eſſe reſpondit, & ei qui aliter ſentiret, gladio probaturum. De captiuitate Medicaei fratrumque ita accepimus non tamen omittenda varietate, quae memoriam adeò recentem labefecit. Nam Gabrielem Cerbellonum eadem cõuiuali fraude circumuentum, & in eadem vincula abductum aliquis tradit: vult alius, eaq; ſententia verior eſt; non fuiſſe Gabrielem in arce captiuum; ſed vt antea memoraui, caritate deſiderioq; Conſobrinorum, deceptis cuſtodijs, conſilia fugae & artes ad eos introtuliſse repudiatas ipſis eodem ſpiritu, quo vincula crimenque contemnebant. Voluerant enim, aut mori illic, aut cum gloria famaque exire hac, ut falſi criminis inuidia onerati, & Caeſaris ſententia ipſius abſoluti fuiſse dicerentur. Ceterùm, cùm dimiſſi, vadimonio interpoſito eſsent, iam Cardinalis Carraciolus prouinciæ adminiſtrator diem ſuum obierat humili accepto tumulo, dum illa, quæ uiſitur hodie quæue dicta eſt, ſepulcri moles in templo maximo excitatur. Succeſſerat ei Vaſthius idem, qui militare antea imperium tenebat, & cùm in eo munere, nullus ei ſucceſsor à Cæſare mitteretur, exercitum ſimul prouinciamq; habebat, quæ ante Cardinalis obitum diuiſa inter duos fuere. Fuit Vaſthius moribus optimis, animo excelſo,

prodigus opum ſuarum, ſed minime rapax alieni, neque malam vllam prioris Dauali ſimilitudinem in eo reperires, cùm familia genusq; idem eſſet. Nec abfuere belli artes quaſcunq; ſeniori illi tribuit fama. Studioſus inſuper artium bonarum, & vbi quid perſuadere vellet, veterum ducum facundiae par habitus. Iam ſimplicitas ei tanta, candorq; animi tantus, vt Medicaeo ipſo, poſt captiuitatem de qua demonſtraui familiariſſime vteretur, & rebus deinde aduerſis ſolicitudines cum eo ſuas, velut cum amiciſſimo homine communicaret. Oblitum quippe putabat eum praeteritae ſuae calamitatis & periculi, perinde atque oblitus ipſe erat criminationum, quae non aliter quàm coniectis in vincula reis diſſolui potuiſſent, eòque neceſſitate & arte fuiſſet vſus. Sed Medicaeus alte condiderat animo memoriam eius facti, ridebatq; amarùm, tacitusq; & infenſus ex collocutionibus arripiebat illis omnia, quae pro crimine viciſſim obijcere aliquando ei apud Caeſarem poſſet; ac tanto plura ille quaſi apud amicum quotidie effundebat. His moribus, & hac innocentia magnitudineq; animi praeditus Vaſthius cùm ad prouinciae gubernacula admotus fuiſſet, cunctaq; Mediolanenſium ei vni obedirent, res etiam Eccleſiaſtica ſub tali principe tantum ſpiritus & incrementi recipiebat, quanta erant damna, quantuſue moeror ex diuturno Paſtoris deſiderio, qui per tot iam annos aſſidue absens tenebat Ambroſiana vectigalia & fundos; operam viciſſim Eccleſiae nullam impendebat. Mox etiam Vaſthium, res aduerſae ac turbulentae occupauere primò, deinde abdu-

xere,

x gre, moerore demum ſenioq; confectum eripuere Caeſari ſimul, & nobis, Eccleſiae pariter & ciuitati; eademque mala, non tam Vaſthij quàm ciuitatis & Eccleſiae huius fuere, penè vt ad priſtina calamitatum humanarum exempla redigeremur. Initium ortum ab Hiſpanis legionibus, quae apud Subalpinos oppoſitae Gallo, pro Caeſare ſimul & Sabaudiae Duce rem gerebant. Is miles, ob non perſoluta menſium aliquot ſtipendia, palam exſuerat obſequium; & praefectos, manipuli, vel centuriae quaeque ſuos adſpernatae, relictis caſtris, aliae ſtatim, aliae exemplum ſecutae, ſimul omneis ceu exercitus aliquis hoſtium, Metropoli circumfunduntur, & vaſtatis agris, qui circa vrbem ſunt, Vrbi ipſi minitabantur. Vaſthius, & promiſſis, & denuntiatione Caeſaris irarum, conatus mitigare vel compeſcere eos, vbi fruſtra eſſe cuncta, gliſcereq; in ſingula momenta ſeditionem videt, irruptionis metu armat ciues; in ſingulas vrbis regiones praeſidia ſtationesq; diſponit. Ipſe cum praetorijs cohortibus idoneaq; alia manu, campum iuxta D. Euſtorgij Aedem capit, vt ad omneis obire ſubitos motus queat. Ad Sanctae Crucis Aedem, vbi tecta tunc Humiliatorum fuere, conterminaq; Euſtorgianis regio eſt, ſtationem Cremonenſium habebat. Ibi in vicino, quà Turris Imperatoris dicitur, ſtatio alia Germanorum erat. Connexae ità & armatae cohortes ad nutum intentae ducis exſpectabant quàm mox ſignum daretur, vel erumpendi in rebelleis Hiſpanos, vel obuiam eundi per vrbis vias, ſi irrumpere illi auſi eſſent. Sed cùm Hiſpani contenti populatione agrorum,

rum, quacunque auocaſſet eos praedæ ſpes, vagarentur, neque vſpiam conſiſterent, & otioſa ideo ſtatiua miles vrbanus haberet, coepere, vt inter otioſos, & truces, & diuerſi generis, & vicinos, militares ioci primùm, dein iurgia contumeliaeq; verborum oriri; demum ad manus quoque deueniebatur. Germani interea, qui ad turrim Imperatoris poſiti erant, Cremonenſem fortè vnum longius ab ſuorum globo digreſſum interfecere. Cremonenſes viciſsim ab Sanctæ Crucis Aede vadunt agmine ad Turrim eam Imperatoris, ibiq; compotantes nacti Germanos, arripiunt ex temulenta illa ſtatione treis quatuorue, & quà tigillum, arbuſculaue fortè vna inuitarat, illic in vicino ſuſpendunt. Praelia inde quotidiana inter ipſos, & ex praelijs licentia in vrbem, vt armatae manus ad direptionem vſque ſacrarum rerum proterue graſſarentur. Id malum Vaſthius ſedauit alio malo, centummillia nummûm aureorum exhauſtae tot iniurijs ciuitati cùm imperaſſet. Angebantur ciues grauitate tributi; ſed metus ex rebellium incurſu, & damna defenſionis grauiora erant. Legiones, acceptâ pecuniâ quieuerunt & abiere quò poena ſeditionis eas manebat. *P*œnæ nunc miſeriæque omneis in populum Mediolanenſem expetebant; & miſſo ad Caeſarem Ioanne Baptiſta Archinto ſuper calamitatibus vrbis triſte reſponſum datum. Nolebant aulici vera eſſe quæ de legionum Hiſpanarum ſcelere ille attuliſset. Granuelanus praecipuè infeſtus fuiſse legationi, & Archintũ, vt liberius acerbiuſq; inuectum increpuiſse dicebatur. Deinde, nimis etiam modeſte peroratum eſse cognouerunt,

uerunt; & in legiones eas Romano more animaduerſum, decimi cuiuſq; ſupplicio, ſiue expoſitis apud deſertas inſulas plurimis, vt illuuie fameq; et miſerabili exitu ceteris exemplum præberent. Militaris ea ſeditio,caſusq; Vaſthio calamitatis initium fuit,ut poſt aliud deinde infortunium, ex magna florentiq. fortuna,inimicorum quaſi manu ad exitum uitae raperetur. Namque, cùm nullum ex ipſius uita crimen arripere poſſent, fortuita criminantes, alienaq; etiam flagitia uitio dantes ei, Caeſaris aures animumque implebant, unde diminuta gratia, et ex eo moeror, quem ferre non potuit. Ac Medicaeus inter ceteros toruo ſemper animo reuoluens ueteris offenſae memoriam ſeponebat accurate cuncta quæ ad inimicum euertendum poſſent uſui eſſe, ac minime Longobarda Mediolanenſiq. arte fingens amica uerba & uultum, inſtinctor et miniſter aduerſae factionis ipſe erat; acciderat que opportune ei ad exercenda odia in abſentem, ut Gandauenſium rebellionis cauſa tranſgreſſo in Belgium Caeſare illuc euocaretur. Caeſar inde compoſitis Gandauensium rebus, Genuam proficiſcens, ut inde in Africam traijceret, ex itinere uenit Mediolanum; pertinetq; tum ad Vrbis, tum ad Eccleſiæ gloriam, narrari, qua ille, et ciuium, et Cleri totius gratulatione acceptus Metropolim uiciſſim exhilarauerit, ac tantae maieſtatis adſpectu ex omnium animis tot præterita mala delerit. Per Tridentinas alpes in Veronenſem agrum deſcenderat, tanto ſtatim illuc principum Italorum concurſu, quanta magnitudo nominis eius, & quàm inſueta res Italiæ terris

Caeſar.

Caeſar. Vaſthius ad Dulcium uſque progreſsus bis mille et quingentos equites ab Mediolano eduxerat ſecum, omnesq; iuxta viam, quà intrandum Caeſari erat, diſpoſuerat ordine in ſubiectis pratis, vt ſicut exculti ad certamen ornatiq. ſtabant, ingredienti apparerent. Nobiliſsimi Mediolanenſium erant vnà cum ſtatiuis turmis, quae ad prouinciae praeſidium perpetuo aluntur; eorumque adſpectu laetus admodum Caeſar dixiſſe ferebatur, & equos, & equites dignos eſſe fama vrbis. Dimiſſo inde equitatu alio, qui ipſum ex Belgio ſecutus erat, itemque dimiſſis principibus & legatis, qui ad primos Italiae fines occurrerant, cum Octauio Farneſio genero ſuo, & Cardinale Mantuano pergebat venire Mediolanum verſus. Vrbs, tum copia artificum, tum ciuium ingenijs haud unquam ſecunda populo gentiue ulli, ad Caeſarem accipiendum exculta in hunc modum fuit. Statim ab Portae Romanae ingreſſu porta triumphalis attollebatur, adſtructo ad aſcenſum ponte, ſtatuis ab utroq; latere erectis, quae totidem ſubiectas Metropoli urbes referebant; & diſpoſitae eæ ſic fuerunt. Ad dexteram, in parte pontis ima, primoque aditu, Derthona ſtabat ferens humeris Apenninum, ſcilicet, quia ad montis radices poſita urbs ea ultima Inſubrú eſt. Hanc, ſicuti ceteras, baſis quadrata & lata ſuſtinebat: altitudo ſingulis decem cubitorum fuit: è gypſo erant, ſed auro ſuperinducto ſpargebant late fulgorem. In proxima baſi, diſcreta iuſto interuallo urbs Nouocomum praegrandi Larium ſuum fundebat vrnâ cum piſcium

pro-

prouentu quos lacus alit. Inde Ticinum vrbem inclytam ſtudijs litterarum, & amoenitate celi referebat ſtatua iucundi cris onuſta voluminibus. Metropolis ipſa iuxta arcum altiore loco, ceu propugnatrix, & Regina ceterarum, induta thoracem, altero calcans pede galeam, altera tenens manu claues vrbis, & ſceptrũ, & diadema coronando Caeſari, manu monſtrabat altera ſubiectas vrbes nouo ingredienti domino tamquam commendaret. Poſita hæc ſimulacra ad dexteram fuete in ſpondis, quae per totam pontis longitudinem ab vtroque latere praefixae cancellis excurrebant. Ad laeuam oppoſitae illis, Alexandria, & Nouaria, & Laus Põpeia, & Cremona ſtetere ſingulae ſuo habitu, qui cuiuſque diuitias, ingeniumue & originem indicaret. Turritum Cremonæ caput: Alexandriae tempora & frontẽ ſpicea corona cingebat: Laus Pompeia redimita pampineo ſerto tumentia vbera lacte oſtentabat: & Nouariam ara pateraeq; & acerrae, & ſacrificalis omnis apparatus decorabat, propterea quod ea Noua Ara antiquitus dicta eſt. Inter harum vrbium ſimulacra pons ducebat ad arcum, altitudine, & ornatu, arteq; operis parem ſuperbiae, & arti veterum Romanorum, qui adulatione erga Caeſares primi hæc inſtituère. Ipſo in arcu, coronides & emblemmata, foliaq; columnis, flores, cauliculi, volutae, ſuperiores inferioresq. tori, trochili, ſcotiæ, moduli plinthi, ſcamilli, ſupercilia, cymatia, acroteria, tympana, tranſtra, zophori, denticuli, aſtragali, capreoli, ſtriae, teniæ, guttæ, apophyges, echini, ſcapi, & quicquid aliud in eiuſmodi moli-

bus ad elegantiam ſiue maieſtatem priſci aut recentiores excogitauere. Quod inane & vacuum in ſubſtructione illâ, ornamenta haec relinquebant, id implebant ſimulacra victoriarum Caeſaris, expreſſa coloribus; vt Mauros, vt Indos ille ſubegiſſet; vt domuiſſet rebelles; vt Regem Franciſcum captiuum ſuum dimiſiſſet ab ſe, redonaſſetq; Regno. Arcus deinde alius fuit in pontis aditu, quo nauigabilis foſſa proximae turri iungitur. Ibi flumina, quae Prouinciam rigant, marinis aſſimilata Tritonibus, quae vera, quæue fabuloſa de origine & natura ipſorum tradita ſunt, ſicut vrbium etiã ſtatuae, praeferebant habitu; atq; non ingrata peregrinis hiſtoria illa exhibebatur. In ſummo Romano ſtadio, quod vocant, triumphalem tertiam portam nobiles Romani conſtipabant facti omneis e gypſo & inaurati cum inſignibus paludamentiſque ſuis, prout eorum quiſque Mediolani olim geſſerant rem, ſiue imperitarant. Ad fauces viæ, quæ tabernas aurificum hinc inde aperit, quarto in fornice, picta vrbis primordia legebantur; & muliebres ſtatuae coloſſeæ magnitudinis aderant monumenta victoriarum. Sed nulla horum operum magnificentia aequauit quadriforem arcum, qui contra Templi maximi valuas quadrato faſtigio equeſtrem Caeſaris ipſius ſtatuam alte erigebat. Victrici reſupinauerat haſta Indum & Maurum, eademq. manus nutantem in vicino Turcam appetebat. Auſtriacorum ſimulacra, quorum facta latinae literæ admirantur, intuentia nepotis ingreſſum ſimul ſpectaculo erant. Cùm exculta in hunc modum via eſſet, quà

Caeſari

Caeſari inceſsus parabatur, pompam tamen ornatumq. maiorem effuſa, & intenta ad ſpectaculum ciuitas præbebat. Cupidine videndi tot victorijs clarum, tot gentium Regem, ſub quo, poſt diuturni ſeruitij miſerias, priſtinae ciuilis vitae bona fructumq. recuperaturi eſſent, velut natali Reip. die feſtam agentes lucem, loca omnia conſcendebant, vnde proſpectus aliquis pateret. Prae multitudine ſpectantium, occupabantur tectorum etiam culmina, fulcriſq; paſſim erectis quaſi noua vrbs pendebat. Canonici Templi maximi, Clerusq; vrbanus vniuerſus, Senatores ſimul, & Quaeſtores, & Magiſtratus reliqui, ſeparatis agminibus, inſignibuſque diſcreti, ad Portam proceſsere quà Caeſar expectabatur. Ille ad x. Cal. Septembris anni eius cIↄ Iↄ xlI. paulo ante ſolis occaſum intrauit vrbem, cùm in Claræ Vallis Monaſterio quietem eo die cibumq. ſumpſiſset. Tradunt, in ipſo portę ingreſsu, conſpecta cruce, ſub qua Metropolitani Canonici tetenderant, deſilijſse illico ad pedes, trophæaque illa noſtræ ſalutis uenerabunde amplectentem atque oſculantem, & ipſum fudiſſe, qua erat pietate, lacrymarum aliquid in nouo imperio Metropoliq, adeunda, & omneis, qui uiderant, ita commouiſse, ut pari animorum teneritudine gaudioq. collacrymarentur. Conſcenſo deinde rurſus equo, per ea quæ dixi ſpectacula ad templum maximum, inde in regiam proceſſit. Sed non, ſicuti breui confinio ac diuerticulo coniunguntur inter ſe Regia & templum, & ſicuti breuiore etiam prece principes alios expleto ibi ultimo illo pompae actu ſtatim in proxima Regia tecta

diuertiſse vidimus, ita flexerat in ſpeciem genua Caeſar abieratq;. Mnltum quin potius ille precatus ad Aram, multumque poſtea contemplatus, tum vniuerſae ſtructuram Aedis, tum partes ſingulas, prout ab ſenioribus Canonicis præcipua quæq; monſtrabantur, ſpecimen hoc populo Mediolanenſi dederat animi qui deponere etiam aliquando imperium, & intra ſacrata clauſtra reliquam vitam agere meditaretur. Poſtero deinde & ſecutis diebus, ad viſenda contemplandaque eadem redibat; ac de ſtatu interim Eccleſiae Mediolanenſis, deque Metropolitana iuriſdictione, & de abſente etiam per tot annos Archiepiſcopo pleraque percunctatus eſse dicebatur. Sic tradidere ſcriptores, quibus tunc curae fuit obſeruare eos Caeſaris inceſsus, & excipere quæ interim ab eo dicerentur. Iidem retulere pari cura ordinem agminis, quo Caeſar ab Portæ Romanæ ingreſſu, in templum, & Regiam vſque eſt deductus; inſana veſtium & equorum pretia, & certamen opulentiae Mediolanenſium, non inter ipſos modò, ſed cum gentibns populiſue alijs, quacunque ille inceſſiſſet. Et parte nonnihil etiam iſta publicae hilaritatis narratio noſtra recreabitur, quando ſemel contigit, vt poſt ſaeua bella, ſaeuiores in pace dolos, in læta hæc atque innoxia digrederemur. Ducebat in primo agmine pompam Aluarus Luna præfectus arcis holoſerico cæruleo indutus. Hunc fiſtulatores Hiſpani ſequebantur in equis ad ducentos, ſuo, & equorum tegmine colorē eundem imitati. Poſt Aluarum Lunam eiuſque turmas, trecenti nobiles viri familiares Caeſaris equitabant in

quibus

quibus erant honorarij ephoebi triginta principum ſeſe filij vetere magnorum Regum conſuetudine, vt fiant inſtrumenta ſeruitutis etiam principes. Huic Regiae ephoeborum cohorti, quaſi gemellam aliam cohortem addiderant Mediolanenſes è proceribus vrbis intra tertium decimum aetatis annum: torques eis & criſtae; gladioq; ſuccincti diſtinctas argenteis clauis & obductas holoſerico albo haſtas tenebant. Veſtimenta ſingulis ex auro gemmisque contexta. Par habitus trecentis alijs nobilibus ab decimo octauo ad vigeſimum annum, vt tantam in iuuenum cultu opulentiam Hiſpani intuentes magnopere admirarentur, atque inter ſe etiam quaererent, quomodo tot defuncta caſibus iniurijsq; ciuitas, toties direpta & vaſtata, tantas nuper apud Caeſarem ipſum conqueſta calamitates, ſic repente diteſcere atque luxuriari potuiſſet. Tam ſplendido iuuenum agmini ſucceſſere Praetoriani ſpiculatores, ne ipſi quidem abſque luxuria & faſtu, cùm ſagas braccasq; & pileos, ipſasq. ſariſſas plurimo interniten te argento Vaſthius cunctis ad eandem formam dediſſet; ac fulgore geſtientes illo non ſine admiratione Germani ſe ipſos intuebantur. Sexaginta erant; qui poſtquam tranſiere bini, tum verò equeſtri nobilitatę ciues ducenti prodiere. Hi quaterni in ordinem procedibant: poſt ordines ſingulos armigeri ibant cum herili lancea & criſta, quam ex animi ſui libidine & ingenio vnuſquiſque variauerat. Frontalia ephippiaq; preti oſa equis, & in ſuperiorum temporum quaſi contumeliam iumenta ipſa veſtita ſerico auroque conſpiciebantur.

tur. Senatores ceteriq; Magiſtratus vrbis in longo Syrmate omneis. Dein Magnus Cancellarius, & Senatus princeps, & præfectus rerum capitalium, & Aerarij praefectus ſequebantur. Hic argenteos nummos ad populum iactabat Caeſaris ipſius imagine percuſſos, monſtranturq; adhuc ea numiſmata ab poſteris eorum, qui ſtipem eiuſmodi aliquam arripere potuerunt. Extremum agmen fuere proceres Aulæ, Granuelanus & Auila, Salernitanus, & Eſtenſis, & Farneſius, Vaſthiuſq; & Sabaudus cum hastatis *P*rætorianis alijs centum. Ea principum cohorte antecedente, toparchis duodecim interiectis, qui ſeruorum à pedibus vicē explerent, ſub vmbella Caeſar vehebatur, cingente latus Cardinale Contareno, ſubſequentibus principū legatis, totam claudente pompam equitatu Praetoriano, nocteque interim ſuperueniente accenſæ faces renouauerant diem. Eximia interim erat ſpecies luctantium ignium cum ſplendore auri, perſtringebatq; oculos pugnà illa duarum naturae rerum, & quaſi certamen inter ipſas, vtra ſplendidior eſſet. Et iucundior ſimul oculis animisque ſpecies erat alia, cùm nobiliſſimi ciuitatis, ob Caeſaris maieſtatem, ſumpta pediſſequorum perſona, circumpedes irent, eminente inter famulares illos amictus atque inceſſus faſtu, quem die illo depoſuerant, rurſus famulorum greges incederent onerati veſtium ſumptu, quo ne principes quidem extra pompam abuterentur. Sed in tota ſcena diei noctisq; illius nihil fuit, quod magis in ſe conuerteret omnium oculos, quàm Caeſaris ipſius ſimplicitas, & modeſtia

cul-

cultuſque parum ab plebeij hominis cultu abhorrens; mirumq; dictu, ille, propter quem cuncta haec fiebant, cernebatur atro palliolo & vulgari pileo caput humerosq; tectus, vt niſi frontis honos & vmbella monſtrarent virum, quaerere ſpectantes poſſent, vbinam Caeſar ipſe eſſet. Admirationi quoque fuit, comitas, qua per totum iter cum Cardinale Contareno ſermonem hilare conſociarat. Hac ciuium gratulatione Caeſar ingreſſus vrbem, moratusque ibi per aliquot dies, leuata oneribus ciuitate, multorum quoq; merita priuatim large remuneratus, habito per totam prouinciam delectu eorum, quos ſecum in Africam ducturus eſſet, diſceſſit quintodecimo die poſtquam venerat; ac laeti deinde noui imperij manſuetudine, & aequitate Mediolanenſes, viciſſim firmata erga id imperium fide, nomen olim amabile Vicecomitum & Sfortiarum, atque adeò ipſa libertatis ſuæ tempora dedere obliuioni. Tantam Caeſaris aduentus & breuis illa commoratio fiduciam animis ſecuritatemq; attulerat. Anno altero poſtquam ille venerat ſic abieratq; locuſtæ ſuperuolitauere agros, fortuitum naturae malum, & inter prodigia olim habitum Romanis. Inumbrabant multitudine ſua celum, & vbi arborum cacumina humumue inciderant, frondoſa & herbida cuncta depaſcebantur, eaumque contactu velut ambuſta tellus, vim omnem eius anni frugiferam perdebat. Decuriones vrbis ei malo auertendo, ſimul ab Archiepiſcopi Vicario poſtulauere, vti ſupplicationes de more haberentur, ſimul praemia propoſuere omnibus, qui plenos earum ſac-

cos

cos in publicum referrent. Ad centum millia modiorũ relata fuiſſe aiunt , peſtemque ita ſublatam. Si portendunt iſta quicquam aut minantur , pertinuit haud dubie prodigium ad magnam inſequentis anni cladem, quam Galli intulere Hiſpanis , & & Hiſpani mox reddidere Gallo . Namque bellum, quod poſt Sfortiæ mortem ab Rege Franciſco, inuadendae Vrbis cauſa renouatum fuiſſe memoraui , aliquandiu intermiſſum recruduerat nunc apud Subalpinos, ab qua parte òrſi illi commodiore aditu ſeſe Prouinciam ingredi poſſe ſperarant. Ibi commiſſo ad Cereſolam praelio , duodecim millia e noſtris cecidere ; qua victoria elati Galli cùm ab ea parte ſimul, & ab alia maioribus Petri Strotij ductu copijs Metropolim circumuenire voluiſſent, in vltimo tantae rei conatu ab Vaſthio oppreſſi obſcurum antea Stradelæ nomen nobilitauere clade ſua, & fauces eae ſunt hodie nihilo triſtiores apud Gallos, quàm apud Romanos olim Traſimenus aut Cannæ. Vaſthius tamen, depulſo quamquam hoſte laborabat acceptæ cladis infamia ; cumq; vel propter animi moerorem , vel ob militiæ labores in morbum incidiſſet , & ab infenſo ſemper Medicaeo per amicitiæ ſimulationem inuiſeretur, tulit ætas illa fraudum hnmanarum exemplum , in quo referendo erubeſcere nos cogit patriae ſimplicitatis fama . Ac ſanè , non pudenda ſolùm , ſed etiam miſeranda res fuit, falli ſic ab Medicæo Vaſthium, & illudi; mihiq; adhuc ex longinquo rem intuenti ipſam, ſicuti inter eos agebatur, turbant animum indignatio ſimul & miſericordia & pudor aliquis ob patriam, ſi talium artium aliquando altri-

cem

cem eam fuiſſe fatendum ſit. Crediderat Vaſthius, bona fide Medicæum redijſſe ſecum in gratiam, & quoniam ab eo inuiſeretur æger, tantò magis credebat. Fallacia igitur hac & magnitudine animi ſui deceptus communicabat cum eo cuncta & libere etiam conquerebatur incuſans modò proceres Aulæ, modò Caeſarem ipſum, qui ſuſciperet bella, & ſine pecunijs, ſine milite geri ea vellet. Dum non perſoluuntur ſtipendia militibus, extenuatas & inanes fuiſſe copias; dum plures imperitare volunt, male ab omnibus eſſe imperatum. Hæc, & liberius alia dictitando rogabat denique Medicæum, vt quoniam iturus ad Caeſarem propediem ipſe eſſet, vellet ſibi apud eum eſſe patrocinio aduerſus inimicorũ calumnias, quibus opprimeretur abſens. Medicaeus, neque vt ſolaretur ægrum, neque vt in Regia defenderet abſentem, ſed vt valetudinis aduersa rimaretur, ibat viſere; lætabaturq; malis inimici ſimul, & querimonias precesque eius, velut tela in ipſum, implacabili, & exulcerato alte animo arripiebat falſus ſermone & vultu quò plura eliceret. Ad Caeſarem deinde profectus, deprompſit cuncta & maligne onerauit adeò felix in perfidia, vt Caeſar, ob ea, quae audierat, in ordinem redigere Vaſthium ſtatuerit, & ille percuſſus decreto ſuccubuerit mœrori; quo morbum aggrauante vitauit ignominiam, eiuſque viri obitu damnum ingens fecere Mediolanenſes. Refouebat enim miti imperio Prouinciam, adeoque munificus etiam in Eccleſiam fuit, vt abſentis Archiepiſcopi damna quodammodo releuaret, eaq; ſub tali Praeſide minus ſentirentur. Mortuus eſt Vigleuani,

vnde translato corpore in vrbem, velut Reip. parenti ſunus duxere ciues, Clerusque vniuerſus; & oratio de laudibus eius in templo maximo (nam ibi ſepeliebatur) facunde habita publicum moerorem recordatione tantarum virtutum auxit. Prouinciam deinde Ferdinandus Gonzaga regebat dilectus à Caeſare in id munus ob eximia belli paciſq; decora, & Vaſthij virtutibus parem animum, ſicuti rerum etiam exitu pene ſimilis fuit. Gonzagam hunc inter cōnditores Vrbis meritò numerauere quicunque de Patriæ rebus poſt eius ætatem ſcripſere aliquid, & publica opera ſunt monumento. Cura ei muniendae Vrbis prima fuerat, vt quoniam munimenta alia vetuſtas labefeciſſet, alia rudibus ſæculis inſtituta damnaret vſus recens, cuncta aduerſus nouos oppugnationum impetus atq; artes, valide & perite firmarentur. Itaque veteres demolitus muros, nouam moenium deſcriptionem, quibus vrbs hodie cingitur, inſtituit, incluſitq; ſuburbia, ne maxima ea pars populi, quandocunque ingrueret hoſtis, aperta, & indefenſa, ſicuti olim iaceret. Abſoluta ea deſcriptione munimentorum, operisque publice imperatis, Gonzaga rogauit Archiepiſcopi Vicarium, vt ponendo primo lapidi, inchoandæq; ſecuritati vrbis, Eccleſiaſticas quoque cæremonias authoritatemq; ſacram adiungere vellet. Ita ſtatuto die ſacrificatum in Templo maximo ſolenni ritu cum ea precatione, vt Metropolitana propugnacula, murique pro ſalute vrbis inchoati proſpere attollerentur. Dein pio agmine proceſſum in campos, qui circa D. Dionyſij Aedem late excurrunt. Ibi Gonzaga,

Clero

Clero populoq; circun ſtante primum lapidem in fundamenta coniecit, ac ſtrenue inde vrgebatur opus, donec munimenta, quæ nunc rurſus diffluente paſſim lorica, labare incipiunt, toto ambitu vrbis ſtetere. Verſatiles ponticulos ad nauigabilis foſſæ labra appoſitos tolli placuit, eorumq. loco fornicati pontes extructi; Turrim ad Portam Vercellenſem quae erat, dirui tutius viſum; item ad Portam Cumanam turres aliæ duæ excidio datae, nequando receptacula ea hoſtium eſſent, ſi qua violentia tranſgreſſa muros foret. Hæc ad firmandam vrbem pertinuere; quæ ſimul expoliebatur pari cura. Iam enim allatum erat; Principem Philippum Cæſaris filium in Belgas ire ad Patrem, iterq; ei per Prouinciam fore, & Mediolani aliquandiu commoraturum. Tanto maior ſolicitudo, tum Præſidi Vrbis Gonzaghæ, tum Decurionibus ciuibusq; ipſis, vt Metropolim, ſicuti ipſius fama dignum eſſet, magnifice ſplendideq; excultam regnaturo iuueni exhiberent. Forum quod Metropolitanæ Aedi præiacet, vetuſtiſsima, & ruinoſa D. Teclæ Aedes obſcurabat, atq; impediebat. Placuit eam complanari aedem, vt, & tranſlato in templum maximũ, cultu miniſterioque eius, cultus Diuæ amplior in Metropolitana ſede eſſet, & foro laxitas ſpatio illo exaugurato adijceretur. Tum vias vrbis dirigere ad lineam, ædiumque frontes perpendiculo exaequare ſunt aggreſſi; eaque inſtauratio, tota dedit vrbe ſtragem veterum aedificiorum, dirutis porticibus, podijs, fornicibus, tranſuerſisque tigillis, quae rudia & impolita proſpectum impediebant. Cloacas receptacula purgamentorum

omnium, quia ſordibus, tetroque odore & adſpectu foedabant vrbem operuere. Neque contenti remouiſſe iſta ab oculis, pleraque vrbis loca decoranda picturis locauerunt. Muniebatur igitur vrbs & ornabatur eodẽ tempore, non ad praeſentis modò vtilitatis, & elegantiæ fructum, ſed vt poſteritas quoque omnis tutius honeſtiuſque habitaret, cùm de Principis aduentu certior iam inſtantiorq; fama coegit cura omiſſa lentiore apparari celeriter ea quae ponenda ad tempus & extruenda erant. Iam enim erat Genuæ Princeps, & vrbe in illa ſatis moratus, propediem inde moturus eſſe dicebatur, vt Mediolanum veniret. Alexandria, vile, quondam nacta palearum cognomentum, nunc ob munimenta ſimilior nomini, prima eſt vrbium, per quas ab Genua venienti Prouincia Mediolanenſis intratur. Eam vrbem cùm intraret Princeps, pleraque Metropolitana nobilitas & Cleri primores obuij fuere vnà cum Ioanne Berguæo, quem à Bruxellis miſerant duæ illius amitae, Eleonora & Maria; illa Galliæ Regina, hæc Pannoniæ, quae tunc Belgio pro Caeſare fratre præſidebat. Miſerant autem muliebriter ſolicitae de iuuene, ad ſalutandum eum, & vt certa omnia de ipſius incolumitate legatus referret. Ab Alexandria Vogheriam; ex eo loco Ticinum acceſſit; perq; ſuos fines eunti iam hinc Principi, non modò ſubiectorum ſtudia, ſed etiam veſtigia paternarum rerum occurrebant. Ticini in arce erant ænea tormenta præcipuae magnitudinis, ſpes olim & robur Saxoniae Duci, nunc monumenta cladis, quae capto Saxone Caeſar in eam arcem ex Germania miſe-

rat.

rat. Ea Princeps inſpexit perite diſserens apud ſuos, qui proximi ſtabant de longitudine ac diametro ſingulorum, de metalli temperatura & oris hiatu, & quantos quaeq; globos paterentur. Inciſas etiam literarum notas, quia propter aeruginem aut vetuſtatem confuſæ, non facile explicabantur, tum ſedulò tergeri iuſſit, tum admotâ cerâ enotari; ac ferebatur interea de Germanici belli conſilijs & tota illa rebellium conſpiratione arcana quædam, & ad eam diem occulta patefeciſſe. Fortè tunc in Academia Ticinenſi verſabatur Andreas Alciatus Mediolanenſis ſcientia legum inter primos, aut ſanè primus æui, neque id optimum eius viri fuit; ſed interiores literas in barbariem illam inuexerat penè ad formam antiquitatis, poteratq. loqui de Regum negotijs, & ob vitae authoritatem alloqui Reges. Ei datum eſt negotiū, vt Reip. nomine peroraret apud Principem, quod fecit ille veterum Romanorum lingua, non quotidiani Oratoris ritu; princepsq; ipſe celerius multò quàm vellet, orationem euolaſſe illam aiebat. Summa hęc fuit. Hilaratam eſse terram Inſubriam adſpectu iuuenis, quem superûm fauor, & Patris arma, & ipſius virtus, Regiae magnitudinis exemplum pararent. Vrbem, in qua tunc eſſet maximi Patris magna proles, ambitu quidem, & ſpecie minimam eſse potentiæ illius partem; obſequio & fide & teneritudine animorum erga Caeſarem, Caeſariſq; filium, &, ſi quid illud etiam ad rem attineret, antiquitate ſua, nulli vrbium aliarum concedere. Habitaſse ibi Reges olim, & geſſiſse bella; nec procul à moenibus eſse locum, in quo Rex Galliae captus, memoria

moria hominum teſte, terribile Gallicis exercitibus Hiſpanum Auſtriacumque nomen fecerit. In ea vrbe, perinde atq. in Metropoli ipſa ceteriſq. ſubiectis Metropoli terris, quotidie nuncupari vota pro Catholicæ Domus incolumitate; & poſtquam ipſe profectus ab domo ſit, nullo non die Inſubres à ſuperis petiiſse, vti ſoſpes rediret. Petere nunc ab ipſo, vt cùm in Regna, tam multa, & tam longinqua diuidet curas, etiam meminiſse fidei Longobardorum velit. Haec ferme ab Alciato perorata. Princeps inde Mediolanum ibat; cumq. ad quintum ab vrbe Ticino lapidem, monſtraretur ei ſeptum, Intra quod incluſi cum Rege ſuo Galli, potiundæ Inſubriæ ſpem atq. cupidinem, captiuitate Regis, & exercitus internecione luiſſent; inceſſit animo cupiditas locum eum intrandi. Spectauit agri partem, in qua concurriſſe acies dicebantur, syluam ex qua prodierant ad Gallorum perniciem inſidiæ, parietinas, quà ſubruti dolabris muri aditum Hiſpanis dediſſent, foſſam denique ipſam, in quam Rex effuſo ſuper ipſum equo prolapſus erat. Ea veſtigia recentis victoriæ Princeps inſpexit commoto ſimul animo ob ſortem humanorum caſuum, cùm tanti Regis ignominia & periculum ante oculos obuerſaretur. Eadem imago mixtum dolore gaudium aliorum etiam pectoribus intulerat, neq; alia ſermonibus materies breui hinc ad Carthuſienſe Templum uia. Poſuere Templum illud & ditauere Vicecomites noſtri, tempore, quo rem Mediolanenſem haud procul ab magnitudine Regij nominis obtinebant. Et miretur hodie quilibet Regum, opus quidem etiam ipſum, ſed multò magis

attri-

attributas Monacis opes, queis domus illa ſufficeret gentium hoſpitio; nec in Principum aduentu moueri ibi quicquam attinebit. *P*rinceps, adorato ad Templum Numine, Binaſcum; ex eo pago, poſtero die Mediolanum venit. Ciuitas opulenta, admiratrix Hiſpanorum, vnica erga Caeſarem fide, prodiga eadem contemptrixque auri, cedere neſciam alens nobilitatem, foecunda ingeniorum, connixa eſt, vt agnoſceret Princeps Inſubriae Metropolim, auferretq; memoriam ſecum duraturam vltra fluxam in Regum animis talium obſequiorum gratiam atque recordationem. Statuerant tota paſſim vrbe ſimulacra Cæſaris victoriarum eminentibus figuris, vel picturâ, cui artificum nomina pretium forent. Cernebatur fugiens ex Germania Solimanus cum illo trecẽtorum millium equitatu, quem à Caeſare diſſipatum, etiam pinxiſſe arduum videretur. Sexaginta millia Turcarum equitum cæſa cadebant ante oculos; captæ de Turcis vrbes, Patræ, Corone, Tunetum, Hyppo, Tunetanum Regnum, Imperium Libyæ, Mauritania tota reſtituta veteri Regi, deiectus Aenobarbus, viginti millia captiuorum reducta in Patriam, purgata latrocinijs maria, triremes hoſtium captae aut demerſae, reſtituta Genuenſibus libertas, traiectus Albis, Indiae patefactæ, Saxonis immane corpus oneratũ ferro, ceteraq; rebellium Germanorum capita promiſſis in pectora barbis grandiq; capillo ſub iugum ibant. Haec omnia, veluti tunc fierent, aduenienti Principi Mediolanenſes ad ſpectaculum ſimul, & exemplum propoſuere. Vrbem verò ſuam, ſex hoſtium exercitibus fu-

ſis,

ſis, toties à Caeſare conſeruatam tantò ſplendidius fecerant, quanto maior eſt vnicuique genti circa rerum ſuarum memoriam ambitio & cura. Et ea quidem Annalium inſtar fuere, ſiue potius annales ipſi verſi atque commutati in hominum ora & vultus. Genus erat aliud, quod per veteris Hiſtoriæ symbola hoſce Caeſaris euentus atq. res bello geſtas includebat. Simul admonebant ambages variæ Principis iuuenis animum, quae poſt Patris finem publica fama & expectatio eum maneret. Ea myſteria fuere in arcu, qui ſtetit ad templi maximi valuas æmulus penè Aedis ipſius maieſtati. Rutilo crine puer Dauid ſtrato ad pedes gygante Golia. Ioſue ſiſtens imperio curſum ſolis. Cum Holofernis capite Iudith; & paſcens inter iumenta Nabucadnethſar, imagines & ſimulacra reſiduarum expeditionum. Ad introitum Regiæ ſedebat in pegmate celsiſſimo Coloſsæus Cæſar, quem Princeps ipſe venerabundus adiret. Effigies eadem, alibi armata erat, alibi pacis cultu. Depictam ita & ornatam vrbem inclinato in veſperam die Princeps intrauit, antegrediente varij generis equitatu & armatura, quae propria fuerat Regij agminis, quaeue ex prouinciali copia extra ordinem acceſſerat. Sclopetarij, cataphracti, velites, ſuis quæque turmae ordinibus tendebant. Tegmina & ornamenta turmis fuere ad Regiæ familiæ colorem, & formam, ſiue ex ducum ipſorum ingenio. Duces ipſi veſtem auream in peregrinum habitum aſſimulauerant, quò magis conſpicui forent. Hos armiger quemque ſuus anteibat. Albae Ducis pueri vicenaria turma ſuccedebant. Senatus

tus inde Mediolanenſis, Magiſtratusq; & prima Vrbis nobilitas proceſſere. Mox Aulae Principes, Hiſpani, alijq; gentium aliarum ſecuti Aulam, & ſummo quiſq; ſtudio meditati, ne ſplendor alienus obſcuraret ſuum. Regiae cohortes haſtatae, in Germanicum & Hiſpanienſe genus ad viarum latera diſcriminabantur. His proximi vadebant quinque & viginti nobiles ab iuuentae flore delecti, ab gratia quoque corporum & venuſtate formae. Candida ea cohors inaurataq; ſariſſis & amictu ducebatur ab Mutio Sfortia, cuius pater exciderat Imperij Mediolanenſis iure propter eaquod abſq; Matrimonij ceremonijs ille procreatus fuiſſet. Poſt iuuenes eos inceſſere, Gometius Ficeroa, & cum Demarcho Inarimes Demarchus Aſtorgæ, Dux Sinueſſæ, Caſtellæ Almirarchus. Ferdinandi Gonzaghæ filius adoleſcens cum æqualibus quatuordecim in conchyliata tunica Principem antecedebat. Dux Albae ſuo loco ſubſequebatur. Vexillum hinc regiũ, & legati Regulorum aut ciuitatum. Princeps ad Templi maximi valuas exceptus ab Sacerdotum Collegio atque in templum introductus ab ſolita precatione in Regiam diuertit. Ibi per aliquot dies equeſtria certamina ſunt exhibita, quorum arte Mediolanenſes expreſſere confeſſionem Hiſpano; ſi tales in acie forent, eſſe robur militiae penes vrbem hanc. Opportune congruerat, vt Principis aduentus incideret in nuptias, queis Fabricio Columnæ iungebatur Hippolyta Gonzaga filia Ferdinandi. Ea res laeta iuueni fuit ob ſolitam talium rerum hilaritatem; & nuptias ipſe decorarat, haud dedi-

Digitized by

gnatus inuiſere ſponſam, feſtis intereſſe dapibus, & modico ſaltatu choreas inire, quaeue alia celebrando Matrimonio inſtructa erant. Lætitiam auxit aduentus Alphonſi Aquilarij, qui miſſus à Caeſare ad Principem proſpera de eo & ſalua omnia nuntiarat, attuleratque mandatum, vti maturaretur iter. Hoc allato nuntio Cardinalis Tridentinus ad paranda omnia domum præceſſit, quæ per eos fines ituro Principi grata eſſe poſſent. Duæ ſunt ab vrbe Mediolano Tridentum viæ; per Mantuae fines vna, per Cenomanos altera, vtque compendij breuioris hæc, ſic illa per ſuas terras ſecutura longius Hiſpanum erat. Princeps delecta priore via ad VIII. Idus Ianuarij Melinianum proficiſcitur qui locus abeſt ab vrbe decem millia paſſuum & Iacobo Medicaeo, ſicut antea demonſtraui, attributus, domicilio nunc eius nobilitabatur. Poterat iam ipſe ſtare inter principes, & hoſpitium illud, non magnifice modò, ſed etiam erudite portis & emblemmatis adornatum Hiſpani aduenientes inuenere. Poſt Principis diſceſſum laetus Gonzaga pergebat addere in perpetuum decora & munimenta Vrbi, cùm exorta in eum criminatio atrocior quàm quae Vaſthium abſumpſerat, non quidem abſumpſit, peremitue ipſum, ſed ab eiuſmodi operum eleganti cura ad triſtem, & neceſſariam ſui defenſionem auertit, diuque occupauit. Crimini maxime dederant inimici æmulique eius, quòd natus in familia aſſueta dominationi, animo elato, & ob magnas propinquitates inquieto, Regij præfecti vocabulum adſpernaretur, affectaretq; imperium vrbis, nec Caeſari, ſed ſibi

bi Metropolim muniret. Fauere Venetis, & quaerere ſibi gratiae locum apud eos: remittere Mediolanenſibus tributa: cum Ferrariæ Duce plus habere neceſſitudinis coniunctiusq; viuere, quàm cum alienae factionis homine Caeſarianum deceret. Id ipſum, quod interfecto à coniuratis Farneſio, Placentiæ poſſeſsionẽ Caeſaris nomine adijſset, prouinciaeque fines protuliſset vſque ad Tanarum flumen, vt inutiliter & ambitioſe factum criminabantur. Infeſtiſſima denique interpretatio erat, quòd mortuo ſub idem tempus Pontifice Paulo, Cardinalem Saluiatum Florentinum patriâ, ſtudijs, & propenſione animi Gallum, contemnens, ſiue diſſimulans mandata, quæ habuerat, commendaſset Patribus, vt in Pauli locum ille ſubrogaretur. Hæc omnia in ſuſpicionem crimenq; vocantes inimici, aſperare Caeſarẽ conabantur, irritisq; aliquandiu, & ſermonibus, & libellis, animo eius obrepebant. Iactando deinde ſæpius eadem augendoq; fecere vt capitibus aduerteret illis monerique Gonzagam iuberet; recte & ex dignitate ſua facturum eum, ſi dilueret obiecta & purgaret. Simul cuiuſmodi eſsent ea demonſtrabat. Gonzaga datis ad Caeſarem litteris, homineque remiſſo, quem rerum earum cauſa Mediolanum ille deſtinarat, defenſione hac vtebatur. Muniendæ curam vrbis ideo ſuſcepiſse, quoniam in eius rei conſultatione poſt varias vtrinque ſententias, permiſiſset ſibi Caeſar liberam eius negotij facultatem arbitriumq; & verbo hoc eſset vſus; quò notiora ei ciuium ingenia & conditio prouinciæ totius eſsent, hoc melius poſse ſtatuere quid

adminiſtratione dimouerent. Horum ſcilicet demum inſtinctu Caeſar exciuit ad ſe reum, iuſſitque, tradita interim Prouincia Gometio Ficeroae ad dicendam cauſam veniret. Cenſores duo Mediolanum miſſi, Bernardus Boleus & Franciſcus Pacecus, qui poſtea Cardinalis fuit; his mandatum, vt quaeſtionem haberent de ijs rebus, quas Gonzaga dolo malo egiſſe, tentaſſe argueretur. Ea cognitio propter hominis dignitatem famamque & genus occultiſſime exercebatur; palam verò in Magiſtratus alios inquirebant; ac notatis, quos probri compererant, innoxium fidumque Caeſari Gonzagam pronuntiauere. Quin etiam intuentes publicorum operum vtilitatem ornatumque vrbis, & cuncta per eum eleganter & ſplendide renouata ſicuti monſtrabantur, tum verò pietatem in ſacra, iuſtitiam in omneis, & orba ſuo Paſtore Metropoli, velut expletam eam quoque vicem ſuſtentatione pauperum, & defenſione Cleri, cuncta ea, ſicuti fuerant, & ſicuti fama loquebatur, admirati Cenſores in Regiam cum ampla teſtificatione perſcripſere. Vnde maior gloria Ferdinando huic apud Caeſarem, liuor aemulis; & tam accuſaſſe, quàm credidiſſe, hos illumque pudebat. Erat deinde Gonzaga Caeſari aſſiduus primuſq; miniſter bello, quod inducijs & Franciſci Regis obitu pauliſper intermiſſum, Rex Henricus etiam infelicior patre, & petendae ex Hiſpano vltionis penè auidior inſtaurabat. Mediolani per eos dies abſente Gonzaga, Ludouicus Biragus Galliae Regis apud Subalpinos Chi-

liarcha

liarcha per dolum inuaſerat prope ceperatq. Arcem, ſi ſatis prouide compoſitus ordo inſidiarum fuiſſet, vel potius, niſi hoc etiam tempore proſalute vrbis ſtetiſſet contra Gallos, benignitas & prouidentia Numinis, quę aduerſus eam gentem tutata Metropolim ſemper, ingratâ & temerariâ interpretatione ſaepe dicta caſus fuit. Notum eum omnibus hiſtorijs tanto diſcrimine annum, ne mulieres quidem & pueri ignorauere ob Georgij proditoris caluam, quæ in rotundae turris faſtigio prefixa haſtæ oſtentui fuit. Eius anni principio Cardinalis Hippolytus Eſtènſis, nonnulla fortaſſe tactus religione, vel ſermones certe hominum in extrema iam ætate metuens, abdicare ſe Mediolanenſis Eccleſiae Pontificatu tandem decreuit potius quàm vt percipiendo ſic emolumenta abſens in flagitio dedecoreq; illo extingueretur. Abdicauit autem ea conditione, vt Ioanni Angelo Arcimboldo Epiſcopo Nouarienſi Eccleſia traderetur: ſi diem ſuum ille obijſſet prior, ius omne ad ſe ipſum rediret. In ea Pontifex Iulius autor factus. Succeſſerat enim hic nominis eius tertius tertio item Paulo; nec tertium fere Pontificatus annum exceſsit, vt trium hebdomadarum Pontifex Marcellus longiore dignus aeuo poſt hunc regnaret. Præfuerat Arcimboldus Eccleſiæ Nouarienſi quatuor & viginti annos. Clemens VII. eum ex Senatore Epiſcopum crearat delectatus viri literis & dexteritate, cùm is Sfortiæ legatum Romae ageret. Ab Eſtenſe, qua diximus conditione productus, & Iulio III. probatus, quartum annum Metropolitanae poteſtatis implere non potuit. Eius

morte

morte redierat res ad Eſtenſem, qui rurſus ſuo more abſens Eccleſiae vectigalibus fruebatur laborum curarumq; expers. Cum Arcimboldi huius obitu mors prope continuata Iacobi Medicæi mœrore alio ciuitatem affecit; & propter viri claritudinem ſpemq. de Cardinale fratre ſummam ſacri etiam ordines indoluere. Mortuus eſt in aedibus ſuis ad Braidam, & funere ampliſsimo elatus ad Melinianũ, rurſusq; inde oſſa Mediolanum in Aedem maximam tranſlata fratris Pontificatur. Vir propter exempli magnitudinem nulli ætati ſilendus, poſt abrupta ſua initia deſperataſq; expeditiones, & geſtum cum Principe bellum, conſtitutá denique fortunâ, quinquies imperator alienorum exercituum fuit: Senarum vrbem vicies ab alijs fruſtra obſeſſam cepit: aperuit fratri viam ad id quo nihil amplius mortalitas capit: parumque fuerat dediſse Pontifices maximos e ſuo ſanguine, niſi per ſororis nuptias, aſcito in domum Borromæo, Sanctos etiam dediſſet.

lius ſororis magis multò quàm Pontificatus ipſe nobilitauerit, & ille viciſſim hunc per fluxos honores opeſque caducas induxerit in tantae ſempiternæ gloriæ campos. Sed duo hæc Mediolanenſis Eccleſiae lumina, nondum publicis illata rebus ſtabant adhuc tantummodo in limine earum, ſpemq; & votum, nondum ipſius voti fiduciam ac robur expectatio publica conceperat. Interea Cardinalis Hippolytus, poſt Arcimboldi mortem ex pacto recepta Metropoli, Vicarium ſubinde aliquem dabat; Eccleſiæ ſtatum ipſe obibat nuſquam, & nihil perfecti aut emendati, vel in publicis ceremonijs ritibusque ſacrorum, vel in eorum vita cernebatur, qui iſta tractarent. Et Ferdinandus Gonzaga, cuius imperium & verecundia nonnihil ad Clerum quoq; continendum valeret, ob calumnias abſens, quicquid illud auxilij, & diſciplinæ fuiſſet, abſtulerat. Gubernante eo Prouinciam, vxor ipſius ob pietatem erga Sanctum Franciſcum de Paula Ordinis eius homines Cumanâ viâ extra vrbem benignè collocarat, quà nunc Sanctiſſimæ Virginis Aedem ſalutiferi latices & votiuæ tabellæ nobilitant. Per idem tempus, Franciſcani minores qui ſibi ab legum ſuarum Obſeruantia nomen indidere, commigrarunt in eum locum, vbi nunc Sancti Angeli Aedes Monaſterio adiuncto pietatem ciuium & ſanctimoniam Ordinis teſtatur. Non enim alibi quàm apud pium ditem populum talia domicilia ſuperûm hominumue cultui extruerentur, quale templum, & qualia tecta Fratres illic tenent; rurſusq. non niſi ſpectata probitas & innocentia ædificantium illa ex alieno

 tantas

tantas ab vllo populo ſtipes eblandiretur, quantas hodie molibus inſumptas eis ijdem illi equi contulere admirantur. Antea, Ordini ei Monaſterium Aedesque ſacra non longe inde propius mœnia fuerat antiqua & humilior; quæ tecta cùm in proferendo pomoerio muriſq; perducendis, dirui oportuiſset, Patres translata huc materia nouam ſibi & Diuo Sedem inchoauere; Antiſteſq; monaſterij, vel Fratrum vocabulo, cuſtos P. Franciſcus Cusanus tunc fuit. Aedificationem Monaſterij Templique nouam Gonzaghę liberalitate plurimum eſse adiutam ferunt, vel quia erat, vt demonſtraui, cupidus excolendæ vrbis animoq; munifico erga publica omnia opera, vel quia dirutae prioris Aedis religione aliqua ſolicitaretur. Sancte integreq. ita Mediolani verſatus, & quibus dixi criminibus ab obtrectatione & liuore oneratus, deinde cum incremento famae purgatus, & defenſus noua ſibi fortibus militiæ factis egregijsque conſilijs apud Caeſarem quærebat praemia, et praemijs, iam fruebatur eis, quæ vel ad calumniae ſolatium, vel ad innocentiæ teſtimonium data erant. Non tamen redditus vrbi eſt, cui pietas hominis & præclarus animus in ea quæ dicta eſt ſolitudine, paſtoralis curæ loco eſſe potuiſſet, & ſumma ei gratia cum Principe Philippo erat. Iam Caeſar hunc Mediolani Ducem crearat, atq. cum perſcribi traditionis eius authoritatem iuberet, ita in diplomate erat præfatus. Tradere ſe Philippo filio Prouinciam Mediolanum, quæ eſſet recepta ſuis armis & defenſa; quam vetuſto Caeſarum iure poſſideret. Id ſatis viſum ad

coer-

coercendas linguas, quæ ſuper ea re muſſitantes, procerum Imperij conſenſum requirebant, & ex Gallia præcipue fremitus audiebantur. Diploma confectum eſt in Bruxellarum vrbe, cùm iam Valliſoleti Philippus ad moderanda Hiſpaniarum Regna conſtitiſſet, iterum in tranſitu adita vrbe, cæterùm minore apparatu exceptus, quia propere ibat, acciderat que fama, moleſtum fore Principi, ſi officia iam vlla morarentur iter, ac de ea re moniti Mediolanenſes erant. Equidem haud ſcio ego, quo poſſit ore quiſquam vnquam priſcos narrare caſus, quandoquidem in tam recenti memoria variant annales, nec tamen magni momenti res erat; ſed volui ſemel notaſſe calamitatem hiſtoriae, quae tam breui aeuo corrumpi poſſit & infuſcari haud vlla re magis quàm ſcribentium culpa. Namque Capellonus homo Gallus, in tradendo Principis reditu, cum Maximiliano patruele ſuo redijſſe ipſum refert, Mediolaniq; commoratum alius addit. Alphonſus Vlloa rerum Caroli ſcriptor, itinera illa ſeiungit, principeſq; iuiſſe ſeparatim mauult. Regij Chronographi temporum eorum æquales, & participes rerum, tradunt Maximilianum euocatum à Patre Ferdinando, diſſimulata maieſtate excurriſſe priuato cultu; poſt breue colloquium, pari arte deceptis hominum iudicijs remeaſſe vt Mariam vxorem ex Hiſpania publice deportaret. Rurſus in vrbis monumentis memoria extat, qua pompa Maximilianum unà cum Patruele Philippo Mediolanenſes acceperint, cum Principes in Hi-

ſpaniam redirent. Prouincia interim rectorem acceperat Ferdinandum Toletanum, cui viro poteſtas Mediolani maior fuit, quàm quanta permittitur alijs, qui à Catholico Rege cum imperio huc mittuntur. Vicarium in Italia Generalem appellabant, quod ferè vocabulum & par poteſtas Exarchis fuit, cùm Græcia nobis imperitaret. Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinto Toletanus ille Mediolanum venit; vir ſeueri imperij; ſed à quo propter trucem & bellicis tantummodo rebus intentum animum res Eccleſiaſtica ſolatij nihil ſperaret. Paulò poſtea Caeſar res omneis humanas pio animo pertaeſus, quæſito ſibi ad vltima meditanda ſeceſſu, tradidit cuncta filio, qui deinde feliciter regnauit, eiuſque propenſio animi erga Metropolim & multa comiter in prouinciam benigneq; collata per totum eius deinde Regni tempus extabunt. Non ſecuritas & quies, non alia populis expetita bona minus vnquam defuere vrbi, quàm ex quo Philippus hic accepto à Patre imperio regnare coepit. Sub eius initia tamen etiam periculum Mediolani tumultu quàm re maius fuit, coniuratis cum Paulo IV. Gallis ad Neapolitanum Regnum inuadendum, quod Pontifex ille ad Sedem Apoſtolicam pertinere aiebat; & quia Regno illi ſemper ſocia periculis vrbs noſtra fuiſſet, etiam itineris occaſione ipſius, exercitum, qui in eam expeditionem ex Gallia proficiſceretur, Mediolani tentaturum eſſe aliquid, inceſſerat metus. Ea ſuſpicione Rex Philippus Toletanum quidem ad Neapolitani

Regni

Regni tutelam tranſire iuſſit: vrbis verò & Prouinciae gubernacula diuiſit inter Daualum iuniorem, & Chriſtophorum Madrutium Cardinalem Tridentinum, cui viro commendatione Caeſaris purpura data erat, fiduſq; habebatur. Sed rem militarem Daualus adiutore Ioanne Baptiſta Caſtaldo adminiſtrare iuſſus: Cardinali ciuilium rerum concredita ſeparatim cura eſt. Quae partium & imperiorum diuiſio, ab initio prudenter inſtituta, rerum exitu damnoſa inutiliſque reperta eſt; & infauſto Triumuiratui poſtea nomen fuit. Hi, cùm triginta millia armatorum iam in Subalpinos deſcendiſſe, atque Neapolim verſus iter habere cognouiſſent, omiſſâ diſcordiâ, quae mutuis inter ſe odijs infenſos habebat, properi ac feſtinantes coeperunt agere ac parare omnia, ne ſubito ipſi incurſu opprimerentur. Suſpicabantur enim, ne Galli, tumultu quidem & fama Neapolim irent, re autem ipſa, animiſque & ſecreta deſtinatione peterent vrbem Mediolanum, idque ab domo conſilium attuliſſent. Erat hoc tempore Mediolani ſumma rerum omnium difficultas, quae res pertinerent ad gerendum bellum. Afflicta tot ſuperioribus bellis & exhauſta prouincia, feſſa vrbs collatione pecuniarum; & plerique ciuitatis Principes, aut poſt arma reſpexerant otium, aut perierant in armis; nec minima calamitas, incommodumue rebus, inteſtina, licet ad praeſens diſſimulata diſſenſio, quae Cardinalem inter & Daualum, conſilij quodcunq; alter attuliſſet, inimicos faciebat. Attamen, externo metu vrgente,

quaſi

quaſi certaminum ſuorum, vti dictum eſt, obliuiſcerentur nonnulla, quae in praeſenti periculo prouidenda erant, expediuere communi conſilio, quod ciuitas etiam ipſa aliâs experta diſcordes, admiraretur. Expleuere ſubitarijs operibus ſi quid abſolutioni moenium deerat: primores vrbis ad portarum cuſtodiam; cataphractos equites in prouinciae finibus ſumma cura diſpoſuere: muniuere raptim vrbes, Ticinum, Alexandriam, Cremonam: ad Valentiam, quae Pado flumini appoſita eſt, treis cohortes Italorum, treis Hiſpani generis, totidem Rhaetos iuſſere praeſidio eſse, & caſtellum ibi excitauere cum eorum lacrymis, quorum aedes, fabrica illa deijciebat. Armauere Mediolanenſium vigintiquinque millia, quae copiae, aut dimiſsae fuerant, aut, ob non perſoluta ſtipendia vltro abierant à ſignis. Hiſpanum item Germanumque peditatum flagitiosè diminutum expleuere conferenteis inter ſe conſilia, quos raròantea congredienteis videres, aut ſi congrederentur, ſalutatio triſtis, & breue alloquium erat. Ab Triumuiris quidem ea parabantur; Galli verò, traiecto Dora flumine, pars circa Padum ſubſtitere, pars tetendere ad Caſalem, quam in Monteferrato vrbem habebant, atque per regionis eius pagos diuiſi, nocturno tempore aggreſſi Pontem, quem Hiſpani in Stura amne fecerant, poſt grauem pugnam cum Emmanuele Luna, qui ibi in praeſidio erat, diſſipauere pontem, & quatuor armatis nauibus tranſmiſere flumen. Iter deinde habebant ad Vercellarum Vrbem;

bem ; quod vbi Cardinalis Tridentinus accepit, mittitur ab eo Ioannes Gheuarus cum fiſtulatorum ala, properum vrbi ſubſidium, priuſquam hoſtium exercitus ad illa mœnia circumduceretur. Sed cùm Galli, mutato conſilio repente inde auertiſſent iter, viderenturq; Alexandriam eſſe petituri, Gheuarrus etiam flexit, vt anteueniret Alexandriam, monente Lopezio Acunia, ne faceret; nam poſſe rurſus Gallos flectere ad Vercellas, & ab Caſale deinde prohibere ſubſidium. Gheuarrus tamen cum ſua ala (quadringenti & quinquaginta equites erant) Alexandriam intrauit. Galli, neque Alexandriam, neque Vercellas, ſed ad Valentiā iuere, cumque Pontificis nomine ab oppidanis exercitui commeatum petiſſent, quia non dabatur, quatere tormentis oppidum inſtituerunt, idque deditur quinto die poſtquam oppugnari coeptum erat. Ibi ſubſtitere per aliquot dies principes Gallorum, vel ob neceſſariam quietem, vt reficerentur ex itineris labore, vel ob conſilia, quae in terra hoſtium iam ſubiecta oculis, capienda erant. Conſilia autem haec fuere. Briſacchius, vt in Taurinos ad duplicanda præſidia cuſtodiasq; intendendas rediret, ne auerſis ipſis ad maiorum rerum conatus, Triumuiri Mediolanenſes impetum eò aliquem darent: poſtea veniens ipſe ad exercitum, Termenſem ibi dynaſtam relinqueret: is non deſineret obſeruare tempora & occaſiones carpendi Mediolanenſem Prouinciam, & omnia quæcunq; poſſet damna inferendi. In id ipſum, ab Santiaco Biragus, ab Caſale, Bironus imminerent. Haec ad Valentiam

con-

conſilia Galli inierant. Roganti Cardinali Tridentino, per legatum, quid ita, locum eum occupaſſent, atque repetenti Philippi Regis nomine, monentiq; vt abirêt, reſponderunt, Pontificiæ ditionis eſse locum, & liberos illac apertosq; aditus ab ſe præſtari oportere. Pergit inde Ghiſa dux exercitus ire in Placentinos, Neapolitanumq; capeſſit iter, liberata ingenti metu prouincia vrbeq; Mediolano, quam ſi tunc inuaſiſſet, minime dubitant, quin aliquanto felicior potuerit eſſe repentina haec & fortuita expeditio, quàm altera illa, quæ gentem armarat. Adeò ſcilicet infirma fuere omnia, cùm regentium inter ſe diſcordijs, tum prouinciæ ipſius conditione, ob ſuperiora bella, quæ ſobolem militarem priuatorumq. fortunas afflixerant. Enimuerò ſuo raptus impetu & feſtinatione Gallus tranſijt pacato agmine per Prouinciæ fines, admirantibus interea ſecuritatem ſuam, qui cohorruerant præſentis terrore belli; variaq; fuit fama, cur omiſſa, quæ in manibus erat, occaſione Galli ſic abijſſent. Diſtuliſſe, non omiſiſse negotium dicebantur: foederis lege praeuertendam illis eſſe Neapolim; poſtea Mediolanum ituros. Vere fuit celeritas inſita genti; & vbi longinqua penitus occupauere animos, præſentia negliguntur. Cardinalis autem cum æmulatore ſuo Collega, poſtquam, id quod ſibi exſpectarant, aliò tranſire diſcrimen viderunt, terrorem vltro ſtatuunt inferre hoſti, quò celerius abiret, idque ipſum tentauere praue atque inconſtanter, ſicuti diſcordes oportebat. Nam Cardinalis cum exercitu collectitio ac tyrone Binaſcum vſq; progreſsus,

tu-

tumultuaria illa manu paſſim à ſignis abeunte, re tro vertit iter; & collega Daualus, miſso ad inſequend um Caeſare fratre cum Italico equitatu, mandauit ei, vt ne Padum tranſiret. Atque cùm debuiſsent in pri mis cauere, ne quid alendo hoſti relinqueretur in agr is, rerum omnium copia quaſi de induſtria relicta in aperto eſt. Ita Galli, neque laceſſiti, neq; laceſsentes i ere per hoſtium terram cum partis vtriuſque dedecore. niſi Gallus ad maioris ſpei certamina properus raperetur. Fama fuit etiam, Daualum, contemnentem Inſubriæ arma, & iniquo ferentem animo, q uòd ſui nominis fortuna penderet ex tam exiguis viribus, egiſse ob eam rē pleraque velut indignabundum, & velut inuidentem eorum gloriæ, qui defenſuri Regnum erant. Ibi arma & gloriam, ibi Catholici Regis vires eſse aiebat. Ita III. viros inter exercitumque Gallorum, dum iurgantur diſſidentue illi, dum per Prouinciæ fines hic tranſit, haud leui periculo defuncta ciuitas erat; ac tantus ab repentino barbarico itinere metus fuit, vt poſtquam abierant Galli iurgiaq. Præſidentium conticuerant, inſidente animis triſti ſpecie tempeſtatis eius, habito nouo per totam vrbem delectu, vigintiquinque millia ciuium armarentur, quod ſtatiuum præſidium Metropoli eſset. Ei militiæ factum nomen ex Parente Vrbis Ambroſio, cohorteſque Ambro ſianae appellatae, nimirum, quia in campo circa Baſilicam, ad Cardinalem Tridentinum dabant nomina omneis, qui ferre arma poſsent; & militarem etiam egreſſi ætatē plerique adſcribi in eum numerum petebant. Tantum

Ffffff Gal-

Gallorum odium erat apud vniuerſos. vt memoriâ periculi recentis infenſi etiam ſeniores degere vltro in armis vellent. Vrbanæ eæ cohortes conſcriptæ ſunt anno altero poſtquam Carolus Caesar tradita filio rerum ſumma in Hieronymianum Monaſterium ſeſe abdiderat. Atque hic demum annus fuit, quo Cardinalis Hippolytus circa vitae finem acrius oblatrante conſciẽtia omittere Metropolim agitauit, non ſpe iam vlla ſicut olim reſpiciens ea quæ omitteret, neq. pacto aliquo interpoſito recepturus, ſed conſtanter & ſeriò, tamquã ſuæ & Mediolanenſium ſaluti tantæ rei iacturam daret. Volebat tamen ita abdicare ſe Metropolitano iure, vt quæ ſacerdotia, octo menſibus, diuiſo ſic inter Sedem Apoſtolicam, & Archiepiſcopum anno, vacua eſſe contingeret, ea ſuæ diſpenſationis manerent; idq; a Pontifice Paulo indultum ei & conceſſum Rex Philippus poſtea abnuit, nimirum quia domus illa Eſtenſium pronior ſemper in Gallum fuiſſet. Ceterùm, permiſſo ei, vt viros idoneos nominaret, quatuor ipſe commendauit, e quibus Archintus Pontifici ſtatim abſque exceptione vlla probabatur. Is Venetijs hoc tempore Legatum Apoſtolicum agebat, ſub tribus iam antea Pontificibus maximis eo munere perfunctus, & nuper accepto ſucceſsore ob negotia, quibus apud Senatum eum agendis noua mandata certumq. hominem mitti oportuerat. Ibi nouus Archiepiſcopus accepto nuntio de nominatione facta per Cardinalem ac de iudicio authoritateq; Pontificis ſcripſit ad Regem Philippum, & petijt vt ſibi ad capeſſendam Metropolim benigne

an-

annueret. Non potuiſſe honorem alteri demandari, qui, maiore, vel obſequio & fide erga Regem ſuum, vel erga Patriam ſtudio & cura munus illud Paſtorale obiret. In eandem ſententiam ſcripſere Decuriones Vrbis, congrueratq; fortè, vt ab Senatu Sfortia Moronus ad Regem eodem tempore legaretur. Ei data eſt epiſtola ſcripta patrio ſermone totidem uerbis. Ca-
„ tholice Rex. Philippus Archintus illuſtri apud nos
„ loco ortus, ad annum hunc ætatis ſuæ ſexageſimum in-
„ nocenter & modeſte vitam egit, atq. in grauiſſimis
„ Reip. muneribus cum magna laude uerſatus Maieſtatis
„ etiam Veſtræ Parentem Caeſarem Auguſtum commo-
„ uerat opinione prudentiae, ut Conſiliarium ſuum eſſe
„ iuberet atque haberet inter fideles intimosq. ſeruos.
„ Nunc à Pontifice Maximo Archiepiſcopus hic datur
„ Vrbi noſtrae, quae per annos iam ferè quinquagin-
„ ta deſtituta Paſtore ſuo inter ſuperiorum temporum
„ damna cladem etiam hanc lugebat. Petimus à Ma-
„ ieſtate veſtra ſupplices, vt quoniam feliciſſimo Regni
„ eius exortu cetera depulimus mala, quibus vrgeba-
„ mur, etiam ab Eccleſia depellere ſolitudinem ipſa an-
„ nuente poſſimus, eaque datum Archinto Pontifica-
„ tum ratum eſſe velit. Sunt litterae viro aptae regi-
„ mini populorum: eſt animus imbutus Eccleſiaſtica
„ diſciplina & ſacrarum rerum vſu: vita, quae alijs in-
„ ſtar eſſe diſciplinae poſſit; talique Pontifice, ſi Ma-
„ ieſtas veſtra annuat, Populus, & Clerus, & Eccleſia
„ Mediolanenſis, faciem recipient eam, quae aliquan-
„ do fuit, & quae Metropolim decet. Optimo & ma-

„ ximo Regij precamur imperij & vitæ ſpatia, quae Ca-
„ tholicae fidei propugnator meretur. Hanc Decurionum epiſtolam pertulit Bruxellas ad Regem ea legatio, quae de rebus fortè alijs mittebatur. Sed cùm occupato ibi diuerſis curis Rege ob bella & ambiguam Prouinciarum fidem, Mediolanenſium litteris poſtulatiſq; tardius aduerteretur; poſt quintum ab ea legatione menſem litterae aliae petentes id ipſum mittuntur; eis quoque irritis tertia mittitur Epiſto-
„ la ſcripta in hunc modum. Catholicae Rex. Cùm
„ ſuperioribus diebus Sfortiam Moronum ciuem no-
„ ſtrum ad Maieſtatem Veſtram Ciuitatis nomine ſup-
„ plicem mitteremus, mandatae cum primis ei preces
„ fuerant ſuper Philippo Archinto, quem datum nobis
„ à Pontifice Maximo Paſtorem, vt Maieſtas Veſtra
„ probaret admitteretque petebamus. Et huic noſtro
„ poſtulato, quia reſponſi nihil dabatur, aliae noſtrae
„ miſſae litterae, de negotio eq; ea fruſtra ſupplica-
„ uerunt. Nunc nouas mittendi preces, tertiùmq; ſup-
„ plicandi, neceſſitatem nobis fiduciamque praebent,
„ hinc Maieſtatis V. benignitas, hinc corruptior in
„ dies diſciplina Cleri, atque ſacrarum rerum quotidie
„ remiſſior apud nos cura, quia caput deeſt. Petunt
„ à Maieſtate Veſtra fideliſſimi ſemper Mediolanenſes,
„ ne cunctetur huic malo remedium afferre victrice ſua
„ dextra, ſcribendo, placere ſibi vt Archintus Metro-
„ polim capeſſat. Id, & propter poſtulati aequitatem,
„ & propter M. V. religionem poſſe impetrari magno-
„ pere ſperamus; ac veluti iam impetrato, victricem

can-

„ eandem dexteram gratis erga tantæ rei munus animis veneramur. Haec ipſa Decuriones Vrbis ad Regem ſcripſere; Cardinaliſque Tridentinus, de moribus, & grauitate fideq; Archinti congruentia teſtificabatur. Diſtinebant adhuc Regem eædem curæ, quæ cognitionem & reſponſa diſtulerant; & in eodem aliquandiu ſilentio res erat, admodum interim ſolicito Senatu Decurionibuſque Vrbis, propterea quod, ad eam diem, neq. audita legatio eſſet, neque ad trinas iam ſcriptas publice litteras quicquam ex Regia reſcriberetur. Adfuere deinde totidem epiſtolæ Regis; ad Gubernatorē Vrbis vna, ad Decuriones alia, tertia ad Archintum ipſum, quem, & Reuerendum Patrem, & Archiepiſcopum, & amicum inſcriptione prima Rex appellabat; atque in omni deinceps parte litterarum, quamquam regia breuitate ſcriptae illæ eſſent, honorifica & prolixa cuncta legebantur. Exemplum earum huiuſmodi
» fuit. Reuerende in Chriſto Pater Archiepiſcope dile-
» cte nobis. Acceperamus litteras tuas, quibus, & ſi-
» gnificabas nobis, quemadmodum Archiepiſcopus Ec-
» cleſiæ Mediolanenſis à Pontifice maximo factus eſſes, &
» petebas, vt tibi ad honorem ineundum authoritate no-
» ſtra ſuffragaremur. Sed tum occupati bello, tum vo-
» lenteis prius inquirere nonnulla, quæ cognoſci ad Dei
» cultum & res noſtras intererat, diſtulimus in hunc diem
» id quod ad poſſeſſionem Eccleſiæ tibi decernendam ar-
» bitrij noſtri fuit. Nunc ſcribimus ad Gubernatorem
» iſtius Prouinciæ noſtrum, vt abſque cunctatione vlla a-
» gat rem, teque noſtro nomine in iura omnia Pontifi-

catus

Digitized by Google

„catus Ambroſiani admittat, quemadmodum quidem
„ex ipſo cognoſces. Ceterùm, ſicuti nos fidei ac virtuti
„tuæ libenter cuncta credidimus, ita tuum erit eniti
„ac prouidere vigilantia & ſolicitudine omni, vt
„ſacra pure ac ſancte adminiſtrentur, & Populus iſte quo
„tidie melior fiat. Et Archiepiſcopo quidem ita ſcripſerat Rex: ad Decuriones verò minime diſſimilis for-
„ma litterarum fuit. Magnifici fideles amici noſtri.
„Redditæ noſtri fuerunt litteræ veſtræ datæ ad III. Cal.
„Septembris, per quas exponebatis ſtudium eius rei
„veſtrum, vt Philippus Archintus, quem Cardinalis Fer-
„rariæ Archiepiſcopum ſuo loco renuntiauiſſet, colloca-
„retur in poſſeſſione Pontificatus, & nos vt ſuper ea re
„mandata opportuna daremus, cum magna teſtificatio-
„ne virtutum ipſius Archinti orabatis. Itaque, & pre-
„cibus veſtris, & hominis virtute commoti, & inprimis
„quia diutius carere Paſtore ciuitatem Eocleſiamq; ve-
„ſtram minime decebat; mandauimus Gubernatori iſtic
„noſtro, vt ei rei finem imponat, itq; quomodo fieri ve-
„limus, ex ipſo cognoſcetis. Gubernator iam Prouinciæ vrbiſque erat Ioannes Ficeroa, quem diſſoluto Triumuiratu, Cardinaleq; reuocato, paulo antea miſerat Rex. Ad eum Epiſtola fuit hoc exemplo. Cùm ſupe-
„rioribus menſibus à nobis petitum eſſet, vt Philippum
„Archintum nouum Archiepiſcopum in poſſeſsionem
„Eccleſiæ Mediolanenſis induci mandaremus; eam rem
„differri neceſſe fuit, vt certiora cognoſceremus, tum de
„vita, & cōditione Archinti ipſius, tum de rebus ijs, quas
„Cardinalis Eſtenſis eo abdicato Pontificatu ſibi reſer-
uabat.

„ uabat. Ac cetera quidem, & Mediolanenſium ipſorũ „ teſtimonio, & affirmatione Cardinalis Tridentini, re- „ perimus qualia vellemus eſſe; Archintumq. probamus, „ ut fidum nobis, & muneri ſuffecturum; Illud uerò non „ placet; octo menſium ſacerdotia Eſtenſi eidem diſpen- „ ſanda relinqui. Quamobrem, ita admittes collocabiſq. „ in ſua Sede Archintum, vt Cardinalis Archiepiſcopuſq. „ prior diſpenſatione illa Sacerdotiorum excludatur; at- „ que totum hoc vt ex animi noſtri ſententia adminiſtre- „ tur curæ tibi erit. Tempore, quo Mediolanum hæ lit- „ teræ perferebantur, non erat Ficeroa Gubernator ad Vrbem; ſed accepto in Subalpinis Regio mandato, Senatui ſcripſit, vt rem eã ordine exſequerentur. Simul acceptis ab Archinto litteris humaniſsime reſpondit; Non potuiſse honorem eum vlli demandari, quem ipſe faceret pluris carioremq. haberet. Optare, vt laetus incolumiſq. diu gerere Pontificatum poſſit glorioſum ipſi, ciuibus, & Patriæ ſalutiferum. Aegre ferre quòd in eiuſmodi tempus inciderit res, vt fructus ſibi optatiſsimus eripiatur, quo, ſpectator, & particeps, & miniſter eſſe publicae lætitiæ ſolenniumq. initiorum, ac nouo Pontifici auſpicanti paſtorale munus coram inſeruire voluiſſet. Mandaſſe Senatui, vt vice ſua omnibus fungantur officijs, quò ſint expeditiora cuncta ei ad Eccleſiae regimen, ſalutemq; populorum inchoandam. Quanto maiorem Eccleſiae ſqualorem videat ex diuturno Paſtoris deſiderio, tantò magis id eſse accelerandum. Hoc accepto reſponſo Archintus ſumma omnium voluntate & gratulatione Ciuitatis ſolennia

parabat

parabat ineundo Pontificatui, cùm Regij Oeconomi exorta repente actio impleuit ſuſpicionibus animos, cunctaq. turbauit, & Archiepiſcopum optimum ex Metropolitana ſede in exilij miſerias haud ſine publico luctu coniecit. Oeconomus, Mediolani, iam inde ab Hiſpanæ dominationis initio vocatur inter alios Regios Magiſtratus e ſacrorum ordine vnus, qui Regis nomine fit author, quotieſcunque, vel à Pontifice maximo, vel ab Archiepiſcopo, ſacerdotium impetratum adire quis velit; idq; nomen, & ea poteſtas, exortis ſæpe controuerſijs, maiore aliquando fuit, aut minori iure, quàm hodie habetur. Fungebatur munere tunc eo Calaber Sacerdos, de quo homine ſiniſtra fuit in vrbe fama, tamquam, praeter aſperitatem ingenij, vitia quædam alia Graecanica ſecum attuliſset. Minimam eius vitæ labem eſſe aiebant, quòd ſub Regiæ præfecturae obtentu interciperet Eccleſiae vectigalia, & ſibi, non Regi vſurparet. Poſtquam is ſenſit Archintum iam inibi eſſe, vt iubente Rege, annuente Gubernatore Vrbis, deducente Senatu, in Metropolitano ſolio collocaretur, dolore amens, per ſpeciem ſuæ fungendæ vicis adit Senatum, & multa, quę commentus erat, profert, vt doceat, minui maieſtatem atque periclitari ſi ſummum vrbis Sacerdotium Archinto ei relinquatur. Scripta quin etiam edidit capita accusationis suæ; quæ comperta ſibi, quæ suspecta, quid inſuper accidere poſset, quid natura vrbis, quid ingenia populi, quid conditio Pontificatus afferre damnoſum Regi, ſiue anceps, cuncta ordine exponendo, commouerat

Patres,

Patres, non quidem vt aſsentirentur, ſed certè vt Archintum ipſum de rebus eiuſmodi commonefactum vellent. Et ille quidem audita criminatione, ad vnumquodq. caput ita reſpondit, ſatis vt Patribus appareret, neque in animo, neque in fortuna eius & familia, neq. in ſuperiore vita quicquam eſse eorum, quæ ab calumniatore Calabro iactata erant. Itaque regia mandata exſequenda, Pontificemque accipiendum conſenſu decernebant. Mox Calaber, ſicuti pedum doloribus inhibebatur, ſella geſtatoria delatus in Curiam, tam truci ſpiritu, tam importuno ore cauſam egit, vt onerati Senatores & fatigati querimonijs atque denuntiationibus deſcenderent ad exceptionem denique eam; poſse Archintum ita admoueri regimini ſacrorum, vt præter diuina myſteria & aras, animarumq; ſalutem, nihil aliud ille attingeret; cetera relinquerentur in ſuſpenſo donec Ficeroa Gubernator in vrbem redijſſet. Videbat Archintus infringi Eccleſiæ authoritatem, ſi ſacer honor, & alimenta honoris, quæ iure antiquiſſimo, & quotidianę cõſuetudinis humanorũq; vſuũ neceſſitate coniuncta inter ſe eſsent, flagitioſa ea diuiſione ſepararentur. Deſtitutũ ſe opibus, queis Archiepiſcopi nomen & perſona niteretur, etiã ad ſacra cum dignitate, obeunda inualidum fore; conſtanterque ideo abnuebat. Satius eſse, abnuentem ſacri honoris contumelias, in ea gloria extingui, quàm ex Inſubriæ Metropolita Pontificeque Ambroſiano Semiepiſcopum factum præbere ſic ad ludibrium os, neque habentem ipſum adiumenta ſplendoris ſui, neque alijs ali-

menta ſuppeditantem. De ea ratione conſilij ſui, deque Oeconomi interceſſione, & iniecto per eum impedimento cùm ad Ficeroam ſcripſiſset, eiuſmodi reſponſum accepit, vt ipſum quoque rationibus Oeconomi nonnihil eſse commotum appareret. Reſcripſit enim, nihil erraturum fuiſse Reuerendum Patrem, ſi poſſeſsionem ſacrorum quocunque modo adijſset, vt fidem faceret, non emolumenti alicuius cura, ſed paſtorali ſtudio ſolicitudineq; animarum id munus expetiſse. Nunc etiam hortari, vt ſicuti cenſeat Senatus, diuina complectatur; cetera non defutura ei cùm primum ipſe redijſset; & rediturum breui. Hoc reſponſo accepto, maluit adhuc Archintus expectare Gubernatorem, quàm truncum, & mutilum, deformemq. Pontificatum ſuſcepiſse. Poſtquam is redijt, tanto rurſus fremitu, tantaque contentione Calaber Oeconomus exaggerabat damna ſimul & pericula Regiarum rerũ ex Archinti Pontificatu, vt amplius deliberandum, conſulendumq. denuo Regem omneis cenſerent. Datis igitur ad Regem litteris, dum reſponſa exſpectantur, Pontifex Paulus, cognita interim Oeconomi interceſſione, Regiorumque motu, Pallium Archinto tranſmiſit. Eſt inſigne id Metropolitanæ poteſtatis, inter ſollennia geſtamen collo ſumma pectoris humeroſque cingens; ac munere utique tali, poſſeſſio Eccleſiæ Mediolanenſis, ius in Prouinciales Epiſcopos, & cuncta alia iterum Archinto affirmabantur, quæ tunc eſsent data cùm Archiepiſcopus ille crearetur. Simul Apoſtolicæ literæ miſsæ vnà cum eo inſigni, queis Paulus Guber-

natorem

natorem monebat, iniuriam, quæ Archinto fieret, cõmunem eſſe ei cum Apoſtolica Sede; damnoſam Vrbi; quæ tali interim Paſtore priuaretur; ingratam Regi, qui probatum iam ſibi & acceptum, calumnijs improbari alienis videret. Has literas Pontificis iuſſu offerre Gubernatori Archintus debebat; ſciebatq. Gubernator ipſe eſſe allatas; ſed quænam eſſet ſententia, vaticinando angebatur. Crediderat, anathematis eſſe denuntiationem, & diras intentari ni pareret. Itaque, & ſermonibus iecerat haud obſcuris, melius fore, ſi litteræ eæ ſibi non traderentur, & quoties crediderat adeſſe qui redderet, varie tergiuerſatus erat. Demum redditæ ſunt arte & via, quam Archintus leniſſime fallacem excogitauit; apertæq. & lectæ minus offenderunt, quia mitem tantummodo obiurgationem, & paterna monita afferebant. Archintum tamen, quominus, nec authoritate Apoſtolica ſubleuaretur, nec ei dies ipſa, qua cuncta mitigantur, nec lene alioqui Gubernatoris ingenium prodeſſet, multa aſſidue ſimul vrgebant; Calaber furioſe importunus ſemper, & elatior nunc ob ſucceſſum: alienata Curia, atque audiendo ſæpius eadem ſuſpenſi iam etiam qui calumniatorẽ antea conſtantisſime repuliſſent: perculſa ciuitas, & obiecto rebellionis crimine nutanteis etiam propinqui: Clerus ipſe lætus præſenti licentia, et exorienti diſciplinæ ſeueritatique infenſus. Neque quicquam horum tam aduerſarium Archiepiſcopo erat, quàm homo vnus è Clero, qui miſsus olim ab Eſtenſe Vicarius perſeuerabat adhuc in eo munere, & magnæ cladis loco duce-

bat, ſi tranſlatis rebus, ac mutato ſummo Eccleſiæ regimine abeundum hinc foret. Inſtigabat iſte Oeconomum, & ab Oeconomo viciſſim inſtigabatur: vterque verò ſimul, nunc Senatui, nunc Gubernatori ſuggerebant iras cauſasue irarum; gnarusq; Vicarius occultarum Eccleſiæ rerum, prodebat Regijs arcana Pontificatus, docendo, quæ iura quaſue literas aduerſus maieſtatem depromere aliquando Archiepiſcopus poſſet; Per eas artes & furta miniſter improbus, non præſentem tantummodo inuidiam eiectionemq; Archiepiſcopo, ſed gratiam ſibi in poſterum apud Hiſpanos, eorumq. commendatione aditum ad munera honoresue alios quærebat. Et materiem locumq. creſcendi præbuerat huic Archintus ipſe actione vna, quæ prima ei & nouiſſima Pontificalium fuit. Cùm enim accepto Pallio promulgaſſet edictum, quo monebat ſcribas hominesq. ſuos, vt conficerent rite documenta publica, formulasq. cuſtodirent Eccleſiaſticæ iuriſdictioni conuenientes; confeſtim Vicarius eam rem ad Oeconomũ defert. Oeconomus Gubernatori aperit; ac demonſtrat, haud aliò pertinere id factum, quàm vt conſenſus authoritaſque Regia tollatur ex omni iure ſacrorũ, ac inuito Rege maximam eam vrbis & prouinciæ partem teneat quiſquis ab Romano electus vrbem prouinciamq. turbare poſſit. Dum conſulitur Rex, dum reſponſa eius exſpectantur, irruiſſe in poſſeſsionem Eccleſiæ Archintum, & Regi ſic Regijsque illuſiſſe. Si promulgare edicta actionibuſue alijs vſurpare poteſtatem pergat, haud leuiorem fore indulgentiæ culpam

erga

erga contumacem, quàm contumaciæ ipſius aduerſus Regem. Non dici plura attinebat. Per Franciſcum Craſſum, qui poſtea Cardinalis fuit, monetur illico Archintus; quoniam Regis mandata ſuper eius Pontificatu exſpectentur, interim ei manendum eſſe extra prouinciæ fines; Excellentiſſimo Gubernatori ſic viſum; & ad dignitatem ipſius otiumq. publicum id enimuero pertinere. Tradunt, Archiepiſcopum, eam denuntiationem excepiſſe tranquillo animo manſuetoq. vultu, ac ne verbo quidem commutato vno, vertiſſe patrium ſolum; patriam vniuerſam, exceptis impijs, ita indoluiſſe, quaſi capite in illo ſalus publica exulatum iret. Bergomum abijt, opportunitatem credo Vrbis, & Eccleſiæ illius ſecutus, quòd, & vrbs eſſet Venetæ ditionis, & Eccleſia numeraretur inter Prouinciales alias, præſideq. ac paſtore tunc careret. Ibi, nec Regi Regijſue ſuſpectum, in aliena terra, nec in orba ciuitate deſidem fore. Progreſſus igitur quamplacidiſſime in eam partem, ad extrema Mediolanenſis agri, traiecto flumine quod interluit, Bergomenſes eos populos, ceu Metropolim alteram excolebat haud magnopere iam memor Eccleſiæ qua arcebatur. Pontifex Paulus, re cognita ſicuti geſta eſſet, ferire Apoſtolico fulmine Regios parabat; eſtque ab eo inhibitus collatâ in Oeconomi ſuſpiciones culpâ; & Regiæ litteræ propediem adfuturæ dicebantur, quę exſulem honorificè reuocarent. Is, tertio menſe poſtquam vrbe exceſſerat, Bergomi moritur; atque allatis in ipſo fere obitu litteris, quæ exſpectabantur, Mediolanenſes, velut ereptum tertiò iam

ſibi Archiepiſcopum luxere. Innoxios Archinti mores, & acceptam Celo virtutem declarauere ea, quæ mortẽ inſecuta ſunt, & obitu in ipſo proteruia Dæmonum manifeſtè tumultuata eſt. Namq. inter cetera ſtudia proximis adiuuandis, & procurandæ multorum ſaluti, fuerat hic etiam ſpiritus & confidentia Archinto, obſidẽtes mortalium præcordia Dæmonas euocare & pellere exorciſmis; multæq. nobiles palmæ celebrabantur, quas profligato ſic hoſte retuliſſet. Bergomenſi negotiatori diuiti & honeſto filij fuere quinque dæmonijs obſeſſi totidem, & vnuſquiſque eorum ab Dæmone ſuo ita agitabatur, vt fœditatis & væcordiæ certamen inter ipſos eſſe Dæmonas videretur. Lymphatorum certe aliorum nullum vnquam vidiſſe aiebant vrbis eius homines, quem amentia & furore cum fratribus hiſce compararent. Poſt irritas multas Exorciſtarum artes & fallacia promiſſa, aggreſſus Archintus infelicem eam miſerrimi parentis prolem; grandiores quidem quatuor exemit Faunorum ludibrijs, minimus verò natu qui erat, pertinacius adhuc obſidebatur, & actus à Dæmone in fugam, ex patria domo proripuerat ſeſe Mediolanumq. peruenerat paulò ante quàm Archiepiſcopus moreretur. Secutus abeuntis veſtigia filij pater, non equi velocitate, non ſolicitudine ſua potuit æquare furialem illius gradum, Mediolaniq; demum aſſecutus infelicem percunctatur quid ita conſciuerit fugam. Reſpondit ex puerili ore Dæmon; factum id eſſe importunitate Exorciſtæ, cuius violenta carmina ſtomacharetur. Neq. enim, ſicut ignobiliores alios ſpiritus

ille

ille pepuliſſet, ita vim eandem in ſe eſſe valituram. Dixerat hæc; & paulò poſtea, compellato patre puer, momento, inquit, iſto Archintus expirauit. Ei ſcilicet præſagio congruens deinde reperta eſt hora, qua Bergomi deceſſerat Archiepiſcopus exul. Celebre per ea tempora negotium fuit, auxeratq; rei admirationem reddita puero etiam huic ſalus poſtquam pater eum tumulo Pontificis admouit. Anno CIↃ IↃLVIII. ad XV. Cal. Sextileis obijt Archintus precatus vltimis tabulis, vt ſepulturæ ſibi locus Mediolani in Metropolitana Aede concederetur. Si id impetrare non poſſet, locum eundem in Baſilica Thebæi Martyris Alexandri à Bergomenſibus petebat. Inſcriptionem quoque ſepulcro compoſuit ipſe manſuetudine eadem; ſcilicet, vt neque per ambitionem honores vltimos contempſiſſe videretur, neque propinqui vel amici, caritate in mortuum, vel adulatione in viuos ad inania delaberentur. Inſcriptio fuit in hunc modum. Hic. eſt. titulus. monumenti. Philippi. Archinti. Archiepiſcopi. Mediolanenſis. Siue in patria, quod magis optarat, ſiue Bergomi tumularetur, retineri ſepulcralem eum titulum volebat. Cumque penſiles tumuli fierent tunc illuſtribus fere viris, deſpectans ſeſe infra ceteros, mandauit intra terræ viſcera cadauer abſturdi pauperum ritu. Non idem populorum ſenſus erga id quod vile adeò ipſi & proiectum; certaminaq. & lites ob cadauer extitere. Bergomenſes, quia, & viuo Archiepiſcopo terra illa ad exulandum placuiſſet, & ibi eſſet mortuus, vindicabant ſibi Pontificis reliquias. Ciuitas noſtra, & nata-

lium,

lium, & teſtamenti iure eaſdem repetebat. Pontifex Max. ex Alexandro Archinto fratre mortui cognita cauſa, precibus dedit huius, vt Mediolanum arca deportaretur; quæ deportata & aperta, corpus illud, ſicuti compoſitum in ea fuerat, nulla corruptum tabe oſtendit; annusq. iam alter ab exceſſu exibat. Conſiderantes huius Archinti inſtituta & mores animumq. nonnulli, qui deinde D. Caroli Pontificatum, & Sancti Pontificis vitam, ab initio ad finem vſque, præſenteis & aſſidui Diuo ſpectauere, crediderunt, ſi vixiſſet ille diutius, neque prohibitus Pontificatu fuiſſet, formam Eccleſiæ, quam ſub Borromæo inſtaurari poſterior ætas vidit, ſub Archinto prius iam tunc fuiſſe renouandam, & Archiepiſcopos duos, qui temporum ſucceſſione coniungebantur, rerum exitu diſſimiles, ſimilitudine inter ſe animorum aptiſſime potuiſſe comparari. Ac ſanè mihi etiam intuenti Pontificalia rudimenta, quæ poſuerat Archintus, cùm Sancti Sepulcri prius, deinde Salinarum Epiſcopus fuiſſet, multùm paſtoralis vigilantiæ, multumq. ſolicitudinis ex ea minorum Eccleſiarum adminiſtratione occurrit. Quos ille ſpiritus, ſi ad huius, & vrbis & Prouinciæ magnitudinem adiungere potuiſſet, credere licet, vel excolendis Eccleſiæ rebus, occupaturum eum fuiſſe gloriæ partem, quæ tota in Borromæum ceſsit, vel excultâ iam Eccleſiâ, purgataq. per ipſum vrbe, maiorem aliarum rerum campum diuinis Borromæi artibus ita potuiſſe aperiri. Non quidem adierat ille traditos ſibi populos, Etruſcum illum priorem & Gallicanum alterum, Romanis nempe nego-

tijs

tijs impeditus ſemper, & eodem retinente Pontifice, qui Eccleſiam vtramque mandarat. Ceterùm, etiam abſens omne paſtorale munus impleuit; & quia Salinarrum præcipue vrbi hæreticæ contagionis periculum ex finitima Galliarum peſte aderat, conſcripto ad homines eos Catechiſmo, ita firmauit erudiuitq. gentem aduerſus imminens malum, vt inſtitutio ea præferat elementa diſciplinæ, qua Sanctus Carolus poſtea conſtituit Metropolim hanc labantem. Infenſus Eccleſiæ corruptelis erat, nec ea morum parte Borromæo ipſi diſpar. Tradunt, obuio fortè Purpuratorum vni ſubmiſiſse contemptim oculos, quia ille ſui ordinis inſignia non præferret. Et ſub Pauli III. obitum cùm nouo Pontifici creando comitia haberentur, Collegio toti litteras obtulit ſcriptum habentes, quæ vitia poſſent irrepere comitijs, & quomodo negotium id ſanctiſſime adminiſtraretur. Amauit vnice Patriam, & ciuium ornandorum valde cupidus fuit, ſiquidem indolem aliquam virtutis præferrent. Eo ſtudio Franciſcum Sfondratum Pontifici commendauit, quem amiſsa vxore aptum Eccleſiæ rebus cenſebat; adeoq. non eſt in ea exiſtimatione deceptus, vt, Cardinalis hic fieret, & illata ſemel in domum purpura multiplicaret honorem, faſtigiumq; etiam inferret illud vnde is honos datur. Namq. Nicolaus Franciſci filius item Cardinalis, ac deinde Pontifex Maximus fuit. Tantum nobiliſsima Domus Archinto debet. Sed Angelum quoque Medicæum qui paulo poſtea ſub *Pij* IV. nomine regnaturus in Eccleſia erat, produxit, plurimumque

adiuuit authoritate teſtimonij, & conſiliorum prudentia ac fide, quò certiorem ad ſumma viam calcaret. Quae ipſa retuli, vt intelligeretur, habuiſse Archintum iſtud etiam è Sancti Caroli moribus, vt ad ſummos Eccleſiæ honores ipſo potiſſimum duce atq. adiutore, clariſſimi, & optimi ciuium peruenirent. Dabantque Archinto in id authoritatem honores geſti, vita acta cõſtanter, & cum dignitate, apud Caeſarem, apud Pontifices Maximos gratia, conſilia ſæpe pacis ac belli penes eum; & ampliſſimorum munerum emolumenta repudiarat. Talis viri morte, Cæſarem ipſum, accepto nuntio, commotum fuiſse aiebant, & Oeconomo ſucccenſuiſse, cuius calumnia, & inſectatione ille vexatus fuiſset. Tertio poſt menſe moritur etiam Caeſar anno quinquageſimo octauo poſtquam natus erat. Eius memoriam manſuram in hominum animis & ore famae, quamdiu litterae & homines manebunt, non recoluiſſe hoc loco, iniuria noſtrae Vrbis fuerit, quae ipſius armis exempta barbarico iugo, exculta ſaluberrimis inſtitutis, muneribus priuilegijſque aucta, &, quod maximum omnium fuit, in Catholici Imperij corpus aſſumpta celebrauit tanto luctu exſequias ſummi mortalium, quanta olim gratulatione aduentum eius celebrarat. Mediocre corpus ei, grata regio honore facies obtigerat. Bellator animus puero, nataque tot victorijs indoles, otij ſtudia non perinde adamauit. Sed litterae & Philoſophi ſub alio nuſquam Rege pulcrius ſtetere, incuſabatq; ipſe poſtea, quod non didiciſſet. Locutus eſt linguis omnium fere gen-

tium,

tium, quibus imperauit, & naturae dono facundus erat. Multae ſecundae res ei, ſed nec aduerſa defuere per omnem vitam; orbemq; terrarum ad vtraſque vices quodammodo diuiſerat ei fortuna, vt in diuerſa parte contrarios euentus aſſignaret. Fuere dimicanti Caeſari proſperarum rerum ſedes, Italia, Germaniaque, & Hiſpaniae Regna quoties rebellionem cœptauere. America ſimul, & quà nouus orbis ſemiferis mortalibus habitatur, obnoxia vincenti Carolo ſemper fuere. Ambigui bellorum exitus per Graeciam, & Africam, Galliamq; & Flandriam eadem quaſi ſortis diſpenſatione contigerunt. Minus ad felicitatem fida pax ei ſemper fuit, ſemperque magnae rerum iniquitates, & magna diſcrimina laceſſiuere Caroli Caeſaris gloriam, quoties quieſcere voluerat. Pacem tamen ipſam ſanctè integreque adminiſtrauit, & arbitrium egit omnium ferè Europae rerum, propoſiti tenax ad cuncta, quae deſtinauiſſet, Catholicae religionis defenſor, qualem Eccleſia ipſa admirata eſt. Veluti proprium eius fuit, appeti coniuratorum inſidijs, & punire ſeu debellare coniuratos. Sic magni & occulti rebellium conatus, quos India, Hiſpaniaue, & Belgium, & Neapolis dedere, ſanxerunt exemplo ſuo per terras illas aeternam fidem; & exempla in omne aeuum ibunt. Aperto Marte vicit Franciſcum I. Galliae Regem, captiuumque habuit domi & dimiſit; quod glorioſius habitum eſt quàm etiam viciſſe. Saxonem & Lantgrauium capita Germaniae furentis, ſub iugum miſſos, & coactos accipere leges, viuere

iuſſit, atque priſtinam fortunam habere. Turcarum Imperatorem Solimanum nihil habentem ex barbaro præter nomen & ſectam, cum vniuerſa prope barbaria coortum & armatum in ſpes vltimas afflixit clade, quam res Othomanae ſemper ſentient. Ad auiti Imperij fines adiecit; Americam, & Mexici Regna, & Regna Peruana; mortalitatẽq; illam, & alterum planè Mundum expertem ſalutis & caligini damnatum colluſtrauit Euangelij luce; Prouinciam praeterea Mediolanum, & Prouincias alias, quas deinde largiendo alijs conſtituit domos, quae nunc opulentiâ & maieſtate Regum agunt. Vnico matrimonio contentus fuit, & ſpretâ ad extremum gloriâ, quam tantis rebus meruerat, depoſito imperio quieſcere voluit in piorum cœtu, atque ibi mortalitatem expleuit, nondum ille quidem in termino breuis aeui mortalium, ſi iuſtum exigere curſum plenis annorum ſpatijs liceret; ſed maturauerant ſenectam labores & curae, delicata corporis conſtitutio laboribus impar, animi vigor aſſidue curas accerſens; vnde nunc ingruerant morbi, & ſuper cetera, non ferre erat inſanos articulorum dolores. Annus, quo Caeſar deceſſit, syderalis ſcientiæ vanitate canebatur fatalis. Principum Regumque funeribus, ciuitatum excidio, conuerſioni rerum omnium humanarum, addebanturq; minae aliæ celeſtes, fulgura, terræmotus, et procellæ cum multiplici ſtrage hominum, & quicquid aliud pauet vita. Ei tam infauſtæ vaticinationi fidem adſtruxerat Cæſaris obitus, et crediderant prouinciæ ſubiectæ Catholico imperio,

perio,

perio defunctas ſe eſſe ſuis malis hoc ipſo, quod mors propera Caeſarem abſtuliſſet. Parentauere Mediolanenſes ita vt ob lætitiam triumphumue vllum nuſquam aliàs antea perinde ſpectaculo fuerit omnibus Inſubriæ populis ciuitas, quàm tunc ob moerorem fuit; et ſpectantium animos ab ipſa contemplatione moeroris auertebant funebrium operum ſumptus, queis in luxuriæ faciem teſtati ſuum luctum Metropolitani erant. Orationem habuit Franciſcus Craſſus, tunc Senator, poſtea Cardinalis eloquentiae & dignitate vitæ par muneri. Anno demum altero poſtquam Carolus Caeſar diem ſuum obierat, mortuo interim etiam Pontifice Paulo IV. Cardinalis Ioannes Angelus Medicaeus, Iacobi frater, Sancti Caroli auunculus attollitur in eius locum, et nouo nomine Pius IV. appellatur; ſtatimque Mediolanenſem Eccleſiam & Patriam omnem inſatiabiliter ille decorare aggreſſus ipſo Pontificatus initio praecipua curarum huc vertebat. Deſtinatum ei in primis erat, in ſupplendo Collegio aſſumere ex nobilitate Mediolanenſi idoneos viros ſapientia & magnitudine animi, & rerum vſu, ſcilicet vt tantae dignitatis ſplendore refoueret illuſtreis domos, ſuperiorum temporum clade miſeriaq; vaſtatas, & praeſidia Metropoli in poſterum etiam pararet. Ipſum primo Borromaeum Cardinalem creauit, admouitq; ſibi in Principem fauoris & gratiae locum, nihil fortaſse tunc aliud reſpiciens ille quidem quàm vt ſororis filio pio & prudenti circa ſummam rerum & arcana Pontifi-

catus

catus inniteretur; ſed diuinitus alia, quae deinceps prodiere, ſtruebantur. Alios deinde nobiles Mediolanenſes in ordinem eum cooptando, tum ſacro Senatui decus, tum Metropoli robur addebat. Cooptauit enim aſciuitque Antonium Cerbellonum, Ludouicum Simonetam, Franciſcum Caſtelleonæum, Alexandrum Cribellum, Carolum Vicecomitem, Franciſcum Craſſum, & Franciſcum Alciatum è primoribus Vrbis, ſiue prudentia literiſq; primos. Ab eadem clariſſimi ſanguinis, vel eximiae literaturæ commendatione probatos ſibi praeterea complures excire ſubinde ab Mediolano & addere Patribus in animo habebat, quorum nomina in commentarijs reperta ſunt poſtquam ille deceſſit. Erant fere omneis è Collegio Iuriſconſultorum, quæ apud Mediolanenſes eſt certiſſima nota vetuſtae & incorruptæ nobilitatis, atque in id collegium fuerat olim etiam ipſe cooptatus. Ac beneuola erga ordinem eum recordatione, cuncta, quae poſsent eſse decori & ornamento, excogitauit vltro & conceſſit, extructâ aulà domicilioq; amplo ad quotidianos conuentus, datis inſignibus, aureoq; torque, quod bini in orbem Abbates ſuo munere geſtamen collo haberent. Inſtituit, vt inter Rotae Auditores, & inter Sacri Conſiſtorij Aduocatos (Romanorum munerum ea vocabula ſic vſurpantur) vnus e collegio perpetuò eſſet, iuſſitque caelibes tantummodo nominari; nominatione per collegas facta, mitti quem Pontifex Maximus e tribus vnum probaſſet. Ita viderat fore, vt occaſione muneris vtriuſque, nuuquam ſpes

col-

collegio abeſſet adipiſcendi ſumma. Primi in eam ſpem idque munus ab collegio nominati, à Pontifice admiſſi, Pompeius Cotta & Franciſcus Boſſius fuere. Diploma conceſſionis eius Apoſtolicique priuilegij ſubſignauere Cardinales ſicuti autographum exemplar inter Collegij monumenta extat. Haec & alia pleraque, vel praeſidia, vel ornamenta Medicaeus ipſo Pontificatus initio adiunxerat Patriae, quorum ſummum atque ampliſſimum fuit datus interim etiam Archiepiſcopus ille; qui cuncta pure ac ſancte renouando reſtitueret Apoſtolicam Vrbi antiquitatem, & cuius denique nomen ac toto vulgatus orbe caeleſtis honor incomparabile decus fieret. Sed ingrati profectò ſimus erga tam bene meritum de Patria Pontificem, ſi beneficia tantùm memorauerimus, ob quae, alienigenæ etiam Pontificis reliquam omnem tradi memoriam ius faſq. erat. Tantò iuſtius, & ciuis, & Parentis noſtri Pontificatum hæ literæ cuſtodient, Metropolique aſſignabunt, repetita etiam origine eius, & honorum curſu, per quos iuit. Medicaeorum nomen genuſque Mediolani nullum antiquitus fuerat. Pulſi ſeditionibus ab Florentia commigrauere in vrbem, cùm patria extorres quacunque ſors tulerat, nominis eius familiæ diſſiparentur. Iacobus Pontificis auus Mediolanum, caſu, ſiue ſponte delatus, in vico, qui Moronorum dicitur, conſedit. Ea Paroecia Sancti Martini eſt, cui Nuſigia gens condito templo cognomen fecit. Iacobo Bernardinus ortus, ductâ in matrimonium Ceciliâ Cerbellonâ, complures ſuſcepit ex ea liberos,

beros, e quibus ſecundo loco natus hic, fratris fama litteriſque ſuis, et tegendis offenſionibus profundo animo, per honorum gradus imos et ancipites, deinde per altiora felicius, ferens ſemper diſſimulanſq; multa, ſemper fortunae prioris memor, eò denique peruenit, vnde diuino nutu, Cardinalium ſuffragijs, Eccleſiae totius gratulatione extra fines mortalitatis aſſumeretur, Chriſtique Vicarius fieret. Stat adhuc in eo Moronorum vico Paroeciaque Nuſigienſi, rudis, et antiqua, nec in honora domus, intra cuius parietes, Bernardinus et Cæcilia Pontificem procreauere. Et matrimonium illud ea vicinitas, quamdiu fortuna nihil mouebat, fortaſſe nihilo curioſius reſpiciens, quàm cetera coniugum paria, thoroſque humiles alienos, poſtquam ab tecto prodijſſe illo Pontificem Maximum ſenſere, tamquam de principali Regioue partu minutiſſima etiam cuncta narrabant. Quippe Caeciliam Matrem, ex proximo templo, quò ſeſe rei diuinae cauſa ipſo Paſchatis die contulerat, ſtimulante vtero, nondum porrectâ per Sacerdotem Hoſtiâ, redijſſe domum, partumq. edidiſſe. Bernardinum Patrem, poſteaquam nunciatum ei fuerit, in eodem templo grates egiſſe Numini, quod ſalua vxore filio auctus eſſet, votumq; nuncupaſſe, vt qui natus eſſet infans, frugi piuſque euaderet. Eſt in ædium ipſarum aditu gentilitium inſigne Medicæorum, qui relictâ vetere patria Mediolanum profugere; ſphærula nempe vna exſculpta ſimpliciter in paruo informi lapide, media inter duas literas, quæ Bernardinum Medicæum dominum

eſſe

eſſe tecti pari ſimplicitate oſtendunt. Nondum ſcilicet felici ſua rebellione ac virtute Iacobus *Pontificis* frater, de cuius fortuna & exitu demonſtratum eſt, meruerat, vt Florentiæ Ducum erga ipſum adulatio, ad ſolitariam illam ingloriamq; pilam quinq; alias adoptato velunt ſtemmate aggregaret. In ea natus domo puer, nec ſegni patris cura, nec tarda ipſius indole erudiebatur; ſpeſq. de eo tacita, & occulta domi erat. Simul huius aetas & literæ, ſimul fratris fortuna ingenteſq. auſus adoleſcebant. Poſtquam inter Iacobi facinora & pericula, Ioannes Angelus ad Ticinum ſolita iuuenum curricula emenſus, philoſophaſter quidam, & Leguleius, & nonnulla tinctus Medicorum arte, declamator item, & lyrici carminis artifex redierat domum, agitandis aliquandiu cauſis Mediolani exercebatur. Mox ingratum eum laborem animo grandiore pertæſus, abijt Romam, inuentoq. ſibi ad Cardinalem Farneſium Collegij facilè principem aditu, comis ingenio, promptus ad obſequia, fidus Principi, ſimplex & apertus inter amicos, in aulicorum grege diſſimulator, quocunque poterat modo ſeſe aduerſus fortunæ aulæq; lubricum regebat. Euecto ad Pontificatum Farneſio, iam antea fratris ope à Clemente Septimo Protonotarius factus, minoribus agitatur præfecturis, quæ tendentes ad maiora Romanos aulicos tentant in experimentum, aluntq.; & ſæpe ex euentu, faſtigia honorũ, vel emortuã ibi ſpem dedere. Aſculum primò mittitur, quæ antiquiſsima Piceni vrbs, certamine partium, & factionum licentiâ ſimilis rebellanti erat. Deinde Caſtellum in

Vmbria (id nomen vrbi) poſtea Parmam, ſpatio nonnullo interiecto Fanum rexit. In Pannoniam, in Germaniam Pontificij exercitus legatus, Anconam, Peruſium cum Imperio eſt miſſus, anxiâ caſibus interim & periculis vitâ, quæ ſemper exercuere virum; & Pannonico bello, cùm in exercitu verſaretur, diſploſus ex Turcica bombarda globus præteruolitauit aures eius raſitq; caput, ex quo poſtea ſurdaſter fuit. Iacobus interim frater, per Martiam Vrſinam vxorem, cuius ſoror nupta cum Petro Aluiſio Farneſio erat, Domui Pontificis per id matrimonium immiſtus eſſe coeperat; neque diu dilatus honos, qui in Apoſtolici fauoris prerogatiua primus vltimusue habetur. Archiepiſcopus Epidauri primò, dein Cardinalis creatur; atq. in Purpura etiam obnoxius periculis, ſiue liuori & obtrectationi multorum erat. Sub Iulio tertio coactus ferre arma in nepotem Pauli, cuius beneficio venerat in Collegium, Caſſanenſem in Brutijs Eccleſiam expeditionis eius præmium à Caeſare adeptus ſermonibus hominum carpebatur. Cum Paulo Quarto nulla ei gratia fuerat in ipſa Collegij ſocietate, & poſtquam is Caraſa Pontificatum tenuit, ferebatur frequenti Patrum conuentu acerbe inuectus eſſe in præſentem Medicæû, quòd multa praue, & ambitioſe moliretur, vt Mediolanenſem Eceleſiam ipſe haberet. Quibus conuitijs intellecto Pontificis animo Medicæus ſtatuit vitare offenſiones, ſuosq; & illius oculos liberare. Itaque, per ſpeciem curandæ valetudinis Lucam vſque progreſſus, inde Mediolanum venit. Ibi in Patria, tum veterum

ami-

amicorum cõſuetudine, tum ſtudijs amoenioribus, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat, iucundiſſime oblectabatur. Aedificia etiam à fratre olim inchoata per id tempus abſoluit, ad Braidam in vrbe, ad Fraſcarolum, ad Melinianum; quæ ſubinde mutabat domicilia, cinctus arcto, ſed honeſto litteratoq; comitatu; & fuit ea vitæ forma, donec mortuo Paulo, Romam ad comitia proficiſceretur, quæ ſupra cunctos mortales ipſũ extulere. Poſt Carafæ obitum in Vaticano de more cõgregati Patres, cùm de nouo Pontifice creando agitarent, in quartum vſque menſem iurgia conſultationemq; extenderunt. Quarti demum menſis exitu Cardinalis Medicaeus, quo demonſtrauimus apud Mediolanenſes loco ortus, fortunaq; ad ſexageſimum ſuæ ætatis annum vſus ea, quæ item demonſtrata eſt, ſuffragijs omnibus eligitur anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſalutis humanæ tertia fere vigilia noctis eius, quæ Chriſti natalem inſequebatur. Moti Patres erant in eius rei deliberatione, cùm ceteris virtutibus meritiſq. viri, tum vel maxime, quia ſuperioribus annis, ob bella, & Tyberis inundationes premente vrbem fame, diuiſerat populo Romano magnum frumenti numerum, quem ex prædiis ſuis congeſtum in horrea habebat munifico eo in egenam plebem munere, pauperum pater vulgò appellatus, nulla ipſius iactantia nulliſq; ſermonibus; ſed quia vere ille in tali tempore ſuſtentauerat plebem. Mite id Apoſtolicumq. & excelſum interpretabantur etiam quibus graue exemplum fuiſſet. Præterea, teſtamento fratris heres relictus tra-

diderat cuncta Xenodochio Mediolanenſi, vt ſi quid culpae militariter ille contraxiſſet, ea in pauperes largitione foret expiatum. Fauerat etiam vnice ingenijs, atque inter ancipites illos caſus,& magnis actionibus exercitâ ſemper vitâ, ſapientiæ ſtudijs excoluerat animum. Animus ei, ſicut intime gnarus omnium fraudum, quas meditantur inter ſe homines, aſſidueq; exercent, ita cōpoſitus palam in faciem imaginemq. ſimplicitatis, & pleraque ſane ſimpliciſſime agebat, vitatâ interim capitalium vocabulorum væcordiâ, ne circa res Eccleſiaſticas Hiſpanus Galluſue diceretur. Ita præparatis in ſe animis, poſt diuturnas intra conclaue diſſenſiones Patrum, vnius nocturnæ horæ momento Pontifex maximus creatur. Id quò fieret, præcipuo inter alios ſtudio adiuuerunt, Collegij principes, Carolus & Alphonſus Carafæ, Alexander Farneſius, Sfortia, & Ghiſa. Die ipſo, quo Patres comitiorum eorum cauſa, intra Conclaue ſeſe abdiderant, columba vna per feneſtram in Siſti ſacellum fortè deuolauit, leniq; in varias partes, per conclauia illa meatu ſupra Medicæi denique operta conſedit; idque tunc ijs qui viderant, ob alienam ab tanta ſpe ſimplicitatem illius Cardinalis haud ſine irriſu acceptum, dato denique illuc pontificatu, felicis augurij loco omnibus fuit. Ita creatus dici ſeſe Pium voluit, tamquam Apoſtolicæ benignitati paternisq. erga genus humanum ſenſibus nulla conuenientior appellatio eſſet. Feſto deinde Epiphaniæ ſolenni quanta rarò alius publica gratulatione coronatus, erecto ſtatim ad Remp. animo,

mo, & eluſa eorum ſpe, qui ſegniter ac remiſſe regnatutum credebant, vniuerſum Pauli pontificatum recognoſcere atque examinare eſt aggreſſus. Ex inſtitutis eius, alia per nimiæ ſeueritatis rigorem apta laceſſendis hominum culpis vertendoq; in contumaciam obſequio, mollius placidiuſq; temperauit, alia diſſoluta, & languida mutauit æquabiliter, & ſeuere. Formam in vniuerſum imperij ac diſciplinæ ſequebatur & volebat eam, quæ nec aleret vitia, nec animos irritaret. Leuibus hominum peccatis clementiam, flagitijs extremis pares pœnas accommodabat. Initia Pontificatus hęc fuere. Volens deinde magno aliquo exemplo ſancire diſciplinam eandem, quam legibus decretiſq; firmarat, ſimul, hoc in Eccleſia Chriſti neceſſarium eſſe exemplum videns, vt regnantium Pontificum propinqui meminiſſent, fore ſibi ſub alijs etiam aliquando Pontificibus viuendum, in Carafas cognita cauſa animaduertit quomodo nunquam vlla Pontificia Domus obliuiſcetur. Reſcidit aboleuitq. actionem, quam Paulus Carolo Cęſari, & Philippo Regi ſuper Neapolitano Regno intentarat, atq; in eo iudicio ita eſt præfatus. Catholici Regis opes & regna, ſubſidia eſſe fidelia & firma Apoſtolicæ Sedis: quacunque Hiſpanus imperitaret imperitare Pontificem etiam Romanum: Nuſquam alibi inuenturos obſequia Pontifices, ſi alienatum offenſumue quippiam in ea parte eſſet. Pari præfatione verborum animiq. ſenſu Ferdinandum Auſtriacum Caroli fratrem patruum Philippi authoritate Apoſtolica Cæſarem appellauit, quod ſemper antea Paulus abnuerat.

nuerat. Pergebat inde eadem celſitudine animi miſcere præmijs pænas, vt coercendis ſceleribus, & fouendæ virtuti innocenti aeq; ſubleuandę nobilia in vtramq; partem monumenta Pontificatus ſui relinqueret. Abſolutus Moronus fidei crimine, quam eius nomini labem nonnulli adſperſerant, non tam odio erga ipſum, quàm ne Rex Catholicus ciuem eum Cardinalemq; Mediolanenſem per alios ſuæ factionis Cardinales ad ſpem Pontificatus producere vnquam poſſet. Dempta aliis vincula, carcereq. emiſſi illuſtres & probi uiri, quos inimicus quemque ſuus cetera inculpabiles, prompto ad talia ſuperiore Pontificatu calumniis illis ineuitabilibus circumuenerat, voculâ delatâ aliquâ per quã ambiguæ religionis arguerentur. Cardinalium vni, qui nequaquam innoxius rei capitalis arguebatur, adempta ſacerdotia ampla, quæ obtinebat. Ea ipſa data probis alijs honeſtiſque Cardinalibus, ſiue conuerſa in vſus pios; & quæ ad Miramundum ille tenuerat praedia, Xenodochio Mediolanenſi, quod inter alias Patriae neceſſitates curæ Pontifici erat, ceſſere. Inter quæ, Patriarcha Chriſtianorum Orientalium, qui trans Euphratem colunt, & Aſſirij cum eo nobiles in vrbem venere, petentes, vt in Romanæ Eccleſiæ corpus Orientalis illa Eccleſia reciperetur; ipſeq. Patriarcha apud Cardinales, Amulium, & Alexandrinum, in verba Pontificis iurauit. Fœdere ſcilicet eo nomen & fama Mediolanenſium perlata vſque ad Indos, cùm homines illi accepti à Pontifice perquam liberaliter, donisq. etiam in diſceſſu culti, cuncta de origine eius & patria, ſicuti curioſi & hu-

mani admodum erant, cognoſcere voluiſſent. Abeuntes petiere, vt Concilij Tridentini decreta, ſtatim vbi peracta res foret, ſibi quoque tranſmitterentur. Iam enim etiam ea grauiſſima actio Pontificibus nequicquam alijs ad conſtituendam Eccleſiæ diſciplinā expetita & tentata, miſſis in omnia regna prouinciaſq. legationibus feliciſſime inchoabatur. In tumultuantes inuidia rei per Galliā Vgonotos, à Fabritio Cerbellono Mediolanenſi conſobrino Pontificis proſpere dimicatum: excitæ Regum prouinciarumq; fere omnium legationes; & celeberrimi quique diuinæ ſapientiæ ſtudijs Tridenti adfuere. Ibi pontificis ſumptu per biennium alebantur. Collegij principes vrbe in illa Sedē Apoſtolicam, Pontificemq. ipſum, quanto decuerat ſplendore repræſentabant. Inter eos Simoneta Mediolanenſis fuit. Romae interim ſumma rerum conſiliorumque omnium auunculi nutu Borromæum reſpiciebat. Is vnà cum pontifice intentus Romanarum emendationi rerum, adnitebatur ſedulò vt domeſtica diſciplina toti Chriſtiano orbi præferret facem. Iniecta primùm omnium frena vaganti aulicorum licentiæ, adhibitæq; leges vt pure ac pudice viuerent, vel certe abſconderent flagitia, quorum inueterata conſuetudo lente exſuitur. Regimen omne vrbis, tribunalia, Cauſidici, Scribæ, Quæſtorium, & ærarij cura, ſatellites carceres, & quicquid aliud in magno Imperio, magnoq; populo, principis Maieſtas, & licentia hominum requirit, ſuis cuncta decretis & legibus

opor-

oportune coercita, cùm ad eam diem, licenter & diſſolute haberentur. Proſcripti gladiatores & homicidę; ſublata aſyla: ſclopi rotati breuiores inertis perfidiæ capitalia tela, vetiti, & damnati: adiecta viridis galeri nota decoctoribus, in quos actio nulla alia creditori relinqueretur: coacti mendiculi in vnam ſedem & publice eis conſtituta alimenta; aliaque multa generis huius priuatim ad vrbis Romæ diſciplinam pertinuere. Concilio deinde apud Tridentum abſoluto & dimiſſo, quæ communiter Eccleſiam uniuerſam attingebant, ea uti in mores publicamq; conſuetudinem inducerentur, maiore cura adlaboratum. Et priuatâ rurſus aliâ in urbem curâ Pontifex induxit ſubterraneis riuis, aquas, portas, viaſque nouas aperuit, propugnacula & muros extruxit, laxauit Vaticanum ædificijs, aurata laquearia ſtatuasq; & picturas adiecit; quæ opera frequentiam & admirationem hodie Vaticano augent. Ceterùm, in tàm ſplendido Pontificatu exſuperantibus, ſępe vectigalia impenſis, crebræ neceſſitates oriebantur imperandi tributa populo Romano, vrbibuſque ſubiectis; & conſtitit, amplius centum quinquaginta millia nummûm aureorum annuis reditibus per eiuſmodi exactiones acceſsiſſe; eaque onera populis, & Apoſtolico Fiſco acceſsiones manſere etiam vbi neceſsitati ſatisfactum erat. Gerenti ita Pontificatum auunculo miniſter Borromæus participſq; conſiliorum, & factus interim Mediolani Archiepiſcopus erat, & muneribus præpoſitus aliis quæ ſumma & ampliſſima Pontifices conferre poſſunt in eum, quem ſibi e proximis

vnice

vnice extollendum ſumpſere. Aronae is in auitae ditionis arce natus, exortu ſtatim ipſo ſpem de ſe magnam fecerat, comitante fama natales Infantis, tamquam ſplendor inuſitatus ſupra tecti culmen emicuiſſet, vbi Margarita mater ediderat partum; deque ea celeſti flamma, vigiles, qui in arce excubias agebant, retulere. Per omneis deinde aetatis gradus, puer, adoleſcens, iuuenis, affectatione ſapiẽtiae, pietate in Deum, contemptu mortalitatis, modeſtia inter aequales, authoritate aduerſus alios ita egerat, vt fortuitum eum fuiſſe ſplendorem illi etiam negarent, qui talia vltimi omnium credunt. Annum vigeſimum alterum ingrediebatur cùm ab Auunculo Pontifice Romam euocatus, Apoſtolica cuncta, praeter nomen ſedemq; tradente eo excepit. Habuere virtutes idonea ſpatia campumque; virtutibus parem; & ſicuti nullus vnquam antea Pontificius propinquus tam effuſo ſtudio, tantaq; propter ſpectatam indolem ſecuritate factus fuerat arbiter omnium rerum, ita non fuit, qui ex faſtigio poteſtateq; illa minus ſibi vſurparet. Curas tantummodo Borromæus & labores, continentiamq; vſurpabat. Vaticanae noctes fuere documento, queis nobilium literatorum inſtituerat ſibi colloquia & congreſſus, cùm diurna tempora ſummae rerum impenderentur. Concilij Tridentini ſtimulator authorque præcipuus fuit. Eo abſoluto contendit, vt decretis & inſtitutis cuncta obedirent, ipſeque primus omnium obediuit; ac cœperat ex eo tempore celeſtium vnus inter mortales haberi, cùm antea ſummus tantummo-

KKKKKKK do

do mortalium haberetur. Mediolanenſem in primis Eccleſiam ad ea Tridentina decreta conformare totam volebat, & accepta, ſicuti dictum eſt, Metropoli, duos tunc innocentia vitae & rerum Eccleſiaſticarum vſu laudatiſſimos viros Hieronymum Ferragatam Epiſcopum, & Nicolaum Ormanetum miſit, qui noua illa diſciplina mederentur vrbi, populumque & Clerum, donec veniret etiam ipſe, continerent. Mox vtique aderat aegre impetrata miſſione ab Auunculo, qui ſeſe hactenus exorari patiebatur, vt vellet eum redire Romam ſimul atque prouincialium Epiſcoporum acto conuentu, grauiſſima quaeque conſtituiſſet. D. Carolus anno poſt Virginis partum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, relicta Romanarum rerum maieſtate, quae ad ipſum Auunculi nutu tota reſpiciebat, Mediolanum venit, nouam ſuo Pontificatu ſalutem ferens Vrbi, cui prior antiqua ſalus ob temporum miſerias, & hominum vitia coeperat prope irrita eſſe. Per tot namque annos inhibuerat nemo: vixdum quieuerant bella: ex bello peſteque aſſurgebat ciuitas diſciplinae expers, atq; vt inter calamitatum & gaudiorum extrema, fere accidit, oblita vel ignara honeſti. In hos mores inducere, non honeſta ſolùm, ſed etiam Apoſtolica inſtituta, ſicuti parabat nouus Archiepiſcopus, arduum, nec niſi mentis diuinae erat; eamque diuinitatem, & celeſtem in mortali corpore ſpiritum, & continua miracula vitae Pontificatuſq; eius, ac decerni denique Celum vidit eadem aetas, quae tale hominis miraculum tulerat.

In-

Ingens materia nouo operi, ſi quis experiri volet an ea omnia poſſint adhuc vberius explicari, quàm quomodo tot aliorum voluminibus explicata conſignataque extant. Me certe, quaſi meditantem tale quiddam aliosuè prouocantem iuuat in hoc operis fine ſternere quodammodo ad id viam. Et quia *P*ontificatus ille D.Caroli, ſociâ Philippi Regis maieſtate ac religione, mutatae in melius Reip. principium vrbi noſtrae tulit, ac noua poſt id tempus facies & forma ſacris profaniſque rebus, tum quaeſitiore rituum cultu, tum piorum operum atque ædificiorum amplificatione, ſtudijsque etiam litterarum & artium extitiſſe viſa eſt, repetam de origine ſtatuq; vrbis & Ambroſianae Reipub. omnia, quae magnae ſurgenti Hiſtoriae quaſi praebere veſtibulum poſſint; eaq; narratio, tum prioribus libris omiſſa multa ſupplebit, tum poſteriora delibabit. Parua principio Vrbs, & ante vrbium aliarum Italicarum magnitudinem, nulla alia re, quàm vetuſtate originis celebrata, paulatim deinde bonitate ſoli, virtutibus atque vitijs incolarum, finitimorum inuidia, vel ſi quos ex longinquo ſolicitauerat cupido terrae potiundae eiuſdem, tantopere creuit opum ſiue calamitatum famâ, vt diu nulla felicior, diu miſerior nulla, vel ciuitas, vel prouincia haberetur. Decius Auſonius Poeta, qui pueros Caeſares Mediolani erudiuit, ab Troianis vſque temporibus petit gloriam famamque Vrbis; neque ego ab dira terrarum omnium eluuione, nepotibuſq; Noemi proxima fabulis, & inuidioſa illa admiſerim, quae nonnulli ta-

Reges alios viginti ſeptem ante Gallorum aduentum, & alia pari ad fingendum temeritate, quaſi puerorum ſecula ſucceſſura eſſent, apud quos eiuſmodi mendacijs fides. Sanior memoria prodidit, Iulium Didium & Valerianum, & Galienum Liciniumque & Conſtantium, & Theodoſium, & Galerium ab Mediolano oriundos fuiſſe, quoſdam eorum & Mediolani natos; eique nos memoriae aſſentimur. Omnino autem habitauere Mediolani, multumque delectati ſunt terrae huius ingenio, Iulius Caeſar, & Pompeius Magnus, & Traianus, & Diocletianus, & Conſtantinus, & Conſtantius, & alij; inſuperque triginta amplius Imperatores coronam hîc accepere. Ingentis animas, quae per omnia, vnde nomen & ſplendor hominibus & vrbibus venit, auxere Patriae decus ſuo, tulerat Vrbs ante D. Carolum, neque deinceps ab ea parte ſterile ſolum fuit. Namque Pontifices maximi, quo imperio & nomine nihil capere mortalitas altius poteſt, idq; adeo eſt longe ſupra mortalitatem, prodiere inde ſex numero, ſplendore ac ſanctitate Pontificatus, omnibus comparati, qui fuerant antea, quiue deinde ſucceſſere. Nec tamen abfuere nonnullis eorum ſi quae in faſtigium etiam illud citra diuinarum rerum inuiolabilem maieſtatem vitia humanum animum comitantur Sed Alexander Secundus ex Badagiorum gente clara olim nunc vix nota Mediolani, uitijs omnibus humanis longe ſuperior, in magno diſſidio, quo tunc Eccleſia lacerabatur, magnaque Henrici Caeſaris pro Pſeudopontifice Cadolo pertinacia, legitimus ipſe iuſtuſq; Pontifex, ſuffragia Cleri, & authoritatem Apoſtolicae

Sedis

Sedis abſque ullà alia mortali cura retinuit conſtantiſſime ac defendit. At Vrbanum III. Ioannis Cribelli f. pari uitae innocentia, robore minore animi moeror abſumpſit, cùm obſeſſae Hieroſolymae ſuppetias ferre parantem, in medio rerum conatu nuntij captae ſacrae Vrbis oppreſſiſſent. Celeſtini Caſtelleonei propera mors, & ille uiginti dierum Pontificatus Eccleſiam uniuerſam perculit in longum triſti recordatione magnarum paſtoralium uirtutum, unde auream rurſus aetatem grauata malis tempora ſperarant. Fuit hic ex Caſtelleonaeorum domo, cui tam breue decus illud, Eccleſiae annalibus & omni publica memoria prorogatur in hunc diem. Longioris aeui Gregorius X. e Vicecomitum ſtirpe, maior etiam clariorque Celeſtino habitus eſt, niſi quod, ubi ſummus iam mortalium ipſe erat, non deſijt meminiſſe factionum, quas in minore fortuna ſecutus fuerat occulte ſiue palam, quaſue etiam adepto Pontificatu, ſicuti in rerum omnium apice illo mutantur animi, uel nudantur, deprimendas ſibi aut attollendas repente deſtinarat. Ceterùm, quatuor annis & menſibus duobus (tamdiu enim regnauit) magnarum pontificalium actionum prudentia & grauitate, non ſuo tantùm nomini, ſed patriae ſimul huic parauit famam. Finita per eum Venetorum & Genuenſium bella: rurſus in Venetos, quia portoria exigendo, poteſtate maris abutebantur, vindicatum: vocata ad Sedis Apoſtolicae authoritatem Graecia: datus occidenti Imperator: concita Chriſtianorum in Saracenos arma: nihil qnadriennio illo

omiſ-

omiſſum, quo publica ſalus & diſciplina in perpetuum conſtituenda eſſet. Seculorum deinde aliquot interiectu, petitus ex eadem vrbe ingenio non diſſimili Pontifex, cui ipſi non diſſimilis in militari vita Iacobus frater fuit; duoſq; Medicaeos, alterum toga, alterũ ſago ad sũma enixos, inter exẽpla fortunae ſiue virtutis ætas omnis feret. Poſt Piũ hunc Quartũ vltimus ad hãc aetatem ex vrbe noſtra Pontifex prodierat, quem Gregorium XIV. appellauere cùm in priore fortuna Nicolaus Sfondratus is fuiſſet. Remiſſum ingenium placidique mores, & ſincerus animus vitia Pontificis huius fuere inter eos, quibus nulla niſi callida toruaq; virtus placet. Cardinales, quae proxima ſummo honori dignitas eſt, vel certe prima poſt eum, quinquaginta prodiere ex vrbe hac: bello nobiles item extitere maiore etiam numero, ſicuti neceſſe erat in terra, quæ raro vmquam olim à bellis quieuit; & in omni ciuitate, gloriam & ſtudia veterum poſteri æmulantur, ſtimuloſq. ſemper magna exempla addunt. Antiquiſſimus omnium Mediolanenſium, qui tractando ſtrenue ac feliciter arma in eo truci genere claruerit, atq. hauriendo mortalium aliorum ſanguine, triſtem eam palmam, laudemq. illaudatam tulerit, Ducarius fuit. Hunc inhumanitatis commendatione eiuſdem cariſſimum fuiſſe Annibali memorant; Conſulq; Flaminius ab eo in acie interfectus terribile Mediolanenſium nomen Senatui fecit populoque Romano, & gentibus, quæ Romanos tantummodo antea, ſiue Carthaginienſes timebant. Poſt eum cœpit militaris fama extollere Me-

diola-

diolanenſem item Rufum, qui Romae ter conſul fuit, ter populi Romani exercitum ductauit, & pulſo Vindice, imperium aſſeruiſſe non ſibi ſed Patriae eſt dictus; cumque apud Alſiatum in agro Mediolanenſi, monumentum ei fieret, inſcriptio eſt addita ea, quae monumento ipſo hodie perennior durat. Sed & pleroſque tulere alios prima illa tempora florentis aut afflictae Reip., qui in re bellica conſilio manuque boni munimenta patriae haberentur; & rurſus eis alij ſtrenui milites, atque ductores exercituum diſciplina & aemulatione gloriae ſuccreuerunt. Procedente dein tempore & gliſcente ſemper apud poſteros admiratione priorum, ſoboles hinc prodijt illa militarium virorum, quae Regnis fere omnibus ſufficeret, dum in diſcrimine quique ſuo principes aut populi, gerendorum bellorum adminiſtratores ſiue Chiliarchas, aut Tribunos, vel alia praeſidia rebus tuendis ab Mediolano expeterent, Gallus, Neapolitanus, Anglus, Pannous, Boemus, Veneti quoque & Florentini, & Caeſares, & Pontifices; quarum dominationum, in vrbem hanc, ſicut iniuriae, ita etiam honores & beneficia manauere prout ex eo militari commercio, mutua ſtudia, vel pro ſtudijs offenſiones iraeque exarſerant. Et poſtquam Auſtriacae ditionis Inſubria facta eſt, Reges ſemper illi, tuẽdo imperio circumferendisq. armis ab Metropoli ſumpſere quantumcunque imperitantium artes petere ſolent à ſubiectis, ac viciſſim praemia & munera contulere largiora quàm vt in ſubiectos. Ita Mediolanenſes, externorum, ſiue ſuorum Regum munificentia,

tia, priſcis temporibus, ſiue recenti hac aetate, publice vel priuatim aſſecuti ſunt, vt in alieno etiam imperio, mediaq; ſeruitute parte dominationis hodie perfruantur. Adeò ſcilicet in tam numeroſa nobilitate raræ ſunt domus, queis non municipia ſiue rura aliqua obediant; ſtemmataq. paſſim & tribunalia ſtant apud minores penates, quos ipſos ſtemma deinde tribunalq; maeius vrget. Demarchi, Comarchi Toparchæ, Principes etiam & Reguli, foris dominantur, in vrbe ſeruiunt abſentis regis præſenti maieſtati, atque hoc ipſum ſeruire maieſtas ipſis ſplendorq. eſt. Bonas artes, & literarum ſtudia ſemper coluit Ciuitas etiam inter bella & ſeditiones, quæ nullam magis gentem exercuere; demonſtratũq; alibi eſt, quemadmodum, & librorum copia iam inde à primordio vrbis publicè proſtaret excitandis ingenijs, & alimenta de publico item eſſent conſtituta ingenuis, quorum humilis alioqui fortuna ſubſidium id poſtularet. Palatinae Scholæ etiam antiquitus fuere in vrbe Romanum opus iam inde ſcilicet ab eo tempore, cùm Caeſares Mediolani tamquam in altera imperij ſede commorarentur, alteramq. Romam dici hanc vellent. Obtinuit eas Scholas D. Auguſtinus, quem Roma ipſe inuidere potuit nobis, eaq. rudimenta fuere gentium Doctori, cùm dicendi artem, quantamcunque capiebat ætas illa profiteretur. Par fama ſecutis fuit, quantum etiam aſſequi celebre illud ingenium potuere quibus haud perinde fauerat Numen. Neq; Chalcondylas, & Chriſoloras, & Aonius, & Merula, fuere

poſt Auguſtinum primi, qui cum plurima, & veneranda imagine antiquitatis ea in ſede profiterentur. Olim publico ſumptu Gymnaſium ſteterat: nunc Regis ære ſuſtentatur. Doctores, ſua quiſque munera ſtatis horis obeunt, qui Graecae, quiue latinae linguæ ſpecimen idoneum dare potuerunt, quoſue etiam, vti corruptela rerum omnium eſt, audacia fauorue aliquis extulit in eum locum, munerique litterario per ambitionem admouit. Iuris ciuilis elementa qui iuuentuti tradat, eligitur ex nobilium Iureconſultorum Collegio, non tamquam ad munus, & ſtipendium, ſed exercitationis experimentique cauſa, vt ad maiora nitentibus eæ ſcholæ ſpem roburq. addant. Etiam iuuentuti, quæ poſt primas pueriles litteras ad primordia illa ciuilis prudentiæ accedit, gradus ad Ticinenſe Gymnaſium hinc paratur. Canobianam Academiam inſtituit eo cognomine ciuis vnus, virorum etiam oblectamento, non iuuentuti tantùm erudiendæ, diuiſis inter philoſophos muneribus, vt ab alio diſciplina de moribus interior elegantiorq; explicetur, Mathematicis alius inſiſtat, non nemo diſſerendi ſubtilitates verſutiasq. tractet. Ipſa Gymnaſij ſedes capaci & excelſa rotonditate fundatoris animum præfert; ac morali præſertim philoſopho ſexcenti ſunt annui attributi; ſcilicet, vt non gregarius quotidianuſue aliquis, quales nimium ſæpe philoſophaſtros, rancidum, & rude garrientes apud Gymnaſia pleraque audimus, ſed politus quidam, & latinus, & præter ſpectatam in ſuo illo genere profunditatem, multa poetarum omnium, multa

multa veteris memoriæ pertractatione, Græcaque inprimis excultus litteratura conduceretur. Et queis omnia iſta adeſſent, reperit adhuc velut in ſuo ſinu abunde ciuitas, niſi ſi fortè ſemel rerum domeſticarũ inſolenti faſtidio externos etiam voluere experiri. Indigenas porrò philoſophos, quos Canobiana hæc emolumenta excitauere, quamdiu Ciuitas eadem in conſpectu habuit, iniqua ſemper erga viuos aeſtimatione, vel vbi deceſſerant, recenti in mortuos etiam inuidia, ſicuti homines ceteros locuta eſt, aut obliuioni dedit. Futura verò ſecula eoſdem admirabuntur, ſemperq; in ore habebunt, Octauianum Ferrarium, & Zacchariam Caimum, & eum, qui ſcribente me iſta philoſophabatur in eadem ſede, Ludouicum Septarienſem, capita nata ſcientijs, libros peruagata omneis, vitae etiam ſpatio teſtata culmen principatumq; artis. Et ſcholae quidem istae prius in vrbe fuerant non diſciplinarum tantummodo iuuentutiſq; cauſa, ſed etiam ad otium honeſte oblectandum, quibus id ipſum nihil agere graue eſſet. Poſtea, inducta in vrbem ſocietate Ieſu, frequentia maior in Braidenſe Gymnaſium incubuit, non ſolùm, quia Patres, aptiore quadam forma conſtitutas ſtatim habuere Scholas, progreſſuſq; iuuenum ſimul ex hibuere mirificos, & magnos, ſed etiam, quia noua ſemper veteribus officiunt, & ciuitatibus quoque ipſis, non animis modo ſingulorum libido ineſt, recentiſsima quæque conſectari veluti per ſatietatem. Venêre Patres in Vrbem accitu Diui Caroli, ſicuti dictum eſt, idq; accidit anno

CIƆIƆLX. Prima eis tecta fuere ad D. Viti, quae ſacra Aedes, Ticinenſi via, capace ſatis domicilio adiuncto, peregrinos, commode, vti erant initia, admittebat. Ibi Sodales, cum aliquandiu detenti fuiſsent, fauſto mox agmine, tota cum laetis ominibus proſequente Ciuitate deducuntur ad D. Fidelis Aedem, quę humilis, & anguſta tunc fuerat, paulatim inde creuit liberalitate ciuium, & Patrum fama; atque hodie finitima tecta ſuperbi quondam Liguris & humanae ſuperbię aſsurgentem ibi in vicino pompam obterit maieſtate ſua. Sed poſtquam Humiliatorum ordo ſacrilega ab ſurde auſus excidium meruit, ab D. Carolo in domicilia eorum inducti, vacua propter ſcelus alimenta ſanctius honeſtiuſq; occupauere. Ex eo tempore, ad Braidam alumni ſcientiarum, & magiſtri, ad D. Fidelis, magiſtri duceſq; animarum, diſcreto in duas familias Ordine agunt. Sub eorum aduentum, inſtitutum Mediolani Seminarium eſt ad D. Ioannis Aedem, vnde literæ, & humanitas, & diſciplina Clero toti. Ducentorum iuuenum domus, tranſlatâ illuc ex patrijs penatibus tenera aetate ad Sacerdotales vſque annos detinet in vtriuſque philoſophiæ ſtudijs Eccleſiaſticam ſobolem; puerosq; philoſophos, & Theologos adoleſcentes imbutos ſimul varietate linguarum reperias ibi, qui publice docere eadem poſſint. Si qui in tanta multitudine reperti ſunt fortè tardiores, ſegregantur à ceteris, & in Collegio ſeparatim ignobiliori exercentur ad diiudicandos Chriſtianae vitae caſus, atque per compendia quædam, arte regendarum animarum

rum imbuuntur. Agreſtium Parochorum id fere Seminarium eſt. Ex altero Seminario maiores Eccleſiæ magiſtratus,& munera ampliora ſupplentur. At ex CollegioGermanico mittitur in Heluetiorum Rhaetorũq. pagos ad fouendas illic Catholicæ fidei reliquias litterata Clericorum manus,qui rudes,& barbari ab primordio ætatis ducti inde in vrbem, vt rediere domum, ſcientijs,& modeſtia vitæ miraculo ſunt inter ſuos; nouaq; ſemper proles ex rupibus pagiſque illis Mediolanum ad ſpem eandem deſtinatur. Tecta, & alimenta prius ea fuerant venaticorum canum immodeſtiæq. totius, quę Humiliatos ad facinus prouexit, quo excidium ſui Ordinis meruere, ingenteſque diuitiæ hominum illorum infeliciũ, ordine ſublato abſurdo,& inutili, in prçclara, & mirifica haec ceſſere. Noſtra deinde aetate, Cardinalis Archiepiſcopuſq. Federicus, ſublatis etiam prioris nequitiae aedibus, ibidem excitauit moles,qualia decebat eſſe literarum,& ſapientię tecta, vt ingenia iuuenum etiam pulchritudine,ac maieſtate domicilij prouocarentur. Stant ſpatioſa, & alta conclauia, columnatæ porticus, atria ſolitudinum inſtar; ingredienſque aliquis,facilius ipſe iudicauerit, quàm hae literę demonſtrauerint,homines Reges, illa, vel commoditate,vel ſplendore ad habitandum poſſe eſse contentos. Extruxit Borromæus, & poſuit hęc domicilia Muſis, poſtquam ſtudia literarum artiumq. omnium ipſe conſtituerat;magiſtriq. partes, & docendi taedium in Purpura non dedignatus, noua diſciplinarum itinera Clero aperuerat, vt qua ipſe in-

ceſſiſſet.

ceſſiſset via, leniter ac tutò deduceret ſuos. Et nondum hiſtoriae locus erat hic narrandi praeterea magnum Bibliothecæ opus, & quas ille Collegio Ambroſiano vias monſtrarit, ac reliqua Pontificis eius opera inducendis in Patriam hanc literis, atque per gloriam, & nitorem earũ, inferendæ in aetatẽ noſtram antiquitati. Singularum quoque Paroeciarum tẽpla, cum ſqualerent vetuſtate ſua, & prope collaberentur, ſcribentibus iſta nobis, ille renouabat atque inſtaurabat aſsignato in publicum cenſu, flexa ad Eccleſiaſticam modeſtiam profanorum delubrorum arte, & emẽdata veterum ſtructura politis inuentis, vt antiquitatis imago cothurnum atque vmbras recenti elegantiæ addat, & antiquitas ipſa uiciſsim refoueatur amoeno hoc floridoq. cultu. Talia ſurgere templa in priſcarum ædium veſtigijs Tribules quiq. admirantur, & Paroeciarum meritò conditorem Borromæũ, ceu Monam alterum ventura ſecula populi Mediolanenſis loquentur. Sed, & Fulcorinam, & S. Mariæ Pedonis Aedem augere Canonicorum Collegio parabat, vt antiquiſsima monumenta Dei Matris oſtenderet populo magiſque commendaret. Poſteriorem uero hãc, propterea quod ueterum Borromaeorum oſſa tumulo illic cohibentur, inſtaurare à fundamentis parabat, ut noui operis dignitate ſplendidoq. cultu magnitudini Domus reſponderet. At in diuerſa parte Vrbis ad D. Euphemiæ, quà Domus alia Borromæorũ noſcitur, ne ulla monumẽta Auorũ ſineret indotata ſuperûm cultũ parabat Deiparę cellã coagmentatione gẽmarũ, quę ſectæ, & coaſſatæ ſingulos colores picturæ ratione operi præ-

pręſtabunt,eiq.faciundo rerũ natura margaritis pretioſiſſima ſui parte ſic ancillata erit. Sane pingi demũ ita ſalutis humanae Parentẽ Diuã maxime conueniebat in Vrbe quae cultu ac veneratione eius iam cetera cuncta pietatis experimenta conſumpſiſſet. Neq. opibus tantum, & fortunae magnitudine Borromæus augebat ita celeſtium cultũ, & religionem Vrbis, ſed maiora interim erant opera Oratoris diuini, miraculumq.eloquentiae Populo Mediolanenſi exhibuit nuper cùm dedicata ad D. Barnabae Fontem Ara, de inclytis illis aquis ac de religione loci ſub dio concionaretur. Tot millia mortalium ibi in campo, clauſo velut ore, ac veluti ne reciprocante quidem interim ſpiritu fixa in ſilentium vidimus; enixos in arborũ ſumma pleroſq; iuuenum, pendentemq; concionem in ramorum nexu. Primam & antiquiſſimam Mediolàni ſacrorum ſedem hanc fuiſſe dictum eſt in priori operis parte cùm Apoſtoli Barnabae aduentum, & initia religionis traderemus. Parua ea cella fuit inædificata Fonti, qui, ſubita, & larga ſcaturigine aquarum, peregrinantem circa urbis moenia Apoſtolum inuitauit, vt ſubſiſteret ibi, atq; confluẽtes ad Chriſtiana ſacra populos celeſtibus eis lymphis expiaret. Proxima antiquitas Aedi, quam Apoſtolus idem, media in urbe, Saluatoris nomini dicauit, ſiue delubrũ id inanis alicuius Dei, ſiue publica aliqua ſedes, ſiue priuata domus fuerat. Suppreſſo poſt ea Saluatoris nomine ob reuerentiam credo altitudine inque nominis, Tecla uirgo & martyr obtinuit Tẽplum, atq.in illa ſede conſecrata eſt. Rurſus, haec ipſa Aedes uetuſtate iam fatiſcens, auorum memoria diruta eſt,

tran-

translatoq; in Templum maximum omni diuinae Martyris miniſterio, & cultu, ſupellex illa ſimul, & ſacer apparatus, & quicquid redituum erat, in Metropolitani Templi Maieſtatẽ conceſſere. Pateſcebat in diuerſa vrbis parte ſanctior campus ob madentes inclyto Martyrum cruore glebas, atque ſepultos illic Chriſtianae fidei proceres, quorum tormentis, & cæde fundamenta Eccleſiæ huius iacta. Namque Philippus Oldanus e primis Barnabae filijs vnus, quos ad fontem ipſe ſuſceperat, conuerſa ſua in templum domo, hortos quoque circumiectos in eum ſepulturae vſum abdicauit vltro, & ſacrauit. In Domus area ſtetit omnium Sanctorum Aedes, quae deinde antiquata priore appellatione, templum fuit Naboris, & Felicis, ac variante cuncta ęuo, Franciſcana Aedes nuncupata eſt, idq. hodie nomen manet, multum aucta maieſtate ob ſacella, quæ primi ciuium poſuere; & Ioannis Borromæi tumulus ſacellumq. D. Ioanni Euangeliſtæ ab eo ibi extructum, marmore, & auro, & artificum ingenijs moſtrant piorum operum magnificentiam, quæ prioribus ſaeculis in vrbe fuit, & noſtra ætas æquare non potuit antiquum ſplendorem, cum dilapſum illic aurum euanidiq. colores nuper a Federico Borromęo Cardinale reſtituerentur. Quà ſteterant horti, templa alia duo ſurrexere, quę mutatis etiam ipſa nominibus, D. Ambroſij alterum nunc, alterum Diuę Valeriæ nuncupantur. Eadem regione vrbis, gemina Philippi proles, Portius, & Fauſtus paternae pietatis imitatione poſuere templa, quæ prius ab conditorum nomine, dein ab D. Vitalis, & D. Martini, cultum religio-

ligionemque accepere. Patruus horum Caſtritianus, poſt Barnabam Anatalonemq; & Caium, Epiſcopus Vrbis D. Ioanni Euangeliſtae ſacram aedem extruxit, Martirij eius monumentũ, addiditq; cognomen ex feruẽtis olei Conca, quo demerſus ille ambuſtuſq; eſt. Id templum Romana via Carmelitae Fratres habent; & porta eadem egredienti fit ad dexteram D. Calimeri Aedes, quæ, fanum Apollinis antea, poſt Epiſcôpi eius admirabilem diuinumq. Pontificatum ſacrata eſt ipſius nomini; & Archiepiſcopus Craſſus, circumacto Apoſtolicæ ſimplicitatis tempore, opulentiore iam Metropoli, aureum altare, quo reliquiæ Calimeri ipſius conderentur, adiecit. Monas hinc ille, ſextus quidem Epiſcoporum, primus verò conſtituendi populi deſcribendarũq. Paroeciarum author, Apoſtolorum Principi Baſilicam inſtituit acceptis ab nobili ciue ædibus, & honore viciſſim habito ei, vt familiae illius poſteri à Baſilica Petri cognominarentur. At Cręcus Euſtorgius præcipua ſua erga Chriſti incunabula pietate & ſenſu, trium Magorum memoriam, populo Mediolanenſi colendam exhibuit iuxta D. Barnabæ Fontem, quæ deinde Aedes ſeneſcente Regum cultu, cultum nomenq. pontificis, à quo fuerat extructa renouauit, & Baſilica Euſtorgiana dicta eſt. Atque hæc quidem fuerant diuini cultus apud maiores noſtros primæua domicilia & antiquiſſimæ ſedes, quas ætates poſtea inſecutae laxius magnificentiusque excoluere additis opibus ad tuenda ſacra, collegijs ordinum ſacrorum, & quicquid in aliena Metropoli ſatis eſſe poſſet ad maieſtatem, etiam ſi ni-

hil aliud præterea religioſi ſacratiq; haberetur. Deiparæ Virginis Aedes quæ dicitur ad D. Celſi, illa complexa breui compendio quicquid praediues aliquis & eximius in ſuperûm cultu conari populus queat, originem duxit ab Nazarij Celſique Martyrio, quos Anolini ſæuitia, ſub Nerone laceratos, diuq; ignobili tumulo apud Ceratium quendam occultatos, diuinus Paſtor Ambroſius vt reperit diuerſa in latebra, Nazarium quidem tranſtulit in Baſilicam Apoſtolorum, Celſum verò ibidem vbi erat inuentus reliquit; Et extructâ ſuper tumulum vtrumq; Cellâ, quà Nazarij corpus ſteterat, pingi Sanctiſſimæ Virginis imaginē iuſſit, quæ deinde imago, tamquā trāſfuſo in colores & lineamenta celeſti ſpiritu perculit & obſtupefecit ſæpe miraculis vrbem, & manet adhuc. Atque cùm creſceret quotidie dignitas ac frequentia loco, & ſalutarium beneficiorum monumenta certatim ibi ſtatuerentur, motus eſt vltimi Vicecomitis animus, vt pro magnitudine Diuæ & ciuium concurſu faciendū ibi templum locaret. Addita eſt principis eius munere ac pietate pecunia ſacris faciendis, & ſacrorum eorum iura ſunt aſſignata Vicecomitum Genti, vt diſpenſatio arbitriumq; in domo eſſet. Poſt aliquot inde annos, tempore, quo pupillum Sforciam Ludouicus patruus tyrannica tutela opprimebat, die quodam, cùm eo in templo ad aram imagini appoſitam res diuina fieret, beatiſſimo lumine circumfuſa Deipara, populo qui aderat, inſpectante, effulſit, dimouitq; ſua manu ve-

lum,

lum, quo pictura tegebatur, & excitato ad rei miraculum omnium clamore, ſtetit in iiſdem veſtigijs aliquandiu, deinde inenarrabiliter eſt repente ſubducta. Ea incrementa maieſtati, quæ concitos illuc admiratione rei populos præfert, & ſit ipſa prope miraculum artis. Tabella, quę viſionem narrat, pendet templo, & leguntur eorum nomina qui adfuere. Conterminum huic Aedi templum diruta humiliore cella extruxit D. Celſo Landulphus Carcanus Archiepiſcopus vrbis, addiditq. Monaſterium & Monaſterio opes, quæ ſuper Monachorum alimenta, pars hodie Romani ſplendoris fiunt, ampliſſimumq; ſacerdotium nouit Aula. Par opulentia ſplendorq; Benedictinis ad D. Simpliciani Aedem, quæ item ab ſui primordio fuerat dicata Sanctiſſimæ Virginis nomini; ſed poſtquam D. Simplicianus, acto diuinitus Pontificatu & expleto virtutibus ac meritis quicquid capere mortalitas poteſt, ibi conquieuit, ſtudia ciuium retinuere id nomen, ipſamq; adeo Baſilicam ditauere praedijs & vectigalibus, quae tuerentur Pontificis cultum famamq. vrbis. Baſilicae Ambroſianae, quam Sanctus Pater Ambroſius ereptam ſuperſtitioni vanitatique gentium, ſanctioribus ceremonijs, & veri Numinis adoratione conſecrarat, diximus alibi decora & honores; ſed repeti hochaud alienum fuerat; creuiſſe ſic nimirum eam Cæſarum certamine, dum priuilegia & dona cumulando illuc, ſemper anteire alius alium inuicem ſtudent. Et Pontifices ipſi in eo ſtudio anteiri ſeſe à profanis quodammodo profanum improbumq.

exiſtimauere; veſtigiaq. & monumenta magnarum illic olim rerum, & nobilitata cuncta myſterijs, certamen æmulationemque eam accendere potuerunt. Inde illa principum liberalitas, Archiepiſcopusq. Puſterula totam ex auro aram poſuit interuenientibus gemmis, qua munificentia ſucceſſores ſuos commouit, cùm ſolicitaſſent veterum dona ipſum, ne Ambroſianam illam Aedem Ambroſij domicilium ipſius parcius ſegniuſque excoleret. Puſterulae fere opus eiuſdẽ fuit, ſub Quatuor Mariarum nomine aperta domus publicæ egeſtati, vt tamquam e publicis penatibus infima plebes alimenta & ſubſidiã vitæ petitum eò iret. Namque Archiepiſcopus ille, cùm paſſim quiritantes ob famem ex infima plebe iacentesq; per compita multos videret, hortari cœpit nobiliſsimum & ditiſsimum quemque ciuem, vt dignum aliquid genere ac pietate ſua ſuſciperent ſubleuandæ infelicium calamitati, ne ſcilicet perirent fame quibus obtigiſſet, vt in vrbe tam opulenta, & inclyta naſcerentur. Fortè interim nobiles viri tacti deſiderio ac pietate adeundi terram, quæ Patria Saluatoris fuit, ſuſcepta illuc peregrinatione tetendere grege vno, atque diuina ibi veſtigia venerati cum lacrimis & perfuſi gaudijs incomparabilibus incolumes reuenere domum. Præcipuo ſenſu ac teneritudine animi commoti erant erga Sanctiſſimæ Virginis nomen, prouectiq. pietate in illam, treis etiam alias Marias Deiparae ſorores, ſociasq; tormentorum inter ſeſe diſſerendo, veneratione, & cultu dignas eſſe autumabant. Stat ſententia moliri dignum aliquid origine ſua, & Diuarum

&

ſtirpe; memoreſq. etiam Archiepiſcopi conſiliorum deſtinauere pauperum alimentis praedia, quæ ampliſſima habebant. Ea donatione publicam domum ſibi eſſe iuſtituendam, quę Quatuor Mariarum diceretur; idq. in itinere ipſo votum nuncupauere. Res deinde confeſtim ad Archiepiſcopum Puſterulam delata comprobatur ipſius authoritate; dantur inſtituta & leges & miniſterium omne nouæ Domui; Archiepiſcopusq. ipſe, quo primum die fundata domus & aperta eſt, rem diuinam fecit, attribuitq; de ſuo florenos aureos ducentos, quò expeditiora primordia operis forent. Dies eius inchoati operis fuit ad x. Cal. Iunias anno ſalutis ıↄcccxlv. menſe altero poſtquam cohors ea nobilium virorum ab Hieroſolyma redijſſet; meruerantq; etiam ipſi, vt quo quiſque fuerint nomine ac gente in tranſcurſu hoc ſacrorum operum diceretur. Fuere autem; Guidus Vicecomes. Vbertus Pirouanus. Petrus Puſterula. Gaſpar Vicecomes. Federicus Cribellus. Gulielmus Puſterula. Thomas Craſſus. Paulus Marlianus. Cæſar Paganus. Vincentius Cattaneus. Bernardus Cittadinus. Carolus Puſterula; hi ſingulos alios aſſumpſere. Ita quatuor & viginti numerus effectus, biniq; in ſingulas vrbis regiones deſcripti. Reditus annui triginta millium aureorum ſummam expleuerãt, niſi bella inſecuta, conditione iniquiore locari pleraq. in perpetuum alienariue coegiſſent. Id aliqua ex parte damnum ſarcitur magnis ciuium aliorum liberalitatibus, quæ imitatione priorum ſubinde excitabantur. Et Ioannes Archiepiſcopus, idemq; princeps vrbis, ex

ingenti

ingenti fortuna; qua imperium vtrumq. tenuit, contulit eò vectigalia & fundos; Cæſarumq. & Regum beneficia ad tuendam loci dignitatem adfuere. Ambroſianæ Aedis antiquitati (nam inde diuerteramus) compar antiquitas fuit Aedis quæ D. Victori ſacra, ab Martyris eius ibidem aſſeruato corpore cognomentum tenet. Baſilica haec fuerat iam inde ab temporibus Apoſtolicis exſtructa per Portium Philippi Oldanifilium, quem Barnabus abluit ſacro Fonte. Sanctus Pater Ambroſius ibi quoq; habitauit cùm cederet furori Arianorum, qui cōgeſta lignorum ſtrue circa valuas facibuſque ſubditis, abſumpſerant incendio templum; & Vir Dei diuinitus euaſit. Miracula ſimul & iniuriae fecere huic etiam Aedi Magnas opes, quae ab neceſſario cultu ſumptibusq; ſacrorum ad illuſtres Eccleſiae viros redundauere; nec leue certamen ambitioni, quis D. Victoris Abbas fieret. Demum Oliuetani Patres egere cum Andrea Gallarato, qui Abbas fuerat vltimus, vt ea vectigalia Sacerdotiumq. ipſi haberent, reſq. conuenit in eas conditiones, quae parti vtriq. placuerunt. Patribus poſtea curæ fuit, vt reliquias & veſtigia illa quam ſplendidiſſime frequentarent; curaq. eorum & ſplendore, ſtetit Monaſterij ſimul & templi moles, quæ viſitur inter decora vrbis. Laurentiana Aedes, antiquior, non ſanctior, Herculis primò, ſiue, vt alij credidere, Apollinis inane fanum fuerat, rotonda forma, quale Romanum Pantheon adhuc cernitur. Poſtquam ſublato & ſpreto ficti Numinis cultu, Laurentium Martyrem ea in ſede chriſtiana religio venerari

rari

rari inſtituit, haud minora pro Martyre ſtudia piorum regum exarſere, quàm quanta effuſione priſca vanitas Heroi ſuo monumenta illa adornauerat. Namque Placidia Galla, quæ, Cæſaris filia, & ſoror, & mater, & coniunx vnico ad eam aetatem inter Chriſtianos exẽplo fuerat, profanam illam ſuperbiam impiosq. ſumptus obruit pietate ſua additis ex ritu conſuetudineque noſtra omnibus quæ Romanæ ſuperſtitioni magnifica vnquam fuere. Cetera Auguſtæ opera, quæ Martyris Aedem chriſtiano ornatu ſupra faſtum omnem Idolorum extulere, ſunt abſumpta fortuito igni, quo Aedes aliquando tota conflagrauit, collapſo in cineres redactoq. ad metallum informe, turpiterue ambuſto ac torrefacto quicquid Reginæ opibus, & artificum certamine celebre ibi inclytumq. erat. Aquiliniani Sacelli ſuperſtites reliquiæ monſtrant eorum etiam quæ periere pulchritudinem. Geneſio Martyri poſuerat id Auguſta; poſtea veterem religionem aboleuit recenti ſemper & perpetuo miraculo ſitum ibi corpus Aquilini cum capillo adhuc & cute floridum incorruptum, atq. per tot ſecula exemptum vetuſtati, quæ marmora etiã exedit. D. Nazarij Baſilica fuerat ante Regnum Euangelij ſuperbia & faſtus inanibus dijs, ideoq; Principibus Apoſtolorum dicauit eam Pont. Ambroſius; poſtea tranſlatum illuc vt demõſtraui ab eodem Pontifice Nazarij corpus appellationem quã indiderat ille mutauit. Primæ tamẽ originis reuerentia manet, ac ſacra quotannis Petri & Pauli dies maiore pompa ibi & apparatu ſolenniore agitur, quod monimento eſſe poſſit primordia illa Aedis ſuime. Excoluit hanc Aedem ſtra-

uitq.

uitq. marmore Serena Stiliconis, cùm pro viri ſalute, & reditu votum id nuncupaſſet. De D. Stephani templo, quod Nazariano huic, ſplendore ac dignitate Collegij proximum eſt, neque dubia pro veris affirmauerim in origine eius tradenda, & quid veri ſit in varijs authorum ſententijs explicare nondum potui. Ceu ſententiam vnam indicabimus carmen, quod ad templi valuas in lapide inciſum deplorat abſumptam incendio aedem, quæ diu pulcherrima omnium fuiſſet; eſtque ei carmini adſcriptus annus humanæ ſalutis milleſimus ſeptuageſimus ſextus. Inde facilè coniectaueris Baſilicæ vetuſtatem, & decora alia, cùm ante veterem eum caſum anteſtetiſſe pulchritudine alias dicatur. Poſt incendium renata, cùm ruſus magnificentiæ noſtrorum temporum improbaretur, nouam ipſa quoque faciem introrſus accepit; ab exteriore parte frons templi manet, qualis olim fuerat; eique renouandae deſtinantur ſumptus, queis vrbes aliae non vnum extruere templum poſſint. Ea ciuitatis noſtræ pietas erga Chriſti Protomartyrem fuit; ſcilicet vt qui ſuo ſanguine primus viam in celum tot millibus oſtendiſſet, præcipuis etiam ille honoribus coleretur. At Rocius Corteſella ciuium vnus; admiratione, & pietate erga ſanctiſſimam Chriſti necem, media vrb is regione ornauit S. Sepulcro Aedem, poſuitq; ibi ſimulacra partium ſingularum illius tremendi Actus, quò violentius incurrerent in mortalitatis oculos eminentes figurae, excuterentq. ſopitae mentis aciem obiecta tormentorum facie, & ſanguinis quo redempti ſumus.

Cor-

Corteſella Canonicos quatuor, Monachos octo ad frequentandam diuino cultu Aedē inſtituerat; noſtra deinde aetas & ſancti Pontificis diuina cura, cùm omnia prouidentius atq. vtilius mutaret, Eccleſiaſticae diſciplinae literaturaeq; ſanctioris domicilium id fecit, habito ſemper & ibi collocato iuuenum ſacerdotum delectu, qui ad omnes Archiepiſcopi nutus obtulere ſeſe vltroque deuouerunt. Anſelmus Puſterula Paroeciam ibi inſtituerat eiuſque monumentum inſtitutionis repertum eſt in Gratiani Cantoni ædibus, quæ cum cetera vicinia Paroeciæ ei contribuebantur. Res tota tēplorū vrbis breui cōpendio peragi in hunc modum poteſt. In vniuerſum erant bis centum quadraginta tria; Paroeciae ſeptuaginta treis: Monaſteria ſexus vtriuſq; octoginta: Collegia Canonicorum vndecim. Publicorum verò operum, vnde ſubſidia & alimēta pauperibus præter Xenodochij maximi, & quatuor Mariarū indicatas iam opes, & ſi quæ alia inſuper oſtendimus, larga adhuc & ditia quaedam patebant. Nam Sanctæ Coronæ Domum inſtar xenodchij cuiuſdam honeſtioris Ludouico Sforcia regnante, duo prædiuites ex illius aula viri inſtituerant, vt eius liberalitate Domus curarentur apud ſuos quiſq; lares, queis in publica illa ægrotantium pauperum multitudine conſpici graue indecorumue eſſet. Pharmaca hinc, & potiuncularum omne genus, & viribus quoque in vltima debilitate refocillandis preti oſa ſcitamenta, & ſucci, gratuita omnia affatim prębentur, qualia diuites ægroti pauperibus iſtis inuidebunt, ob ſimplicium ſemper illic bonitatem, delectumque &

Nnnnnnn curam,

prolem cum periculo vel dedecore domi haberent. Fuere operum eorum auctores, Vitallianus Borromæus, & alij quorum nomina in ſodalitatum ipſarum litteris monumentisque extant. Lazarinus Legnanus, item exſtructa, quæ Corporis Chriſti Aedes dicitur, præter ſumptum in quinas quotidianas Hoſtias, reditus annuos addiderat, vnde plures honeſtae puellę dotem, & veſtimenta viri quotannis ab vertice ſummo ad pedes imos acciperent. Iam per ſin-gulas portas regionesque vrbis, ad templa & aras, ad Oratoria & ſacella, deſcriptæ per menſes, aut hebdomadas, dieſue ſingulos fuere piæ largitiones rerum ferme omnium, queis vita ſuſtentatur. Ac ſicuti dictum alibi eſt, Gallicis vtique temporibus pleraque largitionum earum fuere inſtituta, ſicuti mortales, in periculo, vel metu, medijsve malis maxime religioſi eſse conſueuerunt. Pietatis Montem (id ſodalitati nomen, quae pignoribus acceptis, abſque vllo foenebri pacto cumulante vſuras gratuitò pecuniam commodat) id Chriſtianæ benignitatis opus viri nobiles in media Ludouici Sforciæ tyrannide inſtituerunt, cùm inter magnas principis eius clades, Ciuitas ſimul ipſa crebris Gallorum eorundem incurſibus ſæuiſſime laceraretur. Eadem Sforciæ aetas, in magna peſtilentiæ calamitate, atque in poſterum metu, auxit vrbem opere alio, cuiuſmodi nullum alibi aduerſus publica hæc infortunia extare crediderim. Cùm enim antea, ſæuiente peſte, quos lues corripuerat, vel ad Gregoriana prata, vel ad caſas nouas, viri feminæq; et totae gregatim domus ablegarentur, atque circum

eas ſolitudines agmina infauſta procul ab ciuili ope cõtabeſcerent; res digna magnitudine principatus,& vrbis eſt viſa principi ciuibuſque, ſeparatam populo peſtilẽti ponere vrbem, quæ ſub ipſa maioris vrbis mœnia, ſuis diſcreta & cincta mœnibus, nec inficeret contagione integros, nec à publico ſubſidio diſcluderetur. Condendæ paruæ vrbi ſedes eſt electa in ſaluberrima ſuburbana parte medio campo nouam inter Orientalemq; Portã, quà planities amœna puriſſimi ſolis radios & mollem ex Briantaeo celo auram foecundo etiam ſinu excipit. Architecti cùm diù inter ſe certaſſent formam denique operis quadratam antetulere; eâq. receptâ, cùm ſtrenue vrgeretur opus, intra annum ſtetere tecta accipiendae multitudini, quantamcunque peſtilentia aliquando eijcere mœnibus poſſet. Excurrunt in latera ſingula ſeptuagenæ quaternae domus, ad lineam directæ, murusq. extimus,& frontis ipſa ſubſtructio moenium eſt inſtar. Satis lata foſſa circumdata eſt in omneis partes: per eam fluunt copioſæ & ſalubris aquæ perennes riui: obuerſæ ſunt in eos feneſtræ: laterum ſingulorum longitudo colligit mille fere paſſus: ab interiore parte columnata porticus vndequaq. ſeriem ædium comitatur: portas clauſtra iſta aperiunt duas, vnam in meridiem, alteram in ſeptemtriones. Campi ſpatium, quem ſtructura vniuerſa includit, dimenſi decempedatores retulere ad perticas vt loquuntur ipſi ducentas triginta vnam pauloue amplius. Medio hoc ſpatio ſtat ara conſpecta vndique, ſuperne contecta, vt neque affluant imbres, & ab limine ſui quiſque tecti ſacra viſat. Cardinalis Aſcanius

nius

Aſcanius Ludouici frater plurimum adiuuerat id opus, cumq; Gallica mox arma ſuperueniſſent, Rex etiam victor, dignitate aedificij delectatus, tria millia nummûm aureorum in fabricam eam contulit quae quidem principio deſcripta ita fuerat vt per totam campi latitudinem alius cubiculorum ordo continuaretur, eumque ipſum ordo alius interſecaret, atq; ita quadruplici per decuſſim ſerie tantumdem praeterea domiciliorum fieret, quantum hodie viſitur. Sed tempora quae paulo poſt ſunt inſecuta curas alias attulere principibus ſimul & Ciuitati toti, donec pace reddita, negligentia etiam & obliuio operis ſucceſſit. Ante hæc peſtilentiae tecta fundauerat publica pietas aliam domum alendis ex vtroque ſexu, qui egeſtate, & ſenecta miſeri abſque flagitio eſsent. Manet id etiam hodie ſenile xenodochiũ; eoque ſeptuagenarij tantum & ſeptuagenariæ accipiuntur; ſed quarta inſuper ea conditione, ſi nullo alio quàm ſenectutis morbo laborent. Numerus quoque definitus quo ne plures in capularem eam familiam accipi poſſint. Ad centum fere aluntur, non qualicunque nutritu, ſed quo maxime ætas illa indigeat. Quod alimentis eiuſmodi ſupereſt, in pauperes diuiditur alios, atque per omnia Chriſtiani officij opera diſpenſa-tur. Nominatim autem in Craſſorum Lampugnanorumque familiam legatâ à fundatoribus pecuniâ, prioris familiae binę quotãnis puellae maritãtur, alterius bini per octonos annos adoleſcẽtes ad frequentanda litterarum ſtudia ſtipem inde accipiunt. Hinc fides, ab earum maxime familiarum hominibus Xenodochium ipſum olim

fuiſse

fuiſſe conſtitutum. & ita quidam ſcripſere. Atque Hoſpitij quidem huius benignitate fruuntur indigenae tantùm & honeſti pauperes, quos naturale malum ſenecta oppreſſit. Illud verò maxime peregrinis patet, quod Apoſtolo Iacobo antiquitus dicatum viri nobiles tuentur & munifice adminiſtrant. Ac ſicuti Romanâ viâ, D. Petri quam antea diximus hoſpitalē domum, religionis cauſa peregrinantes Romam, ſiue ex peregrinatione inde redeuntes, vti ſuam intrant: ita Vercellenſi Porta, ſub D. Iacobi nomine apertā hâc alterā, Hiſpani, Hieroſolymitaniue peregrinatores, queis ſubſidio aliquo opus fuit, petunt. Verè hoc iterum videor eſse dicturus. Quot facies & formæ calamitatum ſiue egeſtatum humanarū ſunt, tot præſidia mortalibus in hac vrbe, vel ante D. Caroli Pontificatum, excogitata parataq. fuiſſe, vel poſtea, noua veteribus acceſsiſse, ſicuti antegreſsas ſemper aetates, tempora, quę ſucceſsere, æmulantur. Inter ipſas vltimi Sforciæ miſerias, & pręcipitia ruinantis domus, cùm hoſtes propulsādo Gallos pateretur ciuitas eadem mala, quæ pertulit, vbi propulſare non potùerat, exorta eſt paterna cura hominis vnius, qui colligeret vndique puerulos orbos, & compulſos in vnam domum aleret educaretq. quomodo bene moratus aliquis attentusq. parens ſuos filios ali educariq. vellet. Hieronymus is fuit Aemlianus origine quidem Venetus, ſed gloriæ deſtinatus huic, vt apud nos prædicatione & fama renaſceretur. Vtrumq. principio fuerat eius opus; & Martiniana ſcilicet ſoboles, quæ ſubducta mendicitati excolitur artibus & diſciplinis, & puellarum altera, quæ

ſub-

ſubducta pudicitiæ diſcriminibus ſub D. Catharinae tutela excolitur item artificijs & diſciplina, quam patitur miſeria ſexus, quaeue vbi matrimonij tempus venit, ſit inſtar dotis. Poſtea parens idem & magiſter nutritiuſque deſertae alienae prolis, ſuam inſtituit etiam prolem auctor Ordinis, cuius initia pagum obſcurum Somaſcam accepto inde nomine nobilitauere. Ea decora & ſubſidia vir externus addidit vrbi; ſimillimique ſpiritus alij item externi homines, quos diuitiae, quos pietas ſtudio aliquo publicorum operum accenderat, veluti communem hanc gentium eſse patriam rati, non ſecus atque natalem ſibi ſolum eam excoluere. Nam Melchior Oſorius natione Hiſpanus acta omni militaritur ætate, ſtipendia denique ſua, & pretium laborum inſumpſit collegio inſtituendo, quo pauperum militum filij, & filiæ à primis annis ad militarem vſque aut nubilem ætatem alerentur. Melchior alter Bonauentura nationis eiuſdem in cinerea lacerna Mediolanum profectus vna cum ſocijs viginti, conquirendo ægrotos, qui neq. in valetudinaria admitterentur ob depulſam iam febrim, neque refici tamen & aſsurgere ex debilitate corporis poſsent, ſqualido ipſe vultu, & inflexa ad miſerabilem ſonum voce mortales ad benefaciendum inuitando, commouit, vt noua cuncta ſolent, magnopere ciuitatem, parauitq. domicilinm ſibi, & ſocijs, & tabidorum gregi, queis, nec totus morbus, nec tota ſanitas, ideoq. ſubſidia alibi nulla erant. Id hodie domicilium ad extremos Portæ Nouæ fines in molli culcitra, ſub conopoeo quemque ſuo conualeſcentes delicate alit, donec nitidi & robuſti

buſti quietis iam lectuliq. impatientes vltro ab cubilibus exſiliere. Coemêre Fratres aream ædificio tribus millibus aureorũ nummûm, cùm id ſpatij ſuperaret finitimo Collegio vbi nobiles iuuenes educantur; proteruiaq. olim etiam ibi Humiliatorum habitarat. Hiſpanus de quo dixi prior ille pueris ſuis Vercellenſi Porta emerat domum de principe item alienigena; & magnis eius Oſorij cœptis incrementa maiora acceſsere poſtquam priuati hominis conſilium Regis maieſtas comprobauit. Sed ex noſtra Inſubria Cremonenſis homo Bonus nomine, cum ſacco & cruce principio deſipere viſus, mox rigore perſeueranti & prædicatione aduerſus impudicas, deterruit ab infando quaeſtu plerasque, & earum grege ab luſtris, & popinis in clauſtra pudicitiæ deducto, reliquę vitae diſciplina & ſanctitate puriores innocentioreſque fecit quàm ſi nunquam contaminatae fuiſſent. Huius deinde concionatoris exemplum ſecuti alij pari conatu & ſucceſſu muliercularum flagitia vertêre in pœnitentię miraculum, & Thaides pleraeq. ad Magdalenas ibant. Cumque fremente inhoneſtate, lupanaria quotidie deſererentur, collegia alia facta feminarum huiuſmodi quæ deteſtatione vitae prioris meritum & decus virginale æquarent magna hodie inuitamenta dedecoris exuendi caſtimoniæque amplectendæ, quandocunque ingenia forte illa ſalutis honeſtatiſue amor tetigerit.

Errata.

Pag. 8. verſu 2. ſie. lege ſic. Pag. 16. v. 15. aſſueſceretq; legi aſſueſcerentq.
Pag 24. v. 1. illud l. illuc. Pag 32. v. 6. nimium l. nimirum.
Pag. 65. v. 17. benedicti nos l. Benedictinos. Pag. 47. v. 17. tehnis l. technis
Pag. 77. v. 13. & ingens l. & ingens apud impios. P. 78 v 3. cunctaq. l. cuncta
Pag 99. v. vlt. incuetabilis. l. inenitabilis. P. 106. v. 1 vitae l. vitare.
Pag 107. v. 2. collocatae l. collocata. P. 117. v. 3. ſurrexiſſem l. ſurrexiſſe.
Pag. 86. v. 15. & dignum l. & dignum ſcilicet. Pag. 152. v. 20. his l. is
Pag. 153. v. 23. Mediolanenles l. Mediolanenſis. P. 163. v. 15 diponeret leg. diſponere. ibid. Vetias l. Venetias. P. 173. v. 22. pedis l. pedes.
Pag 173 v. 22. pedis l. pedes. Pag. 176. v. 9. vnum alterum. l. vnum alterumue.
Pag. 182. v. 1. Archiepiſcope l. Archiepiſcopi. Pag. 192 v. 5. quidam l. quidē.
Pag. 196. v. 22. Marcellinum l. Mandellum. P. 200. v 25. Praetos l. Prætor.
Pag. 202. v. 16. depecandi l. deprecandi. Pag 219. v. 6. in verba Federici Caeſaris. l. in verba Caeſaris. Pag. 230. v. 10. obſlinebant l. obtinebant.
Pag. 232. v. 22. etat l. erat. Pag. 234 v. 2. Cartus. l. Carinus.
Pag. 240. v. 26. antrorſus & retrorſus l. retrorſuſue. Pag. 244. v. 17. circumtrentem l. circumfrementem. Pag. 251. v. 20. optimatematibus l. optimatibus. Pag. 261. v. vlt. buno l. Tribuno. Pag. 274. v. 13. & impoſituſq. l. impoſituſq. Pag. 295. v. 6. ſui l. ſuo. Pag. 316. v. 1. noſtram l. noſtra.
Pag. 342. v. 17. accurretur l. accurreretur. P. 348. v. 18. quarum l. quorum.
Pag. 365. v. 16 quae l. quàm. Pag. 354. v. 25. qui etiam l. quin etiam.
Pag 367. v. 2. carentes l. parentes. ibidem. polumina. l. columina.
Pag 386. v. vlt. timent. l. timente. Pag. 407. v. 1. Arnulphus l. Adulphus.
Pag 409. v. 13. adud l. apud. Pag. 442. v. 9. Patrem. l. fratrem
Pag 449. v. 3. ſubiecti l. ſubiecci. Pag. 453. verſu 6. aunere l. auxere.
Pag. 474. v. 26. oportetet l. oporteret. Pag. 482. v. 11. hoſtiolum l. oſtiolum.
Pag. 500. v. 9. rerumq. actionum l. rerum actionumque.
Pag. 505. v. 21. Ecclefia l. Eccleſiae. ibid. quidum. l. quidem.
Pag 512. v. 19. Comite l. comiter. Pag. 516. v. vlt. Gibellino l. Gibellinos
Pag 536. v. 10. à atrocitate l. atrocitate. Pag. 555. v. 7. obuiam. l. obuium.
Pag 556. v. 4. ſeuitia l. ſeruitia. Pag. 557. verſu 7. quae l. quas.
Pag. 588. verſu 17. impretantium. l. imperitantium.
Pag 603. v. 9. omnia l. omnes. Pag. 604. v. 1. Exceſſae l. excelſae.
Pag 633. v. vlt. irderent l. irriderent. Pag. 654. v. 3. bat. l. ibat.
Pag 684. v. 16. aderant l. oderant. Pag. 691. v. 26. extremo l extremos.
Pag. 694. v. 15. praeciperant l. praeceperant. Pag. 699. v. 14. cruce l. crure.
Pag 709. v. 11. tubicines l. tubicines. Pag 709. v. penul. inſidiebar, l. inſidebat.
Pag. 738. v. 17. veneret l. venenaret. ibid. v. vlt. domum l. demum.
Pag. 791. v. 13. aliam l. aleam. Pag 893. v. 1. faceretur l. faceretue.
Pag. 881. v. 20. Auus l. Abauus. Pag. 931. v. 9. copia l. copiae.
Pag. 980. v. 10. re,um l. rerum.

Cetera tu corrige.

A01 1470010

Digitized by Google

Digitized by Google